




CLAUDII DEODATI
PANTHEUM HYGIA
-STICUM










Deodatus, Claudius
vergl. Jöcher. 2. 26.
Sprengel: Gesch. d. Arzneykunde
4. 283.
268.
Pruntrut (Porrentruy)
Kanton Bern
1527–1792 Residenz des
Bischofs v. Basel




VITA
BREVIS
ARS
LONGA
EXPE=
RIEN=
TIA
FALLAX
PANTHEVM
HYGIASTICVM
HIPPOCRATICO
HERMETICVM,
A
CLAVDIO DEODATO
MEDICINÆ DOCTORE
Reuerendiss. et Illustrissimi
Principis Episcopi Basiliensis
Phisico ordinario
Collectum
EXCVSVM BRVNTRVTI
ET
Apud Ludouicum König
inueniendum
ANNO MDCXXIX.

D. O. M.

PANTHEVM

HYGIASTICVM HIPPOCRATICO-HERMETICVM,

DE

HOMINIS VITA, AD CENTVM ET VIGINTI ANNOS SALVBRITER producenda

LIBRIS TRIBVS DISTINCTVM:

Nouis, raris, admirandis, reconditæ Naturæ mysteriis, pretiosis Hippocratico-Hermeticorum Arcanis, Essentiis, Tincturis, Elyxiriis, Spiritibus, Oleis, Salibus &c, Longæuitatis Balsamum, in multos annos conseruaturis, politico-historica, & Medico-Spagyrica narratione exornatum.

Omnibus, omnis ætatis, sexus, conditionis, & status hominibus, ad Mathusaleos, & Nestoreos annos aspiraturis, & sacræ Hygeinæ stipendia facturis, iocundum, vtile, necessarium.

Auctore, & Collectore Claudio Deodato, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, necnon Reuerendissimi & Illustrissimi Principis, & Episcopi Basiliensis Physico ordinario &c.



Cum gratia & priuilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis.

BRVNTRVTI, Excudebat
Wilhelmus Darbellay, Anno M DC XXVIII.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου



Ecclesiast. 37.

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super escam. In multis enim cibis erit infirmitas, & auiditas appropinguabit vsque ad choleram: propter crapulam multi obierunt: Qui autem abstinens est, adyciet vitam.

Ergo

VIVE, VT VIVAS

SYLLA-



SYLLABVS AVTHORVM, QVORVM operâ, ſtudio, & labore, in concinnando hoc Pantheo vſi ſumus.

SYLLABVS

D

aniel Seuertus
alecampius
Dauid Lagnerus.
Democritus.
ioscorides.
iogenes Laërtius.
ionysius Areopagita.
ionysius Carthusianus
ionysius Zacharias.

E.

Efferarius,
Epiphanius.
Erasistratus.
Eusebius.
Eustachius Rudius.
Euripides.
Euoaldus vogelius.

F.

Franciscus Aluaresius.
Franciscus Georgius venetus.
Franciscus Patritius.
Franciscus Picolomineus.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Valeriola.
Franciscus Valesius.
Franciscus Furnerus.
Fulgosius.
Falinus Capitolinus.

G.

Gabriel Fallopius.
Gellius.
Gartias ab Horto.
Geberus.
Gerhardus de Viuariis.
Gerhardus Dornæus.
Gerhardus Mercator.
Georgius Putirius.
Gorgius Rippleus.
Gabriel de Castagne,
Godefridus Smallius.
Gorthæus.
Gregorius Nanziazenus.
Gregorius Lyranus.
Gratalorus.
Gualterus Riffius.
Guido Gauliacus.
Guilielmus Fabric. Hildanus.

H.

Halij Abbas.
Heliodorus.
Hermes Trismegistus.
Heinricus Nuntz.
Heres Bachius.
Herodotus.
Heraclytus.
Hercules Saxonia.
Hesiodus.
Hennigius scheuneman.
Henricus Petræus.
Hippocrates.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Gabucinus.
Hieronymus Bronsuicensis.
Hieronymus ab Aquapendēte.
Hieronymus Capiuaccius.
Hyeronimus Fracastorius.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Nontuus.
Hieronymus Reusnerus.
Hieronymus Rubeus.
Homerus.
Horatius.
Horatius Augenius.
Hyppolitus Guarinouius.
Hyppolitus Obrius.

I.

Iacobus de partibus.
Iacobus Hollerius.
Iacobus Gretserus.
Iacobus Pontanus.
Iacobus Tabucella.
Iacobus Zuingerius.
Iacobus Mockius.
Iacobus Schallingus.
Iamblicus.
Ioachimus Camerarius.
Ioannes Baptista Zapata.
Ioannes Angurellus.
Ioannes Baptista Birellus.
Ioannes Baptista Montanus.
Ioannes Baptista Porta.
Ioannes Boterus.
Ioannes Bodinus.
Ioannes Banisterius.
Ioannes Chrysippus Famanus
Ioannes Crato.
Ioannes Daniel Mylius.
Ioannes Dunæus Scotus
Ioannes Fernelius.
Ioannes Garlandius.
Ioannes Greuerus.
Ioannes Langius.
Ioannes Mathesius.
Ioannes Montanus.
Ioannes Bontanus.
Ioannes Bicus Mirandol.
Ioannes Klenanus.
Ioannes Renodæus.
Ioannes Poppius.
Ioannes de Kupe scissa.

Ioannes

Ioannes Syluius.
Ioannes Trigantius.
Ioannes Trithemius.
Ioannes VVolffius.
Iacobus VVeckerus.
Iacobus Tabernamont.
Ioannes VVilhelmus Sankrius.
Ioannes Hartmannus Beiserus.
Ioannes Schenckius.
Iosephus Quercetanus.
Iosephus à Castro.
Ioannes Forsterus.
Isacus Holandus.
Isacus Iudæus.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Scaliger.
Iulius Obsequens.
Iulius Palmarius.
Iulius Contarenus.
Iulius Firnicus.
Iulianus Imperator.
Iustus Lipsius.

L

Lactantius Firmicus.
Laërtius.
Lambicus.
Lampridius.
Laurentius Scholtius.
Laurentius Ventura.
Leo Affricanus.
Leo Suauius.
Leander.
Leonhardus Fuchsius.
Leonhardus Pio iuuandi.
Leonhardus Turneiserus.
Leuinus Lemnius.
Lucas Puthodius.
Lucianus.
Lucretius.
Ludouicus Duretus.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Septalius.
Ludouicus Viues.

M

Macrobius.
Marcus Tullius Cicero.
Marcellus Donatus.
Martinus Delrio.
Martinus Forsterus.
Mathias Vnzerus.
Martinus Pansa.
Martinus Rulandus.
Marcus Varro.
Martinus Polanus.
Marsilius Ficinus.
Monardes.
Matthæus de Gradibus.
Meleaus.
Mesue.
Michael Neander.
Michael Meyerus.
Michael Toxites.

N

Nicephorus.
Nicolaus Arambesarius.
Nicolaus Flamellus.
Nicolaus Massa.
Nicolaus Mantelius.
Nicolaus Monardes.
Nicolaus Nyrepsius.
Nicolaus Peiottus.

O

Odomarus.
Olaus Magnus.
Olympiodorus.
Olympius Poëta.
Oribasius.
Osualdus Crollius.
Ouidius Naso.

P

Palladius.
Paulus AEgineta.
Pausama.
Paulus Iouius.
Paracelsus.
Petrus Forestus.
Petrus Seuerinus Danus.
Petrus Monauius.
Petrus Chieta
Petrus de Natalibus.
Persius.
Philippus Vlstadius
Philo Iudæus.
Pindarus.
Plato.
Platina.
Plotinus.
Plinius.
Plautus.
Plutarchus.
Prudentius.
Propertius
Prosper. Alpinus.

R.

Regmundus Iulius.
Regmundus Mindererus.
Raphaël Volateranus.
Rases. R.
Reinerus Solenander.

ELENCHVS CAPITVM

Libri Primi.

REVE-

REVERENDISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO S. R. IMPERII
Principi, ac Domino

DOMINO GVILIELMO
EPISCOPO BASILIENSI,

Domino ſuo Clementiſſimo.



AVD iniuria quidem, antiquiſsimus, & ante omnem natus philoſophiam Hippocrates, ſummus noſter præceptor, REVERENDISSIME atq; ILLVSTRISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, primo ſtatim ſuorum aphoriſmorum limine protulit, Hominis vitam breuem, Artem verò Medicam longam eſſe: Vegetatrix enim anima, teſte Saluſtio, tùm fato, tùm caſu, in caloris natiui Oeconomia diu, multumq́; permanere nequit. Fato quidem, ob perennem triplicis ſubſtantiæ corporis effluxum: Dum enim calidum natiuum corporis noſtri in humido primigenio flammat, micatque viuifici illius nectaris ſubſtantia abſumitur, haud ſecus ac in lampade oleum à flamma exhauritur; quod niſi abſumeretur, non equidem micaret flamma. Ita etiam niſi in nobis calidum natiuum ſplenderet, non vtiq; viueremus; at dum ſplendet, ſuum oleum abſumit, in quo viuit, & micat eius flamma; id eſt humidum primigenium extinguitur, exhauriturque. Adeò vt viuere noſtrum aliud non ſit, quàm mori. Nec enim à victus ratione, licèt ſtudioſiſsimè

obseruata, eadem analogia resarcitur: quo enim quis propius ab ortu suo abest, eò vberrimo & benignissimo calido humidóq; natiuo rigatur.

Casu etiam vegetatrix anima non diu in calido natiuo remanet; is enim rerum aduersarum appulsu, facile extinguitur. Quid enim est vita nostra, vt cum Apostolo loquamur, quam vapor, qui ad exiguum tempus apparet, mox tenues euanescit in auras? Et vt cum Poeta dicamus:

Quid nos quæso sumus, quam sparsus in aëra fumus?
Sed nihil est fumus, nos nihil ergo sumus.

Facile profectò vapor euanescit, facile dispergitur fumus, ac opprimitur facile hæc micans vitæ flammula, à diætæ vitio, loci infamia, cæli morbo, aura venenata, vel partis principis impedimento, cuius officio vita carere nequit; à phlegmone item, alioue morbo, marasmum inferente. Sic non inconcinne Lucianus in Charonte, Hominis vitam bullis similem dicit, quæ simul atque natæ sunt, euanescunt, aliæ paulò durant. Ex quibus apparet vitam nostram & per se, & ad artem medicam, quæ longissima est, collatam, breuē, & exiguis limitibus inclusam & circumscriptam esse.

Verùm etsi hæc nostra vita breuis sit, &, vt dictum micans vitæ nostræ scintilla facili negotio obrui, & extingui possit, nihilominus tamen cum hac vitæ flammula, in sublunari hoc orbe, nihil nec præstantiùs, nec iocundiùs, nec suauiùs obtineamus, nullis sanè nec sumptibus, nec labo-

ribus

ribus, nec instructionibus parcendum, vt, si eam, erepto ob primi peccati labem, vitæ ligno, non æternare, alijs saltem medijs, perennem triplicis substantię corporis nostri effluxum, quantum viribus naturæ concessum, diutissimè impedientibus, è reconditissimo vberrimæ naturæ recessu erutis; & à Conditore Deo, ipsaque sagaci & sollicita natura cōcessis, vigilando, meditando, orando, & laborādo conseruare, protrahere, & in multos dies, mēses, & annos extendere valeamus.

Huius pretiosi clynodij fructu grauissimi, & in perscrutandis occultioris Naturæ mysteriis sagacissimi viri, nullis nec laboribus, nec peregrinationibus, nec sumptibus pepercêre, vt superatis altissimorū montium iugis, scrobibus, cryptis, & cauernis: peruagatis vallibus, conuallibus, mōtibus & syluis; traiectis ęquore, lacubus & fluminibus; interioris terræ abyssis, lacunis, fodinis, metallicos thesauros continentibus perlustratis, tandē decantato illo vitæ ligno, aureo illo vellere, tot leonū, tigridum & draconū præsidijs munito, & lōgissimę vitæ balsamo instructo potirentur.

Cùm enim Reuerendissime & Illustrissime PRINCEPS, multæ causæ reperiantur, quarū catalogū nono primi huius lib. cap. proposui, quæ & fato, & euentu, clam, furtimq; micanti vitæ nostræ flāmulæ insidias struunt, eiusq; oppressionem, suffocationē & extinctionem moliuntur, meritò omni studio laborandū, vt earum radices rescindantur, ne

facto in corpus impetu, viuificum tandem vitæ nostræ nectar deprædentur, ruptisq; longioris vitę staminibus, vitam abbreuient nostrã. Harum profectò causarum vis & energia, nisi Artis & Naturæ ope retundatur, quid iuuabit pontificiã, ad temporis, vt ita dicã, momẽtum gestare mytram? Quid proderit Principis Imperij sceptro gaudere? Quid iuuabit subditis iura dare, leges ponere? Sunt quidẽ breues dies Hominis, & nil nisi temporis momentũ, si æternitatẽ ponderemus; at si sagacis naturæ vim & potentiam, dotesq; quibus abunde à Conditore ditata est; si Artis item efficacitatem, animo perpendamus, quis inficias ibit, vitã nostrã quantumuis & fato, & casu breuẽ & momentosam extendi, prolongari, vitæq; igniculum conuenientibus fomentis in plurimos etiam annos conseruari posse? Sicuti Hermeticorum proceres, in Lampade illa, seu igne perpetuo, naturæ, artisq; vim, facto experimento, non semel confirmarunt. Et vt rem verbo expediã, cum Vestra Celsitudo ante 20 annos, plus minus, Episcopali Infula, & Principis Imperij diademate donaretur, quis mortalium existimasset, Vestram Celsit. tot vigilijs, tot curis, tot negotijs, & occupationibus præpeditam, in tam valetudinaria corporis cõstitutione parẽ fore? aut turbulentos, periculosos, laborumq; plenissimos horũ temporũ motus, Ecclesiæ Catholicæ afflictiones, & pressuras, & sexcentas infernaliũ potestatũ machinationes superaturam? Attamen prælucente Numinis

face

face, succedenteq; & naturæ & artis opera, res eo tandē deuenit, vt superatis omnibus difficultatibus in hunc vsq; diē V.C. præter omnium expectationem firma, sana, vegetaq; valetudine perfruatur.

Hanc igitur vt V.C. cōmuni totius Ecclesiæ bono, suorumq; subditorū emolumento, in multos adhuc annos sartam, tectamq; propagare, illamq; vitæ scintillam debitis alimentis, congruaq; viuendi methodo & sanissimè, & diutissimè fouere possit, hoc meū Pantheum Hygiasticum, infracto quidē animo, at multo & labore, & sudore cōcinnatum, V.C. donare, dicare, dedicare, suoq; patrocinio confidentissime cōmendare visum est, vt perpetuū apud posteros, mei erga V.C. summi & amoris & candoris, deuotissimæq; obseruantiæ extaret monumentum. Fronte igitur serena & pacata mentis tranquillitate hosce qualescunque labores excipiat, exceptos suo patrocinio tueatur, meque, meosque Clementiæ suæ alis foueat, & æternùm sibi habeat commendatos. Datum Bruntruti 3. Februarij, 1628.

Reuerendißimæ & Illustrißimæ Celsitudinis suæ

Subditißimus seruus

Claudius Deodatus
Philosophiæ & Medicinæ
Doctor.

NOBILI

NOBILI, CLARISSIMO, EXPERIENTISSIMOQVE DOMINO CLAVDIO DEODATO, MEDICINAE Doctori, Reuerendissimi ac Illustrissimi Principis & Episcopi Basiliensis Physico Domino Fratri &c.

NOBILIS, Clarissime Domine ἀδελφέ, Synthesin tam librorum, quam capitum è Pantheo tuo decerptorum, mihique per te traditorum, ea, quam aula nostra permittere potest, attentione percurri, simul atque Serenissimi nostri Archi-Ducis παρουσίαν declinare licuit. Obiter quamuis à me id tunc præstitum, attamen summo ipsum opus peruidendi, legendique desiderio iam captus mirari desinebam, cur ad hoc edendum te continuus præclarissimorum Medicorum stimulus, & Patriæ nostræ bonum sollicitans amor non tam commouerit, quàm amicè perpulerit hactenus. Nec est quod sæculum hoc nostrum Lyncea inuidia, Theonino dente, & plerumque Crisi Thrasonica tam fæcundum metuas, cùm nihil non continere queat, aut perspicacis physeos, & raræ eruditionis aut vtilissimarum lucubrationum, atque adeo honestissimæ, & reconditissimæ delectationis, quibus cuiusuis docti animi oculos recreari ac pasci, nedum omnibus Hygeinæ deuotis emolumentum adfiari certum, perspectumq; est.

Vtinam tui similes genio, ingenioque felices, quos Vacuna decens aliquando ab aliis negotiorum plicis, ac tricis debitè, & honestè auocat, suos tam egregios ederent partus. Fieret sanè fieret vt multis, innatus quiuis scriptitandi pruritus obtunderetur, penitusque cederet: Siquidem tua hæc euoluendo peruiderem facilè quantum distarent æra lupinis.

Quare Nobilis, Clarissime ac Fratris loco amande Claudi, festina, profer animi tui fœtum quantocyus, ac posteriori sæculo audacter consecra, quo inuidiæ machinam omnem demolieris, aut citra difficultatem disiicies; è contra verò celeberrimam nominis tui famam promoturus cum gaudio multorum Asclepiadarum pectori & ori inseres. Germinabit autem ipsa hæc eò plus, quo magis imposterum officinæ ac Arti Medicæ bonisque DEVM imitando benefacere studebis, aut quo minus scriptis tam vtilibus porro prodesse intermittes.

Tuus totus

Ioannes Iacobus Mezius Medicinæ Doctor, Sereniss. ArchiDuc. Leopoldi Medicus cubicularius, nec non respectiuè S. Cæs. Maiest. Consiliarius, &c.

NOBI-

NOBILI, ET CLARISSIMO VIRO DOMINO CLAVDIO DEODATO MEDICINAE DOCTORI, ET REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISsimi Principis ac Domini, D. Wilhelmi Episcopi Basiliensis, Physico ordinario &c, Domino & Amico suo plurimùm amando &c.



OBILIS, & Clarissime Domine Doctor, Amice plurimùm amande: Symbolum Amicitiæ & necessitudinis, quod nuper ad me misisti, institutum scilicet pulcherrimum, & vtilissimum de Vita ad 120. annos proroganda summariè & per capita maxima animi recreatione perlegi, quod non modo vehementer laudo, approbo, & commendo, sed te amice, admodùm rogo & adhortor, vt omnem neruum intendas, atque cures quo breui in lucem emittatur, & peculiari aliquo eleganti charactere imprimatur; spero enim fore eius maximũ vsum & commodum scilicet vt (per Dei gratiam) finem suum primum in nobismetipsis consequatur, deinde verò in multis alijs, ad Vnius Dei gloriam, Animæ nostræ salutem, & supremam Artis Medicæ laudem.

T. vt nosti

P. A. Joann. Casparus Helbling Medicinæ Doctor; necnon Sereniss. Archi Duc. Physicus ordinarius; & publicus in Archiducali Friburgensium Academ. Med. Professor.

IN

IN PANTHEVM HYGIASTICVM Hippocratico-Hermeticum

NOBILIS, ET CLARISSIMI VIRI DOMINI CLAVDII DEODATI MEDICINAE DOCTORIS, ET REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISsimi Principis ac Domini, D. Wilhelmi Episcopi Basiliensis &c Medici, veteris sui amici colendissimi.

Longæuitatis dona biseclia,
Desiderantes decrepiti senes,
Quid restitatis, quin libellum
Hunce Machaonicum legatis?
Parate vobis PANTHEON *aureum*
Quod condofecit iam prius, optimâ
Quâ lege se in Mathusaleos
Vita hominis tueatur annos.
Quid quæso vobis vtilius Dij
Præbere possent, vel quid amænius
Pandora donet, quàm videre
Progeniem à pronepote natam?
A Dijs negatum est viuere perpetim:
At centum in annos, quin etiam amplius,
Vt fila vitæ protrahantur,
Hic opus est Lachesi benignâ.
Proinde, CLAVDI, *sis caue Claudius,*
Sed PROMVS *esto: & profer apertius*
HERMETE *si quid* TRISMEGISTO
Ingenium didicit Magistro.
Sit siue Crater plenus ELYXIRE,
Seu tinctus auro SPIRITVS *octies*
Expertus ignes siue sit SAL
MERCVRII *manibus paratum.*
Seu euiscerato SVLPHVRE *pulueris*
Inebriati pixide gemmeâ
Inclusi & HERMETIS *sigillo*
(Ne quid inane putes) notati,
Quicquid sit, aude prodere publico
Tàm gratiosum munus: ita euehet
Supra arduum te Solis axem
Fama per astra volans perennis.

Lusit veteris amicitiæ obseruans
Ioannes Fautschius Medic.
D. & Professor ordinarius
Acad. Friburg.

ADMODVM REVERENDI, NOBILIS, CLARISSIMI DOMINI IOANNIS FALLERI S. S. THEOLOG. Doctoris, Protonot. Apostolici, necnon Reuerendiss. & Illustr. Principis & Episc. Bas. Vicarij General. memoris & amici animi symbolum.

Ad
Clarissimum virum Dominum Claudium Deodatum, Philos. & Medic. Doctorem.

Ante quater lapsũ fausto mihi sydere lustrũ,
Arcum lunarat mors inopina suum,
Mazopoli nostras telo signauerat ædes,
Dixerat: huic domui funera certa paro.
Adducto neruo telum ferale vibrabat,
In vitæ nostræ tempora fata trahens.
Et dolor, & languor præsentis nũcia mortis
Pulsarant nostræ præcoce fine fores

Cùm

Cu mihi fila trahit dubio de stamine Parca
Doctor ades, languor mox fugit atq; dolor.
Nec satis aduersas fuerat vicisse sorores,
Artis Apollineæ tecta subire iubes.
Ingredior doctum duce te penetrale verẽdũ
Maiestate sua quod medicina facit
Nosse satis fuerat, fuerat didicisse suaue:
Nec sciuisse satis, nec didicisse fuit.
Sed quoties tecum per florea prata ferebar
Symbola doctrinæ prata fuêre tuæ.
Nunquã non docto fundebas gutture verba
Qualia de liquido flumina fonte fluunt.
O quoties artis vitali flumine diues
Dicebam, lætus pocula plena fero.
Largifero pótum iam promis pectore, multo
Lætior aspernor flumina, poto mare.
Vt video, nostri studiũ tibi creuit vt amnis
Qui riuos dederas, das mare, teq; mihi.
Tu mihi te donas, doctæ sub imagine mentis,
AEternùm viuat mentis imago tuæ.

AD EVNDEM.

Claudius à Claudo vix nomẽ habere videris
Sed quod recludas, quæ latuêre prius.
Quis te non donum diuinum censeat, vt qui
Chara DEO soboles diceris esse DATVS.
Vitam conaris centum producere in annos,
Perq; quater quinos, qualia nullus agit.
Hoc opus æterno est solùm vel nomine dignũ
Quod nullus potuit conditione pari.
An superi tibi num faueant, qui talia tẽtas?
Vt vitæ incolumis stamina longa trahas
Marsilius vitam multos & Pansa per annos
Promisêre, tibi quis rogo, tanta neget.
Quid nõ Cardanus quid nõ Goclenius audet?
En multos annos spondet vterq; mihi.
Thomas Philologes tali de themate scripsit,
Qui plus promisit, quàm Medicus potuit.
Sicq; Theophrastus multos promiserat annos
Præstitit haud quicquam: CLAVDIVS VNVS AGIT.

Hippocrati est Ars longa, breuis sed vita: quid? inquam
Longa at VITA tibi ducitur, ARSq; breuis.

IDEM AD EVNDEM.

Charontis querela dialogistica in magnum, magna & multa continentem librum.

CHARON.

Quid: tantum ausit quis facinus, quod nullus in orbe
Ausus erat? fatis bella mouere cupit?

PLVTO.

Quis strepitus, Pluto inquit, nostrum Acheronta mouebit?
In te Erebi rabido Cerberus ore furit?

CHARON.

Ecce, Charon queritur, coram Plutone querelas
Ponit; Dia, est, qui fata moratur, ait.
Est, qui me priuat naulo, me decipit ille
Iure meo, socios priuat & ille meos.
Nemo venit diues, flumẽ qui tranet vt olim,
Hinc nequeo Lacerã vel reparare scaphã,
Est, qui promittit bis sexaginta per annos
Vitã, quis nostrũ hoc tempore non pereat.
Si nil Pluto vales super hunc, ceu Rector Auerni
Appello ad summi fulmina dira Iouis.
Vulcani & socios ad fulmina prouoco, qui nil
Iam faciant aliud, quã necis arma parẽt.
Falce necet prolem Saturnus, deuoret omnẽ
Annis tot nemo viuere iure queat.
Quid Bellona facis? non vertis cuncta per orbem?
Vt quiuis sociũ mactet & ipse suum.
Nos aliàs nihil hinc quam tempus inane dolemus
Et Furijs frustra Tartara nigra scatent.

ptatum gurgitibus immersi, parum ea perpendunt, quæ à Theologis vel de ieiunij institutione, præstantia, & vtilitate, vel de aliarum virtutum encomijs & emolumentis ad vitæ perennitatem facientibus, piè, doctè, ac neruosè proponuntur: sic ijdem voluptatum cupedijs, & esculentorum irritamentis allecti, flocci pendunt, quæcunque à Medicis non de tuenda duntaxat bona valetudine, sed & de vita in multos annos propaganda in medium afferuntur.

Nihilominus tamen cùm insigne hoc clynodium certò in rerum natura existat, quamuis in abditissimis terræ recessibus reconditum; cùm item lõga & salubri vita, in toto hoc Mundi amphitheatro nihil nobilius, nihil præstantius, nihil iocundius, & suauius esse poßit, & vicißim, eâ nihil vel facilius vel citius, maioriq́ue dispendio, & iactura amittatur, haud iniuria, Homines tanti Thesauri cupidißimi, à condito statim orbe, ipsam Medicinam omnium Artium, & plurimarũ scientiarum facile principem, & eam potißimum partem suspexerunt, & admirati sunt quæ qua ratione, quibusue modis vitam nostram, si non æternare, saltem in plurimos annos sartam tectamq́ue protrahere poßimus, edoceret. Quanto enim longæuitas, vt pote iocundißimum, diuinißimum, longeq́ue blandißimum Hominis condimentum, cæteris tum corporis, tum fortunæ bonis antefertur, tanto maiore laude, honore, amore & veneratione eam omnes sunt prosecuti. Hinc vix reperias authorem quantumuis grauem, ingenio clarum, quãtumuis ardua pertractantem, qui nõ sua monimenta perennitati tradenda, saluberrimis quoq́ue legibus, sententijs, monitis, obseruationibus, è limpidißimis Medicinæ fontibus delibatis, prorogandæ valetudinis ergò, subinde non illustrârit, exornaritq́ue.

Tantus enim est Thesaurus Longæuitas, bonæ valetudini coniuncta, vt eo potito, quilibet quantumuis pauper, se omnium ditißimum: quantumuis spretus, abiectus, amicorumq́ue sodalitio destitutus omnium & fortunatißimum & honoratißimum prædicare: eaq́ue itidem amissa, quantumuis diues, opulentus & nobilis, omnium & pauperrimum, & abiectißimum, & infortunatißimum iure fateri cogatur. Hinc Pyrrhus bellicosißimus ille Epirotarum Rex, cùm immolaturus deorum templa inuiseret, non ampliores Regni limites, non sublimem Romanorum maiestatem, non immensas diuitias, non incruentas de hostibus victorias, non illustriorem gloriam, sed hoc vnũ ὑγίειαν à Dijs immortalibus precabatur, tanquam hac parte rectè constituta, cætera prosperius cessura viderentur.

Sic Thales Milesius sapientum Græciæ vnus è septem, interrogatus olim, quisnam felix esset? qui corpore sanus existeret, respondit. A quo nec ipse Plato in Georgia dissentire visus est, scribens, optimum esse DIV, & BENE VALERE, *esse formosum fortem & poßidere diuitias nulla fraude partas. Iuuenal. 10. Satyra nil aliud*

ad orandum cecinit, quam vt sit mens sana in corpore sano. Galenus quoque satius esse ait, si cui omninò pectus est, sexcenties malle mori, quam vitam viuere valetudinariam. Sed quid diutius Ethnicorum Apophthegmatibus immoramur? Audiamus diuini Flaminis eloquia, ante hos omnes pridem per Ecclesiast. capit. 3. prolata: Melius est pauper sanus, quam diues imbecillis: Melius corpus validum, quam infiniti census &c.

Quæ cùm ita sint vt reuera sunt, haud mirandum Asclepiadem, Hippocratem, Galenum, Erasistratum, Auicennam, Rhasin, Mesuem, AEginetam, Oribasium, Trallianum, Villanouanum, Iulium Alexandrinum, Marsilium Ficinum, & inter nuperos Ranzouium, Quercetanum, Ransam, Guarinonium, Thomam Philologum (vt alios quam plures, breuitatis studio silentio inuoluamus) doctißimis monimentis hanc Medicinæ partem illustrasse, inter quos Philologus primus hanc glaciem fregisse & de vita vltra centum viginti annos producenda scripsisse videtur, quamuis inuita, tumultuaria & dura satis Minerua.

Ad horum itaq; imitationem, vt & patriæ prodessemus, & amicis hosce qualescunq; labores ad typum rapientibus obsecundaremus, visum est ea, quæ à Veteribus vel confusa, vel obscura satis: à recentioribus verò vel fusè nimis, vel arctiore calamo quam tanti negotij magnitudo, & necessitatis ratio exigebat, tradita sunt, succinctis quidem, at plenis, claris, perspicuisq; Medicinæ legibus includere, ordineq; & facillimo, & hodiernæ viuendi consuetudini, nostris Germanis familiarißimo, & aptißimo pertractare, ita tamen, vt nec nimia vel breuitate, vel ordinis ratione candidum Lectorem offensum iri speremus.

Libri primi argumentũ.

Primus siquidem liber, Hominis excellentiam, & harmonicos cum Megacosmo analogismos, concentus ac conspirationes: vitales causas, longissimas vitæ periodos, naturæ vi, & Artis ingenio extensiles, Naturæ in rerum tùm productione tùm conseruatione stabilem vigorem & potentiam, Annorum clymactericorum inefficaciam, incertitudinemq; poßibilem senij retardationem, iuuentutisq; reflorescentiam, breuitatis vitæ causas arte mutabiles, Medicinæ præstantiam, difficultates Medicìq; longæuitatē promouentis officiũ dignitatem, studia, labores, rerum naturalium signaturas, sympathias & antipathias Medico scitu necessarias proponit, & peculiares, nec cuiuis peruias tàm animalium, quam vegetabilium, & mineralium lapidum, gemmarumq; vires longæuitati maximopere inseruientes describit, postmodum Aëris, Ventorum, Regionum, Locorumq; naturas, proprietates hominum itidem viuentium indolem, & scientias, Alimentorum tam ex animalium quam vegetabilium classibus Aëre, & Aquis petitorũ facultates, vires, & vsus succincta methodo depingit.

Secundus liber debitam & necessariam Alimentorum tùm præparationem, condituras, tùm appositionẽ, edocet, vbi multa & iocunda de artificiosa tam panis, quàm cæterorum esculentorum præparatione, arte magyrica, varijsq; ciborum condimentis Sale, Melle, Saccaro, Aceto, Oleo, aromatibus (quorum naturæ facultates, vsus, & Chymica inde parata remedia ibidem describuntur) Multa item de Aquæ & vini potu, præstantia, electione, & vsu; de Motu item Quiete, varijs corporum exercitijs; de Somno, & vigilia; Repletione, & inanitione, & incidenter de Venere; de Prandio, Cœna, Mensis secundis, de nociua admodum ciborum varietate, ebrietate, & crapula, voracitate vitandis; deq; superandis animi paßionibus multa obseruatu dignißima proponuntur.

Secundi libri argumentũ.

Tertius demùm Liber paulo propius ad ipsam Medicinam accedens, qua ratione Homo, ob varios vitæ, victusq; errores, vel præposterum sex rerum non naturalium vsum, morbis correptus, se varijs medicamentorum præsidijs à morbis vindicare, & ad definitum vitæ finem salubriter viuere poßit, varias proponit Euacuationum species, corpus ab humorum sentina liberantes, vt sunt purgationes per aluum, per vomitũ, per vrinam, per sudorem, per clysteres; postmodum agit de venæsectione, deriuatione, reuulsione, alijsque ad hanc euacuationem requisitis: Item de igneis medicamentorum præsidijs, cucurbitulis, fonticulis, vesicatorijs, tropacibus, & synapismis: tandem de Balsamitica Hermeticorum & vniuersali Medicina, sola, vnica, omnes morbos persanante, & Hominis vitam ad præfixum vsque terminum sartam, tectamq; conseruante, quærit, quid de ea sentiendum? an talis aliquando extiterit? & qua potißimum in re sit quærenda? Et quoniam hanc poßidere, omnibus concessum non sit, nec liceat omnibus adire Corynthum, vltimo loco nonnulla rara, noua, & admiranda proponuntur, tùm Hippocraticorum, tũ Hermeticorum remedia, quorum dextro vsu, Medicus Hominis vitam ad centum & viginti annos facile perducere poterit: Tandem coronidis loco, specificæ quorundam morborum etiam particularium curationes proponuntur.

Tertij libri argumentũ.

INTERIM non defuturos scimus qui vel inuidiæ stimulis acti, vel ambitionis igniculis excandescentes, hosce qualescunque labores, ad seuerioris iudicij trutinam, & acrioris examinis incudem reuocaturi, fastuq; ampulloso, ceu nullius momenti operam, crambemue toties recoctam, pedibus calcandam, cachinnis excipiendam, aut nescimus qua fronte sint excepturi (sic enim fert præsentis sæculi conditio, vt nihil, nisi quod propriam sonet Mineruam, vel inaudita, nec hactenus visa crepet, sapiat) tùm quod rem toties à grauißimis viris pertractatam, omnibus peruiam, & abunde cognitam,

recan-

recantemus: tum potißimum, quod nos, qui vix quinquagesimum ætatis annum, attigimus, & num vlterius superuicturi simus, ignoremus, nec interim tamen de Hominis vita ad centum & viginti annos salubriter producenda, verba facere non dubitemus. Hosce tamen nec moramur Vergiliano incitati carmine:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Nec superciliosis istorum Sciolorum cachinnis terremur, quinimmo septemplici veritatis scuto muniti, ingenui candoris in hoc suscepto opere integritatem, promptißimum de Republic. Medica bene merendi studium, ardentemq; proximum iuuandi amorem obijciamus. Non pauca quidem ex aliorum monumentis huc transtulimus; nullius tamen detrimento, vel famæ iactura id factum, apicularum industriam & laborem imitati, quæ ex suauisluis virentium pratorum flosculis, dulcia mella, felle relicto, legunt, citra vllam florum iacturam, vt ex præfixo catalogo videre est, vbi singulos authores, quorum studio & labore in hoc concinnando opere vsi sumus, nominatim & fideliter apposuimus: in re siquidem tanti momenti, & Hominis vitam concernente, nulli sudori parcendum, nullusq; labor quantumuis iteratus, nullum studium licet sexcenties repetitum frustraneum esse nec potest, nec debet, cùm semper magis, magisq; nox nocti, & dies diei indicet scientiam. Omnibus autem non satisfactum iri, minime mirandum, præsertim sciolis, inuidis, & quibus non nisi propria placent; cùm summus ille rerum omnium Conditor DEVS, qui cuncta perfectißimè in numero, pondere, & mensura absoluit, ipsis minime satisfecisse videatur; sed & hos missos faciamus. Quod si forsan nec nos, nec illi qui hos labores superuacaneos arbitrantur, centum & vigesimum annum visuri sint, non tamen hosce conatus inutiles futuros iudicamus, cùm non tantum illis, qui maiorem vitæ partem crapulando & comessando confecerunt, sed ijs potißimum dedicati sint, qui inculpatam huc vsq; iuuenilium annorum ætatem duxerunt, quos obseruatis studiosissimè vitæ propagandæ legibus, pessumdatisq; à primo statim ætatis decursu, cupedijs & voluptatum illecebris, longæ vitæ stamina abrumpentibus, facili negotio, leuiq; labore Nestorea poma decerpturos speramus, cùm DEVS ter Optimus, ter Maximus ipsaq; natura, quæ ipsum Mathusalem tot seculorum orbes videre concesserint, alijs quoq; nostro hoc seculo eandem gratiam & fauorem ab inexhaustis diuinæ bonitatis abyßis manantem vbertim, abundanterq; sint concessuri, cùm nec vitæ arbor (cuius esu Homo perpetua soliditate firmaretur, beata immortalitate vesceretur, nec vlla infirmitate, vel anxietate, vel senij laßitudine, vel imbecillitate defatigaretur) exaruerit, nec

media

media, quorum ope, ad tanti thesauri laticem, & ad Nestorea illa poma, ad vellus illud aureum peruenire poßimus, desint, licèt ænigmaticis, & parabolicis inuoluta tenebris delitescant, suo loco, in operis progressu, reseranda.

Candidißimum Lectorem interim rogatum volumus, vt sphalmata, erroresq; qui paßim in operis huius editione, vel auctoris absentia, vel correctorum inaduertentia, aut Typographi incuria irrepserunt, pro sua humanitate corrigere, emendare, & æqui boniq; consulere, atq; quod opus hoc serius, quam promissum fuerat, lucem viderit, non auctori, qui nihil magis, quam properam operis editionem vrgebat, sed partim incidentibus præter spem, occupationibus; partim intestinis præsentis seculi calamitatibus, inceptum editionis cursum intercipientibus, adscribere non grauetur &c.



Caput I.

De Hominis (cuius vita ad 120. annos producenda) excellentia, & admirabili eiusdem cum Megacosmo Analogia, Harmonia, Sympathia, & conspiratione; deq; partium eiusdem cum Republica conuenientia & Symbolismo.

QVotiescunq; veram illam, lautam, elegantē & admirandam, à multis adumbratam quidem, at paucissimis ritè perspectam, de harmonico Maioris & Minoris Mundi cōcentu, sympathia & conuersione philosophiā, ex abditissimis totius Naturæ fontib⁹ manantem, è secretissimis Chaldæorum, AEgyptiorum, Arabum, Græcorum, Latinorumq; monumentis erutam Biblicis oraculis firmatam contemplamur, & singularem Hominis fabricam, singularemq; corp. partium cum Megacosmo conspirationem & analogiam mentis oculis intuemur, toties immensam summi opificis Dei, vtriusque Mundi plasmatoris & Archetypi potentiam, inexhaustam scientiam, exuberantissimamq; bonitatem veneramur, suspicimus, adoramus. Nec enim summo rerum Conditori, Conseruatori, Regi, atq; Monarchæ sat esse videbatur, totam hanc rerum Vniuersitatem tanto ornatu illustrem, tot rerum seminibus fęcūdam, tot creaturarum generibus dotatā, ex Nihilo creasse, & quasi è profundissimis scientiæ diuinę abyssis, in publicam hanc scœnam effudisse, Hominem quoq; creare voluit, ceu totius creationis compendium, totiusq; Vniuersitatis Regulū, ac Deum mortalem, cui summū ius, summūq; in omnia creata imperium concederet, & omnium scientiarum thesauris repleret, ita vt omnia intelligendo, fieret quasi omnia. Hinc factum, vt prisci philosophi eximia mentis agitatione ducti, Hominem Microcosmum appellarint, ob admirabilem cum toto vniuerso similitudinem, & cum rebus omnibus conuenientiam; cum ferè nihil in hoc Mundo sit, vel occurrat, quod in Homine aut esse, aut simile quid contingere posse non videatur, siue formam vtriusq;, & earū partes, numerum, situm, siue diuersos eorum effectus, & actiones inspiciamus, vt mox constabit.

Tantus profectò ex hac philosophandi ratione fructus & vtilitas emanat, vt illecebris hisce plusquam amęnis, quodam quasi magico incantamento fascinatus humanus animus, ante non acquiescat, quam plenissimos vtriusq; Mundi conuersionū circulos, harmonicos vnius ad alterum concentus, fæcundissimos tùm pulchritudinis, tùm rerum creatarum thesauros, summum denique illud Bonum, in spatioso omnium creatorum ambitu refulgens

refulgens, satis superque quantũ quidem intellectus humani imbecillitas, & obscuritatum tenebræ permittũt, peruestigarit. Hoc autem cum & arduum, & difficile sit, humanumq́; captũ (ob retusam mentis aciem, à primorũ parentum labe contractam) excedere videatur, Moysis illius Attici vestigijs insistentes inaccessibile illud diuinitatis Lumen, quantum humana fert fragilitas, accedendum, quo ante lapsum perfusus Adam, Deum Opt. Max. summum Mundi Conditorem in cœlico Amphitheatro ad meridiem ambulantem vidit, vocem cognouit, & omnium creatorum naturas, essentias, proprietates, affectionesq́; ritè inspexit: Quo Lumine primus ille Seth occultum adhuc diuinitatis Numen colere, & inuocare cæpit, quo Enoch futura prædixit: quo Noah (vt non solum Hæbreorum, & famosissimi illius historiographi Iosephi, sed & Schytarũ, & Chaldæorum monumenta tradunt) totius vniuersi terribilem illam inundationem, & cataclysmum detexit, Archamq́; mirabili, & diuino potiùs, quam humano ingenio fabricauit, hominis, animantiumq́; semen conseruauit, Armenos, Scythasq́; abditioris Naturæ secreta edocuit, astrorũ syzigias, orbiumq́; cœlestium asterismos, annos, menses, pro vario Solis & Lunæ rotatu distinxit, vnde & à nonnullis Ianus nuncupatus: quo item Lumine perfusus Abraham, Deum vnicum in Triade diffusum primus agnouit, atq; de recluso Dei nomine, primus omnium, vt cabalistica testantur monumenta, conscripsit, ideoq; & sanctitatis, & sapientiæ nomine omnium præstantissimus, Chaldęos primum, mox Phœnices, & AEgyptios sacerdotes Astronomiam, à summo Astrorum moderatore haustam, edocuit, ideoq; ob admirabilem sapientiam à Iulio Firmico diuinus est appellatus, quod omnia, quæ ad sapientiam, & diuinum cultum cognoscendum spectarent, primus erudierit.

Hoc igitur diuinitatis Lumine, hoc sapientiæ fulgore, hoc scientiarum torrente, omnes illustrati, perfusi, & imbuti videntur, quotquot de admirabili hac philosophia Microcosmica, deq́; aurea Microcosmi cum Megacosmo analogia verba fecere: Hoc enim Lumine illustrati, viderunt primùm in rebus à Conditore productis Megacosmo nihil mole maius, nihil varietate admirabilius, nihil specie magnificentius, nihil ornatu elegantius, nihil pulchritudine amœnius, robore valentius, nihil ad incolumitatẽ, diuturnitatemque firmius, nihil decentissimo omnium partium ordine, miroq́; earũ inter se quasi concentu, sympatia, & consensu venustius, nihil omnium bonorum copiâ plenius, nihil denique

denique perfectioné absolutius: At nec hoc quidem cognouisse illis satis videbatur, sed & hoc omnia aureæ analogiæ beneficiò in ipso Microcosmo, ceu totius Megalocosmi compendio, mirabili quodam nexu, & sympatico amore, mutuisque complexibus ita necti, ita colligari, & deuinciri obseruarunt, vt vnum absq; altero vix, ac ne vix quidem cognosci possit.

Primùm enim sicut in Megalocosmo sphærica seu globosa figura occurrit, sic & in Microcosmo rotunda omnia nata sunt quantum quidem ad motiones, & migrationes peragendas fieri licuit: Nam, vt de Capite, Corde, Pulmonibus, Hepate, Abdomine, Ventriculo, Renibus, Testiculis, Vesica, & vtero sileamus, quæ ab absoluta rotunditate parùm absunt, sola functionum necessitas & vsus obstitere, quo minus crura, femora, brachia, digiti intestina, venæ, nerui, arteriæ, ossa, costæ, totum deniq; corpus fieret globosum. Et quoniam ad sphæricam formã peruenire non licuit, tereti, seu cylindrica donata fuere; quod & in plantis, & arboribus, animalibus, eorumque partibus accidere videmus: quic quid enim in mundo perfectè mixtum est, non tantum figurâ & formâ, sed & numero, & accidentibus toti ipsi est conforme, cognatum, & velut orbis alter: Et quia animam triplici facultate præditam nactus est homo, non defuêre, qui eum Microcosmum nũcuparunt, eo quod essentiam cum Elementis, Vitam cum plãtis, sensum & motum cum brutis, intellectum cum formis diuinis habeat communem: multa quidem dicunt, multa tamen de partium situ, collatione, numero, & effectibus, quæ ad rei spectant essentiam, omittunt; partes nisi inuicem cõferantur, numero prorsus eædem erunt, eodemq; sitæ ordine: v. g. in Megacosmo primę partes sunt Terra, Aqua, Aër, Ignis, Cœlũ, & super hæc omnia supremus Conditor Deus; quæ omnia graphicè adumbrauit in Microcosmo, Mens prima, ita vt sola magnitudine differre videantur.

Quid Terra in Homine.

In Homine siquidem Terræ locum obtinent carnium, ossiũ, musculorum, viscerumq; moles, pedes item, femora, clunes: Sanguis & Humores cæteri, Aquæ, & Oceani vices agunt, à bubonibus enim ad septum transuersũ, est Aqua, locus in Homine omnium immundissimus, humorũ fontes continens: Calor innatus Ignem, Spiritus verò Aëra repræsentant, totus enim thorax aëreus est, ob pulmones aëra inspirãtes, exspirantesq;. Caput animæ domicilium est, vti cœlum orbiculare, reliquas corporis partes supereminet omnes, in quo sicut Deus alter, rerumque Domina, Hominis mens diuinæ essentiæ parti-

Quid Aqua in Homine.

Quid Ignis in Homin.

Quid Cœlum in Homin.

Quid Deus in Homine.

particeps,& supremę scientiæ capax, totum orbem peragrans, & pusillum hunc mundum moderans, gubernat, vt summi ENTIS simia dici, sicq; Homo typum, & characterem imaginis Dei referrę videatur.

Et vt in Terra lapides, metalla, stirpes, arbores, fruteta, & omnis generis animalia generantur; Sic in Homine, ossa, vngues, crines, pili, articulorum tophi, saxa, lapides, arenulæ, tartarus, gypsū, pediculi, lētes, vermes, ascarides, lumbrici, dracunculi, ranulæ, &c. generantur. Et sanè quod ad lapides, plures sunt in corpore humano, quàm in Megacosmo lapidum fodinæ: nascuntur enim calculi in Renibus, Vesica, Vtero, Intestinis, Cerebro, Corde, Hepate, Pulmonibus, ventrciulo fellis folliculo, articulis plerisq; Voluit *Paracelsus* & sulphur, & salem, & mercurium, variaq; metalla, imò ipsummet aurū in Homine & nasci, & reperiri, vti historia de aureo dente in pueri maxilla genito testatur.

Lapidifodinæ in Homine.

Iam verò quod Terra vireat, virescat, germinet, fructus proferat, sterilescat, & rigeat, idem homo imitatur, viuit enim, nascitur florescit, iuuenescit, senescitque, præterquam quod singulo Vere, cum discussis Hyemis rigoribus, Sol quasi renascens, aureū illud iubar terris ostenderit, blande spirantibus fauonijs, & plantis pulchré germinantibus, & flosculis passim gratum aëra spirantibus repuerascere, senilemque exuere cutim, sicq; per singulas anni partes nunc virere, nunc senescere, renascique nobis videamur. At quod hic facilius vuæ, illic segetes nascantur, in Homine quoq; loca quædam glabra, ac pilis nudata reperies, quædam ijs refertissima, vt in capite, barba pectore, dorso, alijsue locis, densissima nemora videri possunt, quemadmodū & pubes: vbi autem pilus non tam densus luxuriat, prata, & amæna vireta dixeris. Imo verò quod occurrunt vtriusq; sexus Homines, qui in facie, aut quauis alia parte corporis ostentant impressam, concretam, aut pendentem gestant Cerasi, Pruni, Mori, Sorbæ, aut vuæ, & similium fructuum imagines? Gibbos, & monticulorum instar surgentes gibbositates, quis in Homine mōtes esse inficias ibit? Squallidam sterilitatem quis hecticâ emaciatorum hominum, habitui similitudine respondere negare ausit? Fertilitatem verò multorum, carne & adipe luxurianti adeò abdomini, vt corporis pondus vix pedibus sustinere queant?

In quatuor humoribus præter consistentiam quidā percipitur motus, quem Maris fluxum atq; refluxum analogicè dixeris, nec ordine minus certo, ad incertos lunæ vultus: Sub Lunæ defectum aut noua Luna, vbi maximè in O-

Quid res fluxus Oceani in Homine.

ceano fiunt refluxus: bene morigeratis mulieribus fluunt menses, hæmorrhoides, dysenteriæ: bis singulo quoq; die fluit, refluitque mare; bis in anno maxime intumescit, turgetq;, Sole scilicet arietem subeunte, & æquinoctia dimetiente. Humorum motus non minus Medicis per certas periodos, ætates, anni tempestates sunt obseruandi, cutis efflorescit subiectis humoribus similis, nisi reflui fuerint: Sanguis mouetur mane, augetur Vere, & puerili ætate; Bilis verò meridie, in Iuuene, & æstate triumphat; Succus melancholicus vesperi, autumno, & consistente ætate, nocturnas sibi horas vendicat pituita, sicuti & senilem ætatem, & Hyemem. Et vt Maris motui per omnia respondere videantur, innumeris propemodum perturbationum fluctibus, & pathematum procellis, vti ipsum Mare agitantior, ira scilicet, pudore, amore, mœrore, lætitia &c. Addamus quod mirabilius esse possit, in humoribus nempe salsedinem inesse, marinę non admodum dissimilem, quod in sanguinis sero, in sudoribus, & vrinis est manifestissimum; Sic & in ijs animantia, vt in Mari pisces demonstrari possunt; Illa enim licet in aquis degant, sunt tamen è limo terræ orta, & terrestria, eademq; est volatilium cœli ratio, volatilia quidē cœli dicuntur, ob locum duntaxat in quo degunt, & non vnde proprie originem duxerint.

Quid Meteora in Homine.

In Aëre multa & magna contingunt, nubes scilicet pluuiæ, imbres, rores, nimbi, pruinæ, niues, grandines, nebulæ, tonitrua, fulgura, fulgetra, fulmina, coruscationes, venti, procellæ &c. quæ ferè omnia, aut saltem permulta in Hominem cadunt: Quæ enim corporis humani pars, quæ non flatibus, rugitibus, borborygmis afficitur: Quis non sibilus, quis non strepitus, & sonitus in aurib. percipitur? Nam aliquando tinnitus, aliàs strepitus, quandoque sibilus, nonnunquam quasi currentis aquæ fluminū, auribus illisorum fragores, vel riui ex alto cadentis, vel musicorum instrumentorum, aut venti reboantis, vel id genus simile quidpiā, pro quātitate, qualitate, & motus genere, eorumq; differentijs percipimus. Quos non in thoracis capacitate strepitus, fragores, ruct⁹, rugitus, flatus sonoros, stridentesq; sibilos audimus? qui easdē in vtroq; Mundo agnoscunt causas efficientes, caloris scilicet imbecillitatem: Catharri, & humorum è capite in subiectas partes decubitus, defluxiones, & reumata, veræ sunt Microcosmi pluuiæ, ī arthritide, tussi, in abscessib⁹ & diarrhœa; Sicut autem è vaporibus à terra in sublime elatis, & frigore densatis & concretis plus minus, pro eorū, in quæ incidunt locorum varietate, fiunt rores, caligines, imbres, nimbi, pluuiæ,

grandines, niues &c. ita vapores è ventriculo, hepate, meſenterio vtero totoq; corpore in cerebrū ſublati, in humores coguntur, imbri non abſimiles, eadem ratione in ſubiectas partes proruendo, eoſdem ferè gignunt effect9: Et cum craſſior humor, niuis ad inſtar, cerebrum, & neruos occupat, vt in veterno, paralyſi, epilepſia, & Apoplexia cōflictatis, aut etiā in fauces, & pulmones, atq; ventriculū proruit tenuior: craſſiſſimus verò per aures, nares, & palatum repurgatus, non admodum à grandine differt. Rori demùm, quid ſimile magis, quàm corporis vel ſudor, vel mador?

Sympathiæ Hominis cum cælo. Maximus autem eſt conſenſus humani corporis & capitis cum Cœlo & Aëre: Quoties enim Cœlum nubibus obducitur, & niues pluuiasue parat, quicquid illud ſit, capite geſtare putamus, tunc enim varios capitis dolores, cephalalgias, Hemicranias, Cephalæas, Scotomias, vertigines, defluxiones, & Cataclyſmos percipimus, nō ante diſcedentes, quā Cœlum nubibus rurſum fuerit repurgatum.

Quid Ignis in homin. AEtheris porro ſeu Ignei Elementi cum calido innato tantus eſt conſenſus, conſpiratio tanta, vt nihil magis: Ille enim vt Mundi partes, ne frigore torpeſcant, temperat, fouet, tueturq;, & omnibus mixtis de ſpecifico prouidet temperamento: *Caloris natiui actiones* Ita calor natiuus omnes Microcoſmi partes, varia temperamenti conditione diſtinguit, formam, molem, partium ſtructuram dimetitur, ſenſum, motum, mixionem, accretionemq; ſubminiſtrat, omnium functionum opifex, & vnica vitæ cauſa. *Duplex calor.* Verum duo, vti & in Megacoſmo, agnoſcuntur calores: Fix9 ille, & vnicuiq; corporis parti implantatus, & hic elementalē redolet; Vagus autem ſeu influēs à corde, & principibus partibus, in totum corpus diſtributus, ad eum magis accedit, qui diuinioris cuiuſdā originis, ſoli maximè analogus, è cœlis ortu recondito fluxit in terras, & Mundi anima quibusdam nuncupatur. *Caloris fluentis actiones* Hic eſt omnium animantium, ſtirpium, plantarumq; vitæ & mortis cauſa, hic functionum opifex, ſine quo elemētalis ille fruſtrà viribus viuentia nutriret, huius ope & animalia & plantæ frigidiſſimo temperamento dotatæ, papauer, cicuta, mandragora, ſerpentes, ſalamandræ, ſcorpiones vegetant, creſcunt, mouentur & viuunt, cū reliqua calidiſſimæ naturæ cœleſti hoc calore deſtituta, inermia iaceant, vt ſulphur, arſenicum, ſandaracha &c. Ad eundem modum Microcoſmi partes, quādiu cœleſti hoc calore è corde per arterias influente fouētur, tādiu vegetant, viuunt, & ſuas vires explicant; hoc autem fruſtratæ calore à Gangræna Sphaceloue depaſcuntur, & continuò vitâ priuantur.

At

Quid Cœlum in Homine.

AT quis Cœlum micantibus distinctum, & depictũ stellis putasset in Microcosmo reperiri? Pro cœlo nactus cerebrum, eiusque menyngas, & membranas, pari ferè cum cœlo numero: cœlorum expansiones, & epidermis & pericraniũ, cranium, ambæque menynges repræsentant; oculi fulgentes stellas referunt. Ex Astris inferiora corpora occultas recipere vires, mirasq; impressiones tradunt Astrologi: At quales ex facultate animali emanẽt, dictu adeo facile non est: quanta enim vis spiritui visorio insit, vel ex hoc apparet, quod lippientes oculos si quis aspexerit, virus cõtrahat: menstruatæ, speculũ, melones, acetum, vinumq; visu inficiunt: oculorũ radio ad amores conciliandos quid efficacius? inde sane amatoria tela iaculantur, ossa, medullas, cor ipsum penetrantia: Apud Triballos & Illyricos reperiunturhomines oculos duplici pupilla præditos habẽtes hi fixis in hominem oculis eum tandem è medio tollunt, haut secus, quàm vel Basiliscus, vel Hyæna, qui venefica oculorum acie Homines necant, & vicissim propriorum spirituum visoriorũ in speculo reflexione seipsos interimere dicuntur: Sic non rarenter est obseruatum & veneficos, & striges diutiore oculorum intuitu, & Homines & infantes interfecisse.

Vti autem Celũ sua vi insita inferiores orbes mouet, elemẽtis mixtionẽ, transplantationẽ præbet, cæterisq; reb⁹ generationis, corruptionis, motus, omniũ deniq; actionum causa existit. Ita cerebrum proprio motu agitatũ cum suis membranis toti Microcosmo vim sentiendi, mouẽdiq; subministrat, distribuitq;, idque sobolis propagandæ causa, ex eo enim maxima seminis prolifici pars in testium receptacula delabitur, quod vel ex eo cõstat, quod quibus ponè aures arteriæ resecantur, steriles euadunt.

Cæterum vt inferior mundus à superiore regitur, ita solius cerebri officio ac munere videt, odoratur, gustat, sentit, & in omnes motus differentias, extenditur, antrorsum, retrorsum, dextrorsũ, sinistrorsum, sursum, deorsum, ac in orbem: Hinc communis omnium animantium sensus; hinc principes facultates, imaginatio, ratiocinatio & memoria: Idem iuris sibi vendicat in vitales, naturalesq; functiones, & partium totius corporis figuram; omniũ & neruorum ratio è cerebro petenda; ex eiusdem itidem natura non Hepatis duntaxat, sed & cordis, & partium ijs famulantium figura, temperies, robur & imbecillitas facile colliguntur: sicut enim venæ, arteriæ, pulmones, thorax, aspera arteria &c. Hepatis & Cordis, ita hæc cerebri temperiem sequuntur.

Animus humanus à Deo primùm

mûm creatus, & corpori artificiosè concinnato infusus, omniũ formarum sublunarium nobilissimus omnes Microcosmi partes animat, regit, gubernat tanquam prima causa magnum Mundum; In hoc non secus atq; in Megacosmo ordo seriesq; influentiarum, & mutuus quidã rerum cõcentus seu continuatio obseruari licet: Vt enim à prima causa catenatim omnes Mundi actiones pẽdent, tanquã quodam funiculo deuinctæ, ita omnes corporis functiones ab Anima. Os & membrum primo tendines & ligamenta trahunt; hæc Musculi; hi rursũ à neruo impelluntur, qui à spiritu animali vim, facultatẽq; recipiũt: hic autem à cerebro, & anima, prima functionum causa, & sic de cæteris. Mens autẽ (quod incorporea impatibilis, immortalis & æterna sit) in hoc, imitatione Deo proxima, ad illius naturam proximè accedit, & ne quid illi ad similitudinẽ deesset: essentia cum vna sit, triplex tamen facultate dici potest, veluti sub triplici persona, vnus Deus. quippe quæ vegetatiuæ, sensitiuæ & rationalis numeros omnes explet; hoc enim velut paradigmate, nos sũmę & imperscrutabilis Triados admonere voluit Deus.

Hisce cõstitutis, generalia hæc sunt subnectenda, de varijs vtriusq; motibus: primũ mobile accepta à Deo facultate mouetur, suoque motu inferiores sphæras secum rapit, estq; is motus Cœlo quasi voluntarius, qui nunquã quiescit ob necessariã illius conuersionem. Eodem prorsus modo animalis in Homine motus è cerebro & neruis pendens, quiq; est volũtarius, cor & arterias omnes secum rapit, quorum interim naturalem motum nec cohibere, quãdo vult, nec inchoare potest, quin, quoad viuit homo; assiduò moueatur. Ille, vt primi mobilis, quamuis voluntarius sit, est tamen vrgente necessitate perpetuus in respiratione thoracis, pulmonũ ac diaphragmatis motu, quorum actio etsi voluntaria sit, vsus tamen & necessarius, & perpetuus est: Hic vt voluntatis imperio paret, ita ille à reconditiore quadã causa proficiscitur. Item vt sol in stellarum errantiũ medio posit⁹ est, ita & cor in centro corporis sedẽ fixit. Sol enim quasi planetarum Rex in medio sedet, cuius consiliarius est antiquus dierum Saturnus, judex Iupiter, Mars dux exercituum; Venus, vt materfamilias; Mercurius scribæ, Luna deniq; Nuncij vices agit.

Quemadmodum insuper Megacosmos eloquẽtissimus est rerum creatarum interpres, & pręceptoris instar nos ad veri DEI cognitionẽ, & summæ illius tum sapientiæ, tum prouidentiæ admirationem rapit, ita nihil est, quod potentius inscrutabiles conditoris thesauros recludat,

quam

quã diligens fabricæ Microcosmicæ peruestigatio: Nam vt in vniuerso omnia à Deo aguntur, reguntur(q); in Deum autem nihil agere potest: ita & omnes corporis partes in se mutuo agunt, ac patiuntur; Hepar à corde, hoc à cerebro &c, nihil tamen in mẽtem agere potest. Cœlum in hæc inferiora agit, & hæc vicissim in illud, si *Platoni* credamus: Nam cum mundus corpus sit quoddã immensum, natura constans, nõ vt gleba, lapidis fragmẽtum, sed vt arbor, aut planta, cuius partes sunt Elementa & Cœlũ; corporis autẽ vnius omnes partes mutuâ quadam sympathiâ affici necesse sit, vix persuaderi poterit, Cœlum nullis omnino inferiorũ corporum viribus concuti: Cur enim tot vapores è terra, aëre, mariq; sublati; Cur feruentes ætheris radij continuò, ac sine intermissione in eos vibrati, nõ cẽsebuntur non pabulum stellarũ, sed conuersionis eorum sufficientes, ac secundum Deum efficientes causæ: Corpora enim hæc leuissima, & terrarũ fundamentis nixa, rotatuq; facillima, cum perpetuò exhalationum ignearum impulsu lacessentur, nec seorsum ascendere, aut deorsum vergere queant, aut deturbari, circũagãtur oportet. Id si ita habet, cur exhalationes, & iaculati perpetuò ac iugi tenore ignis radij proximos orbes non rotabunt, ac circumagent? præsertim cum videamus viciniores celeriorẽ, remotiores autem tardiore motu agi? quo quisque enim à Cœlo Lunæ propius abest, eo citiore cursu suos describit circulos, vnde Luna 28. diebus: Mercurius 11. mensibus; Saturnus 30. annis; Sol 365. diebus; Mars tribus annis; Iupiter 12. annis; octaua sphæra nõ nisi 7000. annis cursum suum absoluet. Hinc obiter colligi potest Mundum 7000. annis duraturũ, huncq; esse vltimum durationis terminum; absolutis nimirũ omnium sphærarũ circulis, & ad eum punctum reductis, à quo primum creaturæ discesserunt. Ex contrario & diuerso sphærarum motu, vaporum scilicet igneorum vi in contrarium acto, Elementorum misturæ, rerum vicissitudines, ortus, & interitus, tempestatum mutationes, & quatuor Anni tẽporum successiones causãtur. Nam si vnicus fuisset sphærarũ motus, perpetua quoq; & constans rerũ facies permansisset.

Vltimus Mundi terminus.

Audiuimus hucusq; quantum succincta rei narratio permittebat, quanta sit Hominis, in quo, & cœlestes igniculi, & diuinitatis semina elucescunt, excellentia, quanta & faciei & totius corporis maiestas, quanta cum Megacosmo analogia, concentus, & harmonia, quam amæna pulchritudine in vtroq; ornata sint omnia, supera, media, infera, simplicia, mixta, & quam concinnè inter se conspirent, ita vt nihil in

duobus hisce naturæ miraculis neq; ad magnificentiam magnificentius, nihil ad decorem decẽtius, nihil ad ordinem concinnius, nihil ad sapientiam sapientius aut perfectius excogitari, ac ne fingi quidem possit; vt mirum nõ sit, quod AEgyptiorum sacerdotes Hominem adorandum & admirandum animal: Trismegistus magnũ miraculum, Deorũq; interpretem: Theophrastus vniuersi exemplar, Aristoteles, animal politicum; Synesius corporeorum, & incorporeorum horizonta; Cicero, animal rationis & consilij plenissimũ; Plinius, Mundi Epitomen, & naturæ delitias, omnes deniq; vno ore, vnoque consensu Microcosmum appellarint, cum corpore corporeorũ, anima animatorum omnium vires contineat, & Prothei cuiusdã aut Chameleontis instar sese subito in quoduis transformare queat; Hinc Theologi eundem omnem creaturam vocarunt, quod potestate quodammodo, sit omnia, & omniũ rerum finis, cui sublunaria omnia seruiãt, ipse nulli, nisi fortè homo homini. *Minuisti* (inquit regius Psaltes) *eũ paulò minus ab Angelis, Gloria, & Honore coronasti eum, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum.*

Hominis encomia & Epitheta.

Pulchra sunt hæc, lectu, audituq; jucũda, nunc ad alia nõ minus jucunda progrediamur, quæ olim & à *Cornelio Gemma*, & alijs doctissimis viris accepimus, eiusdem Hominis maiestatem, & excellentiam in alijs quoque rebus ad oculum demonstrantia.

Quemadmodum in apta partium societate, figuris ac temperamentis inuicem conspirantib⁹ sanitas est constituta: & in omni recessu, qui ab æqualitate supra, infraq; naturæ leges exorbitat, dum actiones vitiat, morbus existimatur: quod & in regno & ciuitatibus locũ habet; hinc enim & Sanitas, & Insalubris status, & Neuter: Morbus vero vel in contentis siue humoribus, vel aliqua continẽte parte vel in spiritibus, vel ipsa anima, atque ex corpore nostro in animã, ex hac vicissim in corpus persępe refunditur, cõstat hæc similiter in Republica. Laborant enim prius nunc summæ, nunc mediæ, nunc infimæ partes, fiunt æstus quidam reciproci, quales vaporum exhalatione in aëre ambiente: quin qualis ibidem roris, pluuiæ, imbrium ventorum, terræmotuum generatio est: sic & opinionum diuersissimarum, siue Schismatum seditiones in populo, tyrannidis, pacis & belli, & aliorum eiusmodi. Sic & in humanis visceribus, contrariorum affectuum atq; dolorum variæ concitantur tempestates. Nam & *Hippocrates* & *Gallenus* eandem in nobis flatuum ostendunt generationem, cum ea, quæ fit in orbe sublunari. *Hippocrates* enim *lib. de natura pueri,*

commu-

communem nobis & plantis nō modo morborum & sanitatis, verum ortus quoq; totius & interitus, augmenti, status, & decremēti effigiem exarauit. Catharri enī & defluxiones, Græcis ῥεύματα, quid aliud sunt, quam pluuiæ, imbres, niues, grandines? Epilepsiæ, vertigines, paralyses, inflāmationes, febres, aliud quam fulgura, fulgetra, fulmina, causmata, tonitrua, & id genus, ignis quædam quasi deluuia? Apoplexiæ, Comata, Cataphoræ, Cathalepsiæ, & reliqui soporiferi affectus, quam Luminum defectus, aquarum inundationes & cataclysmi? Dolores Arthritici, podagrici, nephritici, aliud quam partus monstrosi, & res in locis visæ non suis, sed toto genere præter naturā? Quid aliud dolores Colici, Hysterici, Hypochrondriaci, quàm ventorum turbines, aggerum euersiones, & sæuissimi terræmotus? cōplicatis scilicet inuicem intra terræ viscera, & concertantibus cōtrarijs Elementis Ignis & Aquæ, seu Bilis Pituitæ, quæ sola sufficere dixit *Hippoc. libr. 1. de morbis*.

Hinc iuxta *Anaxagoræ* & etiam *Hippo*. sententiam, videtur quodlibet esse in quolibet, & quemadmodum ad mētis architectricis exemplar fabricatum est Vniuersum, ita & Mundi exterioris Ideam humana species, & ad vtriusq; normam, tum Reipublicæ, tum omnium & artium, & scientiarum facta est constitutio. Nam v. g. qua ratione lapides in terræ visceribus generantur, eadem plane ratione in animalium corporibus enasci deprehendes, & ex forma generationis lapidum, in renum cauitate, vel vesica, eosdem & in cæteris partibus oboriri posse ratiocinamur: visi quippe sunt lapides excisi è fellis folliculo, stomacho, epate, mesenterio; pulmonibus, corde, cerebro, vtero, intestino cæco, materia scilicet viscosa, lenta, glutinosa, ac tartarea, à salis spiritu in saxeam, aut gypseam speciem indurata: *Franciscus de Pedemontio* incredibili & numero, & magnitudine lapidum fluxum conspexit integro mensis spatio durantem, cuius nonnulli lapides oui magnitudinem adæquabant.

Adde quod hoc totum, quod Græci τὸ πᾶν, nos Vniuersum vocamus, in duas principes partes diuiserūt philosophi, quarum altera, res materiæ ac corporeæ molis expertes, æternas ac immortales complectitur; Altera mortales, concretas, ac materiæ cōtagio infectas suo coërcet ambitu: Sic & Homo duplici cōstat natura, animo scilicet & corpore cuius scilicet sede ac domicilio, nec quicquā in maiore hoc Mundo existit, quod non & in minore facile appareat: Materiam illam omnium rerum sublunarium parentem, & quæ ex ea proximè oriuntur Elementa nobis inesse, & dies fatetur, & interitus declarat.

Flatus enim in Homine geniti, vt iam diximus, ventos, vapores, nubes, destillationes, pluuias, tonitrua, exustiones, incendia repræsentant, vt nihil in sublimi generetur, quod non etiam in Homine inueniatur: ossa, cartilagines, metalla, vis animæ sentiens, ac nutriens plantas, sensus, atq; motus localis, perfectissima nobis animalia referunt; Spiritus, quib⁹ & sũma substantiæ tenuitas, splẽdor, & calor mitis, suauis & blandus inest, Elemento stellarũ proportione respondent. Nec item Homini illa deest perfectio, qua cœlestes illæ mẽtes prẹditæ sunt, qua perenni ac sempiterno motu vniuersos suos globos agitãt, & in gyros agunt, circumuoluuntq;: Et in animo humano vis ac facultas nobilior, ac prẹstantior, qua res simplici apprehensione sine motu aut tempore, intelligit, ac intuetur, qua sola ratione diuinis illis mẽtibus similis euadit. Quemadmodum enim *Apelles* celeberrimus olim pictor, cũ pulcherrimam illam atq; admirabilem Veneris imaginem depingeret, clauum fixit, quo amoto tota simul imago dissolueretur: in eius verò claui sũma parte suam depinxit imaginem: Ita Deus ille Opt. Max. cum elegantissimum hoc Mundi opificium, fabricasset, tãquam Coronidem & Colophonem coniecit Hominem, in quo suam collocauit imaginem, ex cuius inspectione ipse Artifex agnosceretur, vt si verè dicere fas sit, humanus animus, Deus quidam paruo corpusculo conclusus videatur. Cùm itaque res plurimum inter se pugnãtes, atq; contrarias Homo complectatur, rectè illi nobis scripsisse videntur, qui Hominem vinculum esse, quo æterna caducis necterentur, asseuerarunt, atque adeo notum, certum firmumque tam Mundi qui sub sensum cadit, quã qui in intellectu hæret; quamobrem cum vtriusq; naturæ sit particeps Homo, sua vi, ac rationis beneficio, sese attollere potest, spretisq; caduci corporis illecebris, diuinarum rerum contemplatione, Dijs quam simillimum reddere potest.

Quod si à brutis rerum humanarum imagines & exempla peti possint (possunt autem illustrissima) non dubitandum, Populos, & Nationes, ingentibus illis Balænis Cetisq; conferri. Principes verò piscibus, non illis quidem magnis, sed singulari oculorum acumine præditis, quos Græci μυστικήτους vocant. Est autem occulta & mutua inter hæc duo amoris beneuolentiæq; affectio, quàm par est eis existimare ab ipsa Natura inditã: Balæna quidem cum non lusciosa tantum, sed & propemodum cæca sit, non audet aliquo profectura sine duce natare, ne fortè ad scopulos illisa, sibi ipsi mole sua malum, vel ipsam mortẽ creet; idcirco μυστίκητον nacta

studiosè

studiosè consequitur: magnūq; adeo Naturæ miraculum est, tam grandem belluam ad leuem caudæ motum exigui pisciculi hac, illac flecti, progredi, subsistere, duci, reduciq;: Quod nam esse possit, obsecro, principis in Republica verius & pulchrius simulacrum? Moderatur hic populo tanquam indomitæ & cæcæ belluę sua prudentia, ingenij acumine, iustitia, æquitate, mansuetudine: ille autem totus à sui principis pendet sapientia; plus eum cernere, seq; longius prospicere statuit, ac quasi in excubijs agere ne Respublica vel tempestatibus quassetur, vel in scopulos illisa, summū adeat discriminis periculum. Et hęc omnia aureâ illa analogiâ ad animum singulis corporis facultatibus imperantem, & sceptra tenentem pulchrè conferri possunt.

Homo insuper (vt plura dicamus) diuinū illud animal, naturæ iuxta mortalis & immortalis, ceu cœlestis quædam planta in terris constituta, cuius radicem Cōditor inferioribus hisce sedib⁹ vinxit, comā verò atq; perpetuò frōdentem verticē supra anni & solis viā, supra cœli extremam circumferentiā, ad nunquam interituros ambitus relegauit. Quare huic tanquam suæ maiestatis simulachro longè pulcherrimo, & Mundum, & quæ in Mūdo sunt, tùm ad vitam, tùm ad bene viuēdum cōtulit, quorum illud ad rerum paratarū fruitionem vbertas; alterum istuc Naturæ & vniuersitatis cōtemplatio, quia quidē perculsa mens veternosæ moli repudium mittens, amorem simul & desiderium scientiæ rerū concipit. Constat autem eum ex tribus velut in vnum coagmentari, Animâ scilicet Corpore, & Spiritu, quarum vtriq; partiū sua rursus particularis natura, sua virtus & energia, sua deniq; propria perfectionis ratio existit.

Non iniuria profectò Veteres Hominem Microcosmum vocarunt; Cùm enim Deus Opt. Max. in prima rerum creatione sex dierum spatio totum Vniuersum admirabili artificio fabricasset, suoq; cuncta collocasset ordine, ne quidquam præterea ad tanti operis ornamentum & splendorē desiderari posset, solus deerat Homo tam excellentis fabricæ absolutissima anacephaleosis, quæ diuinam illam potentiam & magnificum opificium admiraretur: Nihil enim in Cœlo tam sublime est, nil in terra tā abstrusum, cuius imago & exemplar diligenter rimanti in Homine non agnoscatur. Nam & paruo Mundo suus est Deus, Animus scilicet sunt & Spiritus Angelici, Voluntas & Intellectus; sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, exterioribus correspondentia Elementa. In calido apparent corruscationes, & variæ ignitæ impressiones, imagines, phrenitides in-

flammationes, erysipelata, & caufonides. In humido destillationes, & ex his indurati tophi, pluuiæ & humorum refluxus, in suis venis & arterijs. Quid de Terræmotu dicemus? Sicut enim ventus terræ visceribus inclusus erupturus terrã concutit, & tremulo motu conquassat: Sic flatulentus aër musculorum, aliarumq; corporis partium, quæ distendi possunt velamine circũscriptus, obseptusque, eas tremore concutit, donec per distentũ velamen exitus pateat. Hinc videmus ex flatuosis spiritibus corporis cauitatibus inclusis, exitumq; parantibus, magnos subinde fieri tremores, tanquã pyrio puluere in sclopetis & tormentis bellicis accenso. Huius causam quam ignorat plebs, illic subesse, animam arbitratur (vulgo das Leben) quippe quandiu sine iniuria effluit, & patentibus vijs innoxius discedit, nullus est corporis tremor; Sin verò obduratis meatibus erepta facultas est, nec fugæ locum inueniat, omnia perlustrãdo, locorum augustias dimouet, & claustra effringere conatur. Sic euenit quoq;, vt spiritu luctante, & egressum quærente, corpus cõcutiatur. Datur & alia huius tremoris ratio: Corporis namq; cauitatibus inclusus flatulentus spirit⁹, viscerum calore & insito motu euerberatus, cursu parum libero inualescit, tenuiorque redditur: Hinc qua data porta ruit in vniuersum corpus, partibusq; principib⁹ sese insinuat, & celeri motu in loca sensibilia erũpens non modo sua qualitate inficit, sed & tenui substantia stimulat, distendit, diuellit, diuerberatq; omnes eas partes, quibus obuius factus fuerit. Hic idem spiritus cum vltro citroq; permeans, expultrici molestus sit facultati, partesque contristet, agitetq; ad noxiũ expellendum festinantes se contrahunt, constringuntq;, concussione & quassatione vexantur: vnde cùm flatus similem cum ventis sortiantur conditionem, similes etiam producunt effectus.

De quibus inferius cap. infra 3.

Cùm itaq; hæc omnia in Homine fiant, reperianturq;, idcirco illum Microcosmum vocarunt veteres philosophi, vel quia ex omnibus Mundi partibus coaluerit, vel quia in eo totius rerũ vniuersitatis similitudo quædam inueniatur, vel quia sit illustris imago diuinæ dispensationis totius vniuersi: Nam corpus habet diuisibile & elementale, animum cœlestem, vegetãdi ac sentiendi in se potentiam, vt in plantis, sensum, vt in brutis; mentem instar naturæ Angelicæ: Imò sicut Mũdus vitali Solis calore nostrã seruat vitam, & soli subiecto dispensat Mundo; itidem & cor per vitalem spiritũ, omnia corporis mẽbra vegetat, ita vt nihil vel in aëre volitet, nihil in aquis fluctuet, nihil è terris erũpat, nihil deniq; in terris absconsum lateat, quod

non

non ad Hominem transferri possit.

Qui igitur medicus crasin & discrasian indiuiduorum nouerit, eorum principia, facultates, virtutes totius, & partium essentiā, proprietates, mixtiones, mutationes, incrementa & decremēta, horumq́; causas tam superiores cœlestes, quam inferiores elementares, mutuamq́; ipsorum omnium & singulorum sympathiam & antipathiam, amicas, & inimicas influentias, perspectas habuerit; Hic non difficulter sciet, quid in corpore smaragdus, quid saphyrus, quid adamas, quid vrtica, melissa, quid Aaron, quid mineræ in Homine baurachiales dictæ apud Arabas & Chymicos, quid sulphur, sal, & Mercurialis liquor; sciet quinetiam quid Archeus, quid Vulcanus, quid Ileh, quid Nostoch, quid balsamum in homine, quid deniq; astrū, quid Sol, Luna, Mars, quid specificum, quid signata: ita vt meritò dicere possim⁹, qui Microcosmū nouerit, nouerit & Megacosmū, & qui vtriusq; habuerit cognitionem, omnia pfectissimè cognouerit, cū seipsū nosse, sūmæ sit & artis, & scientiæ. Multi enim multa norunt, seipsos autem omnium minimè; Ille verò sapientissimus merito iudicatur, qui seipsum nouit. Homo enim ex Cœlo & Terra est, carne & spiritu compositus imò ex quatuor elementis constat, admirabile sanè figmentum. Vnde qui seipsum nouit, scit quoque quid spiritus, quid caro, quid cœlum, terra, quid DEVS, quid Homo, omnes deniq; creaturas cognitas habet, cùm de singulis aliquid participet, eaq́; in eo, & circa eū consistant: imò Ignis, Aër, Aqua, Terra, Dei imago. Ergo seipsum nosse, est summa scientia & summa felicitas. Omnis Homo vnus Homo, & in gleba, & natura humana reperiuntur: vt rectè olī dictū sit, ἓν εἶναι τὰ πολλὰ, καὶ τὰ πολλὰ ἕν, vt ex *Platonis*, *Hippocratis*, *Galeni*, & *Anaxagoræ* placitis constat, præsertim si res in suo Archetypo, & æterno exemplari cōsiderentur: quemadmodum enim ad exemplar mentis architectricis fabricatū est vniuersum, ita ad Megacosmi Ideam humana species, seu Microcosmus.

Et hæc quidē plus satis de Hominis cum vniuerso orbe comparatione & analogia sufficerent, antequā tamen huic capiti colophonē imponamus (nec enim in Hominis præstantia proponenda sibi calamus temperare potest) paucula adhuc de Microcosmi cum Republica comparatione in medium afferemus.

Primum quidem si membrorū & corporis structuram, proportionem, & vsum cōsideremus, suauissimam inter corpus humanū & Rempublicam cōiunctionem esse videbimus: Nam vt ab exigua seminis portione corporis humani mēbra, prima rudimēta

ceu

ceu stamina accepère; sic & amplissimarũ vrbium, & vastissimorum regnorum exilis & ferè contemptibilis fuit origo, testatur idipsum Roma ex vili pastorũ pari exorta Romulo scilicet ac Remo: Turcarum imperium à pauperrimo Mahomete pastore, latrũculo, & institore, armis & superstitione imperium stabiliente. Et vt in prima genituræ massa, viuifico spiritu perfusa semper corruptio præcedit, antequã Hominis forma exurgat: Ita ex quatuor imperijs, quorum vnũ ex alterius ruina sumpsit incrementum, videre est; Nisi enim v. g. Aquilegia ab Attila deuastata fuisset, nũquam ab Incolis ad maris Adriatici æstuaria compulsis Venetiarum vrbs ad tantam potentiam ac magnificentiam peruenisset. Qui primùm vel ad tuendam societatem, vel ad seruandam securitatẽ vel ad vtilitatem instituendã vrbes & ciuitates condidere, eas mænibus vel muris inuiolabilib⁹ & quasi diuino iure fultis cinxere, Hominis matricem imitati quæ infusum spumosũ semen arctissimo, ne effluat, ambit complexu, vt sic formator spiritus fætum effingere, membranis inuoluere, vicinas partes munire, & ab ambientis iniurijs Embryonem vindicare possit.

Et vt formator spiritus nobiliores corporis pattes Hepar, Cor, cerebrum, venas, neruos, & arterias præ cæteris effingit? Sic iactis primis vrbium fundamentis, publica ædificia, tẽpla, scilicet Gymnasia, Curiam, ipsamq; Regiam, Granaria, Armamentaria, Xenodochia &c. locis salubribus, oportunis, & natura munitis designant Conditores. Videm⁹ quidem à solis testibus semen & vim prolificam, & calorem accipere, spiritus verò formatores in spumoso seminis corpore existentes purissimos, & pernicitate agillimos omnes corporis regiones discurrere, ad testes confluere, illicq; sanguini ex omni venarũ genere deciduo, partium naturã & ideam imprimere: Ita in constituenda primitus Republica, in ponẽdis colonijs æmulus quoq; est Naturæ princeps, cum ex omni ciuium ordine, variaũ artium & disciplinarum Homines elegit, quos ad Rempublicam alio Cœlo formandam sub vexillo in locum designatum transfert, legibusq; inter se in societatem deuincit.

Natura omnes similares corporis partes ex seminis crassamẽto effinxit, vt ossa, cartilagines, ligamenta, membranas, fibras, venas, neruos, arterias, carnem & cutim, & ex his reliquas & organicas corporis partes efformauit at in tota hac partium familia, nulla est, vel tam exilis, vel tam spretæ cõditionis, quin ob vsum aliquem nobilem commendatione sit dignissima: perinde in Republica omnes ad faciundas o-

peras

peras exequũtur: otiosi verò validi, robusti, mendici & seruituti mancipari, ad lapidicinas, & metallifodinas, aut ad militiã, aliaúe publica munia peragenda vrgẽtur. Natura sagax ossa ad Hominis rectitudinem & figuram comissurasq; toti homini, imo & ad stabilimen, præcipuumq; robur vniuerso corpori seruandũ concessit, haud secus atq; bases & columnas ædibus subiectas: Sic talia in Republica fulcra mariti sũt, qui dum arctissima & corporum & animorum coniunctione ex fœminis sobolem excitant, totã hanc societatem sustinent, fulciunt, propagant. Cartilago ab osse natura proxima, at mollior est, quâ ossium motus iuuatur, cum inde & facilior, & securior, & diuturnior sit incessus, status & positus, cartilagine scilicet se articulis leuiter ingerente, blandissime iuxtà & tenacissime applicante: Cartilago vxor est, seu viuũ quasi vxoris simulachrum, nam & obsequiosa fit marito socia, & fidus in re familiari, labore, gaudio, mærore, fortunio, infortunij, Achates, eumq; pro lege, & pro rege habet.

Nerui è cerebro tanquã promptuario, animalem facultatem, vectore tenuissimo spiritu animali ad omnes corporis partes deferunt, vt & sentire & moueri possint: Simillima est dominorum ratio, qui seruis & opus, & cibum, & castigationem debẽt quod cibus sine opere ex seruo porcum: opus sine cibo Asinum; castigatio sine vtroq; canem efficiat.

Per venas tanquam canales sanguis hinc inde debita proportione singulis membris distribuitur: At extra vasa, seu destinatos cancellos excurrens, vel putrescit, vel concrescit, aut vberius quam par sit emanans, ita totum corpus inundat, vt certum inde animæ cum corpore diuortium sequatur: Venarum vicem in Republica Familiæ sustinere videntur, nec enim pro conditoris maiestate, nec pro humani generis dignitate, propinquorum ordines tolli, vel affinium & cognatorum gradus confundi possunt; Sed spectabiles familiæ conseruandæ, & quemadmodum venæ quibusdã locis, Hepate maximè & Pulmonibus.

Arteriæ spirituosum sanguinẽ in sinistro cordis sinu elaboratũ hauriunt, & per totam corporis œconomiam distribuunt, verum natiui caloris pabulum: vnde venas & duplici tunica, & septupla crassitie superant, tum vt motus perennitati robore adsint, tũ vt vaporosũ & spirituosum sanguinem, ne euanescat, melius cohibeant: Repræsentare hæc Reip. societatem videntur, quâ iure collegij, vnius cõditionis Homines artium & exercitiorum varietate, ad comparandam vitæ sustentationem coniunguntur.

Quod si ad partes organicas, & viscerum œconomiam accedamus, in quibus maiestatis ius emicat, multa scitu iucunda sese offerent, in quibus videre est, cũ partium principum, Hepatis scilicet Cordis & Cerebri facultate in iuris Ecclesiastici administratione tria conuenire, pactum inter Deum & Homines: Ecclesiæ defensionem; & scholarum conseruationem.

In suprema regione est caput, cogitationũ sedes, rationis, motus, sensusq; domicilium, quod, dũ suo ritè fungitur officio, Homines verè sumus: per cerebri thalamos, perq; neruorum propagines omnia expedit rationalis anima, vt intellectus constet, & ex hoc varia virtus profluat, & commodis suis efflorescat: Sic etiam Pontificis est, per idoneos ministros syncerum Dei cultum propagare, purè, liberè, sine metu: indicere, conuocareq; synodos, concilia, tùm vt Ecclesiastica disciplina ritè exerceatur, tùm vt Hæreses, Scismata, & in doctrina moribusque errores coërceantur.

Quemadmodũ cor ex iusta indignatione & vlciscendi cupiditate non rarenter excandescit, & ex sanguinis ebullitione in iram accenditur: Sic in Republica fatiscente religionis zelo, & vacillante sacrorum integritate, iure excandescit Magistratus, & intrepido animo pro Ecclesiæ defensione contra hæresum & errorũ disseminatores exurgit, & velut pestem ipsam è Republ. extirpat.

Abdomen infimusq; venter, etsi quasi in corporis medio quietus, otio diffluere, nec quicquã vel ad corporis dignitatem, vel ad eius vtilitatem conferre videatur, nisi tamen alimenta subministraret, omniq; & nutritioni & procreationi famularetur, totũ sanè corpus ad extremam perueniret & tabem & marcorem: Sic Scholæ, scholarumque doctores perperam & otij, & desidiæ, & vilitatis, sordiumq; arguuntur, cum parua contemnenda non sint, sine quibus magna constare nequeunt, qualia sunt Gymnasia, & Scholæ, cùm sint & pietatis, & doctrinæ, omniumq; virtutum officinæ, & fontes, ex quibus purus putusq; Dei cultus, omnisq; honestatis, & disciplinæ facies emergit.

Quemadmodum tandem Vita nostra insuauis, inculta & acerba, foret, nisi Natura ex corpore ipsos artus, manus scilicet & pedes protendisset, quibus nobis & sapientiæ instrumenta parare, leges condere, artesq; Deo placẽtes exercere, noxia euitare, & vitæ commoda comparare possimus: Sic & bene constituta vel Respublica, vel Regnum, vel Imperium duobus potissimum nititur cruribus seu fulcris, dextro scilicet & sinistro brachio; Ecclesiastico & seculari; quorum ope,

veræ religionis vnicæ, & Catholicę cultum, morum disciplinam, pacisq; tranquillitatem & tuetur, & conseruat; sedulamq; & condendarum, & interpretandarum, & abolendarum, aut mitigandarum legum curam habet; pœnarũ præmiorumq; distributioni inuigilat, publicæ securitatis stabilimenta ponit; prouinciarum deuastationes, deprædationesque arcet, damna, variasque iniurias impedit, summum deniq; maiestatis Ius, summamq; socialis vitæ vtilitatẽ fouet, promouetq;.

Est igitur Microcosmus ciuitas quædam, seu bene constituta Respublica, est Regnum, est Imperium; cum & Megacosmus sit vna velut Ciuitas, Regnum, Imperium, cuius ciues, inquilini, & membra sunt Cœli, Astra, Elemẽta, & inferiores creaturæ omnes.

Ciuitas. In Ciuitate pulchrè elucet diuersorum hominum collectio in vno grege, sub vna lege, & eodem Rege seu Magistratu, in vno loco contra hostiles incursiones magis minusue munito instituta, ad eminentissimi Creatoris agnitionem, ad illam infinitatem, ad illam æternitatem, ad illam omnipotentiam, ad inaccessam illam immensi Solis lucem (quantum humanæ imbecillitati permissũ) contemplandam; & ad liberorũ propagationem, vitæ propriæ bonorumq; Incolarum defensionẽ coacta & gubernata: In Microcosmi ciuitate pari analogia obseruamus Ciuium seu membrorum, & singularum partium numerum, denominationem, ordinem, situm, functiones, & politica officia, quibus alia alijs inseruiunt & mutuas præstant operas.

Sunt enim hîc ossa, venæ, nerui, arteriæ, tendones, ligamenta, musculi innumeri: Sunt Spiritus Naturalis, vitalis, Animalis: Sunt Caro, Sanguis, Cutis, & aliæ partes tam similares, quàm organicæ diuersæ: quarundam paria, vt vna pars alteri in eadem operatione suppetias ferat, vt sunt binæ manus, pedes, oculi, aures, nares renes, testes, & his similes: Vt enim non ex Medico, vt Medico, sed ex Medico, Agricola, & alijs consurgit ciuitas, sic nec nostri corporis ciuitas ex manu, vt manu, sed ex manu, pede & alijs pluribus partibus componitur, & ex diuersis fit societatis vinculum: In Homine pes, pedi, & manus manui fert opem; imò nõ rarenter manus pedi, & vicissim succurrit.

In corporis nostri Ciuitate singulæ partes sua habent nomina, quibus ab inuicem distinguuntur, vel ab officio petitis, vel à cõmuni vsu desumptis. In optimo quin etiam ordine singulæ partes sunt dispositæ, ita vt cloacæ & loca sordidiora à conspectu remoueantur, abscondanturque. Agnoscimus autem in humani corporis systemate quatuor in primis aulas, seu consistoria, in

quibus ordo magis est conspicuus, vt & diuersus situs: Primò in corpore virili est venter inferior subregens, nutritionis membra & viscera continens: Secundò est generationis officina, aliquatenus extra iam dictum ventrem propendens: Tertiò est camera Cordis & respirationis: Quartò est aula, arx, seu regia intellectus, summi Capitolij instar, in corporis monte seu fastigio sita, perpetua *Dictatoris* sedes.

Singula hæc conclauia sua habent munimenta & mænia tùm interna, tùm externa, quibus mẽbra ab Elementorum iniurijs, & circumstãtium insidijs illæsa seruentur: Venter enim inferior circumcirca peritonæo & diaphragmate intrinsecus, musculis abdominis, dorso, alijsq; cutaneis partibus extrinsecus concluditur: Generationis mẽbra scroto terminantur, muniunturque: Thorax, interiùs pleura, exteriùs costis, musculisq; intercostalib⁹, diaphragmate, alijsq; sepimentis vallatur: Caput, seu Cerebrum duplici menynge, cranio, & pericranio, & similibus præmunitur.

Horum omnium vtilitas ex singulorum officijs admirabiliter elucescit, paucis hîc delibãda cùm de ijs paulo ante fuse egerimus: Quemadmodum in magna illa maioris Mundi Ciuitate Creator Deus se supremum Regem & Monarcham constituisset, in particularibus autẽ alicuius populi congregationibus sibi vicarios vel Magistratus, vel Reges statuit, quibus alij regantur: Eodem modo in Microcosmi Ciuitate, partes aliæ ab alijs sensum & motum, robur & vitam mutuantur, sicq; primatus non omnibus ex æquo conceditur. Cor primũ dicitur in animali viuere, & vltimum mori, vnde vitam non ab alio membro vel viscere accipit, nisi ab Anima, vt hæc à Deo; Cetera non item, quæ Cordi hac ratione assurgunt vt Regi, & inseruiunt vt Domino. Cor itaq; principis aut Magistratus instar in Microcosmi ciuitate, in corporis centro ceu media & munitissima thoracis aula residet, & circũstãtia viscera & membra suo viuifico calore illustrat & perfundit; Cui subministrant pericardium, dexter, sinisterq; ventriculus in eius substantia, vena caua, & Aorta, vena arteriosa, vt arteria venosa, pulmo, diaphragma. Hi proxima Cordi ministeria præstant, dum vel optimum Aërem afflant vel malignum euacuant, aut meliorem sanguinis partem aduehunt, cordis motu in vitalem spiritum transeuntem, vel ipsos vitales spiritus, & calorem ceteris corporis partibus suppeditant. Hæc officia vulgaria nõ sunt, sed summæ dignitati proxima: Senatorius hic est ordo amplissimus, qui cum principe consultat, de totius populi salute, eiq; consilia iura, immunitates, & senatuscõ-

sulta

ſulta proponit. Calor natiuus à Corde tanquam primaria officina, & fonte in omnes partes dimanans, æquitatem, iuſtitiam & tutelã denotat: Vitalis verò ſpiritus officia, dignitates & honores: Affectus, vt ira, lætitia, metus, amor, odium, & ſimiles animi paſſiones, ſunt veritatis impedimẽta, & iuſtitiæ obijecta. Eſt præterea Mens dictatrix, quæ in ſublimi ſolio eminus omnia ſpeculatur, tam cauenda quàm appetenda huic ciuitati, hæc, vt bona, vtilia, honeſta; illa vt mala, damnoſa, & inhoneſta. Menti quinque ſunt ſenſus externi, & tres interni famulantur ad nutum.


In inferiore ventre Ventriculus, Hepar, & venæ Meſeraicæ, culinarium opus peragunt, vt ſanguis, idoneum vitæ alimentum præparetur & excoquatur: Horũ omnium ſuperfluitates, veſicula fellis, Lien, Renes, Veſica, & craſſiora inteſtina euehunt, & ex portis eijciunt: In vtero & teſtibus generatiua potentia ſubſiſtit, & prolificatio, ne ſpecies cum indiuiduo pereat. Externos artus, pedes ſcilicet & manus, iam cõſtat, illos corporis eſſe baiulos, has verò opifices. Ex hiſce igitur omnibus facilè conſtat, quales ſint ciuitatis huius phyſicæ & politicæ & œconomicæ ſtatus.

Et hæc itaq; aurea eſt Corporis humani cum Republica bene conſtituta, vel cum ciuitate analogia & Harmonia; Nam ſicut Reipublicæ partes dum inter ſe conueniunt conſpirantq́; inferiores ordines ſuperioribus vt toti & capiti, & dictatori obtemperãt obſequunturq́;, omnia feliciter eunt, à toto diuulſis partibus, fractisq́; vnitatis legibus, omnia peſſum eunt & diſſoluuntur: Ita conſpirantibus in vitæ tutelam, & conſeruationem corporis partibus, nihil aliud, quàm Vitæ & diuturnitas & ſanitatis conſeruatio ſperanda: At ſi diuulſis inter ſe partium officijs, ſi diſſidia, & ſeditionũ igniculos ſpirent, non ſe duntaxat, ſed & publicam corporis ſalutem, vitãq; ipſam præſenti dabunt exitio: Nam *v. g.* quotiescunq; in humana lythurgia fatiſcit ſpiritus naturalis, toties & animalis deficit, toties & horum conſenſu vitalis tertius, aut ex corde afficitur cerebrum, aut ex cerebro Hepar, aut ventriculus perturbatur. Hic inter Medicos varij varia conſulentes, alij in caput mali cauſam conijciunt, alij ventrem, hepar, vterum, lieneſúe accuſant alij, cùm interim vnicus ſit tantùm affectus, propter humorum & partium duntaxat ſympathiam, multiplices inde, & continui illi defluxionum, atq; exhalationum circuli, niſi & medicamentis pluribus in vnitatem temperatis, vni toti, & promiſcuè ſingulis partibus conſultetur. Ita nimirum in Ciuitate, ſi quis ſe ſolum ſapere putet, ſi ſibi ſoli cõſulat, ſi ſecum agi feliciter

censeat res vbi priuatas in portũ collocauit, fato interim cõmuniore venturã procul perniciẽ nõ animaduertat, quodq; vel ex inflammato pedis digito, vel accẽsa febre, & cordis præcipuum viscus laboret, vel ex oculo accenso cerebrum inflammetur, ex Solis defectu, Lunæque labore languescant, & reliquorum siderum vires, subiectaq; animalia, & Mũdi elementa perturbentur. Eiusdem verò consensus primaria ratio & vincula sunt ipsa Religio, Iustitiæ leges, & rerum omnium pro cuiusq; statu & ordine summa mediocritas: Hæc si rumpantur, mox velut diuulsis repagulis labascit paulatim omnium, vel multorum salus.

Vt cùm carceribus sese fudêre Quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tẽdens
Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas.

Sed de his plus satis; nec enim animus est hoc loci absolutam Megacosmi cum Microcosmo analogiam, aut integram Reipublicæ cum corporis humani Ciuitate comparationem adferre, sed delineare duntaxat, & quasi digitò saltem indicare, quo faciliùs & luculentiùs Hominis excellentia atque prestantia elucescat. quę cum, vt dictum, tanta sit non iniuria omni studio enitendum, vt eius Vita ad 120. & plures annos sarta tectaque & propagari & seruari queat, vt in sequentibus fusè docebimus.



CAPVT II.

Quid Vita? quæ Vitales causæ? atq; principalia & num præter Animalia, & Vegetabilia, Lapides etiam Mineralia, & Metalla viuant?

CVM igitur Vitæ ad 120. annos propagandæ rationem & firmæ valetudinis conseruandæ normam ex vberrimis tũ Philosophorum, tùm Medicorum fontibus manantem, in medium producturi simus, speramus nos operæ precium facturos, si antequam portu prouehamur, paucis aperuerimus, quid de Vita, Vitali illo principio & essentia sentiendum: & num Vitalis illa essentia, seu vitæ igniculus, tertiò etiã Entium naturalium generi, Mineralibus scilicet, Gemmis, ac Lapidibus, vti hactenus dubitatum, insit & viuant? Exuperantissimus & eminentissimus Deus, vitarum fons, lucis, luminumq; pater, Mũdum, ad Mentis Archetypæ similitudinem, vnicum creauit, quia vnicus tantum Deus; creauit rotundum, quia infinitus; æternum quia æternus; omnium maximũ, quia immensus; & quia omnipotens, cum nõ ex præexistente materia, sed ex nihilo, in instanti creauit; & demum cum summa sit Vita, imo Vitarum omnium fons eundem Vitalibus rerum seminibus exornare & implere voluit, ideoq; veteres *Platonici*, Mundũ animatum esse dixerũt; ad quod alludens poëta cecinit,

— Iouis omnia plena.

Et Vir-

Et Virgilius:

Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molē, & magno ſe corpore miſcet.

Deum ſcilicet omnia pro nutu & arbitrio moderari, & non animalibus duntaxat, ſed & vegetabilibus & Mineralibus, ſeminales rationes, δυναμεῖς, agendiq́; poteſtates, quas Vitam earum dicimus, indidiſſe. Videtur idem philoſophica ratione probari poſſe: Vel enim in Mundo omnia animalia, vegetabilia, & Mineralia viuunt, vel aliqua duntaxat; vel aliqua non, vel carent omnia vita: Si omnia vita carēt, nulla in Mundo erit perfectio, cùm tamē à perfectiſſimo Conditore perfectus fuerit conditus: Si Mineralia duntaxat vita carent, nec ibi erit perfectio, vbi optimi priuatio, vitæ ſcilicet locum habet. Viuunt ergo & animalia, & vegetabilia, & Mineralia, ſuo quælibet viuendi modo.

Sed quid Vita? Ea ſane viuere, & vitam habere dicuntur, quæ in ſe habent motus principium, eſſentiam, & quouis modo ſe mouent: Motus autem principium teſte Philoſopho, anima eſt, ergo ea viuunt, quæ animata ſunt, ita vt uita ab anima fluere videatur, per quam corpora tādiu viuunt, quamdiu eis præſto eſt anima, vti in Animalibus, & Vegetabilibus, apparet, in quibus nobilior & luculentior ineſt vita, quod ſcilicet ſentiant, & ſimile generent, moueantur, nutrianturq́;. Quorum autem Vita ab anima non depēdere videtur, nec ſentiunt, nec ſimile generant, aut apertè mouētur, qualia ſunt Mineralia omnia & lapides, eatenus viuere dicuntur, quatenus ab interno principio, eſſentia, ſeu ſpiritu, viuificoq́ue balſamo, actiones promouente, cientur: ita vt horum vita aliud non ſit, quàm eſſentia ſpiritualis parturiens actiones: Quæ definitio & animalibus, & vegetabilibus aliquo modo competit: Quotieſcunq; enim eſſentia quælibet, ſe per innatas ſibi vires ad actiones præparat, properatq́; ea præparatio, & promotio, intrinſecus quidā eſt motus & vita quædā, ſeſe mouens, & quaſi ferueſcens. Vnde Græci ζωὴν ſeu ζέουσαν feruentem eſſentiam, & ebullitionem, ſeu internum eſſentiæ feruorem, Vitam nuncuparunt. Nā ſicut id quod feruet, in ſe mouetur, ſic quæ ſeſe mouet eſſentia, feruere videtur, vt iure dictum ſit rerum vitā eſſe intrinſecū eſſentiæ ſpiritualis motum, actionem parturientem. Iam verò vti multiplices ſunt rerum eſſentiæ, ita & multiplex quoq; eſt Vita: Hinc alia eſt Vita Angelorum, Aſtrorū alia, Hominis alia, alia plantæ, lapidū & Mineralium alia, ſiue iam illum calorem cœleſtem, ac æthereum cum Fernelio; ſeu ignem aſtralem aut ſpiritum occultum cum Hermeticis; ſeu Lucem cū Platonicis vocemus, qua ſcilicet in Mundi creatione introducta, Deus Optim. Max. ſparſis tam in

Quid Vita

Cœlos & astra. quàm in sublunares orbes suæ fœcunditatis seminibus. omnium rerum physicarũ vitas introduxit, maximè verò Cœlo rationes seminales, & rerũ gignendarum vim procreatricẽ infudit, per quam Mundum & Animalibus, & Vegetabilibus, & Mineralibus cõtinuata productionis serie impleret: Hæc lux, hic cœlestis seu æthereus calor, non tantùm vnius cuiusq; rei corpus mouet, excitat, & exercet, sed etiam quamdiu adest, vitalis balsami instar conseruat, à corruptione tuetur, & vnum quodq; virtualibus, potestatibus, seminarijsq; rationibus, seorsim exornat, formâq; (si Hominem excipias) cõuenientiaq; membra effingit, vt, si nõ aperto, occulto saltem modo viuere videãtur: imo ipsa terra, alioquin inanis, sterilis, & vacua, continuò lucis cœlestis influxu, marisq; immensi supramũdani fæcunditate, turgens, viuida & grauida in dies fieri videtur.

An non sæpenumero è rebus demortuis & putredine consumptis, omnis generis & herbas, vegetabilia, & vermiculos, in escam seu pabulum tùm volatilibus, tũ cæteris animantibus cessuros, erumpere videmus? Viuit vtique planta, viuit rosa, viuit quodcunque vegetabile, & animalis corpus, imo verò, cùm vita rerum, teste *Francisco Patritio*, sit essentia seu spiritus actiones parturiens, vt iam diximus, cur non & Rhabarbarum è terra euulsum, dum bilem & choleram trahit, viuere dicemus? cur non etiam Agaricum, dum pituitam; Helleborũ, dum succos melancholicos pellit, viuere dicemus? An non post animalis mortem & cornu ceruinum, Monocerotis, os de corde cerui, hominis cranium in sua arcana redactum, mirandas sæpe edũt actiones? quæ actiones suo etiam modo analogicè scilicet vita dici merentur: Nec ob id tamen Homini in alimentum destinata sunt; si enim absolutè omnia, quæ viuunt, & mouentur nobis essent in escam, insecta omnia, vermes, araneæ, buffones, scorpiones, scarabei, vespertiliones, (vt nunc sexcentas venenatas plantas sileamus) nobis in alimentum venirent.

Nec item de Lapidum, Gemmarum, & Metallorum vita dubitandum, si virtuales, seu spirituales eorum actiones cõsiderem⁹, dum scilicet Magnes, seu Lapis Herculeus ferrum, succinum paleas trahit; Hæmatites, Corrallia, sanguinem sistunt &c. Quin imo sicut ossa in Microcosmo, ita & Lapides, Metalla, Megalocosmi (cuius ossa, ceu fulcra, aut fulcimenta analogice referunt) viuere dicuntur. Ideo etiam veterum nonnulli, Gemmis, & Lapidibus vitam inesse dixerunt, quâ venena fugarent, phantasmata pellerent, morbos & infortunia arcerent; amores conciliarent; ferrũ, paleas

paleas&festucas traherent; abortus præcauerent. Viuunt igitur Lapides, viuunt metalla, diuerso tamen à Vegetabilibus, & Animalibus viuendi modo: Plantæ enim & stirpes viuunt, crescunt, nutriunturq́;: Vltra hæc, animalia sentiunt, mouenturq́;, Homo ratione vtitur: Lapides & Metalla viuunt, ac vnius duntaxat generis operationes perficiunt, & cum alijs, vt cum Ostreis, & Conchiliorum familia, partis ad partem addimento coagmentãtur: Imo verò Lapidum & Metallorũ vitam Multa edocent: crescunt enim maturitatis tẽpora habent, nutriuntur, excrementa pariunt, quæ potentibus sępe paroxysmis magno Metallicorum pauore, & integrorum pagorum ruinâ reijciunt, vt in nupera insignis Fori, *Plurs* nuncupati, ruina, magno multorum terrore obseruatum est. De horum quoque vita sic olim cecinit *Augurellus*.

--Verum hæc ipsa secreto viuere quiuis
Sentiet, ac Vitæ diuino munere fungi,
Hæc & oriri eadem, si contemplabitur, et si
Augeri ex sese, penitusq́; increscere cernet.

Idem *Spagirici* ad oculum demonstrant, cum scilicet ex auri calce vitro inclusa, & debitis fomentis nutrita, auream & philosophicam illam arborem in ramulos, & frondes & folia excrescentem, visu iucundissima exhibent. Si ergo vis quædã, aut spiritus insit animalibus mortuis, Metallis, Lapidibus, Astris, Vitã inesse quis inficias ibit? Magnus *Hippocrates lib. de Diæta passim scribit*, Vitæ conseruationem fieri alimentis, declarationem verò operationibus. Vnde sicut Homo viuere dicitur, cum actiones Homini destinatas edit, ita etiam quamdiu Magnes ferrum, succinum paleas, Lapis latuli Melancholiam, Rhabarbarum bilem, Agaricus pituitam &c, attrahit, tamdiu illis vita tribuenda erit: Vita enim *Galeno nostro 9. Method.* est rebus insita vis&energia, Hominis scilicet ad humanas, Angelorum ad angelicas, Astrorum ad astrales, Brutorum ad brutales, Plantarum ad plantares, Mineralium ad minerales operationes peragendas. Hoc tamen loco sciendum, omnes res duplici vita præditas esse: Vna, qua sibi viuunt, altera, qua in nobis vitam exercent. Hinc splen bouis in boue viuit, dum succum melancholicũ attrahit, concoquitq́; in nobis verò viuit, dum eo ritè præparato ad reserandos Lienis infarctus vtimur: Sthrutio ferrũ digerit, & licet id totius substantiæ proprietate fieri dicatur, nunquam tamen id præstaret, nisi ferrum aliquam haberet cum corpore alendo similitudinem, ratione scilicet Vitæ, quantumuis obscurę&occultæ. Sed pergam⁹.

Quid Vita Aristoteli.

Aristoteli vita definitur id à quo, vt è fonte vitales emanant actiones, qualis est in Homine anima rationalis à Deo Opt. Max. infusa. Alibi dicit esse vegetatri-

cis animæ in calido primigenio mansionem. & vnius cuiusq; per alimentum substantiam: tam diu enim viuimus, quamdiu alimentis frui valemus, cuius adminiculo perpetuum substantiæ nostræ fluorem, quantũ licet, & per naturam iuuamur, arcemus.

Quid Vita Theosophis. Theologi *Aristotelis* imitatione Vitam quidem corporis cum Anima vnionem dixerunt, seu conflatam spiritus & carnis societatem, probæ respirationis munere fotam: altius tamen ingenij vim Gratiæ lumine illustratã librantes, in vitæ humanæ ratione & communione primas spiritui essentiæ scilicet inuisibili, spirituali, & incorporeæ concesserunt, cùm id sit, illud vitarum spiraculum, quod teste *Moyse*, corpori iã elegantissimè efformato, inspirauit, seu insufflauit Altissimus, Hebræis *Nesemah* aut *Nephes* nuncupatum, Spiritus Sancti anhelitũ, seu virtutis DEI Omnipotentis vaporem, ac viuificam quandam summi Motoris vitalis fœcunditatis emanationem, non tamen è Dei substãtia vel haustam vel delibatam. Verùm cùm alienæ messi falcem immittere nõ adeò tutum sit, hæc Theologis nostris relinquentes, ad Medicorum vireta descendamus.

Quid Vita Hippocrati. Magnus & diuinus *Hippocrates* Vitam calorem vocat, eumque immortalem esse dicit, tùm intelligere omnia, tùm sentire, tùm audire, tùm videre omnia, tam præsentia, quàm futura, ita vt omnia viuentia per innatum illum viuãt calorem, cuius fontes cordis sinus statuit & flumina, quib' totum corpus irroratur.

Caloris distinctio. Facilioris autem doctrinę gratia, calor hic qui cœlesti & animarum virtute moderatur, atq; naturalium operationum opifex & organum dicitur, distinguendus cum alius simplex sit, alius compositus: Ille vel cælestis, vel Elementalis: Hic, Ignis est edax, feruor in cuncta eius obiecta penitus grassans, eaq; vel in suam cõmutãs substantiã, vel depascens: *Calor cœlestis.* Cœlestis verò calor, siderũ motu, & lumine omnia corpora cõcauo lunæ globo subiecta penetrat, viuificat, & fœcunda facit: Huius affluxu & ver, & æstas frugum, florumq; amœnitate, velut copiæ cornu exuberant, Insecta, Muscę, Anguillæ, Ranæ, Hirundines &c. quæ brumali tempore semimortuæ tabularum rimis, sambuci medullis, littorum cauernis, ac intra arborũ caudices sese illatebrarunt, reuiuiscunt: At rursus illius, & Solis à tropico Cancri ad Antichthonas discessu, cuncta squalent, marcescunt cuncta: Hic viuificus calor cœlestia terrenis ineffabili sympathia connectit, & effectus admirãdos producit. *Calor complexionalis.* Tertius calor compositus est, & complexionalis, naturalisq; vocatur, in mixti generatione, ex mutua Elementorum actione, & primigeniarum qualitatum

tatũ, pro ſuſcipienda forma ſubſtantiali, refractione, reſultans, ſeminibus, plantis, & humido radicali, in omnibus animalium membris, præſertim ſanguine cõcretis inſitus, quæ, niſi emortua, vt in Gangræna, deſerit; qui vt ignis in lampade, oleo, ſic ille in membris humido congenito, ſãguine, ſpiritu, & cordis calore fouetur, qui cùm ſit naturaliũ actionum inſtrumentum & coadiutor, per animæ vegetatricis vires de potentia in opera concoctionis & nutritionis producitur, quas ex primis ſpermatibus concipit, hisq; imbuitur, quem *Hippocrates* ἔμφυτον θέρμον, calorem ſcilicet innatum & congenitum: *Galenus* autem (de Animæ ſubſtantia dubitans) modo Animã, modo Naturã, ac corporis temperamẽtum, & non rarenter ſpiritum appellat. Huic addunt Medici quartum calorem influẽtem à corde, cuius vehiculum eſt ſpiritus vitalis, è defæcatiore ſanguine in ſiniſtro cordis ſinu genitus, & hic innatum membrorum calorem de potẽtia ad actum excitat, quo etiam viget, conſeruaturq;.

Quid Vita Hermeticis. Ad *Hippocratis* & *Galeni* imitationẽ Hermeticæ Medicinæ principes Vitam dicunt eſſe Spiritum viuificum; calorem balſamiticũ, humidum radicale ſubſtantificũ, inſito calore & ſpiritu vndiquaq; perfuſum; innatã Mumiam, Naturæ ignem, in corde ceu regia ſede habitantem, ſeſeq; mediantibus venis & arterijs per totam corporis molem diffundentem, quo extincto, animal quoque extinguatur. Eodem verò debitis fomentis enutrito, Vita quoque conſeruetur: Ita vt ſi quis dictum Naturæ ignem, ſeu calorem Balſamiticum, ſeu ſpiritum vitalem (non enim de nominibus certamus, cum paſſim & apud *Hippocratem*, & apud *Galenum* coincidant, ferèq; idem ſignificent) reipſa vitam eſſe nolit, eius tamen immediatum eſſe Organum fateri cogatur.

Vniuerſales Vitæ cauſæ. Iam verò ad Vniuerſales Vitæ cauſas accedentes, Vitæ authorem, cauſam, ac omnis generationis principium cœlitus à DEO manare & educi, non ſolum SS. teſtantur Literæ, ſed & idem docuit *Ariſtoteles 2. de Generatione animalium. 1. & 2. Phyſicor.* Vbi Solẽ & Hominem generare Hominẽ oſtendit, & *4. de Gener.* Solem, Lunam, & ſyderum curſum vniuerſalia & vitæ & generationis propria & cauſas eſſe adſtruxit. Mũdus enim & ſuperioribus conuerſionibus contiguus eſt, & vis cœleſtis in totum diffuſa orbem, in abditiſſimos vſq; Terræ receſſus ſeſe inſinuat; inde tùm metalla, tùm lapides, ſtirpiumq; & animantium omne genus, aſtrales Vitæ ſcintillas è cœlo hauriunt, vt & Serpentes, Auguillæ, Ranæ, Buffones, Vermes, Muſcæ, Mures, Veſpertiliones, Talpæ, & id genus alia, quæ ſuapte natura

nullo semine, sed vt plurimùm de putri & cœnosa colluuie emergunt, occultos & latentes Vitæ igniculos ab Astris recipiunt: v. g. in paludibus reperta idonea elementorum mixtione ad Ranas vel Anguillas effingendas, addit & temperiem, & singularum partium structuram, tandem ipsam Ranæ vel Anguillæ Vitã induit. Sic etsi in angusto tam Animaliũ, Vegetabilium, quàm Mineraliũ spatio virtutes seminales includantur, tamen sese non prius in apertum pandunt, & explicant, quã illas, cœlestis ille vigor, spiritus, calor æthereus, Solis vel Terræ excitarit. Cœlum ergo nullo semine multa tùm animantia, tũ stirpes producit: at semẽ nil quicquam sine cœlo generat, sed materiam duntaxat concinnè conuenienterq; adaptat, Cœlum verò Vitam & perfectionem inducit, & ex se omnia fundit, omnia continet, omnia vitali calore fouet, nihilq; reperitur, quod huius vbertate confertum sit: Est enim Spiritus cœlestis, teste *Haly* scientissimo AEgyptiorum Astronomo, vis maxima, cuncta vegetans, & illustrans, cuius operationes non solum in animalibus & Vegetabilibus, sed etiam in Mineralibus apparent, & elucescũt.

Particulares Vitæ causas. Particulares verò Vitæ causæ sunt humidi, substantifici ac balsamitici, nec non calidi innati symmetria & proportionata qualitatum commensuratio, ita vt Hominum Vita, in vitali partium solidarum principio (vnde ipsa viuacitas emanat) & in viuifico Nectare perenni cursu à corde fluente subsistat: Cùm enim vita nostra viuifico hoc balsamo, ceu quodam promptuario seruari sit necesse, eiq; valentissima vis calorifica & vitalis insit, ne humidum pingue, & oleosum ab ea corrumpatur, vel dissipetur, nectaris viuifici, aërei, pinguis, & oleosi temperatione perfunditur, vt in eo Vita probè conseruari queat.

Triplex Humor. Triplex autem in viuentibus, & stirpibus reperitur Humor. I. Alimentalis, quo animata nutriuntur, qui licet ex concoctione iam sit mutatus, nondum tamen in corporis alendi substãtiam ex toto est conuersus, estq; frigidus, aquosus, parum à fõtana distans, si vaporario euocetur; & vase excipiatur, qui quamdiu nobis inhærescit, cõbustionem inhibet. II. Primigenius seu Vitalis, radicalis, pinguis, & oleosus, qui licet oculorum aciem effugiat, arte tamen & ingenio secerni potest, destillatione in olei formã. In hoc spirtum, & caloris natiui fundamentum, primamq; substãtiam statuunt philosophi, cum sit primus, & omnium viuentium communis, in quo spiritus calore perfusus primò & per se cõsidit. III. Ab his diuersus est aquosus seu Elementalis, quo tanquam visco terræ corporum par-

tes coniunctæ cohærent, quique rebus omnibus ex Elementorũ permistione concretis est cõmunis, quo vniuersim & lapidum & metallorum genus glutinatum sustinetur.

Si quis, exempli gratia, viride lignum recens cæsum igni mandet, primùm videbit ægrè incendi, eo quod multo abundet humore, quem è terra sibi pro alimento hauserat; Is enim est quẽ ab eius extremis, dum incalescit, emanare solet. Hoc consumpto reliquam substantiam promptè flamma depascitur, quia purior manet pinguis illa, quæ olei speciem refert, nullo alio liquore madefacta. Cum ignis hanc totam depopulatus est, tunc quidẽ nil amplius flammæ prorsus prorumpit, aut euolat, insubiectis tamen carbonibus, sua insuper inest soliditas ex relicto aqueo humore tenaci & cohærente, quem in Elementorum cõcretione acceperunt, quo tandem exeso, & dissipato, cinis duntaxat aridissimus reliquus est, quamuis nec hic prorsus viscoso illo & tenaci careat humore subtili & fixo, nihilque in flammabili qui in vitrum abire potest. Hunc quidem Elementalem humorem naturales philosophi tam animalibus, quàm plantis & mineralibus omnibus communem dicunt: Chymici verò profundius abdita Naturæ peruestigantes, non tantùm in Animalibus, & Vegetabilibus, sed & in Metallis & Mineralibus reliquis & lapidibus tres prædictos humores inuenerunt, sicq; Metalla nõ omni vita carere voluerunt.

In primis enim sicut in oleosa & pingui substantia Vita præditorum, calor natiuus, spiritus, & anima, & sui similes generatio cõsistit, ita in radicitus metallis infixa humiditate, eorundem etiam propagatio, calor natiuus, internus materiam digerens, & Anima seu vita continetur: Animã autem hoc loci audimus proprietatem fundendi, fluendi, & extensionis sub metallo (Hæc enim non tam viscositati aquæ, & terræ earumque subtili & per minima mixtioni tribuenda sunt, quàm radicali & balsamitico humori, qui aquam terræ, & vicissim terram aquæ indissolubili quodam nexu iungit) formam præterea, sine qua eorum Natura subsistere nequit, quibus abstrusæ vires & facultates adumbrantur. Vitalis quinetiam vigoris Metallis inexistentis potentiam, vel aurũ ipsũ fulminans, ardens, & sclopeticũ declarat, quod & spiritu plenissimum, & tantæ subtilitatis & actiuitatis existit, vt eius vel paucula grana solo motu, aut solariũ radiorum expositione flammã cõcipiant, tamq; acutum edant fragorem, maximum vt explosum tormentum diceret, nõ sine magno Naturæ mysterio, dum ille fragor perpendiculariter centrũ

versus delatus, lignam mensam valeat transuerberare. Idipsum testantur volatiles spiritus Antimonij, sublimationis beneficio, in flores variorum colorum elati, quorum vel aliquod duntaxat grana, non vni duntaxat, sed pluribus infusionibus tantam vim communicant, vt pluribus euacuationibus abunde satis esse possint.

Humidi radicalis operationes

Hoc ergo humidum radicale, hoc calidum natiuum, seu corpus calidum, seu Calor, Natura, Spiritus, Ignis, seu omnis substantia nostra (hisce enim nominibus à plerisq; indifferenter insignitur, vt passim videre est in *Hippoc. Galeno*, & aliorum monimẽtis) omnes Microcosmi partes variâ temperamenti cõditione distinguit; calorem vitalem in vniuersum corpus, singulasq; corporis partes diffundit; formã, molem, partiumque structuram dimetitur, sensum, motum, nutritionem & accretionem subministrat; omnium naturalium functionum opifex, Archeus, & auctor, omnium morborum depulsor & Medicus, cum teste *Hippoc.* Naturæ sint morborum medicatrices; vnica demum Vitæ causa, fons, principium, & origo existit, & arctissimum corporis & animæ vinculum.

Quid calidũ innatum?

Est autem hic vitalis balsamus hoc natiuum calidum, hic calor symphitos, & emphytos, spiritus, seu quinta essentia, corpus tenuissimum, calidissimum, fulgens, splendidissimum, æthereo simillimum, ex purissima & præstantissima sanguinis materni euaporatione, & ab ipso vitali semine, spiritus formatores fouente, à naturali & proprio principum partium calore elaboratus, accedẽte continua & perenni vtriusque circulatione. Sic enim colligitur tùm ex *Hippoc. 6. Epid. sect. 7.* & *lib. de Diæt. lib. de carnib.* tùm ex *Galeno lib. de Medico. lib. 9. & 1. de differ. febr. lib. 1. & 5. method. 3. 7. & lib. de placitis. 6. & 7. de Nat. facult. 14. & 14. de Vsu part. & lib. de Tabe. lib. de Instrum. olfactus. & 5. simplic. 5. & lib. de Rigor. tremor. & palpit. 6. & 1. Aphoris. 15:* tùm ex *Aristotele lib. de Motu animal. 6. lib. de Spiritu: & lib. de Gener. animal. 2. & 3. Inest enim* (inquit) *in semine corpus fœcunda reddens semina, quod calor dicitur, seu corpus calidum, non tamen vt ignis, non vt res ignita, sed vt spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur, in quo est Natura seminalis Elemento stellarum proportione respondens.* Quibus verbis philosophus apertissimè docet, calorem in nobis insitũ, aliud prorsus non esse, quàm ingenitũ spiritum, corpus scilicet vaporosum tenue, elaboratum, summè calidum, cuius opera & mineralia, & animalia, & vegetabilia frigido temperamento donata, vt papauer, mandragora, cicuta, serpentes, salamandræ &c. vegetantur, crescunt; nutriuntur & viuunt.

Hoc natiuo calore prima Hominis ætas, abundè circumfluebat, multo tamen humido primigenio perfuso; ætatis verò progressu, & Anni temporum mutatione, regionum varietate, & substantia, & gradu, & functionibus minuuntur: In florenti enim, & vegeta ętate, sensim membra siccescunt, robur & incrementum succedit: cadente verò & inclinante ætate, in reliquum omne tempus sensim, clam furtimq; atteritur calor, hebescit, & eo vsq; imminuitur, donec extremo senio deficiens contabescat, inde senium, aut senectus, & mors ipsa quam *Aristoteles* caloris natiui extinctionem, & omnium terribilium terribilissimum vocauit.

Quid Mors.

Hunc itaq; vitalem spiritum, Naturæ ignem, Mumiam, materiam perlatam, seu quintam & cœlestem essentiā, in vitali sulphure, totius Naturæ thesauro latitantē, vitæ nostræ sustentaculum & firmamentum, quod non nisi ætatis, annorumq; decursu, vti dictū, vsquam finitur, licet nonnunquā grauium morborum accessione minui, alterariue non minimum possit, promittunt Hermetici, secretioris Naturæ inuestigatores Artis Spagyricæ industria, se in Iuuenibus conseruaturos, in Senibus languescentem restauraturos, & ad Iuueniles florescentesq; annos, quoad vires, reducturos. Insigne profectò Medicinæ donum, si modo authoribus adhibenda fides, vel etiam arti Spagyricæ, alioquin & præstantissimæ & ingeniosissimæ tantum tribuendum; vel tanta iam senescenti Naturæ (vt volunt) vis atq; potestas concedenda. Hisce enī ceu Herculeis fulcimentis positis, quis non sibi promiserit Vitā, non 120. duntaxat, sed & plures annos superantem, & firmam, stabilemq; valetudinē, à plerisq; tantopere expetitam? vt iam reiuuenescentiā altissimo silentio inuoluamus, quam vel vnicam & solam Aniculæ summis votis exosculantur. Verùm quid & quantum hac in parte & Naturæ, & Arti, concedendum sit, paulò altiùs perpendamus.

CAPVT III.

Homines in hoc Mundo æternùm viuere haud posse.

Ex iam dictis abunde constat Vitam esse essentiam spiritualem actiones parturientem; vel Animæ in proprio corpore per vtriusq; vnionem, vitalem actū; & vigorem, vt philosophis placet vel propriam & peculiarem Animæ functionem, in vitali seu viuifico calore residentem; vel, vt Hermetici loquuntur, ipsummet Naturæ sulphur, aut innatū Balsamum &c. Nunc quærendum, num vitalis hæc Essentia, Artis industria ad tantum excellentiæ gradum perduci possit, vt Homo postmodum æternum viuat?

Quid Vita.

Scripsit quidem *Aristoteles lib.*

2. *de Anima* 6. omnes Homines Naturæ instinctu sempiternitatis amore duci, cum nullus sit, quãtum fieri potest, qui sese ab huius vitæ suauitate diuelli patiatur; ideo existimarunt non pauci, caloris natiui, per humidum alimentosũ, reparationem, Mortis necessitatem euitari, quæ est caloris natiui extinctio, ab humidi substantifici paupertate & defectu introducta; & quotidiana cõuenientium alimentorum adpositione, illud Vitæ pabulum foueri, & æternum produci posse. Hermetici quin etiam cum viderint illud alimentis denegatum, ad arcana specifice, Tincturas, Quintas Essentias, Aurum poculentum, & decãtatum illum philosophorum Lapidem, multis nominatum, at paucissimis cognitum, tanquãm ad sacram Anchoram confugerunt, sperantes se hac ratione ad Vitæ perennitatem perpetuitatemq; peruenturos, eo quod defunctorum corpora simplici aromaticorum balsamatione è Mirrha, Thure, Croco, Aloë &c, concinnata, in multos sæpe annos integra, incorrupta, nulliq; puttelagini obnoxia conseruentur.

Hominẽ æternũ non viuere posse.

Nihilominus tamen Hominẽ in hoc Mundo æternum viuere posse, nullis experimẽtis, nec historijs, nec rationibus confirmatur: Vixerunt quidem prioribus Mundi seculis antiqui Patres diutissimè, & multorum seculorum orbes viderunt, vti & hoc nostro æuo non pauci reperiuntur, qui centum annos & vixerunt, & superarunt, vt suo loco dicetur, at qui ab orbe condito hucusq; æternum vixerit, aut victurus sit, hactenus inuẽtus est nemo, cùm statutum sit omnibus Hominib⁹ semel mori. Homo quinetiam è duabus partibus sibi è diametro contrarijs, corruptibili vna, & incorruptibili altera, Corpore scil. & Anima consurgit, quorũ Naturæ cùm sibi sint contrariæ, perpetuæ ac perennes esse nequeunt, tùm quod Animæ corpori annexæ proprijs prærogatiuis sibi à summo Opifice concessis liberè frui non detur, tum quod corpus Animæ iunctum, suis quoq; perfectionibus, pernicitate scilicet, penetratione, &c. frustretur; inde ex intestino & continuo harũ Naturarùm cõflictu, tandẽ mors sequitur & resolutio. Adde, quod licet Homo, diuini præcepti trãsgressione, fatalem illum lapsum non incurrisset, sed quam diutissime vixisset, tamen propter assiduam discordiam, & ineuitabile quatuor Elementorum mutuis cõflictibus sese atterentium dissidium, perpetuò viuere non potuisset: Insuper cum humidũ radicale, vitale illud fulcimentum, aëreum, lẽtum, glutinosum, probeq; cõpactum, singulisq; corporis partibus implãtatum, cum, inquam, continuò partim vi caloris ambientis, partim caloris

viuifi-

viuifici actione exhalet, defraudetur, resoluaturque; congruis alimentis reficiatur oportet: at qui verò cum id, quod alimentorum vsu accedit, longè sit eo deterius, quod primùm è semine conflatum decessit (nec enim perinde vt semen elaboratur, excoquiturq; nec tam exactè partibus, permiscetur, attenuaturque, sed magis crudũ & aquosum relinquitur) fit vt paulatim imminuatur, & seipso deterius effecto tandem penitus consumatur, inde marcor, senectus, & mors ipsa: Vnde *Galenus lib. de Marasmo scribit, Senectutis marcorem curare, esse impoßibile, auxilium verò ferre, vt quam diutißimè extendatur, poßibile.*

Cùm itaq; tùm *Galen.* tùm *Hippocrat.* testimonio, & ætatum, & temporum anni decursu, & continuò excrementorum in nobis prouentu, primigenij caloris nostri emphyti ac symphiti, seu substantifici nectaris, ac balsami radicalis essentia in dies mutetur, & assiduò humoris substantifici fluore, corpus nostrum sensim marcescat, exicceturque, vt nunquam tantum & tale, ex quinta sumptorum alimentorum essentia apponatur, agglutinetur, & assimiletur, quantum & quale indies magis magisq; decedit, fit, vt ingenitam nobis & senij, & interitus necessitatem euitare non possimus, nec ij, qui vitæ diuturnitatem, seu longæuitatem pollicentur, id unquam promittere sunt ausi. In Homine siquidem vel sanissimo, impetentibus sese continenter quatuor Elementis, fieri non potest, quin semper aliquid de substantifico Vitæ nectare aliquid decedat, ad extremum senium vsq;, donec omnis aqua Vitæ, Naturæ, oleumue radicale Vitæ nostræ lampadi fomentum subministrante extinguatur: Nã singulæ horæ, imo singula temporis momenta aliquid de nobis deprædantur, adeò, vt dum loquimur, immutemur; ita vt Vitæ nostræ typus, candido ligustri flosculo comparetur, qui surgente Sole floret, occidente verò marcessit; inde illud Poëtæ:

Alba Ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Senectã retardari posse.

Ipsam verò senectutem retardari, Ignem illum viuificum, proprio suo & vnctuoso, atq; radicali humore fotum, seu spiritum illum ęthereum ferè incorruptibilem, citra repentinum, ac notabilem effluxum, conseruari, roborari, & contra grassantium morborum incursiones præmuniri posse, nullus vel leuiter in artis operibus versatus, id nobilissimè arti denegabit, cum in hunc finẽ & Medicinam, & Medicum creauerit Altissimus: Hæc enim suis remedijs è secretis Naturæ thesauris depromptis iuuare potest, vt & natiuus calor, & humidum radicale, ceu Vitæ elementa, vsq; ad naturalem Vitæ periodũ perdurent, vti fusius hoc opere patebit.

tebit. Siquidem nullum inficias iturum speramus, Aquilæ iuuentam renouari, test. *psalmista Regio*: *& sperantes in Domino*, teste *Isaia*, *Fortitudinem mutaturos, & sicut Aquilæ, pennas aßumpturos*. Et cum Natura ipsis insectis, serpentibus scilicet & cãcris fluuiatilibus &c, hoc idem præstet, vt cum tenui illa sua leberide senectam exuant & iuuentutem induant, cur eadẽ Natura Homini animalium præstantissimo omnem huius beneficij spem præsciderit? scilicet assumpta vis omnis per Asini baiuli imprudentiam: qui pharmacũ adeo salutare Hominibus à Ioue missum, serpenti permisit ebibẽdum. Quasi vero naturalia remedia nequeant reperiri tantæ efficaciæ? Humidum radicale restaurari natiua illa nimia senectutis ariditas temperari, corrupto succus melior suffici, cæteraque deperdita, & ad hanc commutationem requisita ad tempus suppleri, nullis Naturæ legib⁹ repugnat. Testantur Lusitanicæ historiæ vera & longa narratione in nouis Indijs quandam reperiri Insulam Bonicam dictam, alij Lucayam nuncupant, in qua fons scaturiat, cuius aqua vino pretiosior, pota, Senium cum Iuuenta permutat.

Et sanè concessa erat Homini ante primorum parentum lapsũ, Vitę perennitas, sicuti ex arbore, seu ligno Vitæ ab Altissimo ad Hominis vsum producta cõstat; nec enim prohibitus erat huius arboris fructus, cuius vi, Homines si nõ Vitæ perennitatem obtinerent, ad longissimum saltem tempus à Morte præseruarentur, & ad quam *Hesiodus* illudere visus est, dum cecinit *Deorum cibum & potum esse Nectar & Ambrosiam*: At diuina Iustitia exigente, & virtute malorum vltrice postulante, ob fatalis peccati demeritum, iustè sublata, & toti posteritati Adamicæ denegata fuit, ita vt quod ante lapsum Annorum numero non erat præscriptum, ad certa diuinæ voluntatis, & prouidentiæ sæcula iam sit redactum.

Quod si non paucis in recentis adhuc Mundi ætate & infantia præsertim quibus ante Diluuij tempora extare, & nasci datum erat, longioris Vitę spatia indulta esse videantur, id tamen nec Ligni Vitæ fructibus, quos nunquã degustarunt; nec vniuersali Medicinæ, auri philosophici poculis tincturæ physicæ, vel Elyxirijs sulphuris, Solis, Calcis rubeæ, & olei, &c. quorum vsu tam diu Adamum, Mathusalem, Noẽmum, Sethen, & reliquos vixisse, nonnulli satis superciliosè & ridiculosè scribunt: minus enim egebant humidi radicalis, & caloris natiui restauratione & conseruatione, quo id & abundantiùs habebant, & ortui erant viciniores: sed id omne vel prolis procreandæ rationi, vel Hominum tunc temporis pietati, probitatique,

sobri-

sobrietati, ac frugalitati, vel demùm viuido Naturæ, Astrorum, Orbiūq; cœlestiū vigori est adscribendū: Quæ omnia num vltimis hisce temporib⁹ (vti pluribus est persuasum) lāguere, deficere, flaccescere, senescere & sicut vestimētum in dies magis, magisq; veterascere videātur: Num ue ipsa Natura nō ampli⁹ tā sana, valida, tāq; diues & opulenta sit vti primitus erat; Num demū globi cœlestes, Astra, Sol, Luna, cæteriq; planetę de pristino Lumine (vt frequentes Ecclypsium accessiones demonstrare videntur) amiserint, cœlestes syderum influxus consueto vigore destituantur: Animalia, Vegetabilia & ipsa Mineralia innatis orbentur viribus, sicq; totum vniuersum senio fractum contabescat, id nobis sequenti labore inquirendum.

CAPVT IIII.

Naturā hac nostra ætate, æquè bene & vegetā, viribus pollentem, & spiritibus Mechanicis turgentē esse, atq; prima Mundi ætate fuit.

VANA profectò & omninò immatura est quorundam etiam non vulgariter eruditorū opinio, solertem scilicet & sagacem Naturam, à primis ineuntis Mundi cunabulis, ad hæc nostra tempora, à suo natiuo vigore & viuacitate plurimum deflexisse, nec amplius tam sanam, firmam, tamq; valentem esse; pulcherrima illa duo Mundi luminaria, Solem, Lunam, totumq; stellarum exercitum, multum de pristino lumine, calore, motu, & viuificis influxibus amisisse: Quatuor anni tempora non parum à naturali cursu, temperamēto, debitisq; mutationum ordinibus, ad omnium rerum progressus nō parū facientibus, declinasse; sed è cōtra sæpe Hyemem in AEstatem, & vice versa, AEstatem in Hyemem, citiùs quàm par sit, non sine notabili rerum naturalium jactura mutari; Herbas, fructus, crescentia pleraq;, Animalia item, Vegetabilia, & Mineralia, non quantitate duntaxat, sed & qualitate ac robore diminui; Humanas vires, florentemq; juuentam nouis & insolitis morbis frangi, ac debilitari, & longæuitatis loco, omnia breuissimæ vitæ circulo includi. Hæc & alia sexcenta, vana tamen & nullis fulta rationibus optimę Naturę obijciuntur. Quę si vera forent, frustraneus esset omnis noster labor, quem de prorogāda ad 120. Annos Vita suscepim⁹ cùm in hoc senticoso, & anfractuoso itinere, ipsam Naturam, ceu ductorem optimum sequamur, cùm omnia ex natura, per naturā & in natura progrediantur & fiant, quę si proprijs labasceret, & innato destitueretur vigore, non videmus, qua ratione prefixum nobis scopum attingere & obtinere possimus.

Facta igitur breuibus in omnes Entium classes excursione, constabit sagacissimam Naturam à prima statim origine hucusque nec in motus & quietis principio;

nec in ordinaria rerum productione; nec in varia seminum explicatione, aut vitalium potentiarũ dispensatione; nec in debita Elementorum, seminaliumq; principiorum mixtione, legitimo spirituum mechanicorum progressu & transplantatione; nec individuorum renouatione, & specierum perpetuitate aliquaten⁹ à destinato cursu deflexisse.

Deus semper idem.

Primùm quidem nunquid Deus noster, qui in altis habitat, & omnia respicit, totius Vniuersi plasmator, omnium bonorum & vberrimus fons, & largitor effusissimus, idem ipsissimus est, qui ante Mundi exordium, & patrum antiquissimorum memoria fuit ter Opt. Max. Omnipotens, immensus, infinitus, sapientissimus, primus & præcipuus omnium rerum & auctor, & cooperator, Sanitatis, Vitarumq; conseruator, & omnium morborum suprem⁹ AEsculapius? Nunquid Ethnici ipsi, solius Naturæ lumine edocti mirabilibus tantùm Naturæ operationibus, atq; occultissimis rerum proprietatibus excitati, eundem & valentissimum, & formosissimum, immortalem omnium Vitarum fontem & fomitem, atq; præstantissimum agnouerunt?

Et licet profectò, nec iniuria sanè, propter deplorandum primorum parentum lapsum, tota Naturæ Vniuersitas, in præuaricationis pœnam, ab innato bonitatis cursu deflexerit, terra v. g. fructuum & vuarum loco spinas & tribulos produxerit, & destinatis Elementorũ actionibus, quæ ante lapsum debitis Naturæ legibus coërcebantur, in varias contrarietates & correptionum Idæas fræna laxauerit, vt scilicet offenso Creatore, & ipse præuaricator Homo offenderetur, & quibusuis Elementorũ iniurijs, brutorum incursibus, morborumq; insultibus exponeretur, atq; Vitæ breuitate, sublatâ Vitarum arbore, castigaretur: Nihilominus tamen æternus æterni Dei filius, Hominis amore captus, & indicibili humilitate deuictus, humanã mortalemque suscepit Naturam, tùm vt maledictionis characterẽ deleret, túm vt Naturæ vniuersitatem, introducto benedictionis lumine, pristinæ integritati restitueret, tùm vt mortem nostram moriendo destrueret, & veram vitam nobis resurgendo repararet. Idem nunc est Deus, qui aliàs ex aqua vinum, è mortuis viuos, è claudis & cæcis, ambulantes, vidẽtesq; effecit: Idem nunc ex herba basilicone scorpiones, ex occiso verberibus iuuenco Apiculas, ex quarundam arborum folijs Anates; è profundissimis terræ abyssis mirabiles rerũ formas & Idæas producit, Ligna in lapides, imperfecta metalla in aurum & argentum transmutat, idque in Natura, ex Natura, cum Natura, & per Naturam. Idem deniq; Ceruis, Aquilæ, Elephanto

vitæ

Vitæ diuturnitatē largitur; Quare si & tu Vitæ diuturnitatem exoptas, Deum omnibus præpone, & præponet te; Deum honora, & honorabit te; Deum time, & dierum longitudine replebit te.

Angeli. Sequuntur iam creatorū Hyperphysicorum ordines, Angeli scilicet seu Intelligentiæ, Archāgeli, Throni, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Cherubin, & Seraphin, quos si paulò attentius contemplemur, constabit eos hactenus nec numero defecisse, cùm ijdem sint cœlestium Orbiū motores, ijdē Prouintiarum & Regnorum protectores, ijdem singulorum Hominum Custodes; & licet in prima illa Angelorum ruina, multi ceciderint, eandem tamen plurimarum sanctarum animarū Myriades ac milliones hactenus repararūt, & in dies magis magisq́; multorum Sanctorum accessione reparatur: Sic nec ratione precellentissimæ Naturæ quicquam patiuntur, cum & perfectissimi, & pulcherrimi, & potentissimi &c. æque sint, qui ab orbe condito fuerunt.

Quod si Cœli maiestatem, diuinos illos syderum fulgores, seu radiantes, Apuleio, Deos expendamus, quibus Cœli chorū cōptum, & coronatum, suda tempestate, pictis noctibus, seuera gratia, & toruo decore videmus: Si in hoc, inquā, perfectissimo corpore miris fulgoribus variata celamina suspicimus, quorum ex assuetudine speciem quandoq; & pulchritudinem mirari desinimus; Nonne & in hodiernum vsq; diem nostris emolumentis ista destinantur? Et vt obiter moneamus non est, vt quis existimet, Cœlos aut numero, aut perfectione, viribusuè influentibus nostro hoc æuo defecisse, nā & philosophi, & Theologi præter septem illos planetarum orbes, non cœlum duntaxat octauum, seu primum mobile perpetuis illis fulgoribus corruscans, sed & cœlùm Crystallinum, & ipsum quoque Empyreum lucidissimum, imo ipsam inaccessibilem lucem quam luminum pater inhabitat, agnouerunt.

Firmamentū. Idem & de Astris, Firmamenti scilicet seu expansionis densioribus partibus, Sole, Luna, cæterisq́ue radiantibus luminibus sentiendum, quæ à prima creationis perfectione hucusq́; ceu incor- *Astra.* ruptibilia, firmissima, & constantissima permansere, orbemq́ue hunc sublunarem suo calore, lumine, motu, atq; influxibus fœcundare non cessant, imo non rarenter nouæ oboriuntur stellæ Astronomis nec visæ aliàs nec cognitæ, quę cum ignes sint cœlestes, tenuissimi, purissimi, seu flammę aut luces coagulatæ, simulq́; compactę, totum Mundū illuminăt, fouent, fœcundantq́; accedentibus aquis supercœlestibus leuissimis, subtilissimis, inuisibi-

uisibilibus, vegetalibus, ac cœlestibus viribus imprægnatis, quas aëra, alij nubes nuncupant; quæ perpetua ac continua scaturiginis serie ad hęc inferiora dimanant, geluq; addensatæ depluunt sicq; feruentiores quandoq; syderum æstus contemperantes, & seminum explicationes, & generationũ progressus promouent.

Cœlorũ & Astrorum vis

Addimus insuper & ex *Leone Hæbreo*, & ex *Fernelio*, alijsq; grauissimis authoribus à cœlo, sole, potissimo lucis ac omnis pulchritudinis fonte & principio; à Luna item, ceterisque Astris omnium rerum formas, rerumq; & generationes, & renouationes, temporum item vicissitudines, moderationes, & distributiones, educi, fieri, ac prodire, Hominis forma excepta. A luce totũ hunc Mundum corporeum & formosissimum, & iucundissimum, & fęcundissimum reddi: hac enim introducta, Deus omnium rerum Vitam introduxit, quæ hodierno vsq; die non tantũ vniuscuiusq; rei corpus mouet, excitat, & exercet, vt primo capite diximus, verum etiam quamdiu adest, cõseruat, & à corruptione balsami instar, liberat, quantum, & quamdiu fieri potest, & vnum quodq;, pro peculari astro ac semine specificis proprietatibus exornat: Nisi enim Soli infinitæ lucis scaturiginem, vt & Lunæ Aquarum fontem indidisset in circumscriptæ potentiæ Opifex, nõ constitisset vtiq;, nec constaret, vt hodie constare videmus, continuata & perpetua rerum omnium ab orbe condito generatio atq; productio. Cuncta igitur creata virtutem horum duorum Luminarium substantialem ad se continuò trahunt, sibiq; meritò adsciscunt.

Influxuum operationes

Influxus cœlestes quod concernit, nec de ijs quicquam hodie dubitandum, cùm idem quotidiani effectus demonstrent. Et licet *Peripatetici* vno ore affirmẽt, Cœlum & Astra in hæc inferiora lumine duntaxat & motu agere; AEgyptij tamen Chaldæi & Syri, qui serenissimi & nitidissimi Cœli felicitate gaudent, innumeraq; influentis Cœli beneficia recipiunt, cùm ea nec lumine, nec motu solo effundi posse videant, in eam iure venerunt sententiam, præter lumen & motum, cœlestes quoq; cęcos & occultos Astrorũ influxus dari, quibus tanquam neruis insigni facultate præditis, omnia quę in nobis eximiam pariunt admirationem, perficiãtur: Hac ratione Pœonię radix, Viscusq; quercinus certo influxu lecta, & collo appensa, Epilepsię medetur: Lapis Herculeus ferrũ; Succinum paleas; Nephriticus stellatus calculũ & arenulas trahit; Ligna nonnulla certa cõstellatione cęsa, omnis generis vulnera sanant, Corallus lemures fugat, Saphyrus amorem conciliat, Laurus fulminantẽ Iouem arcet,

Echinus

Echinus piſcis naues remoratur, torpedo ſtuporem inducit, & alia ſexcenta, quæ nec ſolo lumine, nec motu ſolo perficiuntur, ſed tertii cuiuſdam latitantis & cæci agentis neceſſitatem indicant Aſtra quippe creata non ſunt, vt vel ſolummodo nobis luceant, vel duntaxat motu ſuo anni tempora mutent, aut cœlum ſuis fulgoribus exornent, ſed etiam vna cum luce vires in hæc inferiora effundant; nec enim opus fuiſſet firmamentum infinitis ſyderibus repleri, ſed ſatisfeciſſent grandia illa duo luminaria, quorum alterum diei, nocti alterum præeſſet. Et quoniam luna atq; ſydera nocti inſeruiunt, ideo vires ſuas, quas infinitas poſſident, noctu potiſſimum rebus gignendis, & in primis eorum ſeminibus inferunt, inſeruntq́;, pro cuiusq; ſeminis natura, indole, & capacitate, ipſamq́; terram omnis generis frugum, animantiumq́; feraciſſimam reddunt; atq; in profundiſſimis tùm maris, tùm fluminum ſinubus infinitam cuiusq; formæ aquatilium multitudinem inibi procreant, aut eorũ ſemina promouent; imo nec in terræ tãtum ſuperficie, ſed & in reconditiſſimis terræ receſſibus, & intraneis montium viſceribus variorum lapidum, mineralium, ac metallorum, & animãtium quoq; ſpeciem excitant, condenſantq;, accedente præſertim viuifico Solis calore. Hi influxus, vt ſunt feruẽtiores, & plerumq; ingentem æſtum ſecum deferunt, facillimè metallorum parentes, mõtes ſcilicet, eorumq́; abyſſos penetrant ſeſeq́; illis inſinuant, & percoquẽdis illis montium fætibns ac fructibus inſeruiunt, ita vt eorum genealogia non ſubterraneis vaporibus frigore condenſatis ſit adſcribenda.

Iam verò ſi ad ipſa Metheora veniamus, videbimns hodierno quoq; & cœlo & tempore ea penè omnia è cœleſti regione defluere, Mannas ſcilicet, mella, rores mellitos, plantis & arborum folijs adhærentes, zephyros, ardores, frigora, pluuias, nimbos, imbres, grandines, niues, fulgura fulgetra, tonitrua, corruſcationes, & omnis generis cauſmata, vt paſſim ſacræ teſtantur litteræ: Nubes v.g. ab inferioribus aquis ſurſum delatæ, obſcuræ, nigricãtes, ponderoſæ, ac cœli ruinam, vt canit Poëta, ſeu pluuias minitantes Solis & Aſtrorum vi ſurſum euectæ, deorſum relabendo ſuperiorum orbium & influxuũ vires ſecũ rapientes, vt ante mille annos, ita & hac ætate varijs terræ tractibus, mariſq́; immenſi ſinubus impartiuntur, quibus poſtmodum terra, alioquin inanis & vacua, referta, conſeruat, & Solis, ignisq́; congeniti fomite percoquit omnia, & ad perfectã maturitatem perducit.

Metheora.

Deniq; ſi Elementorum Naturã, eſſentiam, & proprietates attendamus

Elementorum operationes.

damus, nec ipsa quidem ab innatis scientijs & facultatibus vnquã discesserunt: Ignis enim (de imaginario illo Peripateticis sub Lunæ cõcauo existente nil agimus) à Solis orbe, non à peculiari aliqua sphœra indesinenter fluens, & Mundi fons est effluentissimus vnicus in se, at in lucis, & caloris radijs infinitus, tanquam agens primordiale, cunctas res producit, & masculi vicem subiens, cunctis seminibus, & humori immixtus, vna cum specifica vniuscuiusq; rei Idæa, generationi initiũ præbet, globumq; hunc sublunarem in primis collustrat, calefacit viuificat, & cunctis Entibus, accedente Astrorũ influxu (cœlestis roris instar, pro cuiusuis rei merito) virtutẽ infundit. Hinc factũ, vt multi Animam Mundi, Ignem & eius aëreum spiritum vehiculum statuerint: Hermes eundem Patrem vocat omnis Thelesmi: non est enim teste seniore philosopho, agens in mundo, nisi calor: quo cessante, cessat omnis & motus & actio; Hic viuificus, lucidus, & internus ignis, vniuscuiusq; corporis organa è rudi semine, ouo, corruptibiliue materia excitat, fabrefacitq; : qui dum liber est, lucet: coactus autẽ condensatus, & rebus coniunctus, ad Mundi vsq; finem, in eis operatur.

Ignis.

Aqua.

Alterum & materiale principium Aqua est, quæ, sicut à primo Creatoris iussu, ita & in hodiernum vsq; diem omnia terræ crescentia, quæq; ex maris profundi abyssis hauriuntur, producit, & in eandem denuo resoluuntur, in primis herbæ, flores, frondes, fructus destillatione, metalla, lapides, corallia, ceteraq; mineralia, varijs ingenijs in liquorem redeunt; imo ipsa Terra adustione, mox deliquatione in salem, & hic demùm in aquam redit; ipsa quinetiam semina antequã quicquam ex ijs generetur, aquea fiant oportet. Aqua ergo hodie quoq; est omnium rerum naturale primordium, quæ crascescẽs in terram abit, ita vt crassior eius pars & quasi fæx, terra dicatur; sicuti densior luminis pars, Ignis; & subtilior Aquæ pars, Aër; & ipsi Peripatetici concedant Terram in Aquam, hanc in Aëra, & hunc in Ignem mutari, licet specie differre videantur.

Aër.

De Aëris autem Natura, essentia, potestatibus virtualibus, & qua ratione in cunctis creatis hodierno quoque tempore suas exerat vires, deq; ipsius electione correctione & purgamentis ad extendendam Vitam concurrẽtibus, suo fusiùs loco docebim⁹.

Terra.

Terra demùm licet in se, & ex se inanis & vacua sit, cœlo tamen & grauissimo, & diuinis virtutibus plenissimo; Astrorum etiam virtutibus, vsq; infinitis imprægnatur (cùm omne donum optimum, & omne datum perfectissimum deorsum sit, descendens à

Patre

Patre luminum) & pro sua, vti & maris genio, puritate vel impuritate, claritate vel obscuritate, varios peneque infinitos effectus, Metalla scilicet Mineralia, varia item terrarum, lapidum, gemmarum, corallorũ, animãtium item plantarum, arborum, aromatũq; genera, in suo, marisq; immensi gremio, partim semine, partim sua sponte, tãdem in hanc mundanam scænam producere, profundere, & explicare in hodiernum vsque diem non cessat.

Cùm itaq; Naturæ vires in nullis Megalocosmi creatis, eorũq; operationibus hactenus defecerit, vt longa satis inductionis serie est demonstratum, imo verius virtuales illius potestates in dies magis, magisq; elucescant, crescant, extendãturq;, eandem quoq; in Homine ad plures annos conseruando sagacissimam, & studiosissimam fore, minimè dubitandũ, cùm in Hominis gratiam & Mundus totus, & ipsa Natura ab Altissimo creata sit.

Cur pauci antiquorum ætatem attingant.

Quod enim pleriq; Hominũ, patrum nostrorum secula & annos non attingant, id procul dubio nõ sagaci Naturæ, omnis cõseruationis studiosissimæ, sed multis alijs causis, Hominũ scilicet vel impietati, effrenæ libidini vel deprauatæ corporis œconomiæ; vel negligentiori à puero educationi; vel præsentis seculi ingluuiei, gulæ, crapulæ, luxui, auaritiæ, & inde excrescenti excrementorum prouentui, vel insalubri Aëri, regioni, locouè, vel occulto & Medicum latenti à Deo præfixo vitæ termino; vel medicamentis aut maligna qualitate præditis, aut non ritè præparatis, aut non debito modo assũptis, & alijs sexcẽtis &c, est adscribendũ. Siquidẽ ad Vitæ diuturnitatem duo potissimùm requiruntur, firma & adæquata natiui temperamenti constitutio; & Natura: nullum enim creatum extra Naturã, & in quouis creato est ipsa Natura, ambo in vnius conseruationẽ conspirantes: sola enim Natura nihil operatur, quantumuis firma ac robusta, sed & subiectum requiritur in quod operetur, vnde quo firmius, & validius illud à primis incunabulis fuerit, eo & melius, & diutius accedente Natura conseruabitur.

Vnde & ob eandem hanc causam, nec primorum seculorum Homines æqualem longæuitatis terminum habuerunt, quæ ratio etiam in cęteris animantibus locum habet: Natura quidem est in Homine, at inæquales sunt eorũdem & Naturæ, & temperamenta, nec eodem modo se nostro hoc æuo habent, vt in prima Mundi ætate. Altera causa est Hominum malitia & peruersitas, vt sacra testatur *Genesis*, quæ Hominis Vitã ad 120. reduxit, & nostro hoc æuo excrescens, ad multò angustiora Vitæ spatia redegit. Quod igitur Homines modo in iuuenili, mo-

do in virili ætate, non expectato senio vita defungātur;id propriæ malitiæ, incuriæ, prauæ viuendi consuetudini, vt dictum, nō Naturæ adscribendum, quæ nec robustis,nec debilibus hominibus Vitam, nec ea, quæ ad Vitæ propagationem faciunt inuidet, sed vt pia & sollicita mater vbertim effundit.

CAPVT V.

Vtrum Hominis Vita Naturæ viribus, & Artis medicæ ingenio ad 120. annos prorogari poßit?

NON defuerunt hactenus, nec etiam hoc tempore desunt haud vulgaris doctrinæ scriptores, qui & sacrarum litterarū testimonio,&rationibus è Naturæ fonte petitis, obseruationibus item & exemplis constanter asserere, & probare nituntur,Humanæ vitæ periodos, certis limitibus & cancellis inclusos, nullo nec Naturæ genio, nec artis Medicæ ingenio prorogari & extendi posse: E sacris litteris sequentia loca adducentes: *Non permanebit spiritus meus in Homine in æternum,quia caro est, eruntq; dies illius 120. anni*: Idem confirmat Moses de seipso loquens: *Centum viginti annorum sum hodie, nō possum vlterius ingredi & egredi.* Sic diuinus Cytharœdus: *Anni nostri sicut aranea meditabūtur, dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni.* Si autem in potentatibus 80. anni, & amplius eorum labor & dolor, nam teste Ecclesiastic. *Omnis potentatus breuis est vita.* & Esaï: *Anni 70. sicut dies Regis vnius.* Idem diuinus Psaltes passim: *Notum fac mihi finem meum, & numerum annorum meorum: Ecce mensurabiles posuisti dies meos: Recordatus est quoniā puluis sum: Homo sicut fœnum, dies eius sicut flos agri efflorebit.* Et Sapiens: *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Et Iob: *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Et passim in sacris, *vitæ nostræ, fumo fugaci, inani vmbræ, vento volubili, cursori velociter currenti, vitro, seu bullæ fragili, talento hominum vsuræ ad tempus concredito &c, comparatur:* Quibus apparet, statutos humanæ vitæ terminos protrahi non posse. Vnde Regius Propheta ex vna parte hanc vitæ humanæ fragilitatem; ex altera verò infinitam diuinæ maiestatis amplitudinem cōtemplatus, in hæc verba prorupit: *Quid est homo, quod memor es eius? & filius Hominis, quia reputas eum?* Sic olim Rex Xerxes, è sublimiore loco infinitam hominum multitudinē conspicatus, lacrymas profudisse dicitur, eo quod nullus eorum post centum annos superstes esset futurus. Et sanè quid aliud vita nostra, quàm Aër quidam infestis fulgoribus inardescens? quàm mare tempestatibus & procellis agitatum? quàm terra continenti grandine perculsa? mortuorum cranijs albescens, & occisorum sanguine ebria? quid deniq; vita hæc, quàm cœlum frequentissi-

mæ Ecclypsi, & mille portentosis ac infelicibus Cometis obnoxium? Quis omnem fiduciam ausit in hac vita collocare, quam Anacreon acinum vinaceum deglutiendo perdidit? quàm Fabius pilum cum lacteo potu exsorbēdo perdidit? quàm mulieres grauidæ lampadis fumum spiritu excipiendo sæpius perdidere? Non dicam quo in loco, quoue in statu, vitam consumarint, eximius ille dux *Alcibiades*; *Theobaldus* dux Austrasiæ; *Gallus & Titus* nobiles Romani; maximè verò *Attila*, illud Dei flagellum, qui ipso nuptiali die crepuit. Considera *Astulphum*, Longobardorum regem, dum venatione laxaret animum oppido mortuum concidisse, & longā vitam tibi pollicere? Considera *Petrarchum* versus fundendo, fuisse lethali non diuino spiritu afflatum: *Carolum octauum* pila palmaria ludentes spectando; *Paulum secundum* de Pyramide erigenda agentem expirasse. *Amurates* Turcarum Monarcha, grādem cratera exhauriens, simul mortem exhausit. Vbiq; terrarū insidias molitur perfida Errhynnis, nobis semper inhiat fatali telo armata: Xeuxis in contemplāda anu à se depicta præ nimio risu fatis cessit. Sic *Chrysippus* dum cernit asinū ficuum sportam exinanientem: & *Philemon* viso mulo ex vini potu egregiè ebrio, risu disrumpebantur. Insuper (vt & hæc subnectamus) homo cùm ex humo cōstet, ac denominetur, & super humo gradiatur, & viuat, plurimum sibi de terræ Elemento contraxit; nisi potiùs hunc totum terrenum, luteum, seu lutosum dixerimus, cui Deus summ⁹ author, iam olim ita præloquens dixit. *Genes.* 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et Abrahā cum Angelo colloquēs, *Genes.* 18 *Quia semel cæpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis?* Item *Ecclesiast.* 10. *Quid superbit terra & cinis?* & *cap.* 33. *Omnes homines de solo & ex terra, vnde creatus est Adam.* Ne de sacris & prophanis auctoribus nunc plura repetamus, paucula adhuc è multis delibasse iuuabit. *Homo* (aiebat Solon) *putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte.* & *Aristoteles: Homo imbecillitatis exemplum, temporis spolium fortunæ ludus, inconstantiæ imago.* Sed instituto sermone cōuenientius quidem *Gregor. Nyssen. lib. de beatitudine: Non erubescis terrea statua, mox puluis futura, qui in bullæ modum breui duraturum in te tumorem cōtines, te superbia repleri? fastuq; tumere? vano spiritu, atq; cogitatione, mentem inflatam habere? An non respicis ad vtrumq; vitæ humanæ terminum, vnde & initium sumat, & in quid desinat?* Sed & *Phocides ille:*

Ex terra corpus nobis, & rursus in illam
Soluimur, ac puluis sumus.

Bernhard. autem *lib. Meditation.* *Homo*

Homo nihil aliud est, quàm sperma fœtidum, stercorum saccus, & vermium cibus: post Hominem vermis: post vermem fœtor, & horror. Sic etiam *Palladas Poeta.*

Natus es è cœno, quid sic efferris, & ex hoc
Figmento dicat nobiliore aliquis.
Sin causam quæris genuinam dira libido
E gutta impura contulit esse tibi.

Iam verò facta nocturnæ quietis æstimatione quotusquisque dimidium vitæ suæ spatium viuit: pars æqua morti similis exigitur, aut pœna, nisi cõtingit quies: nec reputãtur infantiæ anni, qui sensu carent, nõ senectæ, in pœnam viuacis.

Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum; Natura verò nihil hominibus vitæ breuitate melius præstitisse videtur; nam productâ in longos annos senectâ hebescunt sensus, mẽbra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes item, & ciborum instrumenta: & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. Vnde iure concludendũ Homine nihil vel miserius, vel superbius esse. Ad quod respiciens *Cicer. lib. 1. de Repub. apud Augustin.* scripsit Hominem non vt à matre, sed vt à nouercâ Natura editum in vitam, corpore nudo, & fragili, & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timorem, molli ad labores, prono ad libidines. *Diuinus Citharædus Psal. 143. Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt:* Idem, *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis:* Idẽ, *Vniuersa vanitas, omnis homo viuẽs, veruntamen in imagine pertransibit Homo.* Septem sunt de essentia hominis, *teste Bernhardo,* quæ si consideraret homo, in æternum non peccaret: *materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, damnatio detestabilis, & contemplatio gloriæ ineffabilis.* Et quis sufficiet quantouis stilo facund⁹ eloquentiæ vitæ nostræ miserias explicare? in quibus recensendis totum caput *22. lib. 22, de Ciuitat. Dei* prolixissimè consumpsit *D. Augustinus.* Hæc, & alia sexcenta Hominis tum miserias, calamitates, tum vitæ breuitatem abundè satis attestantia, in medium proferri possunt.

Imo vero si analogicum, harmonicum, ac sympathicum Microcosmi ad Megalocosmũ concentum, & conspirationem respiciamus, longè validiora reperiemus rationum momenta, quę vitam hominis produci non posse facilè euincent: Nam sicut ad singulas, sæpe etiam momentosa, tũ cęli, tum astrorum, temporumq; anni vicissitudines, magnæ fiunt in Megacosmo mutationes, ita earundem fit particeps, & magnã sæpe valetudinis, vitæq; iacturam patitur Homo maioris mundi filius: Vnde sicut pro varia cœli, aëris,

aëris,locorum,temporumq́;mutatione,cōstitutiones variæ, tum salubres, tum insalubres, pluuiæ item,nubes,rores,imbres,nimbi inundationes, cataclysmi, niues, pruinæ, grandines, venti, terræ motus, tonitrua, fulgura, fulgetra,ignes,causmata &c, exoriuntur,ita & ijsdem facilè homo afficitur,& è sano valetudinarius euadit, varijs reumatibus, catharroicis defluxionibus, capitis destillationibus, grauedinib⁹, ophtalmijs, odontalgijs, vertiginib⁹, paralysi,epilepsia,catalepsia, apoplexia, flatibus, intestinorū borborygmis,colicis,nephriticis,podagricisq́; tormentis, inflammationibus,tumoribus,& sexcentis febribus correptus.

Idem Homo cum ex elemētis contrarijs consurgat, ea autem mutuis,& intestinis conflictibus, sese continenter conficiant,atterantq; necesse est, vt & ipse tandem ad extremum redactus finē, pereat. Nam vt externus ignis substantificum omnium rerum liquorem continua actione exhaurit,ita & internus noster ignis balsamiticum vitæ nostrę humorem clam, & furtim exhaurit, & vitę nostrę pabulum deprędatur. Et licet radicalis hic liquor à primo statim ætatis progressu continua esculentorum,ac poculentorum nutritione reparetur, & primigenia indiuidui temperies illa,quæ veterascebat abactâ,sarta,tectaq́; seruetur, cùm tamē tacitè labentibus annis defluat,cōtinuò nutriatur atteratur,agēdoq́ue repatiatur nec tātum aut tale reparetur, quantum & quale ætatis progressu decedit,fit vt nullo ingenio ea vitæ lampas inextincta seruari queat.

Quid iam varias aëris tum frigidioris,tum calidioris,sæpe etiā pestiferi,contagiosi,ac venenati, impressiones, ac miasmata; perniciosos astrorum influxus exter nos casus: venenorum haustus; veneficiorum præstigia,& incantationes;serpentum ictus; fulminum iaculationes; ferarum impetus;& bellorum morticinia commemoremus? Porro si de esculentis, & poculentis, deq́; regia viuendi ratione sermo fiat, quis satis exquisitam in eorum Natura,proprietatibus specificis, sæpe etiam deleterijs, in delectu item, præparationis & exhibitionis modo habebat cognitionem? Quis ad amussim medicorum leges,viuēdi regulas ob effrænam appetitus in quasuis res obuias licentiam & libertatem obseruabit? An non sæpe consumatissimi Medici ob vitæ breuitatem, artis longitudinem, momentaneam occasionis lubricitatem, experimenti incertitudinem, & iudicij in omni actione medica difficultatem in varios rapiuntur errores? Et nunc in victus ratione, nunc in ceteris artis operibus hallucinantur? Et licet viuendi normā non ipsi duntaxat Medici,

ſed & multi alij Neſtoreos videre annos cupientes, nõ rarenter ad amuſſim, imo ad vncias obſeruent, (*vti R.P. Leonardus Leßius Societatis Ieſu ſacerdos, & Ludouicus Cornarius Patauinus feciße videntur*) plerumq; tamen ante præfixum vitæ terminũ diem obeunt, licet quandoq; temperatiſſimo, & omnibus numeris ſaniſſimo corporis habitu conſtent, eo quod tales, *teſte Hippocrate*, in eodem ſtatu diu permanere nõ poſſint. In huius rei confirmationẽ, audiamus quid latinus *Hippocrates Celſus lib. 1. cap. 1.* de victus ratione ſentiat: *Sanus* (inquit) *Homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet: nunc oportet varium habere vitæ genus, nunc ruri eſſe, modo in vrbe, ſæpius in agro, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere: nullum cibi genus fugere, quo populus vtitur, interdum ſe ab eo retrahere, modo plus iuſto, modo non amplius aſſumere: bis die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quam plurimum, dummodo hunc concoquat &c.* Quis non inde videt totam labaſcere Diæteticam? imo totam Medicinam? Hoc vel ex ruſticanorum Diæta apparet: Hi enim pane vel auenaceo, vel conſimili, duro item caſeo dentibus attrito, carnib⁹ bubulis, ſale fumoq; induratis, Raphano, Cæpisq; & allijs latrantẽ replent ſtomachum, ſitibundi, licet æſtu anhelent, vt corpus ſudore diffluat, aqua modo frigidiſſima, modo lactis ſero, modo aceſcente cereuiſia ſitim frangũt: expletis hiſce ępulis, non expectata digeſtione, vel ad aſſuetos redeũt labores, vel quieti, aut proli operam dant, nulla apud ipſos ſiuè Veris, ſiuè Autumni tempore, vel de corporib⁹ euacuandis, vel de inſtituenda aliqua venæſectione mentio, niſi aut ex alta conſuetudine obſeruata aut in Vicini alicuius gratiam fiat, & tamen viuaciſſimi, robuſtiſſimique exiſtũt, imò pleroſq; longæuitate ſuperant, qui vel exactam ſeruant victus rationem, vel continenter medicorum opera vtuntur.

Demũ ſi de Medicamentis ad vitæ propagationem facientib⁹ verba fiant, quotusquisq; vel audito duntaxat Medicamenti nomine non nauſeabundus recedit aut animi deliquio rapitur? quotuſquiſq; integra, vt ita dicã pharmacopolia exhauſit, breuẽ tamẽ miſerã, ac valetudinariã vitã ducit? *Paracelſus* paradoxus ille & ſcriptor, & medicus, nõ ſolùm Volumẽ de Vita lõga ad 1900. vel ſummũ 1600. annos producenda ſcripſit, in aëre ſcil. nubib⁹, vel æthere (ſi Dijs placet) ſed etiam præſtãtiſſima quędam remedia, Magiſteria, eſſentias, arcana, & præſertim *Elyxir* illud decantatum, pauciſſimis cognitũ, ab antiquis Philoſophis obſcuris verborum inuolucris adumbratum, vitam diutiſſimè ſaniſſimam conſeruãs propoſuit, cùm tamen bonus vir vigente adhuc ætate, anno ſcilicet

cet ætatis 42. vel summum 50. arthritide cōfectus obijsse dicitur. Quæ cùm ita sint, concludendū nec Natura, nec Artis industria, nec frustranea & difficili illa vict⁹ vitęq; ratione, Hominis vitam ad 120. annos prolongari posse.

Hæc tamen, etsi pleraq; speciosa videantur, si tamen ad rationis incudem, & veritatis trutinā reuocentur, & pauci esse momēti, constabit, & medicos à tanti clynodij, cuius thesauro pręponendi inuestigatione minimè deterrendos. Antequam igitur progrediamur, paucis ad SS. Scripturæ loca respondendum, ceterisq; rationibus in medium adductis satisfaciendum. Primū quidem sacros illos contextus, quod cōcernit, negandum nō est, quemlibet mortalium pręfixum habere vitæ terminum, si terminū hyperphisicū audiamus, quem producere, aut extendere impossibilè est; nec enim falli, aut mutari potest DEVS, qui vniuersaliter, non solùm singulorum genera, sed & singula generum cōcernit, non tamen fatali quadam necessitate, sed pro causarum secundarum respectu cuilibet mortaliū interitus destinatur.

Diluuntur rationes in contrarium adductæ.

Naturalis ergo termin⁹ à Deo ceu natura, ceu vniuersali causa, ita est pręfixus, vt non à Deo solum, sed & ab homine ipso mutari, promoueri, impediri, & à Deo suspendi possit; pro vt ipsi visum, sicut videre est *Exod. 22. Seruies Domino Deo tuo, & numerum dierū tuorum complebo*; à Deo quippe non est pręfinita omnibus hominibus, vna eademq;, sed sua peculiaris cuiq; vitę periodus; Verba autem *Genes.* à Deo prolata nō de omnis ęui Hominibus, sed tātum de tunc superstitibus audienda sunt, quibus hic terminus pœnitentię ante futurū diluuiū datus est

Terminus autem vitæ, qui vnicuiq; animantium in specie statutus est, diuinę volūtatis respectu pręteriri non potest; non est tamen omni ex parte absoluta necessitas, multò minus coactionis, sed consequentiæ: In singulis tamen, & in diuiduis, ob variam & temperamenti, & vitę rationem, varius quoq; & vitæ terminus: Hinc illic non asserit Moyses se vltra viuere non posse, sed tantùm adeo magnæ multitudinis gubernationi senio sese imparem, & minus idoneum fieri.

Ceteræ autem ad Hominem factæ comparationes, quid aliud indicare videntur, quam humanas fragilitates? angustos vitæ nostræ terminos innumeris, & ærumnis, & miserijs, & laboribus inclusos, & personatis voluptatū blandimentis circūscriptos? pessimè profecto viuūt, qui in quasuis effusi voluptates semper se victuros existimant, cùm irreparabile tempus fluat, suiq; auidissimos honore, dignitatibus, robore, fortunâ, diuitijsq; florescentes

tes deserat; Vnde etiam, post lõgissimos vitæ tractus, & studia tãdem certissima Mors, multis referta calamitatibus, furtiuæ horæ coniuncta expectãda. Hinc illud

Quid annos numeras? momento rapimur,
Quid genus, proauos? momento morimur,
Quid opes? Iudici damnandi sistimur,
Et fors, iam ignibus damnandi cingimur.

Analogicæ maioris ad minorẽ Mundum rationes demonstrant quidem, cœlum, astrorumq; Syzigias, lumine, motu, & influxib⁹, non in hæc inferiora duntaxat, sed & in hominem agere: At cum inclinent tantum, & nullo necessitatis vrgeant iure, homo in mũdi meditullio constitutus, veluti Rex planè, & cunctorum Dominus, porrectis, expansisq; huc illuc suæ potestatis viribus finitur omnibus, omnibus imperat: Cœlis, Astris, Elemẽtis, imo sua prudentia, sapientia, frugali, & victus & vitæ ratione, sinistros syderum influxus Elementorum corpus nostrum atterentium actiones, & conflictus moderari, mitigare, euitare, ac superare potest.

Ob continuam caloris natiui in humidum primigenium actionem, mortis necessitatem nullo ingenio euitari posse, certissimũ est, cùm humor radicalis, nec alimentis, nec medicamẽtis redintegrari & in totum reparari queat: Potest tamen bona sui parte; vnde quo nobiliora, & generosiora fuerint restaurantia tum alimenta, tum medicamenta, eo & diutius vitæ balsamus conseruari, & vita ipsa ad plurimos annos produci poterit.

Sic sagax & exercitatus Medicus, si in propaganda Hominis vita talem se præstiterit, qualem suo loco describemus, rarenter decipietur, occasionis tum commoda, tum incommoda obseruabit; corporis naturam, & principum partium symmetriam, occultas rerum vires, externarum causarum impressiones, venenatas & contagiosas aëris qualitates, & radicales astralium morborum causas solerti ingenio, & iudicij sublimitate præuidebit, præuisas Artis ingenio eludet, Regionum, Aquarum, Locorũq; minus arridentium naturam, situm, intemperiem, vel mutabit, vel arte in meliorem statum conuertet, vt longæuitati inseruire queant.

Athleticorum corpora, & qui proximè ad temperatũ, plenũq; corporis habitum accedunt, in eodem sanitatis statu diu quidẽ permanere nequeunt, ne tamen sanitatis iacturam patiantur, aut citius quàm par sit vitâ excedant Hippocratis imitatione debitis euacuationibus, adhibita item requisita victus ratione in tutiorem statum reducentur.

Præstantium Medicorum præceptiones, leges, & viuendi regulæ obseruãdæ, & licet ipsi quãdoq; appetitibus fræna liberius laxent, non imitandi. Pari modo licet medici ipsi quandoque in

ætatis

ætatis vigore non expectato senio moriantur: vt & ij, qui strictissimè viuendi legibus obtemperant, non ideo credendum, quæsitum nobis vitæ terminum obtineri non posse, cum in hunc finem Medicina creata sit, non vt iocundè duntaxat, sed & diutissimè & suauissimè viuamus.

Quantum ad victus rationem pro temperamenti varietate, anni temporibus, personarum statu ætatis, sexuumque diuersitate, diuersa proponenda victus ratio, *Celsi* imitatione, qui non in quamuis Diætæ licentiam inuehit, sed summum in ea decernenda rigorem (*à P. Leßio, & Ludouico Cornario indigitatum*) vituperat: aliam enim requirunt victus rationem litterati, & otio vitam ducentes; aliam Rusticani, & bubulci, aliam pueri, senes, iuuenes, prægnantes aliam, &c, Bibonum verò, crapulonum, & venereorum Vitam longiorem admirandam, non imitandam, censemus vt pote quæ solius & particularis cuiusdam Naturæ beneficio rarenter conspiranti cōtingat: Verius tamen est, & experientia quotidiana loquitur, eos, qui & frugalissimè, & secundum Naturam vixerunt, longiores & saniores duxisse dies, ijs, qui vel luxui, vel luxurię, cęterisue appetitibus, aut voluptatum blandimentis fræna laxarunt.

Rusticanos illos, & longissimā & firmissimam viuere vitam, non mirandū, cùm ipsimet etiam nescij conuenientes vitæ diuturnæ leges vel strictissimè obseruent; nec enim indulgent genio, nec ciborum varietate, nec onerosa plus satis eorundem ingestione, Naturæ vires vel opprimunt, vel suffocant: nunquam vel rarissimè non latrante stomacho cibos ingerunt, vel sitim frigidissima fontana explent: Quod si quandoq; in victu errores committāt, (qui sæpe medicamēti vices obeunt) & corpus humorū saburram exterminantibus occursum eunt.

Astrales morbi, astralib⁹ quoque medicamentis erunt curandi, quæ licet varijs tecta videantur ænigmatum inuolucris (*tantum valet præsentis seculi inuidia, tantum potest auaritia, & auri fames?*) aut crassiori materiæ mole inclusa, ea tamen indefessis studijs, sumptibus & inuidia postpositis, in Oratorio & Laboratorio patescent, vt suo videbitur loco.

Scripsit quidem *Paracelsus* paradoxum de Vita longa volumē, additis quam plurimis, & exquisitis remedijs, quæ tamen vt alia huius viri scripta, sæpe œdipo opus habent. At licet nec ipse, nec forsan alij, nec ego, vel tu, candide Lector, obseruatis quantumuis ad amussim diuturnæ vitæ legibus diu vel vixerint, vel victuri simus, nō tamen existimandum, alios, qui vel hos lecturi sunt labores, vel viuendi legibus sese accommodaturi, non Nestoreos

annos visuros, cùm adhæc omnia etiam Naturæ requiratur, & temperamẽti efficacia, vt iam dictum, quæ tamen omnibus, vel singulis communia non sunt, sed quibus data sunt desuper, *nec enim omnibus licet adire Corynthum, sed quos Iupiter æquus amat*. Non tamen interim increpandi sunt medici, qui præscriptâ hac viuendi methodo, & speratæ longæuitatis iactantia, & temeritate, hominibus sacræ Ηυγειναι stipendia facturis, peccandi & ad inferos descendendi occasionem dare velint, cùm hæc omnia ad prædicãdam potius Conditoris & potentiam, & bonitatem facere videantur, qui homines non primâ tantum ætate, sed & hac nostrâ quoq; quantumuis corrupta nõ vt peccarent, sed vt immensam Numinis Maiestatem venerarentur, sæpè diu viuere voluit.

CAPVT VI.

Hominis Vitam ad 120. & plures annos salubriter propagari & Rationibus, & Exemplis, Experientia, Historiis atq; Obseruationibus demonstratur.

DE re tanti momenti verba facturi, ante omnia pręmittendum, non Hominis duntaxat, sed & cæterarum rerum Naturam à Conditore Deo ita dispositam atq; comparatam esse, vt sui conseruationem quàm studiosissimè procuret; semper in generatione & conseruatione prima; in corruptione & interitu vltima: imo instãte corruptione, vel eius causas è medio tollit, vel emendat, vel si non possit, in pereuntis indiuidui locum, aliud, vel simile quid substituit, ne omni ex parte suo officio defuisse videatur. Apparet hoc abundè satis, vel in acutorum morborum historia, in dierum criticorum & decretoriorum accessionibus, in quibus suas tam in conseruando Homine, quam in morbo debellando exerit vires, & piæ matris adinstar adstat, & mitificatã materiã morbificam nunc sudoribus, nũc alui perturbationibus, nunc hæmorrhagia, aut vrinæ profusione modo per ἀναδρομὴν modo per ἀναρροπὴν, modo per ἀναστροφὴν, aut μεταστροφὴν, καταρροπὴν, ὀργασμὸν, vel μετεωρισμὸν, exsoluit, expeditq;. Cui si medicus, arte, ingenio, & industria adsit, accurratque, Homo non solum à domestico & inquilino hoste liberatur, sed & diutissimè ac sanissimè viuet. Hoc idem vel in 4. Hominis ætatibus videre est, Pueritia, scilicet Adolescentia, Virili ætate, seu Consistentia, & Senio, in quarum decursu quanta sedulitate ad Hominis conseruationem Natura concurrat, vel in foro practico medici obseruãt ipsiq; testantur Valetudinarij, dũ mutuas, tàm in conseruando, quàm medendo conferunt operas.

Et sanè videtur Natura peculiari quodam studio, & singulari seu abstrusa sympathia, vel in prima statim Mundi ætate, in Homine,

ne, ceu supremo Mundi miraculo, & Deo quasi mundano, non tantum diutissime conseruando sed & cęteris Megacosmi ornamentis condecorando, vel sagacissimam fuisse: Cum enim v.g. maiorem Mundum, & totius & partium ratione, orbiculari, sphæ rica ac rotunda figura ceu omnium & perfectissima, & firmissima exornatũ videret, Hominem eadem figura ceu omniũ pulcherrima, vt superius ostendimus, & maximè durabili donandum putauit: hinc videmus Hominem ad Megalocosmi similitudinem figura sphærica creatum (quantũ per functionum oportunitatem licuit) vt ex Cerebri, oculorum, Cordis, Hepatis, Ventriculi, Renum, Testium, Vteri, Vesicæ, faciei figura, ab absoluta rotũditate nihil, vel parum discedente, videre est: ob functionũ autem necessitatem & vsum, Intestina, Venæ, Nerui, Arteriæ, femora, brachia, crura, digiti globosam figuram habere nõ valentes, cylindrica seu tereti donantur, vt cum plantis, arboribus, animalibus, & toto deniq; orbe conspirare totus Homo videatur. Inter omnes autem figuras, sphæricam & post hanc cylindricam omniũ & perfectissimam, & maximè durabilem esse, præter philosophicas, etiam mathematicis rationibus demonstrari, & per cõsequẽs Hominem ipsum sphærica figura donatum, & perfectissimum esse, & longissimo tempore victurum & superstite fore, doceri potest.

Hominis sani & robusti descriptio.

Pari ratione eadem ipsa Natura à primis statim nascentis Mundi primordijs, Hominem (vtpote cui multis de causis & sanissimè, & diutissimè viuendum foret) firmum, ac robustum, erectum, magno corpore; lato & amplo pectore, vultuque; amplis humeris; magnis extremitatibus, magnis item oculis, supercilio incuruato mẽto quadrato, collo crasso neruosoq;, costis validis, lateribus firmis, ventre concauo, coxendicibus osseosis coxis, brachijsq;, tibijs ac talis neruosis, articulatis fortibusque, suris deorsum contractis, pedibus, manibusq; articulatis, ac magnis, bene formatis, & neruosis omoplatis fortibus, magnis, ac distantibus, metaphreno articulato carnosoque denso, magno, amplo, robusto, & bene costato; osseis ac validis lumbis &c, præditum produxit, animalis scilicet & robustissimi, & diutissimè victuri Idæam, & simulachrum.

Hominis statura.

Et sanè si de Hominis statura sermo fiat, testãtur ipsæ sacræ paginæ primis Mundi temporibus Gygantes extitisse fortes, longæuos; (tantum Natura in Hominis & vita protrahenda, & corpore roborando insudat laboratque!) Nam licet communis & ordinaria Hominis statura ac proceritas vix 7. pedes excedat, visus tamen D. Augusti Imperat. temporibus

poribus pusio ac secundilla 10. & plures pedes superantes: Sic sub Claudio principe Gabbarum nomine, ex Arabia adductus 9. pedū & totidem vnciarum: Sic belli Cretici temporibus cum elata fluuiali impetu vi plusquam amnica, inuecta terras rapuissent, post fluctuū discessum, inter plurima humi dissidia, humanum cadauer repertum 33. cubitorum. Refert *Solinus cap. 13.* In Macedonia Oristidę populi, si quando accidit, illic nymbis torrentes excitantur, & aucta aquarū pondera, ruptis obicibus, se in campos ruunt eluuione ossa etiam nunc ferunt detegi, quæ sūt adinstar corporis humani, sed modo grandiore, quæ ob enormem magnitudinē monstrosi exercitus iactant extitisse: Idq; adiuuatur argumēto immanium saxorum, quibus oppugnatū cœlum crediderunt. Et *cap. 35.* inquit: *Quidam Indiæ populi adeo proceri sunt, vt Elephantos velut equos facillimè insultatione transiliant. Isidorus lib.* de admirāda rerum Natura scribit, *in Occiduis partibus repertam puellam, quā vnde fluuiorum gurgites ab Oceano terris aduexerint, ignoratur, in capite vulneratam & mortuam, quæ 50. cubitorum longitudinis erat, & inter humeros 4. latitudinis indutam chlamide purpurea.* Refert *Zonara in Iustino mulierem quandam è Cilicia instar Gygantis fuisse, cùm corporis proceritate, tùm aliorum mēbrorum proportione, supra quosuis proceros viros integrum cubitum eminuisse pectore & humeris supramodū latis, cum & cætera omnia, vt vox, vt facies, brachiorum & cubitorum firmitas ac magnitudo & digitorum craßitudo, & reliqua longitudini, & latitudini responderent.*

Sed & nostro sæculo, qui nouum Orbem perlustrarunt, prodidere, *Antonius* scilicet *Pigasetta apud Canibales Armeniæ visum Gygantem, qui supra nostrates Homines, à cingulo emineret: Et ad fretum Megelanicum sub polo Antarchtico visos Gyganteos populos, quorum ceruix ad brachij dimidium longitudine protenditur.* Chinenses historiæ referunt *in Regia vrbe Paguin portarum custodes Gygantes esse proceritatis 15. pedum;* Et *Chinarum Regem 500. eiusmodi Gygantes alere corporis sui custodes.* At omnium admirabilius, & simul quoq; verissimum est, quod refert *D. August. lib. 15. de ciu. Dei cap. 9. se vidisse Vticæ tā ingentē Gygantis dentē molarē, qui in nostrorū dentiū modulos minutatim cōscinderetur, cētū è nostris videretur facere poße.* Vt iamalia sexcenta breuitatis causa omittam, è quibus Naturæ in formādo firmandoq; Homine indefessus labor, & serius lusus apparet.

Hominis ætates. Iam verò si ad Hominum ætates propius accedamus, non minorem Naturæ, in Hominis vita propaganda solertiam cognoscemus. Ferunt quidem primam ætatem fuisse 2242. annorum, at ne vix quidem vnus ab Historicis refertur

refertur, qui hos, imo ne vel millesimum attigerit, vt hac ratione, non iniuria quorundam Paracelsicorum ridenda sit opinio, qui Hominis Vitam 1900. vel summũ 1600. annorũ circulis includunt, definiuntq;. Protrahebatur quidem primorum parentum ætas ad aliquot sæculorum spatia, vel prolis multiplicandæ gratia, vel scientiarum capescendarum ergo, vel quod tunc temporis simplicissimo victu, & frugalissima victus ratione, (spretis omnibus & cupedijs, & luxu, & luxuria:) vterentur, quæ temperamẽti symmetriam, virium robur, ac vegetum Naturæ vigorem conseruare consueuerunt, vti primorum parentum temporibus factum fuisse credibile est: Si enim à Protoplaste nostro initium faciamus, Vixit ipse cum Coniuge Eua 930. annos: eorum filius Seth 912. Enos 905. Cain septimam vidit generationem, vixitq; 910. annos, Deo sic permittente, vt ob fratricidium millies moreretur, & perpetuo mortis metu diuexaretur, perpetuoq; mordicantis conscientiæ igne velut expiaretur, tandem à Lamech imprudenter interfectus, omnibus Homicidis perpetuum diuinæ vindictæ extaret exemplar. Sic Malaleel 895. Iared 962. annos vixisse sacra testatur Genesis, quos tamen omnes superauit Mathusalem, qui 969. annos vixit; omnium maximè senex quo ad annorum multitudinẽ, quos scriptura memorat; cum enim 500. annorum esset, dixit ei Dominus: ædifica domum si vis, quoniam adhuc 500. annis viues; respondit, propter tantillum temporis nõ ædificabo domum, & sub arboribus, & circa vepres, vt prius consueuerat, obdormiuit.

Post diluuium autem nullus priorum seculorum censuram ac terminum attigit, vnico excepto Noach, qui 950, annos superauit, vel ob religionis pietatem; vel sobriam victus rationem; vel vt genus humanum cataclysmo deletum repararet; vel demum, vt exactius Astronomiam (pro cuius pleniore cognitione 600. anni requirebantur) cæterasq; arduas scientias lapideis columnis exsculptas scrutaretur. Posteri siquidem (siue id maleuolo sydetum influxu, siue temperamenti infelicitatẽ, siue hominum impietate, malitia, vitæ dissolutione, luxu, luxuriaue factum sit) magna Annorũ diminutione subsecuti sunt, Lamech enim vixit annos 777. Sem, quem Melchisedech fuisse, & vrbem Salem, iam Hierusalem condidisse ferunt, 600. dũtaxat vixit annos, quem multis post seculis secutus est Abram Thare filius, qui etsi suorum precessorum ætatem non solum nõ sit assecutus, sed & tantum 175. annos superarit, diuinus tamen Historiograph⁹ significãter adnotauit, illũ in bono senio, prouectæ

ætatis, & dierum plenū, vitâ functum, vt illo etiam seculo, hoc vitæ spatiū mirabile indicaret. Huius filius Isaac 180. duntaxat; Iacob verò 147: vel vt alijs placet 184. annos vixit: Leui vixit annis 137. & huic tamen (quod Moyses singularis beneficij, ac miraculi inditio adnotauit) nec dum oculus caligauit, nec illius dentes moti sunt: Imo verò temporibus Heli sacerdotis contracta fuêre humanæ Vitæ spatia, vt annum duntaxat 98. agens, iam pridem cæcus peneq; caducus casu è sella fuerit extinctus. Iob vir sanctitate & patientia clarus, Exãtlatis flagellis, adhuc, *teste Nicolao Lyra* vixit 140. annos: Moysis frater Aaron, primus à Deo constitutus Pontifex 104. annos: Ioiuda summus Pontifex, anno ante Christū natum 899. vixit 130. annos. Moyses, vt iā diximus vixit annis 120. qui cùm obitum hunc velut præmaturum quereretur, dicunt illi ab incerto Numine responsum (falsum, & ridiculosum planè) neminem deinceps plures annos victurum. Inde AEgyptij, & Alexandrini, è cordis incremento (incerto planè scrutinio) *teste Varrone, & Dioscoride Astrologo*, naturalem Vitæ periodum, centum duntaxat annorum esse explorarunt: Hi namq; defunctorū corpora, qui sine tabe perierant, cedrino liquore delibuta, à putredine incorrupta asseruabant, in quibus obseruarunt, Cor hominis singulis annis, ad quinquagesimum vsq; binas drachmas accrescere; deinde verò totidē annis, sed singulis, binas quoque drachmas decrescere, & ideo hominem Cordis defectu, centesimum annum solarem, id est lunares mille ducentos excedere non posse: quem tamen Vitæ terminum quam plurimi superarūt, excesseruntq́; : Simon enim Clephæ filius, Iudæ frater Hierosolimorum Episcopus, anno post Christum natū 94. crucifixus est annorum 120. Refert *Onesicrittus in quibusdam Indiæ partibus Homines annis viuere 130. nec senescere, sed medio ætatis cursu mori: Ctesias Pandoræ gentem in Indiæ conuallibus sitam, vltra æui nostri terminos, 200. annis viuere, capillis in iuuentute cādidis, in senectute nigrescentibus*; Sic *Artemidorus Taprobanæ Insulanos longissimam ducere vitam sine vllo corporis languore, & prematuram mortem non nisi 100. annos contingere, testatur.*

Ex prædictis liquido constat, humanæ Vitæ periodos nec ad 120. annos, nec plures, nec pauciores redactas esse, cùm ex historicis fide dignissimis tam priscis, quam neotericis, & quotidiana etiam constet experientia, multos Homines non solum illū Moysis terminum attigisse, sed & multis annorū spatijs superasse. *Iosephus enim lib. 1. cap. 3. Antiquit.* decem recenset historicos, qui hominum Vitam tradunt modo

600.

600.modo 900.annos excessisse, *Manthonem scilicet Berosum, Mochũ, Hæstium, Hieronymum veterum phœnicum historiarum collectorem, Hesiodum, Hecataum, Hellaricum, Acesilaum*, & *Ephorum*, quibus addit *Bodinus Xenophontem*, qui Regum maritimorum aliquot ætates cõplexus, vnum 600. alterum filiũ scilicet 800.annos vixisse testatũ reliquit. Sibillæ Cumanæ ætatem his versibus describit *Ouidius*.

--Nam iam mihi secula septem
Acta vides, superest numeros vt pulueris æquẽ.
Trecentum messes, trecentum musta videre.

Sic testantur Poëtæ, Hyperboreos populos 1000. annis vixisse: & ex *Anacreonte Poeta*, Argentonicum Tartepsiorum Regem 150. annos superuixisse, quem Cynara Cypriorum Rex decem annis superauit. Refert *Sabellicus* Musicanos Indiæ populos 130. annorum ætatem agere. *Plinius lib. 7.* & *Valerius Max. lib. 8.* varia consimilium exempla posteritati trãsmiserunt. Et in Europa recenti tempore constat Aquilonaribus Regionibus, longæuos esse Homines ad annos 160.170. Testatur quippe *Olaus Magnus lib. 4. cap. 4.* Septemtrionales populos licet sub frigidissimo Ioue degant, communiter tamẽ 160. annis viuere, & inter alios Dauidem Episcopum Scotum annos 170. vixisse, ita vt Islandiæ populi, quantũuis Ichtyophagi, sine Medicina, tum annos 100. facile excedant. Sed & in Brasilia in terra Vercino viuere adhuc annos 140. testatur *Anton. Piga.* In Arabia autem felici passim vulgoq; vitam ad 120. traduci, refert *Ludou. Barthemia. Calius* quoq; *lib. 16. cap. 22.* scribit pone montes Riphæos, & vltra Aquilonem gentem felicẽ, quos Hyperboreos vocãt, annoso degere æuo, id est, annos 1000. vt iã diximus, ex *Strabone*: Vbi credũtur esse Mundi cardines, & extremi syderum occubitus, viritim & gregatim, dissidia ignota, at omnis æquitudo, mors non sine vitæ satietate, epulatis delibutisq; senibus luxu, ex quadam rupe salientibus, hoc illis sepulturæ genus beatissimum.

Sunt & qui ad 200. annos viuere cõmemorantur, vt habet *Plin. lib. 7. cap. 48.* Et ij qui orbem lustrarunt adhuc mirabiliora referunt: Venetus enim nauta incerti nominis author apud Ramnus. *tomo* 1. in portu Mudafaraba non procul à Dio repertum Hominem annorum trecentorum testatus est. At in vlteriore India inter Brachmanas repertus quidam Homo annorum 300. *teste Nicol. de Comit.* Sed & Seres eiusdem orientis incolas ad 300. annos viuere, plures quoque tùm Reges, tum philosophos lõgè supra annos trecentos vixisse memorat *Lucianus in Macrobijs.* Quin etiam Historici & grauis authoritatis, & insignis pietatis tradidere, inter quos *Guido Donatus ingentis doctrinæ Astronomus* Anno 1223. Lucij II. Papæ temporibus, Hominem à se

à se visum, Richardum nomine, qui se cum Carolo Magno stipēdia fecisse dicebat, & iam 400. annos vixerat. Ab hoc tamen discrepat *Martinus Polonus*, scribens *hunc Hominem non Richardum, sed (ob longæuitatem) Ioannem de Temporibus vocatum, inq; Gallijs Anno 1139. mortuum, & annis 361. vixisse, atq; Caroli Magni armigerum extitisse*. Meminit etiam *Cardinalis Baronius* (licet rē portentosam existimet) Vitam S. Seueri, quā longe 300. annos excessisse tradit *Petrus de Natalibus*, quamq; *Cardinal. Palæotus lib. 1. de bono senect.* cōfirmat. Anno quoq; 1535. Nonnium viceregem Goanū *teste Maffæo lib. 11. histor. Indic.* Dio expugnata, quidam è Gangaridū gente adijt, natus vt ferebatur, annos 335. neq; mendacij suspicio; nam & seniores, qui tum erant, se de eodem hoc grandæuo aiebant à maioribus accepisse, qui & filium habebat nonagenarium, & cùm litteram nosset nullam, quæ referebantur ab eo, de veterum rebus gestis, ad annaliū fidem optimè cōgruebantur: Huic aliquoties deciderant dentes, alijs continuo subnascentibus, & barba vbi prorsus incanuisset, in atrum denuò colorem paulatim seipsā vertebat. Ijsdem in locis permulti reperiuntur, vt & passim per totum Sinarum Regnum, *teste R. P. Trigautio Societatis Iesu sacerdote*, & per illud Regnum *Prouinciali* qui 100. annos excedunt. Testātur etiam Hollandorum & Anglorum nauigationes, qui Anno 1588. inter maiorem & minorem Iauam Stredonem de Sarda nauigantes, Regis Balambræ legatos exceperunt, qui citra ætatis laborem, viribusque integris annos 150. superuixerant. Sic *Frāciscus Aluaresius*, qui AEthiopica scripsit Anno 1519. testatur se vidisse Marcum Abunam Pontificem Max. AEthiopum, qui annos 150. excesserat, nec dum senio fractus videbatur. Guillielmus Postellus Gallus, vir exoticè doctus, vixit annos 130. *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 43.* Mulieris longæuæ vitam refert: *Mulier*, inquit, *Scotica Robertum Brusium agnouit iuuenis, & sub extremis annis Iacobum I. ex nostris Scotorum Regem inter quos 100. anni fermè intercesserant, cùm cæca luminibus mente verò integra esset.*) Verum in India longè diutius viuunt, vt iam supra meminimus; Refert enim *Nicolaus Comes Venetus*, dum esset iuxta Oppidum Lusitanorum in littore rubri maris anno 1539. perductum ad Turcarum Bassam virū quendam Indigenam, qui omnium accolarum testimonio Annum 300. superauerat. *Cardan. de Subtil. lib. 12. Gesnerus & alij* referunt *M. Gallum* Caroli Imperatoris medicū beneficio cuiusdem Aquæ Vitæ (quæ descripta extat) annos 120. vixisse. Rex potentissimus Xamolxis auro suo poculento, seu Elyxire, 300. annis vitā produxit,

(vt loquuntur fragmenta) Artephius opera suæ sapientiæ 2000. annis vixisse dicitur Rogerio Bachoni: Apollonius Tyannæus annos 130. vixit. *Vide Philostratum in vita Apollonij ex volateran. Antropol. 13. cap. 4. Auerrhoes* hoc nomine laudat *Auenzoarem Medicũ*, quod 135. annis vixerit, quem tamen maximus noster *Hippocrates Cous*, & admirabilis *Galenus* ætate & doctrina superauit, dum ille (vt testantur historici) 169. hic verò 140. annos excederent, tanta & cibi parsimonia, & potus abstinẽtia ac frugalitate, vt ad satietatẽ nunquam comederint, aut biberint, nec crudum quicquam vnquam gustauerint, vnde factũ, vt odoriferum & fragrantem spiritum semper spirarint. Sed de his hactenus; posset enim pro huius rei confirmatione eiusmodi sexcenta exempla adduci, & præsertim plurimorum Rusticorũ, passim in altis & præruptis montib⁹, profundis vallibus, longæuitatẽ, citra valetudinis dispendium feliciter ducentiũ, vt pote, qui simplicissimo victu contenti, omnis generis cupedias, ferculorumq; irritamenta, importunas comessationes, crapulas, ebrietates, & eiusmodi vitæ morticinia in vltimas terras, ad Garamantas, & Indos relegare cõsueuerunt; vti in quodam mihi notissimo & familiari Rustico Ioanne Henrico Schulotto apparet, qui mihi hæc scribenti retulit, se 106. annorum esse, ita tamen & robustum, vegetumq;, vt & altos scandere montes & aratrum ducere adhuc cõmodissimè possit. Quæsitus à me qua ratione ad tantam longæuitatem peruenisset? Respondit, se primis quidem Adolescentiæ annis, subinde ob varios victus, vitæq; errores valetudinarium extitisse, at viuendi licentia, in frugale vitæ genus permutata, neglectoq;, vt plurimum vini vsu, hanc ætatem, citra alicuius morbi incursum, attigisse, sperareque se alios etiam annos subsequentes, citra labem superuicturum. Eodem, dum hæc scriberemus, tempore, à viris fide dignissimis accepimus, in Valle Dellemontana ante biennium seniculum, Andream nomine, obijsse, qui 122. annos vixerat: imo si diligẽtiore indagine rem scrutaremur, plures hinc inde offenderemus, qui prædictos annos superarunt.

CAPVT VII.

Hominem annorum Clymactericorum vi, ac potestate non impediri, quo minus 120 annos vel attingere, vel superare possit: vbi incidenter de annorum Clymactericorum natura, caußis, differentijs, euentu: de diebus criticis, & septenarij numeri misterijs.

HOMINEM vltra 120. annos vix, ac ne vix quidem viuere, non desunt, qui id ratione numerica, tùm à Pythagoricis, tùm ab Astrologis desumpta, confirmare nitũtur, eo quod hunc numerum conficiant tres quadragenarij, hoc est, quaternarius de-

nariorum triplicatus, & sic totum cum toto coalescens, omnẽ absoluit perfectionem, ternarium scilicet quaternarium, & denarium. Hoc argumentum vsq; adeò placuit *Francisco Valesio* vt illud fusissimè persequendum sibi statuerit, *lib. de sacra philosophia c.* 7. Redditurus enim rationem, cur Homines annos dũtaxat 120. vixerint, & cur pleriq; hodie hũc terminum non excedant, ad annos Clymactericos recurrit, vultque annum 120. esse Clymactericorum vltimum ac supremum, qui longissimam Hominis vitam includat; (quod tamẽ falsum esse, adductis superiùs & exemplis, & historijs, rationibusque philosophicis abundè demõstrauimus.) Vult autem hunc numerum 120. 100. 81. 70. 63. 49. &c Clymactericos dici, quod in ijs obseruatũ sit, plurimorũ finiri vitam, cũ sint velut gradus quidam, seu scalæ humanę vitę, aut fatales moriendi fines.

Nos in candidi lectoris gratiã, paucis, hoc loci, Annorum Clymactericorum naturam, differentias, causas, & euentus in mediũ afferremus, quo facilius postmodum sententia ferri possit, Num, vt hodie passim creditur, Homines, annorum Clymactericorum vi ac potestate impediantur, quo minus annum 120. vel attingere vel superare queant.

Anni igitur Clymacterici illi dicuntur, in quibus, toto humanæ vitæ excursu, insolentes quædam, & nõ assuetæ, modo ad meliorem, modo ad deteriorem, & morbosum vitæ statum, mutationes, ex naturæ necessitate, contingunt. Hos annos veteres tùm Græci, Arabes, AEgyptij, Chaldæi, tùm Latini Clymactericos seu scalares, gradarios, scansiles, genethliacos, hebdomadicos, & Enneaticos, Criticos, Iudiciarios, Heroicos, & Androdas appellarunt: Genethliacos quidem, quod quasi cũ ipso hominis ortu inchoẽtur; Hebdomaticos, quod omnes septenarij sint, & septenarij numeri viribus nitantur; Heroicos, vt est 49. 56. & Androdes, vt est 63. 80; &c tùm quod in illis illustres pleriq; viri fatis cedant; tùm quod horrifici sint, Vitæ Autumni, & sempiterna passione, maximam in tollendo Homine, vim obtineant; licet non æquè omnes periculosi censeantur.

Hos annos veteres semper maximi fecerunt, eorumq; veritatem, vim & potentiam, & obseruationibus, & authoritatibus, & rationibus, atq; septenarij numeri mysterijs confirmare & stabilire suis monimentis conati sunt: Et sanè si obseruationibus & historijs nitendum sit, primus Homo, & protoplastes Adam vixit annos 930. mortuus ergo anno ætatis 931. qui fuit annus eius Clymactericus, continens in se septies 133. annos: Enoch sublatus est anno Clymacterico 365.

Abraham

Abraham mortuus est anno Clymacterico 175. Moyses anno 120. cùm per aliquot tamen menses annum Clymactericū excessisset. Cyrus Rex anno 70: sicut & Ennius poëta; vti & Hannibal Carthaginensium dux bellicosissim⁹, sumptio tamen prius veneno. Octauius Augustus vixit annos 70. obijtq; cum tres tantum menses à Clymacterico aberrasset: Lucanus venam sibi secandam exhibuit ætatis anno 28. Simon Apostolus sub Traiano crucifixus anno ætatis 120. cùm vix annū Hebdomadicum 119. excessisset, S. Hieronimus anno 91. S. Augustinus anno 77. D. Thom. Aquin. 70. vt & S. Brigitta, & Eduardus primus Angliæ Rex. Ladislaus Iunior Vngariæ & Bohemiæ Rex, cùm pacem iuratam renunciasset, à Turcis interfectus anno ętatis 21. Carolus Octauius, Francorum Rex Apoplexia mortuus, cùm tantum 22. dies à Clymacterico 28. abesset. Solymannus Turcarum Imperator perijt in expugnatione Sigeth annum agens 76. tantum aliquot menses à 77. abfuit: Ioanna Caroli Quinti mater anno 70 & ipse Carolus quintus anno ætatis 56. posteaquam in Hispaniam profectus, filio Philippo regnum tradidisset. obijt Nicolaus Copernicus eximius Astrologus, & in arte Germanicus Ptolomæus anno 70. Henricus II. Gallorum Rex Francisci filius, accedente febre ad capitis vuln⁹ quod in sororis nuptijs Hastiludio acceperat anno 42. vitam finiuit. Pythagoras anno 90. Plato 81. Xenocrates 82. Isocrates audita Chermonensiū clade quadridui ieiunio extinctus est, anno 99 Mytridates seipsum veneno abstulit anno 72. Sanctus Martinus Episcopus anno 81. obijt. Vrbanus 6. Pontifex 72. vti & Carolus Magnus. His & alijs sexcentis obseruationibus, ac historijs demonstrant Annorum Clymactericorum fautores; ijs instantibus, & vitæ fores pulsantibus Medicorum operam implorandam, in omnibus actionibus prudentiā adhibendam, in victus ratione, Temperantiæ limites non excedendos, in primis autem DEVM placandum, & ad cœlum viam sedulo dirrigendam esse.

Nec hisce contenti obseruationibus Annorum Clymactericorum fautores, ad grauissimorum tum Philosophorum, tum Astrologorum, imo & ipsius quoque *Hippocratis*, *Galeni*, & *Cornelij Celsi* authoritates accedunt, quibus annorum Clymactericorum veritatem, & certitudinem confirment: E veteribus ergo afferunt *Cornelium Celsum lib. 1.* de istis annis differentem, *Platonem*, *Philonē Iudæum*, *Ciceronem*, *D. Augustinum*, *D. Ambrosium*, *Bedam*, *Plinium item* tum *seniorem lib. 7. cap. 49.* tum *iuniorem lib. 2. Epistola 20. Varronem lib. 6. de Hebdomad. Centorinum lib. de sæculis: Senecam 7. de benef. Macrobium*

crobium 6. Mathesios cap. 14. Cal. Rodium lib.22.cap. 1. Vt iam recẽtiores multos omittamus. *Antonium Gueuarram, Petrum Mesiam, in sylua variar. lection. Ioseph. Roscium. Henricum Ranzouium. Franciscum Iuntium, Franciscum Petrarcham, Marsilium Ficinum, Leuinum Lemnium lib.2. de occult. naturæ miracul. cap. 72. Ferdinandum Menam, Ioannem Lalamantrum, Hieronymũ Mercurialem, Federicum Bonauenturam lib. 6. de Octimest. partu cap. 50. Hieronymum Cardanum libro de Septimest. partu* (quamuis annos Clymactericos spreuerit, asserẽs *se nunquam melius habuisse annis Clymactericis*) & ex nuperis *Baptistam Cõdronchum*, omnes vno ore non solum annorum Clymactericorum vim, veritatemq́; confirmant, sed & eosdem à septenario numero vim habere, eorumque accessione Homines varijs mutationibus, & vitæ periculis obnoxios esse demonstrant. Potissimas verò authoritates pro horum annorum confirmatione ex *Auerrhoe 3. collect. cap. 7.* & ipso *Hippoc.* adducunt. Sic enim de annis Clymactericis scribit *Auerrhoes. Aliquãdo à generatione accidit, sicut accidit leprosis, & sic maior pars talium fit ab hæreditate, aut propter coitum cum menstruata, in diebus quos Zucchara dixit; quia lepra illa à beneficio medicamentorum curam non recipit, nisi fiat tempore crisis annorum, quod natura ordinauit; & hos testificauit mirabilis Zucchara, & ego expertus sum.* Hactenus *Auerrhoes.* Demum *Hippocrates noster 2. Epid. Sect. 6.* apertissimis verbis Clymactericos annos dari scribit, vt nunc plures alios *Hippocrat.* contextus breuitatis causa omittamus: *Interceptio morbi fieri non potest, nisi in die legitima; neq; principium fieri, nisi in die illegitima, & mense, ac anno legitimo.* Hic notandum dies illegitimos omnes dici totius anni dies, in quibus Homines ægrotare possunt; & singulis diebus morbos excitari posse; at non singulis tamen finiri, vel mutari: menses, & annos legitimos morborũ illos esse, in quibus vt plurimũ contingit Homines vel ad bonum, vel ad malum mutari.

Annorũ Clymactericorum differẽtiæ.

Annorum Clymactericorum differenrias quod cõcernit, duo à plerisq́; constituuntur horum annorum genera, quasi articuli quidam, seu flexus ætatis, in quibus ad sequentis temporis constitutionem sese illa vertat, inflectatq́;. Primi ac præcipui colliguntur à Septenario, & Hebdomatici, seu Clymacterici minores vocantur, vt sunt 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. Clymacterici verò maiores sunt 70. 77. 81. 91. 98. 105. 112. 119. 120. Clymacterici demùm maximi ponuntur 135. 140. 147. 154. 161. 168. 175. Quod si nouenario numero cõputentur, tunc Enneatici seu Decretorij dicuntur, vt sunt 9. 18. 27. 36. 45. 63. Clymacterici maiores, 72. 81. 91. 99. 108.

117. (vt

117. (vt in veteribus Patriarchis videre erat) rarò tamen hisce tēporibus Homines quantumuis viuaces 76. annum Clymactericū superare, pauci 80. aut 91. assequi: paucissimi ad 105. Clymactericū peruenire volūt. Hos tamē, vt & alios, & quidem Clymactericorū supremos vel attingere, vel superare, omnino impossibile non est nostro hoc æuo, vt capite præcedenti ostendimus, & qua id arte fieri possit, in sequentibus demōstrabimus.

Inter Clymactericos autem & Enniaticos periculosiores creduntur, qui per tres annorū Hebdomadas ascendunt, vt sunt 21. 42. 63. 84. 105. Periculosissimi autē 49. 56. & 63. Vnde Augustus Imperator ad filium scribens: *Lætare* inquit, *mecum fili, transgressus enim sum omnibus senibus periculosissimū annum 63.* adeò sibi gratulatur de hoc senum Clymactere.

Huius autem periculi, nullam aliam rationem afferri videmus, vt paulo post in causarum relatione ostendemus, quam quod primus numerus, annus scilicet 49. contineat septem septimanas & septies septem annos: In secūdo autem 56. scilicet concurrat septimus, & octonarius: In vltimo verò 63. septimus est, & nonº Clymactericus, & Enneaticus sexagesimi tertij anni, continens in se septies nouenarium, aut nouies septenariū: in quo cum septenaria & nouenaria mutatio cōtingant, concurrantq; commutationes quoque maiores ac periculosiores necessariò in corpore fieri putantur: Et hic annus 63. *teste Firmico*, ex hac causa Androdes ab AEgyptijs dict⁹, quod satis sit horrificus, & velut Vitæ Autumnus, omnemq; Vitæ substātiam frangat, debilitet, opprimat, multosque insignes, & illustres viros iugulet: vel etiam Androcles dictus, quod, *teste Cælio Rhodig.* sicut Androcles herba homines è medio tollit, ita hic annus, ob septenarij ac nouenarij numeri concursum, ad succidendam Hominis vitam minacissimus euadat.

Annorū Clymactericorū causæ.

Causas quod attinet, tres potissimum statuuntur Annorum Clymactericorum causæ, Astrologica, Numerica, & Physica: *Marsilius Ficinus, Henricus Rauzouius*, & alij, Clymactericorum annorum causam, & periculi rationem reddituri non solùm singulis diei horis, & hebdomadæ diebus, mensibus, & annis, singulos præfigunt planetas, eorumq; per menses, & annos officia distribuunt, sed & Homini nuper in lucē edito illos ita proponunt, vt primo anno à Luna; secundo à Mercurio; tertio à Venere; quarto à Sole; quinto à Marte; sexto à Ioue; & septimo ab ipso Saturno Hominis Vita regatur, dirigaturque; vnde fit, vt septimo quolibet anno, maximæ & periculosæ in corpore mutationes contingant,

gant, tùm quod Saturnus nobis ſui natura ſit infenſus, tùm quod ſingulis ſeptem annis vel ad loci quadratum, vel contrarium naturæ ſignum, vnde egreſſus eſt, perueniat. Cum igitur Saturnus cuilibet ſeptenario præſit, & ſui natura frigidus, ſiccus, terreſtris atq; melancholicus, & humanæ Vitæ valde exitialis, infenſus, peregrinus, & pernitioſus ſit, fit etiam vt quilibet ſeptenarius periculoſis, mortiferisq́; mutationibus, multisque & varijs ærumnis obnoxius reddatur. Hanc tamē ſententiam, vt & multa alia Aſtrologorum edicta, non ſolum *Picus Mirandulæ princeps*, pridem inſtructiſſima argumentorum acie deſtruxit, ſed & indies recentiorum non pauci, contra Aſtrologicæ huius opinionis propugnatores, ignitis animis, acerrimisq; velitationibus inſurgunt.

Qui numeris Annorum Clymactericorum vim, & poteſtatē, atq; pericula adſcribere conātur, multum in extollendis ſeptenarij numeri encomijs inſudant, quo facilius Lectores in ſuā trahant ſententiam: Hinc enim tùm ex *Platone, Pythagora*, tùm ex *Macrobio lib. 1. cap. 6.* & ex *Niceta* ſtupendas tribuunt vires, non ſolū quod ex varijs figuris compoſit⁹ multas admittat formas, ideoq; perfectionis numerum, virginē vocant, quod ſolus ex omnibus qui denario ſunt minores, nec ab alio gignatur, nec alium gignat; ſed etiam quod plenus & completus ſit, ac diuidi poſſit in vnionem ſcilicet & ſenariū; mox in binarium, & quinarium; tandē in ternarium & quaternarium, quod nulli alteri numero competit; tùm quod *D. Hieronym.* eundem Sanctum vocet: Conſtat enim Deum ipſum ſeptimum ſibi diem conſecraſſe, aliquid in eo tùm perfectionis, tùm miſterij ineſſe ſignificaturus; totam enim Mundi machinam ſex diebus cū creaſſet, quieuit ſeptimo, quem Iudæis ſacrum eſſe voluit; quib⁹ etiam ſeptimus annus, ex diuina inſtitutione ſabatharius fuit, quo nec agros, nec vineas colere, nec terræ culturam exercere fas erat, ad illius diuinæ quietis memoriam, inſtituit: deinde 50. annus illis ſacer fuit, dicebaturq́; Annus Iubilæus, poſt ſeptem annorum hebdomadas circumactas, ſeu poſt 49. cōpletos annos, qui fuit illis Clymacter hebdomadicus: tunc enim poſſeſſiones emptæ, ad priores veros hæredes redibant. Septimo item menſe requieuit Archa Noë, in monte Ararat: ſeptimo die emiſit Noë columbam, quæ redijt, ferens ramū oliuæ, placati Numinis ſymbolū: poſt ſeptem alios dies, aliam emiſit, quæ non redijt: Salomon ſeptem feſtos dies celebrauit, & omnis Iſrael cum eo: Septies in cruce pendens, locutus eſt Chriſtus, ſeptem horis cruci affixus, & ſeptima expirauit; ſeptimo die, id-eſt,

Numeri ſeptenarij encomia.

est, sabbato in monumento quieuit, & septies septem diebus expletis, post Resurrectionem discipulis Paracletum misit. Sed hisce missum factis, videamus quid & in Natura numerus possit: Cùm Natura nec casu, nec fortuitò quicquam, sed certo, & præfixo ordine suas exerat actiones, eiusq; vires tàm agendo, quam resistendo certis limitibus & tēporum momentis includantur: definitū autem Naturæ tempus ad functiones obeundas, *teste Hippoc. lib. de Septimest. part.* sit Septenarius, qui magnam in rerum Natura vim, & abditam potestatem habet, in quo insigniores Naturæ operationes elucescunt; constabit vtiq; hunc numerum plenum & perfectū esse, cum sua fæcunditate omnia gigni, compleri omnia ferè in Natura videantur; & in quo, *teste Aristotele*, insectorum generationes, piscium gestationes describuntur, distribuunturque, vnde Ciceroni omnium rerum modus & mensura dictus; cuius vim, potestatem, & dignitatem in morborum iudicatione, in fætus figuratione, perfectione, & partu: in distinguendis Hominis ætatibus: in partu vitali iudicando: in vita Hominis citra cibum producenda, & multis alijs admirandis rebus Natura affatim, vbertimq; ostendit. Et sanè si morborum iudicia & crises perpendamus, quis ignorat, Morborum alios diebus, *teste Galeno 2. de dieb. decret.* alios mensibus, & annis, alios iudicari? Acutorum alios septimo, nonnullos decimo quarto, alios vigesimo primo die crisin subire? Chronicorum verò in pueris vel 40. diebus, vel septem mensibus subinde & 7. annis finiri? Hoc enim testatur *Hippocrates* tùm *3. Aphor. 28.* tùm *lib. de Natura humana.* Sic videmus æstiuos morbos Hyeme; Hyemales æstate; Vernales Autumno, & vicissim Autumnales Vere terminari; quæ dierum, mēsium & annorum periodus vix ac ne vix quidem variat, nisi aliqua causarum tàm internarum, quàm externarum interturbatio intercedat; tunc enim instante septenario semper aliquam obseruamus in morbis siue ad bonum, siue ad malum, siue ad salutem, siue ad mortem mutationem.

Vita Hominis Mundi creationem imitatur, quæ septimo die absoluta fuit, ideò enim Microcosmus nuncupatus, cuius conceptio apud *Hippoc.* certa est septimo die *lib. de Princip.* Hinc *Varro* apud *A. Gell. 3. Noct. Attic. cap. 10.* Cùm in mulieris vterum genitale semen datum, à primis 7. dieb° conglobatur, coagulaturq;, & fit ad capiendam formā idoneum: ante 7. mensem partum non esse nec vitalem, nec naturalem, sed tantum in septimo recens natos septima dies probat, nam plurimi illorum, qui vitales non sunt, intra hebdomadā pereunt: ideò

Hippoc.

Hippoc. lib. de Carnib. Vitam Hominis septem esse dierũ scripsit: Vnde si quis septem dierũ spatio nihil vel ederet, vel biberet, intra illud tempns mori necesse sit, nisi miraculum intercedat.

Vt autem *Hippoc.* maximã vim septenario numero inesse ostenderet, nõ contentus, quod superius dixerit, genitură septem diebus formari; & hominem, si nil vel edat, vel bibat, septem itidem diebus mori; addere etiam voluit, Hominem in tertium annorum septenariũ augescere in quo adolescens fit, ad quartũ, & quintum septenarium vsque; in quarto septenario plerisq; Hominib⁹ duos illos sapientiæ dentes enasci, & septenarium esse Hominis vitam: ita nimirum conditã esse Hominis naturam, vt ab hac septenaria & dierum, & mensium, & annorum periodo maximè regatur, dirigaturque, maximisque & plurimis mutationibus, crisibus & accessionũ paroxysmis ijs temporibus intentetur.

Hominis ætates. Hominis insuper ætates septenario numero diuiduntur apud *Hippoc.* in septem partes: Prima ætas est ab ortu ad septimum annum, quæ Infantia vocatur, quo tempore Homo ad disciplinas capescendas idoneus efficitur: A septimo ad decimum quartum viget pueritia; quo tempore pubescere, & semen habere incipit Homo: A 14. ad 21. florent pubertatis anni & Adolescentia vocatur: A 21. Iuuentus incipit, & 35. anno terminatur, & fluens, seu consistens ætas nuncupatur: A 35. ad 45. annũ viget virilis ætas, quæ est septimæ septimanæ, florentis, ac iucundæ terminus, quo tempore manifestius & vires, & vigor labuntur. Quod reliquum est vitæ, & ferè ad alias septem hebdomadas refertur, maximè in magis temperatis regionibus, corporib⁹, & victu: in duas rursum partes diuidi potest, quarũ prima, primũ Senium vocatur, à fine septimæ septimanæ, ad decimæ initium, annum scilicet, 62. aut 63. posterior, secundum Senium, & decrepita ætas dicta, à decimana, septimana, ad decimã quartam se extendens septimanam, annum scilicet 97. Ex hactenus dictis facilè constat, quanta sit virtus, quantaq; dignitas septenarij numeri, cùm ostenderimus septimo die semen in vtero conglobari; & fętum formari; septimo mense puerulis dentes enasci; septimo anno prolapsos dentes renasci; decimo quarto anno malas lanugine vestiri, & completis septem annorum septimanis, anno scilicet 49. in Hominibus maturescere prudentiam, cum perfectæ ætatis accessione: Cùm verò ad decadas septenas, seu ad 70. annum ventum est, tunc viuendo vita peracta dicitur, atq; cum *Cicerone* cõcludendum: numerum septenarium, omnium rerum esse normam, ac modum: quæ omnia

nia sequentibus versiculis complectuntur.

7. *Infans septenos postquam compleuerit annos*
Producti dentes murus & oris erunt.
14. *Post si septem alios Deus hinc cōcesserit annos,*
Fit pubes, nato semine, nomen habens.
21. *Est Iuuenis cùm septem alios compleuerit annos,*
Et lanugo genas barbaq; prima tegit.
28. *His addas septem virtutis nomine clarus,*
Est vir, & hæc ætas optima robur habet.
35. *Adijcias alios septem, volet esse maritus,*
Et memor antiquæ posteritatis erit.
42. *His alios iungas septem, prudentia pectus*
Ornabit, studium non leuitatis erit.
49. *Annumeres septem, grauitas erit inclyta linguæ*
56. *Septem alios, linguæ congruit ingenium.*
63. *Additur his nonus cum septenarius ipse est.*
Perfectus, vires sed nimis interimit.
Scilicet his annis multi periere duobus,
Quorum laus celebris Marte, togaq; fuit.
Hi quoq; nunc variis fortunæ casibus anni
Subijciunt multos, exitiumq; parant.
70. *Accedant alij septem, Mors dura vocabit,*
Ad tumulum fessos, decrepitosq; senes.

Ex iam enarratis constat Naturam in suis operationibus certo ordine procedere, illiusq; definitum tempus, esse septenarium; num autem vera sit annorū Clymactericorum causa, & vtrum talem vim ac potentiā, qua numerus est septenarius, in Hominis vitam exerere possit, paulo post ostendemus: Si tamen aliquid huic causæ, seu numeris adductis sit tribuendū, poterit forsan duobus hisce Maximis definiri: I. Non solum singulas corporis, dierum, mensium, & annorum tam bonas quam malas mutationes, sed & ipsum quoq; annū (quem Clymactericū iudicamus) sedulo attendendum, diligenterq; examinandum: II. Operationes seu effectus ex mutationibus illis tū bonis, tùm malis prodeuntes, nō in currētis, aut vigentis anni Clymacterici mutationem, (nisi rarēter admodum) sed in proximè subsequētis, quæ scilicet Clymactericū, vt vmbra corpus sequitur, & de lata sententia executoris vices agit, esse referēdas: quales sunt 5.6.8.10.12.13.15.16.18.19.21.22.23.25.26.28.29.30.32.33.35.36.38.39.41.42.43.45.46.48.49.50. & sic de cæteris: in quibus bonū, malumue iudicium in Clymacterico designatum, executioni demandatur, ita vt in Clymacterico iudicium feratur; prolatum verò subsequēti anno executioni mādetur. v. g. Quando in septimo fit Iudicium, tunc Homo malè habet, natura scilicet vel alui perturbationibus, vel vrinæ profusione, vel sudore, hæmorrhagia occupata & afflicta; sequenti post die (fit crisis seu iudicij in bonum aut malum executio; pro virium scilicet robore, & morbi natura; vti testatur *Hippoc.* dum dicit: *Quibus futura crisis, ijs nox præcedens grauis, quæ verò subsequitur, magna ex parte leuior existit.* Eodem modo in annis Clymactericis v. g. 49. fiunt mutationes, eæ tamen sequenti anno 50. suos effectus in lucem dabunt.

Tempus est vt è fonte physico ad quem nos præcedens & proximè adducta ratio pertraxit, veram & naturalem tùm annorum Clymactericorum, tùm dierum critico-

criticorum causam hauriamus: Quæ in septenarij numeri gratiam & exellentiam ex aliorũ placitis adduximꝰ, licet ea subtiliter excogitata sint, quid tamen tam curiosæ numerorum computationi attribuendũ sit, vix assequimur: Quid enim (vt cum *Dureto* loquamur) ex numeris in humanam complexionem influere potest? Non enim vita nostra à numeris, sed à causis naturalibus tũ primis, tum secundis dependet. Pugnat hoc cum verbo Dei, pugnat etiam cum Natura (quæ ipsa vis est Dei) illustri vitæ fundamẽto, adiuta Spiritu & Diæta. Quis enim crediderit Homines ex hac vita migrare, numerorum imperio, nõ fato, & casu? Ita etiam volente, & permittente Deo, qui solus & Vitæ, & Necis summum Ius habet, & cuius nutu res eunt diuinæ pariter, & humanæ, & quo præeunte, vel ipsa procidunt ex arboribus folia; nec fluunt capilli ex capite, nec vnus quidem perit, sine illius numine? Furor est profectò, furor, Omnipotentis Dei prouidentiam, temporum momentis, & numerorum serie, atq; complexu distinguere: aut velle ipsam notis quibusdam, ac numeris, aut syderũ scientia præuidere, cuius illa est prædictio: *Ipsum ad nos furtiuè venturum, nec sui aduentus vllam scientiam à nobis posse teneri.*

Numeris nulla sanè vis, nullũque imperium est in corporis nostri œconomiam; licet enim toto vitæ decursu omnes omnium vitæ ætatum anni fatales videantur, ob ea scilicet incommoda, quorum fœturæ illis annis & ætatibus efflorescunt, non tamen efficitur, vt ab illis morbis occupati, absumantur, cùm regnare cœperint ea senili ætate: Et licet ab ijs suum obeant diem, obitus tamen causa, non erit numerus 63. quod tunc septies nouem anni compleantur: Non enim ipsi numero, cuius nulla vis est, illa accepta ferenda est moriendi necessitas, sed morbi insultui: nec ea, quæ cadit in senectutem, sed ipsi fato, quod est, ἡ μοῖρα πεπρωμένη iussu Dei posita in vitæ commodis, quorum perennis est iactura ex triplicis naturæ effluxus perennitate, & humidi primigenij exhausto, quæ corporis œconomia & fabricatio intra se habet, ab vtriusq; parentis semine: sunt illa vitæ commoda, partium solidarum viuacitas, & nectar à corde viuificum; quibus suam dicarunt operam Spiratio & nutricatus, per Spiritum & Diætam.

Vt ergò Hominum vita numeris nõ subsistit, sic nec ijsdem sustentatur; subsistit autem in vitali partium solidarum principio, quod est ἀρχὴ ζωτική, vnde ipsa viuacitas: & in viuifico nectare, cuius perennitas è corde emanat: sustentatur verò cõgruâ victus ratione, & spiritu, seu aëre. Itaque per Dei clementiam, vitæ huma-

næ cuſtos,& conſeruatrix eſt Na-
tura,quæ ſuſtentatur & reficitur
Diæta & ſpiritu; Conceditautē
fato hominum vita, primum Na-
tura,effluxus perennitate, & bal-
ſami ſeu humidi primigenij con-
ſumptione: mox neceſſitate, cui
ſuppetit Diæta & ſpiritus; com-
mixtione cibi & ſpiritus & omni-
um,quę aſſumuntur,quę tam cō-
uenienter Naturæ non adponū-
tur,quā illa erant,quæ continen-
ter effluunt, vt in præcedentibus
docuimus. Hinc ſemper aliquid
Naturę decedit,&ſemper aliquid
excrementi accedit, vnde mor-
borum prouentus, & infirmitatū
acceſſiones,quæ duæ ſunt fatales
cauſæ interitus(vt ea quæ extrin-
ſecus inferuntur, & vim Naturæ
faciunt,ſilentio inuoluam⁹) quæ
nullo ingenio, nulla Artis indu-
ſtria tolli poſſunt.

Ergò non numeris vita ſuam
abſoluit hiſtoriam, ſicut nec in
numeris fundamentum habet,
ſed ἐν τῷ θείῳ καὶ φύσει, vt ait *Hippocrat.*
prima enim vis in Homines exi-
ſtit Dei,deinde Naturę muliebris.
At illud τὸ θεῖον non numeris, ſed
verbo Dei abſoluitur; ſicut nec
ipſa Natura numeris comparatur
in mulieris fundo,ſed ab vtriuſq;
parentis ſemine. Erit ergò cau-
ſa interitus, qualis antea fuit, or-
tus ſcilicet τὸ θεῖον,καὶ αὐτὸ ἡ φύσις.

Fatalis igitur interitus (quem
Dei voluntas præſtitit,eiusq; ne-
ceſſitatem in fluxa Natura cuius-
que fundauit) nulla numerandi
ſubtilitate,nec vllo numerorum
complexu comprehendi poteſt,
ſicut nec μοῖρα πεπρωμένη, quam Deus
in vitæ fundamento animato, v-
triuſque ſcilicet parentis ſemine
poſuit.

Dierum Criticorum cauſæ.

Ex eodem fundamento ſequi-
tur, ſeptenarium numerum mi-
nime eſſe dierū criticorum, nec
ipſarum criſium cauſam vel au-
thorem, ſed Morbi atq; Naturæ
conflictum & certamen,quod il-
lis periodis eſt in procinctu, à
motu, putredine, & humoris
morbifici collectione: cum ſcili-
cet Natura freta pepaſmo, quem
per ſe fecit,partium ſolidarū vir-
tute,ad humoris mitifici excreti-
onem,vel abſceſſum, inſurgit, &
ita morbo defungitur, cùm *teſte
Hippocrate* Natura ſit morborum
curatrix: Varias enim ſine conſi-
lio vias inuenit,& Natura nō do-
cta,quod non didicit, id rectum
facit. Conſtat igitur dierum in-
diciariorum, prouocatoriorum
& criticorum obſeruationes &
effectus,magis ex cauſa materia-
lis morbi,præſertim febrilis & a-
cuti diſpoſitione, concoctione
ſeu mitificatione, ſtatisq; morbi
temporibus,& ſymptomatū ſyn-
drome dignoſci & dependere,
quam ex arcanis ſeptenarij nu-
meri proprietatibus, aut ſyderū
ſizygijs,vt paſſim teſtatur *Hippoc.
in Aphoriſmis prognoſticis,& Epide-
micis*;&cur diebus imparibus cri-
ſes incidant,pulchrè ac ſcitè do-
cet *lib.4.de morbis. Diebus*, inquit,

paribus corpus de ventriculo & vasis humores attrahit, quos diebus imparibus propellit, & protrudit, cuius certum hoc est signum; Quicunque enim febre continua correpti, pharmaco in diebus paribus vsi sunt, hi nunquã nimium sunt purgati: qui verò diebus imparibus fortè medicamentum sumpserunt, hi crebro nimium purgati interierunt: *Humor*, inquit, *ægroti magis diebus imparibus turbatur*, nimirum corpore humorẽ ad ventriculum transmittente. Hinc quoq; videmus tertiana febre correptos vt plurimũ in principio, vel augmento paroxysmi morbi humorem, qui ad ventriculum regurgitauit, euomere.

Sed quorsum nos dierum criticorum, & annorum Clymactericorum occulta ratio rapit? Ad pensum redeamus: certa itaque sit, pia, & vera persuasio, omnes homines eo fine à Deo conditos esse, vt pro se quisq; Authori suo tamdiu inseruiat, quamdiu ipsi visum, & quantum Naturæ viuacitati concessit, ad obeunda iustitiæ & pietatis officia: Deum insuper Opt. Max. vitæ nostræ authorem, penes quem Vitæ longior, vel breuior decursus consistit, cuius propria hæc est cura, curationem verò nobis traditam & communicatam, non tantum ad morbos profligandos producẽdamq; Vitæ diuturnitatem, sed & maiorem eiusdem gloriam & honorem. Id enim in veteri Instrumento antiquorum patrum exemplo constat, qui dum in vijs Domini ambularent, legibus quę diuinis addicti fuissent, dierum longitudine repletos fuisse. Pietati itaque Iustitiæq; studendum, mãdatis diuinis obtemperandũ, mox & ijs rebus dextrè vtendum quæ ad Vitam propagandam, sanitatemq; conseruandam ab Altissimo nostri causa & producta sunt, & in dies producuntur. Ijs siquidem cùm & putredinis generatio, & humidi substantifici resolutio & effluxus longissimo tempore prohiberi possit, poterit etiam & Vita, quæ in vitali partium solidarum principio, atque humoris balsamici viuifico nectare cõsistit, etiã ad 120. & plures annos produci: ipsaque sanitas, quæ *teste Galen.* tàm in debita partium similarium symetria, quàm in idonea partium organicarum compositione, numero, magnitudine, & figura subsistit, conseruari; & ipsa quoq; senectus debitis fomentis retardari, vt in sequentibus patebit.

CAPVT VIII.

Hominis Senectam, reparato iuuentutis vigore exuscitatiq; in integrum Principum Facultatum igniculis, Naturæ & Artis ingenio retardari posse.

VERISSIMVM, & Philosophicis rationibus pridem confirmatum est, nulla nec Naturæ, nec Artis potestate, vt quã quis decurrit ętatem, non decurrerit, aut qui senex est, non fuerit, &

& desierit esse iuuenis: Decrepitæ verò ætati florentem reparare vigorem; aut iuuenile addere robur, aut sopitos Naturæ igniculos suscitare, & canos (Regiam illam purpuram vt habetur in Cãticis) in meliorem, atq; venustiorem mutare colorem, vt canit Poëta.

— Barba Comæq;
Canitie posita, nigrum rapuère colorem,
Pulsa fugit macies, abeunt palloq; situsq;
Adiectoq; cauæ supplentur corpore rugæ,
Membraq; luxuriant, AEson miratur & olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

cæterasq; languescentes & veterascentes corporis facultates pristino restituere vigori, nec Naturæ viribus negatur, nec Artis medicæ limites excedit; Testatur enim antiquissima illa *Iasonis de Vellere aureo* historia, (si secretiora Naturę scrinia arctissimè inclusa rimari & reserare velimus) Medæam AEtis Regis filiam παμφαρμακίδα, id est, in medendi arte omnisciam, peritissimamq; industria, ac instructione solare illud pharmacum, seu *Elyxir* illud philosophicum, & incomparabilem reiuuenescentiæ thesaurum obtinuisse, eoq; AEsonem Iasonis parentem iam senio fractum pristinæ iuuentuti restituisse: Huius enim medicamẽti beneficio veteres Philosophi humano corpori duo summa beneficia præstiterunt, incõcussam scilicet corporis sanitatem, iuuentutis reparationem, atq; omnium Astraliũ morborum curationem, vt nunc diuitiarum cornucopias silentio inuoluamus: Qui enim habuerit scientiam, *teste Salomone*, longitudo dierum in manu eius dextra; in sinistra diuitiæ & gloria.

— Sed pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

Si igitur Medæa huius *Elyxiris* virtute AEsoni iuuentam restituit, quid non in humano corpore, quouis morborũ generi obnoxio præstabit? Neq; enim hoc ipsum vel incredibile, vel à Naturæ vi, & admirabilis Artis potestate vsq; adeo alienum, fatentur siquidem, nec sine perfidia negari potest, Aquilæ iuuentam reparari, *teste diuino Hymnographo*: *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*: Cùm enim Aquila, singulari Naturæ industria, stupendoq; ingenio, è re etiam corruptibili, Testudine scilicet salutem, imò longæuitatem venetur, quam ideò à terra in sublime vnguibus sublatam, in lapidem aut rupem ex editissimo loco dat præcipitem, testaq; eius durissima sic confracta, carnibus eiusdem & interaneis pascitur, eorundemque vsu iuuentutẽ recipit. Adstipulatur etiam illud *Isaiæ*: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ, aßumẽt pennas sicut Aquilæ*. Proindeq; nec senio, nec morbo conficitur illa, sed inedia tantum eo quod superioris rostri aduncitas in tantum excrescat, vt deinceps aperiri nõ possit. Hinc antiqui Agriculturæ studiosiores, serenda semina testudinum thecis & operculis reserua-

ſeruabant, vt ſic immarceſſibilia in longum tempus ſeruarentur.

Sic Ceruus ſentiens ſe ſenecta grauari, ſpiritu ſuo è terræ cauernis elicitos angues pedib⁹ cõculcatos & eneruatos deuorat, atq; inde iuueneſcit. Inde *Martialis:*

Ceruinus gelidum ſorbet ſic halitus anguem.

Et ante eum *Lucr.* non inuenuſtè,

Naribus alipedes vt Cerui ſæpe putantur
Ducere de naribus ſerpentia ſecla ferarum.

Et ne illorum virus ipſis obſit, ad fontes aquarum accelerant, quibus ad labrum vſq; ſe immergunt, tunc oculis lachrymæ lentè deſtillant, quæ viſcedine ſua in oculorum angulis coagulatæ, in lapidem nucis iuglantis magnitudine coaleſcunt, quo Medici in venenorum & febrium contagioſarum expulſione, lapidis Bezoardici loco, non rarenter magno cum fructu vtuntur. Idem Natura vilibus & abiectis ſerpentibus præſtat, dum Vere, & Autumno, leberidem illam ſeu ſenectam exuunt, iuuentutemq́ue induunt, priſtinam viſus aciem, motumq́; progreſſiuum celeriorem recipiunt, recuperantq́ue, ſicq́; toto corpore iuuenili vernare conſpiciuntur; quod & ipſis cãcris fluuiatilibus teſtas cruſtaceas ſæpe mutantibus vſu venire ſolet. Refert quinetiam *Ioannes Baptiſt. Porta* in ſuo Phytogironico, quando Accipitres cito pennas non proijciunt, ſerpens natiuus accipitur, (vt qui minimum veneni habet) cum tritico coquitur; deinde illo Gallina paſcitur, & aqua decoctionis eiuſdem illi in potu datur, ſic gallinæ carnib⁹ paſtus accipiter pennas reijcit, & morbo, ſi quem patitur, liberatur nouisq́; plumis decoratus, lõgo tempore ſanus & hilaris permanet. Ad huius inuenti imitationẽ Medici, ne nauſeam illis moueant, qui difficulter medicamenta admittunt, hiſce alunt, quæ volunt ægros aſſumere, deinde exhibent, in quibus Gallinæ, quæ omnia vorant, commodiſſimæ ſunt. Cur igitur Homini omnem huius beneficij ſpem, Hebe nouerca præcluderit? ſcilicet aſſumpta vis omnis per aſini baiuli impudentiam, qui pharmacũ adeò ſalubre à Ioue miſſum Hominib⁹ ſerpenti permiſit ebibendum! Teſtatur *Galen. lib. ſimplic.* Meſſores cuidã Elephantico Vitæ pariter & morbo finẽ imponere quęrenti, optimi vini lagenã, in quam vipera irrepſerat, & vino ſuffocata, extincta in lagena latebat, potandam exhibuiſſe: qua ſemel atq; iterum epota paulo poſt, ſpectantibus meſſoribus, & aliud nõ quam præſentaneã mortem exſpectantibus, virulentæ ſubſecutæ vomitiones, tandem profundus ſopor, morti haud abſimilis obrepſit: Quibus tandem diſcuſſis, in primis pili defluxerũt, mox & vngues exciderunt, dein omnia in ambitu membra corporis contabuerunt, denique certum exitium in propinquo videbatur,

quum

quum ex reliqua quadam virium ſcintilla, natura Hominem redintegrans, alias carnes enutriuit, vngues nouos, & nitidam formã inſtaurauit, ac vetus corium, ceu ſerpentis ſenectam exuit. Neſcio quid ſimile quæq; de præſtantiſſimo illo *Ioan. Montano Haſſo, Medico & Archyſpagiro* narratur, qui ſumpto ſuo *Elyxire* philoſophico fluentibus, decidentibus tum canis, tum vnguibus, & totius corporis cute, ſenectam depoſuiſſe & iuuentutis florem de integro induiſſe fertur. Non immerito igitur Spagyrici Hermetici ſuo lapide humano corpori perpetuã ſanitatem iuuentutis recuperationem, & ęgritudinum omne genus profligationem promiſerũt, cum eo humidũ radicale, maiore ſaltem ſui parte reſtaurari, ſenectutis ariditas, natiua illa mumia temperari, corrupto, melior ſuccus ſuffici, cæteraque omnia deperdita, & ad hanc commutationem requiſita ſuppleri poſſe cõpertum ſit: Talem etiam metamorphoſin hoc *Elyxire* factam teſtatur *Torquemada* in horto ſuo florido Anno 1531. in centenario ſene Taurentino capillati, qui pilis, cute, vnguibus, & ſitu, ſqualoreq; ætate decidentibus, & in meliorem ætatem, omnibus mutatis, de ſene iuuenis prodierit & 50. poſt annis ſuperuixerit. Idem nõ pauci fide digni teſtantur authores, illam vniuerſalis *Elyxiris* materiam paulo negligentius à Spagyro repoſitam, aut minus rectè reconditam; per incuriam à gallinis deuoratam, quæ poſtmodum depoſitis aut defluentibus pennis, nouas induerint: Teſtatur Murianus ſe vidiſſe in Zanthlio Samathacenſi poſt 104. annos dentes renatos fuiſſe: teſtor & ego parenti meo piæ memorię 60. annos agenti, dentes maxillares, qui pridem deciderant, renatos, quos animi gratia, prudẽtiæ dentes appellare ſolebat. *Valeſcus de Taranta* ſcribit in Regni Valentini oppido Monuedruno fuiſſe Abbatiſſam, cui iam ſilicernio ſubito menſtruis fluoribus renouatis, dentes renouati, comæ denigratæ, rugæ & ſulci cutis adæquati, mammæ pendulæ, atq; pannoſæ, ad inſtar virguncule ſororiarunt: ſic deniq; ſe vultu, facie, totoq; corporis habitu iuuẽculã exhibuit, vt rei nouitate perculſa, præ verecundia ſe cũctorũ oculis ſubtrahere niteretur. Quid multa? recẽtiores Luſitanicæ hiſtoriæ ſcriptores probatiſſimi cõmemorant, cuidam nobili Indo, annorum quibus vixit trecentorum & quadraginta ſpatio, iuuentæ florem ter exaruiſſe, & ter itidem refloruiſſe. Nec deſunt qui in eodem orbe nouo, quandam Inſulam repertam teſtẽtur, Bonicam nomine, in qua fons ſcaturiat, cuius aqua vino precioſior pota, ſenium cum iuuenta commutet, quales effectus in noſtris paſſim acidis fontibus, tota

Germania celebratissimis videre quotidie licet, qui posthabitis sæpe etiam generosissimis remediis; in deploratissimis etiam affectibus suas admirandas exercere vires, morbos sanare, sanitatem conseruare, & vitam in longos annos producere consueuerunt; ita vt senectutis retardatio nullo modo impossibilis, vt multi existimant, sed vera & rationi consentanea iudicanda, cum relatæ historiæ, à rectæ philosophiæ ratione nō abhorreant, licet à quibuslibet obseruatæ non sint. Verum nō omnibus licet adire Corynthum: nec, quia tu, aut ego, 120, annos superare, aut senectā retardare non possumus, alios quoq; idem præstare non posse, concludendum, id enim singularis vel proteruiæ, vel imprudētiæ, ne dixerim insaniæ foret argumentum.

CAPVT IX.

Paucos admodum hac nostra ætate Vitam ad 120. annos producere, & quas ob causas.

HOMINES diu victuri, si ea omnia, quæ forinsecus accidere possunt, paccata animi tranquillitate, & citra aliquem affectum expenderent, seseq; & sapientes, gnaros, maturos, & prudentia atq; iudicio pollentes exhiberent, nullisq; voluptatū irritamētis, vel cupediarū illecebris, aut fræna laxarent, aut aures præberent, sed omnia opulentissimæ Naturæ adiutrici, solertissimæq; Matri concederent, concrederentque; Vitam proculdubio & ab omni casu liberam, & ab omnium morborum insultibus immunem, & ad quam plurimos annos perrennaturam possiderent. Verùm sicut volubilis & caduca omnium rerum felicitas, breui tempore suam absoluit historiam, ita & Humanæ vitæ extensio, quantum felix, aut vegeta firmaq; fuerit, quando ad sanitatis ἀκμὴν peruenit, & quilibet se tutissimo loco esse existimat, sæpè tamen occultis morbis, aut venenis, alijsue irruentibus symptomatibus periclitatur, vt vel in Athleticorum corporibus sæpè apparet, sicuti superius dictum. Rerum Domini, Principes, Duces, Reges, subditorum quidem felicitatem, vitæ perennitatē suspiciunt, admirātur, ambiuntq; & vicissim subditorū quilibet principis sui felicitatem, vitæq; licentiam exoptat: Interim nullus eorum animo perpendit, quanta sit vitæ nostræ fragilitas, & quænam illa sint, quæ ad eius vel productionem, vel breuitatem facere videntur. Hinc M. Varro togatorū literatissimus, paulò exactius hāc rem considerans, Hominem ob vitæ breuitatem scitè admodum bullæ in vndis, labro, ceræ, largo imbri subito cadenti incluso, ac turgenti, raptimq; iterum detumescenti confert, comparatque, indeq; Vitæ breuitatem asserere minimè dubitat; hoc scilicet argumento: quod vita nostra in vitali

Homo bulla.

tali solidarum partium principio ac balsamico nectare irreparabili consistat, eorumq; temperamento vitæ periodus metiatur, ita vt quibus humidum radicale fuerit pingue, oleosum, imputrescibile viscosum ac lentum, natiuoque calori proportionatum, perennioris quoq; vitæ essent futuri: & vicissim quæcunque illud exiccarent, & quouis modo deprædarentur, vt sunt vigiliæ, mœrores, melancholiæ, libidines venereæ, vitã quoq; abrumpant, totumq; Hominem tantis & curis conficiant; totq; morbis ab ineunte ætate afficiant, vt à prima sui origine totus morbus videatur, vnde prima nascentium vox, vagitus est, cum lętitię sensus in 40. diem differatur: Vnum enim tantum legimus optimarum artium peritissimum, *Zoroastrum* scilicet, qui eadem, qua natus est hora, risisse dicitur.

Sic est cum tremuli sese oculi exerunt
Primæuumq; auidi percipiunt diem.
Tum sanè incipiunt mori.

vt canit poëta.

Omnibus quidem rebus pro naturalium virium facultate finita est potentia, & determinata roboris mẽsura, vltra quam creatorum nullum suas expandere alas, aut brachia extẽdere possit; nulliusque calor naturalis adeò est mulcebris, quin quotidie humidi congeniti momentum depascat, idq; irreparabile: hinc relinquitur, nullum Medicorũ suis medicamentis naturalem vitæ periodum, vltra suę latitudinis limites, cuiuis pro naturæ propriæ potestate extensos, propagare posse; Nisi quis mox ab ætatis statu irreparabile humidum reficiat & primogeniam indiuidui temperiem, vetere abolita, vt superius dictum, de integrò restauret, quod nulla ars, quantumuis naturæ æmula, prestiterit: Iuuare tamen valet, vt calor, & humidum illud, Vitæ Elementa, ad naturalem Vitæ periodum longiorem, breuioremue rarenter tamen ad 120. annos perdurẽt. Cùm enim vnicuiq; indiuiduo, specialis & congenita sit caloris & humidi proportio & mensura, ita & peculiaris est singulis vitæ periodus: nec illius limites citra omnẽ latitudinem coarctantur, quippe qui extra sanitatis limites extendantur. Quare non mirum quosdam sobrios & abstemios 120. annos vel vixisse, vel excessisse. Ideo *S. Augustinus in Origin.* supra textũ Iacobi, 4. humanæ Vitæ breuitatem doctè & scitè exagerat, his verbis: *Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aëra morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactitant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mæror deprimit, & post hæc omnia Mors interimit, vniuersis gaudijs finem imponit, ita vt, cum esse*

 desierit

desierit, nec fuisse putetur, estq; hesterna dies, & crastina quasi eadem. Hæc *Augustinus.*

Et sanè si Homo paulò altius illud γνῶθι σεαυτὸν ad mentem reuocaret, seseq; omnium rerum creatarum normam, regulam, imaginem, & totius orbis anacephaleosin, atq; augustissimum DEI templum agnosceret, vti fusius in nostro Theatro Microcosmico habemus, proculdubio maiorem sui curam haberet, quo, ad maiorem Creatoris sui gloriam & diutissimè viuere, & sanitatem sartam, tectamq; conseruare queat. Verùm, quotus quisq; perpendit, quantum ab innato temperamento toto ætatis decursu per varios vitæ errores, luxus cupedias, & cupidinis ignes deflexerit? Leo, Lupus, Panthera, Pardalis, & id genus animalia, post expletam famem, non amplius laniant, nec amplius in obuios furore feruntur, sed satiata quiescunt: Vni Homini vix dies noctesq; sufficiunt, quibus vix palmarem stomachum replere & infarcire possit, nunc vinis per ætates & gentes numeratis; nunc piscibus à supero, inferoq; mari, à fluminib⁹, torrentibus, lacubusque euocatis; nunc feris, siluis montibusq; fatigatis; nunc vario volatilium delectu ac condimēto: mox, post vina, post ingestos cibos, cōdimentorum varietate in aliam migrare naturam iussos, & non tam esurienti, quam esuriem sitienti destinatos, tot propè sequuntur morborum, quot condimentorum genera; & interim Vitam in multos annos duraturam speramus? aut oculos ad Medicum dirigimus, vt quid, quantumue capere oporteat, edoceat? frustra hæc omnia: Naturam consule, illa te docebit, nil opus alieno vel calamo, vel digito, nihil monitore Medico: Nam quid quæris in cibo & potu, nisi bonam valetudinem, firma latera, probum sanguinem, qui nec copia, nec vitio grauet, spiritus puros & ab omni fæce secretos, & tandem Vitā in multos annos durātem? alia si cogitas, aberrasti. At paruo & valetudo, & longæuitas stat bona, & probatissimus sanguis modico nascitur, nam quæ mole sua & varietate inijciuntur, eneruant verius, & opprimunt, quam iuuent: ambitiosa non est fames, sed paucis contēta, ita vt ad eandem sedandam opus non sit miliarios apros quærere, aut phœnicoptenarum linguas, aut reliqua luxuriæ portenta, è singulis certa membra eligētis, quorum postmodum intempestiuè sanitatem, ne dicam, ipsā vitam amittas.

Venus. Sic quotusquisq; cogitat, aduentātem hostem Venerem audio, intra Vitæ nostræ muralia, & sanitatis mœnia non admittendā quā semel admissam, dubio Marte eijciendam? Bruta animantia venereos congressus semel quo-

uis anno, certoq; ordine admittunt, postmodum aspernantur. Homo verò continua serie noctesq; diesq; libidinis æstro furibundus in Venereos amplexus ruit, & primigenium humorem, Vitæ fundamentum, exhaurit;& hunc grandæuos viuere annos putamus? Docuit olim *Aristoteles* Mulos Equabus & Asinis esse viuaciores, vti &ea animalia, cerui scilicet, quæ semel in anno dũtaxat, statisq; temporis coëunt: Sic ij, qui præmisso castitatis voto, cupidinis arcus eneruarunt, cæteris & obesiores, viuaciores, saniores atq; longæuiores videmus. Quæ verò animalia intempestiua sallacitate, quouis tempore in Venerem prona ruunt, vt satyri, passeres, & quidquid impudica,& insatiabilis cupido nutrit, quibus nec lasciuior Venus est passercul⁹, ad immaturæ mortis scopum accelerare certissimũ est; adeo voraciter intempestiua Venus (vt non rarenter in nuper desponsatis contingit) humidum radicale natiui caloris, Vitæque pabulum, citius quam par sit, depascitur.

Iam verò cùm ad vitę tum cõseruationem, tum propagationẽ natiuus calor humido primigenio citra omnem acrimoniã proportionatus esse debeat, quid fiet, vbi bili fræna laxantur, vbi iræ excandescunt, febres exardescunt, ignes sacri, erysipelata, aut inflammationes suscitãtur? quid ni humidum substãtificum cum suo genuino subiecto consumetur? putredinis seminaria excandescent? & vlterius in Vitæ ruinam concitabuntur demum stamina, quæ hoc humido, ut lãpadis elychnium oleo, fouentur, abrumpent?

Bilis.

Nulli sanè, aut pauci admodũ reperiuntur, qui vel exorbitantẽ sanitatem erigant, emendentuè, vel ad integritatis apicem reducant, sed relicto hoc clynodio, quilibet corradendis vndiquaq; diuitijs, Euclionum more, inhiat; quilibet honoribus obtinendis insudat, spretisq; præsentis Vitæ casibus, periculis, laboribus, doloribus, & maris immensitatem, & spatiosos terræ tractus excurrit, & ea in remotissimis locis anxius peruestigat, quę vel ante pedes habet, vel intra seipsum fouet; imo verò ventri, auaritię, voluptatibusq; tam profundum se quisq; immergit, mancipatq;, vt spretis tùm animi, tùm corporis bonis, bruta animãtia meritò illi præferri queant.

Hinc auri & argenti abusus, auaritiam; vini, iracundiam, & superbiam; (nam & pauper temulentus cornua sumit) nimia mulierum cõsuetudo, lasciuiam, viriumque eneruationem, & Vitæ breuitatem producit, atq; portẽta hæc, velut fœtus abortiuos enituntur & pariunt.

Quid de pietatis ardore, quid de verò veræ religionis vultu e-

Pietas ad longæuitatem facit.

loquamur? nunquid & hæc ad vitæ perennitatem faciunt? nunquid florente pietate ab illicitis vitiorum gurgitibus, & voluptatum voraginibus, vitam nostram præmaturè obruētibus eruimur? & ad honestatem, morum venustatem, vitæ probitatē, viuendiq; frugalitatem & à doloribus, & morbis alienam inuitamur, & rapimur? Nunquid imperante religione ad diuinarum legum obseruationem, omnis & boni fomitem, & vitæ fontem ducimur? Sic enim loquitur Spiritus Sanctus *Deuteron. 30. Si auerterit se Cor tuum, & audire noluerit, atq; errore deceptus. Deos alienos adoraueris, & eis seruieris; prædico vobis hodie, quod pereundo peribitis, & non prolongabitis dies super terram.* E contra *Exodi 23. Seruietis Domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis & aquis, & auferam omnem infirmitatem de medio tui, & numerum dierū tuorum complebo.* Idem *Exodi 20. Parentum veneratoribus, qui illis Ciconiarum exemplo, gratam antipelargisin rependunt, vitæ diuturnitatem promittit.*

Sed prô DeûmHominumque fidem! vbi nunc pietas, vbi religionis cultus? Nunquid Hęresū introductio & Germaniā, & Galliam, & Angliam, Austriam, Poloniam, Vngariam, Belgium imo totam pene Europam inuasit, vastauit, destruxit? Nunquid pestilentissima hæc hydra maximarū prouinciarum, potentissimorum Regnorum incendia, Oppidorū vrbiumq; direptiones, agrorum vastationes, & templorum conflagrationes excitauit, & millenas interfectorum Hominum myriadas carnificinæ plusquam tyrannicæ objecit, mactauit, & crudeliter trucidauit? Quid ergò adhuc de præmatura tot bellicosissimorum virorum morte, de abrupta tot pupillorum & viduarum Vita conquereris? Meritò igitur cum poëta dicere possumus.

Ecce rursus, additur scelus
Irrepsit altum virus animis Teutonum
Ac peruagatur latius.
Vides vt nefandis trahunt odijs
Et dum vicissim fluctuantes dimicant,
Bacchantur in cædem suam.
Quantum hoc malorum? quantū adest incendij?
Quantum cruoris effluit?
Si Mars cruentus imperat,
Graue est videre, iustè quæ fata imperant.

Sed & præter has, aliæ quoque supersunt causę non minus prægnātes, quo minus quispiam 120. annos vel adimplere, vel superare possit, inter quas, praua Hominis à puero educatio, malaq; institutio, primatum tenere videntur, his quippe neglectis, vix, ac ne vix quidem inconcussa sanitas seruari, inculpata vitæ ratio dari, & præscriptus vitæ terminus attingi poterit, sed

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Ideo magni refert à teneris statim annis, ijs sedulò assuescere rebus, quæ tum ad animi & corporis cultum, tum ad vitæ perennitatem

nitatem, sanitatisq; integritatem apprimè facere videtur, quo minus clam succedentibus annorũ incrementis, corpus varijs morborum signaturis defædatũ, parentumq; negligentiore cura fractũ circumferre cogamur. Quare operę preciũ foret, statim cum nutricis lacte, etiam bonorũ morum succos & virtutum latices haurire; non in delicijs, sed simplicissimo victu; non otio, sed assiduis laboribus; nõ in superfluo luxu, sed rerum parsimonia, ceu amplissimo diuitiarum coaceruandarum vectigali; nõ in licentia, sed parentum timore & obedientia, primos ætatis annos traducere, ad parentum nostrorum verè Germanorum imitationem qui teneritatem & mollitiem abacturi, nuper natos infantulos frigidissimis fontibus immergere consueuerant: ingluuiem, luxum, & temulentiam impedituri, simplicem victum, & frigidæ potum (hæc enim illis & delitiæ, & pocula, atq; obsonia erant) propinabant, sicq; & mentis & corporis neruos firmabant, faciliq; negotio 120. annos vel adæquabant, vel excedebant.

Praua liberûm educatio, vitæ breuitatem promouet.

Atquiverò quid nunc temporis fit? In liberorum educatione, proculdubio magnam breuitatis vitę partem sibi vendicant parentes, dum illos à teneris exquisitissimis epulis, & omni obsoniorum genere ingurgitant, ad exercẽdas libidines, crapulas, omnemq; vitæ licentiam, & volentes, & nolentes fræna laxant. Nec satis: sed ætate paulò prouectiores, ad omnium virtutum Emporia, Italiam scilicet Galliam, Hispaniam, Angliam, Belgium, ad Garamanthas & Indos mittunt, vt profusis prius & pessumdatis parentum sudoribus, domum redituri, preciosa mercimonia (si Dijs placet) Hispanicam maiestatem, Gallicam agilitatem ac leuitatem, Anglicam solertiam, gratiam, ac lepores, Balgicam maturitatem, subtilitatemq; &c. domũ reportent: imo verò misera iuuentus plerumq; viribus eneruata, libidinibus exhausta, nimio luxu fracta, varijs & sæpe exoticis morbis oppressa, nullis virtutib⁹ exculta, sed prauis aliarum Gentium moribus, dolis scilicet fraudibus, crudelitate, inuidia, ira, superbia, leuitate, impudentia, ambitione, & alijs sexcentis vitijs instructissimi patrios repetunt lares; Et hos 120. annos superare quis dixerit? Omnibus enim crapulando, comessando, sanitatis maximos scyphos (mortis potius) euacuando superiores: in excercenda libidine, varijs Veneris lusibus, in victus ratione plusquã brutali nullis inferiores: vt nunc ridiculam & explodendam peregrinarũ vestium varietatem maximæ leuitatis & stultitiæ argumentum; capillaturas ingenioso pectine discriminatas; vel dependentes è frõte cincinnos gẽmeis

monilibus variegatos; aures circulis & annulis aureis distinctas annulatos digitos, armillataque brachia, & quicquid vanitatis atque raritatis gratiæ spirant &c, silentio inuoluamus. Nunquid igitur præstaret, vt relictis exoticarum nationum moribus, scientijs, & studijs, amplissimam potius lustrare Germaniam nostrã, tot insignibus vrbibus cinctam, tot prouintijs illustrem, tot famosis Academijs, & studiorum Emporijs dotatam; in scientiarum, & variarum Artium & inuentione, & subtilitate peritissimã, linguarum exacta cognitione mirabilem, in militia fortem & animosam, in toga grauem, in victu sobriam, in ferendis laboribus indefessam, & in vita propaganda longæuam! Verùm aduectis in Germaniam aliarum Nationum mercibus, vt dictum, illius & grauitas, & eruditionis splendor, & totius imperij maiestas ita mutata est, vt pro virtute ambitionem pro modestia improbitatem, pro eruditione iactantiam, pro grauitate superbiam, pro fortitudine lasciuiam, pro sapientia audaciam, pro magnitudine temeritatem, deniq; pro ratione effrænæ voluntatis imperium acceperit.

Aliæ breuitatis vitæ causæ.

Præter prauam educationem, corporis defectus, præsentis sæculi ingluuiem, lasciuiam, libidinesq;, vitæ nostræ stamina citiùs, quàm par sit, abrumpentes, aliæ quoq; nec minus efficaces reperiuntur causæ, Vitę ruinam minitantes, quo minus 120. annos vel attingere, vel excedere quis possit, vt sunt: superabundãs, ob varios vitæ errores, excrementorũ in corpore prouentus, vel orgasmo excitatis in corpore inundationibus, vel alio quouis modo vitæ principia opprimendo, fractis vitæ fundamentis, & suscitata morborum colluuiæ, mortis celeritatem auget; Frigoris inclementia, natiuum calorem vel extinguens, vel à destinatis functionibus abstrahens: cui adnumeratur tùm Aëris, tùm Regionum, & locorum, in quibus degimus morbida intemperies, aut occulta eorundem vitæ nostræ inuisa qualitas, & malignis vaporibus, exhalationibus obnoxia constitutio. Quid dicemus de supina ægrotantis, aut saltem ad morbos dispositi Hominis in consultando primis morbi diebus medico negligentia? Quid de medici quandoq; vel in cognoscendis curandis, aut præcauendis morbis vel incuria, pusillanimitate, vel effræni audacia? Quid item de pharmacopæi in cognoscendis, colligendis, reponendis, & debita arte pręparandis remedijs inscitia, temeritate, & audacia referemus? præsertim dum sibi plus sapere videtur, & relicta Medici præscriptione, propriam sequitur & non pauci hac ratione, ab vtroq; ad orcum rapiuntur?

Excrementorum prouentus vitam abbreuiant.

Tanta

Tanta est insuper Hominum præsenti hac ætate, & plusquam sordida Auarities, vt Vitam quibusuis morbis obnoxiam ducere malint, quam in vocando medico, cōparandisue remedijs morbos vel expugnantibus, vel inhibentibus, vel saltem mitigantib⁹ aliquot facere sumptus: tantum apud ipsos inualuit auaritia! quæ quāto plura possidet, tanto plura sitit; eidemq́; tam deest quod habet, quam quod non habet: nec sine diuinæ maiestatis iniuria, cum sese ad mortē Domini vsq; extenderit, nec Saluatoris Vitæ, omnium vitarum principio & fōte pepercerit! omnium & vitiorum, & malorum radix, & nutrix, fera, immanis, crudelis, ac intollerabilis bellua, qua Agri, Oppida, Vrbes domusq́; & fana vastātur, diripiunturq́;, diuina humanis miscentur; nec exercitus, nec mœnia obstant, quo minus vi sua penetret, & omnia vastet, exhauriatq́; & omnes mortales parentibus, liberis, fama atq́; pudicitia spoliet; vitium profectò præter cætera omnia vitiosissimum, vt nil sit tam sanctum, tam integrū, tamq́; solenne, quod non violare soleat Auaritia, vt meritò cum poëta conqueri liceat:

Auaritiæ typus, descriptio, effectus

Ecce horrenda oculis heu facies meis
Raptim funifico desiliens specu
Immane monstrum constitit:
Cui sunt & manus & pectus Æneum
Et diris colubris implicitum caput
Frons humana tantum lurida buxeo
Pallore, & maculis squallida liuidis
Monstrabat insitam famem
Tanta lues forct.
Quæ sic tabificis noxia sordibus
Vrbes & Agros inficit
Prodigij scelus
Monstrum, qui misera solliciti fame
Nil præter auarum cogitant.

Porro quid de huius seculi Agyrtis, mysochymicis, ciniflonibus, inanem aëra plenis buccis verberantib⁹, nil nisi Astralia Arcana, & Panaceas crepitantibus, loculorum despumatorib⁹, perambulanis, nugiuēdulis, veritatis veræq́; medicinæ hostibus, experimenta per mortes impunè facientibus, sanitatis vitæq́; furibus, occultis latrunculis, longæuitatis deprædatoribus dicemus? quot non Hominum myriadas turpis lucri gratia ad Erebi fauces mittunt? Eiusmodi sanè Panacearij non solum è Republica exterminandi, sed & ad vltimos Garamāthas & Indos mittēdi forent, quos non ita pridem depinxisse videtur *Petrus Holzhemius* in sua extracta Hellebori Essentia, quem postea paulò seueriore calamo repressit doctissimus *Michael Mayerus* &c, & mea sententia, vterq; non male, cùm quilibet præfixum attigerit scopum.

Pseudomedicorum descriptio.

Adhæc, quot non Hominum Centuriæ Venenis aut in nostro corpore, ex prauia humorum putrelagine obortis, vel forinsecus quouismodo oblatis, vt Cicuta, Hyosciamo, Mandragora, Opio, Helleboro, Tithymalis, Napello, Aconito Arsenico Auripigmen-

Venena.

to, Mercurio; Sublimato; Antimonio; calce viua, Gypso, Menstruis, Phyltris, Zenith, Scorpionum, serpentumq; ictibus, canis, lupiúe rabidorum morsibus, & quicquid Toxici natura in recõditis terræ visceribus occlusum tenet, è medio tolluntur? tanto, prô dolor, ingenio, tantaq; diaboli peritia parata, vt exhibita, tandem ad certos dies, annos, menses imo horas imprudentes non modo, sed & cautissimos sæpe, vel solo stapedis intoxicati contactu rapiant! Taceamus iam quam plures, qui passionum vehementia, ira, colera, vindictæ furore, melancholia, nimio timore sibimet violentas intulerunt manus, aut nimio quãdoq; risu, gaudio aut mærore extincti sunt.

Pestis. Quid tandem de peste omniũ morborum crudelissimo, grauissimo, ac perniciosissimo dicem⁹, qui tot centenas Hominum etiã fortissimorum, & viuacissimorũ myriadas ad Orcũ rapit? Romæ, quo tempore Camillus obijt, quotidie decem Hominum millia in Vrbe interibãt: Sub Vespasiano, & Cõmodo Imperatorib⁹ quotidie duo millia abripiebantur. Sub Leone Isaurio trecenta Hominum millia Constantinopoli peste obiêre: *Platina* testatur sub Benedicto Octauo plures peste abreptos fuisse, quam viuos superfuisse. *Iacobus à partibus* scribit Anno 1345. dimidiam Hominum partem extinctã fuisse, quæ calamitas quinquennium durauit. Anno 1508. tertia Hominum pars interijt. Quam non cladem experti sunt Pharaon, & Dauid Reges? Nunquid etiam calamitosissimam pestem describit *Thucidides*? qua nulla horribilior, nul la sęuior vllis alijs temporibus in mundo grassata esse dicitur: Sic & nostro quoq; seculo, Anno scilicet 1610. tam calamitosa, tamq; sæua pestis per totã inualuit Germaniam, vt nõ solum multa Hominum millia, sed & integros pene pagos & Oppida inania & vacua reliquerit. Quæ cùm ita sint, non mirum si pauci terminũ 120. annorum attingant; Non tamen inde concludendum, nullos hãc periodum attingere posse.

Anacephaleosis prædictorum. Cùm itaque (vt tandem huic capiti coronidem imponamus) ex prædictis abundè constet, vel ab exhausto & exiccatione, aut vberiore sanguinis profusione, violentaúe alui perturbatione, profusiore sudore, diuresiúe, immoderato Veneris vsu, clamosa siti, premente fame, nimijs vigilijs, perenniore calidorum vsu, duriore ac longiore corporis exercitio, animi pathematis modũ excedentibus, veneno, philtris, tacitis intoxicationibus, pestilẽtium & contagiosorum morborum incursionibus, nimiaúe demum corporis pleonexia, eusarcia, aut suffocatione, &c. Humidi substantifici essentiam minui, & vitam denique abbreuiari posse; diligen-

diligenti verò experti Medici opera, & studio vel tolli, minui, corrigi, emendari, restaurari, & quantum naturę vires patiuntur, ad priorem bonitatem reduci possint, consequens est, vt de Medici Vitam longam procurantis officio, dignitate & præstantia aliquid dicamus.

CAPVT X.

De Medicinæ dignitate, præstantia, difficultatibus, deque Medici longæuitatem procurantis officio.

DE admirabili planeq; stupēda Medicinæ vi atque potestate, deq; eiusdem amplitudine, tùm verò & magnificentia, & antiquitate, primis fontibus, & origine, inuentoribus &c, multa dicenda forent, quæ tamen breuitatis studio nunc prætermittenda sunt: Certum tamen est, illam *teste Hippoc.* omnium & artium, & plurimarum scientiarum nobilissimā, aut certè nullis alijs postponendam, siue ipsius originem, initia incunabula, progressus, incrementa, siue subiectum, materiam, finem, siue illos, qui eam à Mundi statim exordio hucusque exercuerunt, respiciamus: Si enī Hebæos, Græcos, Arabas, AEgyptios, atque Chaldæos, Theologos audiamus, Medicinæ primi fontes ab ipsa diuinitate emanasse intelligemus, cum Hebræi Adamum primum humani generis parentem, eam à diuino Numine accepisse ferant; pleriq; volunt Isidem AEgyptiorum Reginam & Mercurium apud AEgyptios Medicinam inuenisse: Alij *teste Plinio, Diodoro Sicul.* Apollinē primum Medicinæ inuentorem asserunt, hinc illud.

Medicina quid. *Origo.* *Inuentores.* *Apollo.*

Inuentum Medicina meum, opifexq; per Orbem
Dicor, & Herbarum subiecta potentia nobis.

Apollinem secutus est AEsculapius filius, ex Coronide Larysſæa, secto Matris vtero natus, hic magna attulit medicinæ incrementa, eamque adhuc nudam & vulgarem paulò subtilius excolens, pulchris libellis, Nauiculā scilicet, & Myriogenesi, *teste Hipp.* primus illustrauit, vnde in Deorū numerū relatus est; cui pro symbolo Hyerogliphico erat nodosus baculus, quo Artis Medicæ difficultas significabatur; addebatur & Draco seu Serpens, acutissima & peruigili oculorū acie præditus, quo, Medicos oculatissimos & vigilantissimos esse, & mentis acie, morborum principia, essentias, causas, incrementa finesq; nosce, & ægrotis indicare debere indigitabatur; & vt serpēs senium, senectamq; deponit, ita & medicum morbos deponere, iuuentamq; artis Medicæ industria reponere conuenit. Huic AEsculapio haud sat erat morbos curare, doloresq; mitigare, sed & mortuos, Hypolitum scilicet vel vt alijs placet, Glaucum Mirois filium, herba quadam ab angue allata ad vitam recocauit, vt testatur *Serenus*

AEsculapius.

Tuq; potens Artis, reduces qui tradere vitas

Nosti, atq; in Cœlum manes reuocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui pergama, quiq; Epidarum
Huc ades.

Hippocrates. Hunc multis post seculis secutus est magnus, & ante omnem philosophiam natus *Hippoc. Cous*, qui Medicinam obscurissimis tenebris inuolutam in lucem clarissimam reuocauit, & velut alio seu nouo partu genuit. per omnia membra aluit, educauit, vestiuit, & omni ornatu insigniuit, primus item clarissima medendi præcepta condidit: Tādem Traiani temporibus suscitatus admirabilis *Galenus*, Hippocraticam medicinam Empyricorum næuis & erroribus obfuscatam, & penè interitum minitantem, maxima ingenij sublimitate, doctrinæ magnitudine, indefessis laboribus pristino nitori restituit, & doctissimis commentarijs illustrauit, & auxit, ita vt ex prædictis cum *Sorano* dicere possimus, Apollinem Medicinam inuenisse, AEsculapium amplificasse, & Hippocratē perfecisse: vel paulò clarius, & ad vulgi captum eminentius: ipsam necessitatem Medicinam concepisse, solertiam peperisse, rationē aluisse, vsum promouisse, & longam demùm experientiam consumasse: Veriùs tamen relictis AEthnicorum figmentis ac delirijs, ex sacris litteris asserere possumus, sacratissimam hanc artem à Deo ter Opt. Max. creatam, infinitis propemodum donis dotatam, ditatamq;, & humano generi pro leuandis innumeris malis liberalissimè dono datam, in qua nihil nisi diuinum elucescit, nihil nisi bonum deprehenditur. Hæc non modo vegetabilium, plantarum, foliorum, florum, seminū, radicum, corticumq;, & variorū succorū cognitioni addicta; sed & animalium, volatilium, & piscium quorumcunque; Mineraliū item, Metallorum, Lapidum, Gēmarum, Marchasitarum, Salium diuersorum, quæq; ex imis terræ penetralibus, ipsoq; ferè Mundi centro eruuntur, aut in profundi Maris abysso continentur, naturas, proprietates, & varios vsus tenet; quinetiam varios cœlorū motus, variasq; syderum conditiones, syzigias, positiones, variosq; & occultos influxus obseruat; abditarum & reconditarum causarum effectus & operationes peruestigat, adeoq; singularum rerum, quæ toto hoc Mundi ambitu fouentur, ortus & occasus, generationes, & corruptiones, vires, energias, facultatesque exactè cognoscit, rationumq; rationes reddit: Vnde constat eius inuentionem non vlli quidē Hominum, vtpote his peruestigationibus tam abstrusis, tamq; difficilibus longè inferiori, sed ipsis Numinibus, omni intelligentia plenissimis non sine ratione adscribendam, & tantam rerum copiam, & propemodum infinitudinem vnius ingenij viribus minime concedendam.

Galenus.

Medicinæ author Deus.

Tanta

Medicinæ difficultates

Tanta profectò in arte Medica difficultas etiam expertissimo Medico sese offert, vt cum eiusdē vel dignitate vel præstantia non parum certare videatur. Quanta enim in corpore humano ex ætate, sexu, regionibus, cœlo, educatione, studijs, vsu, viuendi cōsuetudine varietas sese offert? Quā infinita in tot millibus plātarum, quæ alibi aliæ vel nascuntur, vel transplantātur discrimina? Quot sunt item morborum species, Ideæ, genera? Nam etsi *Plin. libro 26. cap. 1.* supra 300. nominatim prodiderit, exceptis generū partibus, quarum omnium nullus sit numerus (vt nunc sexcentas febrium formas omittamus quibus tamen cæterorum morborū phalanx colligi potest) quid de morbis, qui quotidie noui, & plerumque incogniti corruptissimo hoc seculo oriuntur & pullulant, dicemus? haud secus profectò accrescunt, quam si ex instituto, & datâ operâ cum arte Medica ex insidijs bellū suscepisse viderentur: Exceptis venenorū plus mille periculis, quorum causa *Plin. lib. 11. cap. 53.* exclamauit, tantum esse insidiarum vitæ, quot venenorū essent species; & quot mortis genera, totidem remediorum differentiæ: Exceptis quotidianis lapsuum, ruinarum, ruptionum, adustionum, luxationum, contusionum, vulnerumq; casibus, cū ipso morborū agmine ferè æquo Marte pugnantibus, vt non iniuria scripserit *Plin. lib. 7. cap. 51.* Infinitam esse morborum multitudinem. Qua quidem in re commiseratione digna humana conditio, tot fortuitis obnoxia casibus, quæ singulis horæ momentis, varijs morborum incursionibus impeti potest. Sic *D. August. de ciuit. Dei 22.* asserit tot esse morborum genera, vt nondum omnia libris cōprehensa sint; quod quidem vel ex hoc vnico colligi potest, *teste Plin, lib. 7. cap. 51.* oculo scilicet omnium membrorū minimo 112. distinctos morbos assignari, referente etiam *Galeno lib. de introductione ad Artem.* Sic *Seneca ad Lucill. Epistola 95.* innumerabilia dicit esse morborum genera, atq; alios innumerabiles morbos, vt nec dici, nec numero cōplecti possint.

Quis item ignorat, quanta sit in corporum cœlestium dignotione & obseruatione difficultas? hæc nisi cognoueris, sæpè medicamenti loco, venenum exhibebis. Quid memoremus fallaces sæpè morborū signaturas & tecmiria, colorum incertitudinem, fallaces vrinarum significationes, deceptoriam sæpe pulsuum harmoniam? haud injuria *Hippoc. 1. Aphor. 1.* Iudicij difficultatem proposuit, quo scilicet neglecto, Medico facilè imponatur, & signis perperam animaduersis decipiatur.

Tanta vndiq; sese offert difficultas, vt difficillimum sit, omnes

 vndiq;

vndiq; rerum varietates vel prosequi, vel obscuritates ingenij sublimitate assequi, vel difficultates industria penetrare perrimariuè, aut reseratis terræ penetralibus, alijs prorsus inaccessis, & excussis vndiq; Naturæ arcanis ex omnibus herbis, fructibus, suffruticibus, arbustis, arboribus, earumq; seminibus, floribus, frõdibus, radicibus, corticibusque, vt & ex ijsdem arte Chymica prolectis succis, liquoribus, essentijs, extractis, magisterijs, salibus, oleis, crystallis, saccaro, butyrouè, ac melle, & resinis atq; lacrymis vario modo inter se differentibus. Quid de scaphis item, caulibus, caudicib⁹, lanuginib⁹, strigmẽtis, medullis, ossib⁹, carnib⁹, sanguine, vnguib⁹, pilis, lotio, excremẽtis animalium, pauonum scilicet, anserum, Lupi, capri, canis, &c. Quid item de talis, coagulis, cerebris, cineribus, tam lignorum, quam animalium, lapidũ? Quid de lactibus, caseis, sero, butyris, crinibus, recrementis, fellibus, testis, cornubus, pudendis? Quid de metallis, metallicis recremẽtis, cretis, calcibus, gummis, cotibus, arenis, lapidibus tam vulgaribus, quam preciosis, terrarũ generibus, terræ tuberibus, fungis, vuis, vinis, & varijs, etiam medicatis aquis, thermis, ac balneis, eorumq; recrementis, ac spumis? Quid demùm de varijs venenis, viperis, serpentibus, rabidi canis morsibus, & alijs infinitis, quæ sedula Natura tam in animalium, quam vegetabilium, & mineralium classibus magno fænore produxit, dicemus? Hæc omnia sanè tam abdita mente rimari, tam arduo ingenij acumine penetrare, tam multa memoria complecti, tamq; necessaria ad generis humani salutem in publicum proferre, nonne prorsus homine maius? nonne sublimius? nonne diuinum quid? sed & huius rei ratio dari fors potest, quod *teste Campano*, nil tam pestilens, nec vllum malorum tam contagiosũ extat, cui non sit à Medico saluberrima excogitata medicina, siue ambulare claudos, siue loqui balbucientes ac mutos, resipiscere stultos, ac maniacos, atq; insanos faciant, quę res par miraculo si miraculum non sit, diuinitati assignanda videri potest. DEVS Homines à Natura productos, medici cura, arte, & vigilantiâ tuetur. Deus nobis vitã dedit, eam medici conseruant, & iam fugientem retinent, longeq; diuturniorem efficiunt. Sed paulo altius expendamus, quodnã sit Medici longæuitatem procurantis officium.

Medicus igitur longæuitatem procuraturus, sit philosophus optim⁹, penitiores Naturæ recessus cognitos & perspectos habẽs, quo facilius omnes iã dictas difficultates superare, & talẽ se medẽdo præstare possit, qualẽ *Homerus* iam olim graphicè descripsit.

Medicus autem quidlibet sciens, supra omnes Homines.

Cùm enim circa Hominē occupetur, quem *Hermes Trismegistus* Deum immortalem, *Plato*, diuinum miraculum; *Pythagoras*, omnium rerum mensuram; Alij admirandum & stupendum animal; Mundi copulam, nexū, vinculum, fasciculum, compendiū, omnium creaturarum centrum, ac circulum; omnium operum Dei complementum ac coronidem; completissimam totius vniuersitatis imaginē, & expressissimum DEI simulachrum & τεχνίσμα; admirabilissimū quatuor Elementorum extractum, cōsumatissimum Megalocosmi exemplar nuncuparunt; & vt verbo dicamus cùm verè omnis creatura & omnis mūdus verè dici possit, in quo incomprehensibili quadam sapientia, & inexplicabili arte quæcunq; spatiosissimo hoc Megalocosmi amphitheatro cōtinentur, inclusit summus rerum Opifex Deus, in eoque quieuit, eiq; summum Ius, summumq; in omnia creata Imperium concessit; cùm circa hunc, inquam, vero & Asclepiadeo medico versandū sit, suæque curæ & vita & sanitas concredita, nunquam eiusdem vitam propagare, nunquam sanitatem sartam tectamque conseruare poterit, quin exactam prius totius Megalocosmi habuerit cognitionem, vt pote qui sit parens Hominis, & ex eodem constet, eiq; debita alimenta ad vitæ sustentationē liberalissimè subministret, & in eundem aliquando sit reuersurus.

Quæ Medico cognoscenda.

Et sanè cùm in Homine seu Microcosmo vera omniū naturarū possessio, perfectaq; Creatoris imago elucescat, sitq; Medici subiectum, oportebit Medicum & omnium rerum, naturarumq; & ipsius quoq; Dei habere notitiam: Qui enim Hominem nouit, seipsum nouerit oportet; & qui seipsum nouit, in se quoq; omnia cognoscet. Cùm enim ratione corporeæ naturæ Megacosmi imaginem referat, ideo omnium & Animalium, & Vegetabilium, Mineralium atq; Metallorū proprietates continet, in quibus vera medicina, & naturalis mumia, naturæ nucleus, atq; vitale totius naturæ sulphur, omniumque morborum domitor, & maximū totius naturæ miraculum, & consumatissimæ medicinæ exemplar fundatur, vt suo loco docebitur.

Medici subiectū.

Nec hisce solum limitibus includitur Medici vitæ diuturnitatem procuraturi officium, sed & omnium naturalium actionum quæ in radicali balsamo, atq; vitali sulphure fundantur, proprietates, differentias, præparationes & administrationes cognitas, penitusq; perspectas habere oportet, quæ omnia partim proprijs laboribus & peregrinationibus, partim sedula ac diligenti optimorum librorum lectione, & indefessis

defessis studijs, partim è famosis studiorum Emporijs & Academijs, atq; frequentibus doctissimorum virorum congressibus, dissertationibus, omnium autem maximè ex ipso Naturæ, & Gratię lumine ceu tutissimo & certissimo instructore petenda & haurienda sunt. Verus enim Medicus ex natura crescit, nam cum ipso, ab ipso, & ex seipso nullus & nihil est, nisi ex Natura, quæ medicum generat & instruit per ignem: Nã ignis, & in igne labor, naturam aperiunt, nudamq; Dianã ostendunt; & Medicus mediante igne, ex corporibus per resolutionem & separationem, arcana, magisteria, essentias atq; tincturas prolectat, & quid homo, quiduè medicamentũ sit physice, medice, atq; chymice cognoscit, idq; in oratorio, & laboratorio; cùm sine Naturæ Vulcano, verissimo Artium & mysteriorum inuentore, nihil medica maiestate dignum è reconditissimis Naturæ thesauris erui possit.

Medici scientia

Sit igitur Medicus philosophię & Astronomiæ peritus, vt dictum Naturæq; interpres, vt penitiora illius adyta & Sanctuariũ ingressus, omnium rerum rationes reddere, occultas sympathias, & antipathias peruestigare, & luminis Naturæ ductu, abditas rerum vires & effectus scrutari possit, cum natura naturam cõfortet, iuuetque, & natura à sua natura adiuta suum fortiter expellat hostem, & omnis natura sui sit conseruatrix & ipsa sola, *teste Hippoc.* omnium morborum medicatrix, omnisq; curationis primum mouens: Nõ enim Medicus est, qui morbos curat, sed ipsa Natura, interior scilicet balsamus, externis viribus à suo Medico adiuta.

Medicus sit Spagyrus.

Sit item Medicus Spagyrus, purum ab impuro, nucleum à cortice separare valens: separanda enĩ sunt bonum à malo, vtile ab inutili, narcoticum ab igne, homogeneum ab heterogeneis, venenum à medicamento, lux à tenebris, vita à morte, dies à nocte, visibile ab inuisibili, cœleste, purũ, nucleus, medulla, à terrestri, impuro, corticibus, & membranis, inuolucris, testis, atq; furfuribus.

Quibus remediis instructus.

Sint insuper Medico pauca dũtaxat remedia, quorũ tamẽ vires, & operationes longo vsu & experientia cognitas & perspectas habeat: solæ enim medicamentorum Naturæ seu Δυνάμεις, ab *Hippocratis Orco, Orphei nocte ac puteo,* & *Anaxagoræ panspermia, dogmatico spagyrice eductæ,* morborum sunt curatrices, Medic⁹ vero minister duntaxat. Quæ cùm ita sint, frustra (vt cum Mizaldo loquamur) ægrotos toties repetitis pharmacis, visu, gustu, olfactu, imo verò solo auditu & nomine, iniocũdis, molestis, ac nauseã mouentibus excarnificamus, quos semel vel iterum simplici herbula hortẽsi, aut simplici aliquo Extracto, Tinctura, Sale, &c, à morbo tutò, iucundè

eundè, ac citò redimere & pristino statui restituere possumus. Nonne mera est, stupiditas dubia varia, & suspecta ita prosequi, sic probare, amplecti, & ambire, vt certam extemporaneam, & omni tempore vigentem domi tuæ medicinã pro nihilo ducas? Medentur scilicet aliena fide, & famam exoticorum medicamentorum, incerta authoritate, varijsque rerum (quas vix clitellarius veheret asinus) miscellaneis, & centonibus, multipliciq; ingredientiũ farragine, ostentationis plena, seu quodam aucupio venamur, quasi facultates rerum aceruatim congestarum, è Medici tumultuariè scribentis caderent arbitrio; scrupulatim enim colligere, vel miscere rerum vires, *teste Plinio*, non coniecturæ humanæ est opus, sed impudentiæ. Sic *Hippocr.* ad Crateuam suum scribens dicit, incertam eorum esse coniecturam, qui in purgationibus, etiam cautè procedũt: Hinc *Auicen.* scripsit, Medicinas etiam non venenosas bibere, naturę esse laboriosas; vti suffragatur *Plato* sic scribens: *Nullo modo sanæ mẽtis Homini illa haurienda est purgatio, quæ violentis solutiuis parari consueuit: nec morbi, nisi periculosissimi & extremi fuerint, pharmacis violentis temerè irritandi non sunt.*

Ergo Medicus, qui vitę diuturnitatem extendere studet, relictis varijs, incognitis, nec vsu, nec experientia probatis, & sæpè violentis medicamentis, ex proprio hortulo eligat materias medicas sibi notas, ac famliares, apud se natas, proprio solo satas, maioribus suis assuetas, patriæ probatas, & sub eodem cœlo, in eodemq; aëre, & terra cultas, ac simili genio gaudentes: quarum copia, vbi visum erit, & quoties desideratum fuerit, recens, & vegeta, vel suo tempore reposita, ilico, non longius sit eundum, vel expectando languendum, comparari poterit: Longè enim laudabilius est prudenti ac pio Medico, *teste Arnoldo Villanou.* qui relictis inusitatis ac raris ægrotantes, aut valetudinarios, vel alimẽtis medicamentosis, vel simplicibus, & cõmunibꝰ remedijs, ad sanitatis integritatem reducit.

Merito igitur ridendi & subsannandi illi sunt Medici, qui oborientibus etiam leuissimis morbis, relictis patrijs & consuetis remedijs, statim ad exotica, rara, & sæpè vana medicamenta confugiunt, quibus nihil placet, nisi quod Indiam sonet, Hesperiam referat, Africam resipiat, AEgyptum, Syriam aut Alexandriam, agnoscat, aut Chymicorum fumos redoleat: Inde

Impiger ad Græcos, Mauros, Babylonas & Indos
Velis ac remis pharmacopola volat.

Multò igitur tutius fuerit ijs vti medicamentis, quibus delinqui facile non potest, ex quorum numero esse possunt *teste Diocle. Carysthio*, Beta, Aqua mulsa, inco-

cta, Malua, Parietaria, Rumex, Mercurialis, & omnia melle condita, cum hæc omnia pigrescentem aluum ad fæces deponẽdas hortentur. Non tamen hoc dixerim, nullis omnino exoticis, aut peregrino cœlo natis, vel Chymica industria paratis remedijs esse vtendũ; habent enim & hæc pro re nata, pro prudentis Medici iudicio, pro vrgẽtis morbi exigentia & necessitate, suum locũ, suasq; laudes & encomia. Quidã enim morbi simplici victus ratione, imo ipsa inedia, alij cibis medicamentosis; alij remedijs patrijs & vulgo notis; non pauci autẽ exoticis & peregrinis remedijs curantur; alij manum Chyrurgicam, imo ipsum ignem exigunt, in quibus magni Dictatoris aphorismus locum habet, dum dicit, *magnis & extremis morbis, magna & extrema conuenire remedia.*

Legimus quidem Marcum illum Catonem, triumpho, censura, & literarum claritate insignẽ, medicamentis simplicibus, alimentosis, herbis scilicet, quas plantauerat, & maximè hortensi brassica vsum, seipsum, coniugẽ, filios, nec non libertos, & familiares ad longæuam senectutem incolumes perduxisse; non propterea tamen negandum, Medicum, elegantioribus quoque & specificis quibusdam remedijs, è crassiore rerum corpore ac cortice artis ingenio erutis vti non debere; cùm teste Natura, rebus omnibus insit aurum, ipsumque passim inueniri, id est, purissimas, sincerissimas substantias, aut spirituales essentias, ad ipsius auri exemplar, è re qualibet, etiam in hominum oculis vili atq; despecta, imo è simplici terra, per ignẽ & aquam separatas, defæcatasq;, quæ in remedium optimum, præsentaneumque, vnicuiq; hominum absq; noxa atque tædio sint futuræ, quæ tamen nõ simplici librorũ lectione, nõ sola theorica cõtemplatione, nõ nuda remediorum plurium descriptione, sed vt iam diximus in Laboratorio & Oratorio, comparãtur: imo quotidie exuperãtissima, & inexhausta Natura; noua & admiranda parturit, parturietq; in dies plura, quæ Medicus quantumuis doctus & gnarus, mentis acie capere haud possit; vt meritò olim scripserit *Terentius*:

Nunquam ita quicquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus, sẽper apportet aliquid noui
Aliquid moueat, vt illa quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaueris prima, in experiundo repudies.

Medicus itaque omnibus ijs, quorum mentionem fecimus, abundè instructus, facili negotio Vitæ, Valetudinisq; & diuturnitatem & conseruationem ijs procurabit, qui salubribus præceptis aures præbuerint, & quorum Naturam, temperamentum, cõsuetudinem, Vitæ, viuendiq; genus suffi-

ſufficienter perſpectum habuerit: Et ſanè tantum intereſt Medico hęc ſciuiſſe, vt ijs ignotis vix ac ne vix quidem, vel bene conſtitutam Vitæ rationem tueri, vel imminentes morbos arcere, vel præſentes profligare poſſit.

Huius rei & neceſſitatem & vtilitatem AEgyptiorum ſapientiſſimi conſiderantes, Medicis è publicis ærarijs ſtipendia, victũq; honorificentiſſimum ſtatuebãt. Inde *Plato 3. de Republ.* Medicos in ciuitatibus alendos docuit, qui cognitis ciuium temperamentis Aëris, Cœli, Aquarum, Locorũque natura, facilius ſeſe morborũ incurſionibus opponerẽt. Idem ſuadebat apud Xenophontem ſapientiſſimus Perſarum Rex *Cyrus*, qui Vrbes Medicis indigere dixit, quibus bene valere opus eſſet. Nec minus laudabili conſuetudine apud pleraſque Orbis Nationes receptum eſt, ne Principes citra Medicorum præſentiam quicquã peragerẽt, eo quod non leues animi morbi, ex vitiatis corporis humoribus inſurgãt, nec ſemper ſanæ ſint Principum mentes, quorum corpus inualidum eſt, & ea præſertim in parte in qua regia animi ſedes poſita, quæ plerumq; in Principibus viris vitiata eſt.

Hinc factum, vt maximæ Reſpublicæ, Principes, Reges, Imperatores, Medicos maximis & honoribus, & dignitatibus, priuilegijs, prærogatiuis, atq; immunitatibus affecerint. Magnus quippe Rex Artaxerxes, cùm ingens peſtis totum regnum graſſando vaſtaret, litteris *Hippocratem* vocari iuſſerat, eundem, ſi veniret, pari Principum ſuorum honore, ac dignitate, immenſis item diuitijs affecturus, quem tamen populus, ſenatusque Cous mittere noluit, ſed ipſo potius regno, quã *Hippocrate* ſpoliari maluit, quem poſtea corona aurea donatum, in certamine Gymnico per publicum præconem maximis honoribus ditarunt. Sic apud *Suetonium* legimus, Cæſarem Medicos quolibentius Vrbem incolerent, ciuitate donaſſe. Honorius quartus Pontifex ſummus, grauiſſimo morbo vexatus, Thadæo Florentino celeberrimo Medico in ſingulos dies, honoris & muneris gratia 400. nummos aureos pendere iuſſit, tandem priſtinæ ſanitati reſtitutus, eidem 10000. coronatos numerari voluit, *teſte Tracagnota*; Eadem ſcribenti de Ludouico Francorum Rege, qui Medico ſuo Iacobo Cauterio, decẽ coronatorũ millia in ſingulos annos honorarij loco perſolui cõceſſerat. Idem dudũ prędixerat *Eccleſiaſt.* dum ait: *A Deo omnis Medicina, & à Rege accipiet donationes Medicus.* Et iterum: *Scientia Medici extollet caput eius, & coram Principibus in admiratione habebitur: vt pote qui Medicorum opera vel maximi indigent.*

Cognoſcendum igitur Medico ſui

eo suiDomini naturale temperamentum tam principum, quam singularum partium corporis, vt si iam integra valetudine fruatur, ipsam conseruet; sin à sanitatis statu deflexerit, aut morbis iã impetatur, illam reducat, morbosq; depellat. Et cùm consuetudo sit altera Natura, nec huius negligenda erit consideratio, cùm ex hac, sæpe particularis naturæ infirmorũ proprietas, & abdita vis, Medico comprimis perpendenda elucescat, qua cognita, cognoscet Medicus, cur quis hanc vel illam rem horreat, cur hoc vel illud medicamenti genus non admittat, hoc vel illud alimentum nauseet; item quo exercitij genere vtatur, quibus alimentis potibusq; delectetur, offendaturuè: num solennes & annuas admittat euacuationes, quoties, quando, vbi, quomodo, quantum, & quo fructu. Quibus rite ponderatis pẽsitatisque, Medicus tutò ad Vitæ, viuendiq; leges præscribendas descendere poterit, omniaq; ita constituet, vt ex sex rerũ non naturalium vsu (vt sunt Aër, Cibus & Potus; Motus & Quies; Somnus & Vigilia; Repletio & Inanitio; Animique passiones; in quibus & Longæuitatis, & Sanitatis cardines versantur) nulla nec labes, nec impedimentũ inculpatæ sanitati incũbat: de quibus, cùm sint ipsissimi, vberrimique, & longæuitatis & sanitatis fontes, sigillatim dicendum.

CAPVT XI.

Medico Hominis vitam ad 120. annos extendere conanti, rerum naturalium signaturas, characterismos, & admirandas earundem cum Homine tum sympathias, tum antipathias cognitas esse debere.

CVM præcedenti capite varias attigerimus difficultates, quæ Medicum longæuitati producendæ operam dantem, facile à concepto tramite deterrere, & in errores abripere possint, eosque paucis aperuerimus, cõsequens est, vt antequam ad sex rerum non naturalium explicationem accedamus, nonnulla de reconditis rerum naturalium signaturis, sympathijs & antipathijs in medium proferamus, quorum præuia cognitione ceu filis quibusdam Ariadneis manuductus Medicus, anfractuosum, & labyrinthis plenissimum callem facilius superare, & ea quæ ad lõgæuitatis rationem facere videntur, plenius assequi valeat. Cùm igitur nihil in vniuerso Mundi theatro reperiatur, quod non aliquid admiratione dignum contineat, aut cuius certus & determinatus in Natura non sit vsus, imo nec Deus ipse, nec Natura quicquam frustra cõdiderit, quis nõ mirabitur multiplicem & virtutum & signaturarum (per quas non solum colores, odores, sapores, sed & virtuales potestates, sympathias, antipathias, seu magnetismos, lineas, characteres, notasuè hyerogliphicas, & Naturæ

turæ quasi quædam sigilla audimus) rerum naturalium diuersitatem, analogismos, & cum corpore humano tùm sano, tùm ægro conspirationes? Quis eiusmodi signaturas, characterismos notasuè Hyeroglyphicas vel Animalibus, ipsiq; Homini, vel plãtis, vel lapidibus, gemmis, mineralib⁹, terrisq; temerè impressas, imò verius cetissima Dei prouidentia, ad certum determinatũque vsum in Natura à conditore Deo destinatas esse crediderit?

Signaturarũ vis. Hisce profectò signaturis Res ipsæ quasi cum Hominibus colloqui; vires, facultates, maximè verò abditas & reconditas, seu indiuiduales, quarum rationes sine αἰτιολογία Natura nos mirari potius, quam intelligere vult, exponere; & quibus corporis humani visceribus ac partibus, aut cõseruandis, aut eorum morbis ac symptomatibus profligãdis specificè adhibenda sint, artificiosè & vtiliter indicare; interdum & ætates suis notis declarare, & vt verbo multa dicamus se, quales sint explicare videntur. Ex hoc ipso fonte, illa Naturæ è vultu corporis humani Physionomia Metoscopia; & Chyromantia emanarunt: Hinc illud, *in facie prudentis elucet Sapientia*: &, caue à signatis.

Hinc sequitur Medicos nuda duntaxat plantarum nomina, & externas solummodo earundem vestes & indumenta (in quibus Vires & proprietates tanquam in proprijs domicilijs delitescunt) inani verborum fastu, & logomachijs inutilibus explicare, Nucleum verò seu incolam, internãuẽ vim, & arcanam operculi virtutẽ seu Naturæ dotem, plantis à Deo infusam vix, ac ne vix quidem attingere, quæ tamen proprijs signaturis, mutuaq; membrorum corporis, & plãtarum analogica sympathia, & antipathia, sagaci Medico, rerum naturalium amatori, & admiratori inuestiganda, & viua anatomia solerter perspicatioribus oculis, altioreq; ingenio indaganda venit: Corporibus enim hoc modo examinatis, facile postmodum cõstabit, quid purget, quid odores spiret, quid colores pingat, quid sapores fundat, qui chyron vulnera solidet, quidue febres sanet; abstrusiore quippe & altiore isthæc vi, quam nudis qualitatibus, ceu rerũ vmbris ascribenda: Per signaturas siquidem omnes res cõditæ Cœlum, Astra, Aër, Aqua, Terra, Lapides, Gẽmæ, Mineralia quæuis, Animalia, Vegetabilia, imo omnia quæ in magnæ matris vtero, aut in superficie terræ, aut sub Cœlo, & in maris profundo nascuntur, è magno Naturæ libro, aspirante Numine, & lumine Naturæ, certis signis ac notis depictæ, & exornatæ, diuinisq; characterismis insignitæ, certa scilicet proportione, figura, certisq; habitus lineamentis cum Medico loquuntur(quod *Fernel. 2. de abdit.*

dit. 18. ex Euripide seriò exoptabat) eique sua arcana in abditissimo Naturæ silentio delitescentia, per similitudines & analogismos aperiunt, &, ac si loquerentur, patefaciunt; Medicus verò Arte signata instructus facile eas intelligit, dum pro libris, mundo; pro chartis, illius partibus, ac regionibus; pro litteris, innumeris earum folijs, floribus, lineis, strigmentis, suturis, venulis, seminibus, & varijs fructibus &c, vtitur: Hisce siquidem signis characteristicis sese mutuo intelligunt, & quales sint abundè explicant: occulta rerum proprietas, latensq; spiritus, vera scilicet medicina, ipsumq; signatum seipsum Medico prodit, & pro sua indole ac natura totam effingit signaturam, figuram, proprietates, & habitũ, qualẽ à sapientibus vult cognosci; cùm omne intrinsecum, illius occulti externam ferat imaginẽ, aut signaturam, qua vel tacente Medico, Natura, & cuiusque rei ingenium, moresque explanat, haud secus quam Hominis physiognomia, cuius ope, per exteriora signa, in interioris Hominis notitiam venimus: Vnde rerum signatura merito naturalis Magiæ fulcrum est, & quasi primũ Elementum seu alphabetum; ita & hæc eadem prima præcipuaq; in Hominis vultu & habitu cognoscenda, cummunis enim totius Naturę signatura in Homine elucet.

Hi Naturæ characteres certum efferunt sensum & sententiã, quæ à sapientibus probè intelligũtur, nec enim mentitur Natura, aut falsum de se præbet testimonium nec decipit sui indagatorem Medicum, modo eam rectè intelligat & loquentem, & scribentem. Viderint igitur & *Andr. Libau.* & *Iacob. Schallingus* cæteriq;, quibus fulti rationibus, suis logomachijs hanc Naturæ scholam, & veritatis arcem oppugnare nitantur, ne vel in meridiano sole, cæcis obscuritatum tenebris obruantur.

contra artem signatã.

Sic autem habet *Libauius tertio lib. Epistolarum Clymic. epist 4. Arbitrantur nonnulli essentialium virtutum quædam indicia in rebus integris extare per characteres seu cælitus cursũ & efficacia astrorũ impressos, seu ab ipsa natura foris ad contẽplandum se indicandũq; oculis propositos. Hinc quod intortum est serpentium more, vt serpentaria, id destinatum serpentium veneno iudicant: quo pacto scorZonerã, quia serpentis cuiusdã præsefert imaginem, alexipharmacũ eiusdem in se exhibere & credunt, & experimentis probant. Nuces iuglandes cranio respondent testis, & cerebri substantia vel nucleo; illas itaq; cranio, hunc cerebro iuuando natum credunt. Quæ aculeos infestos gerũt, vt Cardo mariæ, laterum puncturis perhibentur vtilia. Sanguineis punctis insignes, & succi quidã parum à sanguine distant: accipitur character sanguinisq; nocumentis adhibetur*

res

res signata. Non libet historiam texere. Mihi totum istud fundamentũ suspectum est incertitudinis. Nec enĩ video cur capiti pesse debeat, quod capitis signũ obtinuit, nisi & brassicas, & poma omnia, cũ genere papauerũ, eo in numero habeas, nec quicquam omnino prodesse potest eidem. Itaq; ne nux quidem illa, quam myristicã vocant, multum conducit capiti phreneticorum. Quis tam sit demens vt letargico, adhibeat papauera, aut datulæ stramoneæq; fructus: experientia, nonnulla comprobasse dicitur, sed non ratione signi, verùm virtus aliàs ita erat, & fortuitò vtrumq; in vno conuenit. Cur non omnia capiti profutura, capitis signo coarguit natura? cur cum tot sint affectus capitis, quorum vni non rarò conducit medicamentum, alteri vel frustra, vel cum detrimento adhibetur, hoc non docuit nota discreta? num inuida, aut infida illa erat? Succinum quo signo dices Epilepticis & Apoplecticis decreuisse? quo Ambrã, quo Muscũ, Maioranam, Betonicam, Roremmarinum, & huiusmodi infinita ad cerebrum notasse? num etiã scelerata est natura, quæ iisdem sæpe nocentia & iuuantia notauit characteribus, hominiq; imposuit? Quorsũ characteres imprimat, cum ex vsu humano maximè πανηγύια καὶ βοήτιμα *pendeant? nonnulla debentur ventri pro cibo, alia pro potu. Hæc eadem etiã medicamẽti sunt vice, nec rarò, si malè vtaris, nocent, vt vinum vsu prauo. Quid hîc signi habet? cranium hominis, alteriusq; animalis capiti, hepar lupi, hepati humano, renes renibus, ventres ventribus, inquies succurrunt: At inquã vicissim cerebro nocet cerebrum felis; cantharides vesicæ vim inferunt, & plurium animaliũ vrinæ sunt deleteriæ, & oculi oculis nocent: Itane illis est ad similia charecter?* Hæc & alia quã plura infert *Libauius.* imò vult eiusmodi rerum signatarum essentias chymice extractas non tam iuuare, quam obesse.

Schallingus autem *libro suo de Ophthalmia* sic scribit: *Sunt qui existiment inter stirpes prodesse Genethlicis satyria, siquidem testiculata forent. Arthritidi canabinam mederi, quia geniculis constaret: Matrici Cyclamen, & Capnium tuberosum, quia cauum haberet bulbum. Verum vt analogicus adsit alicui membro charecter stirpis, vbi crasis pura absit fallet opinio: Napellus enim cæruleus cranium refert humanum, at vitam capiti demolitur: Maiorana quidem capitulata & Pœoniæ radix in vsum cerebri veniant, sed fœniculum aut stœchas aliqua, nihil licet eius præseferat analogicæ ad nostra capita figuræ, tamen inter Cephalica remedia non desinit censeri: Cepæ, Porra, Allia, penes Bulbos assimilantur capiti, at eidem non opitulantur.*

Verùm si harum opinionum authores citra aliquem affectum interioris Naturæ simbolismos cum exterioribus respexissent, & quæ vera esset signi ad signatum vis & conspiratio, fortè à veriore physiognomicorũ sententia non deflexis-

deflexissent. si enim iam adducta ad veritatis lancem, seu ad syllogismorũ physiognomicorũ, & canonum anatomicorum incudem reuocentur, se causâ cecidisse videbunt. Hoc enim modo procedũt syllogismi physiognomici rationes: Quæcunq; planta cerebri epilepsia affecti signaturam refert, ea cerebri hoc modo affecti remedium erit, sed hoc habet v. g. pœonia, ergo talis cerebri tali morbo affecti remedium erit. Hîc propositionis & antecedens & consequens sunt ἀντιστρέφοντα, cum æquè latè pateant, aliàs vnum vnius signum non esset: Hinc sequitur, signum cum morbo & remedio vicissim reciprocari. At assumptionis partes nõ reciprocãtur, cum inter se æqualem non habeant latitudinem: Hinc meritò concluditur, signum reperiri quidem in tota specie tũ morbi tum remedij, at non in sola; neq; enim quodcunq; signũ gerit cerebri epilepsia affecti, est Pœonia: est quidem signum cerebri affecti in tota specie huius morbi est & signũ in tota specie Pœonię, sed signũ hoc nõ est in sola specie huius morbi, nec in sola specie Pœonię; reperitur enim tũ in alijs morbis, tum in alijs remedijs v. g. indiuiduis mineralibus, vitriolo, in quorum tamẽ specie sola non reperitur. Ex signis igitur, remediorum, naturæ cognosci possunt, Nec ideo tamen fælicitas Medicũ destituet, externis illis signis anatomen in ternam consociantem haudq; vulgariter demonstrãtem caussas morborum, è realibus, & in rerum Natura existentib⁹ principijs, viribus, & potestate ingenita, *Hippocr.* Δυνάμιες vocatas, ad suos effectus producendos pollentibus pendere.

Sed his missis ad propositũ redeamus; est igitur rerum naturalium signatura medico comprimis necessaria, de qua *Theophrastus, Cato maior, Varro, Columella, Palladius, Ruellius, Dioscorides, Plinius*, multa passim scriptis consignarunt & nõ ita pridẽ *Paracelsus, Ioan. B. Porta, Quercetan. Crollius* insignes arcanorum naturæ scrutatores, datâ operâ hanc rem doctissimis voluminib⁹ illustrarũt, viuamque megacosmi anatomiam seu omnium rerum vires ac facultates quodammodo aperuerunt.

Primi Signaturarũ artifices

Hac scientia edoctus *Adam* cũctis animalibus terræ, cunctisq; cœli volatilibus & piscib⁹ maris certa nomina imposuit: hac ancilante *Salomon*, lumine naturæ in se exorto, disseruit à cedro libani usque ad hyssopum, qui egreditur è pariete, deq; cunctis volucribus, & reptilibus; hoc alphabetum in naturæ libro physico-Medico, qui non didicerit Medicus, monoculus & claudus erit: Hoc Asclepiadea & Dogmatico-Hermetica Medicina cimmerijs obuoluta tenebris, clarissimæ luci restituitur. Et sanè beneficæ Naturæ munere factum

est, vt vnum quodque suis notis Hyerogliphicis insigniatur, quibus agnosci possit, cui morbo eliciendo deseruiat, quas Medicus compertissimas habere debet, antequam Microcosmum vel curandum vel præseruandum suscipiat.

Pingit ergo Natura in floribus remedia, ipsoq; visu animos inuitat, etiam delitijs auxilia admiscens; Sic enim Rhabarbarum, Crocus, Chelidonium, Rhaponticum, Succinum regio morbo oppressis succurrit, si vino bibantur, aut exportentur: Sic viridis lacertus eundē ad se trahit ictérum gestatus. Idem præstant plātarum & florum flaui succi in medicamētum assumpti, flauam bilem, flauosq; corporis humores alliciunt, allectos per inferiora deturbant. Sic Echium, *teste Porta* Viperinum caput adeò argutum nobis refert, vt ab eo nihil dissideat, minimè vulgari experimēto non modo à serpente punctis, sed eos, qui antea biberint, feriri non patitur, imo & viperæ impositum, torporem inducit & necat.

Varia Artis signatæ exempla.

Rubeta. Sic rubetæ exiccatæ, & necessitatis tempore in aceto remollitæ, pestiferisque & maculosis bubonibus impositæ, omne virus ad se, velut ad auitam sedem certissimo multorum experimento alliciunt.

Poma gelu rigida, aquæ gelidæ immersa, suauiter degelantur: Mergus in aquis & mari degens, mirifico experimento contra rabidi canis morsus, valet, vt illicò Hydrophoui non solum aquam non reformident, sed etiam flagitent: Tumida testudo tumidū Hydropicorum ventrem refert, ideo testudo Hydropicis medetur.

Cancer. Cancer, vt & aqua eius stillatitia, cancro certū est remedium, Spinosæ plantæ incautos sauciāt, remanentibusq; in vulnere aculeis, spinas è corpore extrahunt, & inflictis vulneribus medentur.

Sanguinis fluor. Sanguis è naribus profluens in sartagine exiccatus, & puluis naribus inflatus emanantem sistit sanguinem: Idem præstant Tormentilla, Sanguisorba, Lapis Hæmatites Sedenegi, quem veteres Marti dicarunt, propter colorem sanguineum quo tingit, atque etiam spectatur, & propter effectū quem insistēdo sanguine habet, in omni sanguinis fluxu adhibetur, vt & bolus armenus, sandalum rubeum, geraneū sanguineum, anagallis mas flore rubeo: Imprimis autem fungus betulinus & quercinus peculiarem habent Hepatis, sanguinis officinæ signaturam, quo nomine vtriusq; puluis ad miraculum sanguinem è naribus & vulneribus fluentem sistit.

Sal. Sal sitim accendit, sub lingua detentus, & sitim, & famem sedat, ita vt quis per biduum nō famescat. Thus lachryma est, eius fuligo lachrymas suspendit: Aqua, dum

dum ouum calentibus cinerib⁹ torretur, exudat, idem præstat.

Nunquid in Sacris legimus ligno amarissimo Aquis amarulentis & impotabilib⁹ immerso, eas edulcatas fuisse? serpente Dei iussu in deserto erecto, ab anguibus ictos curatos? Et quemadmodũ in serpentis exaltatione cõmorsorũ secuta est sanitas, sic in Christi Crucifixione animis nostris à Diaboli morsibus sauciatis redẽptio facta: Sic Lupini in vinearũ medio conseruntur, vt vitium amarorem ad se alliciant, cum ipsi amarulenti sint, nec nisi aqua, aut vino diuti⁹ macerati dulcescant.

Serpens

Considera Hypoglossum cui⁹ cuilibet folio linguæ signaturam repræsentanti, foliolũ epiglottidis instar in superficie adnatum reperitur: in faucium vlceribus, & humectata supra modũ *Columella* recentiores eo feliciter vti (signatura id docente) *testis est Fuchsius*. Quare tam à figura, quã ab effectu Italis bislingua, Officinis vuularia, Germanis Zäpfflinkraut vocarunt.

Lychen

Lychen *teste Fuchs.* Iocinorum fissuris & fibris similis conspicitur præferri maxime hanc plantã ad gecinorosos affectus docent Medici.

Pulmonaria.

Pulmonaria quæ in densis opacisq́; syluis, in annosis quercuum aliarumq́; syluestrium arborum radicibus prouenit, mollia, lataq́; fundit folia, inuicem incũbentia, varijs modis per ambitũ laciniata, cauis multis prædita, ac si è vermibus exesa fuerit, arescẽtia, prona parte viridia, supina verò pallescentia, siue in luteo albicantia, ac punctis seu maculis veluti pustulis quibusdam notata est; Hinc propterea aliquam pulmonis humani formam referre voluit idem *Fuchs.* vnde & Pulmonaria Lungenkraut dicta, quod pulmonum vitijs & exulcerationibus præsentaneum sit remedium.

Solanum

Solanum Halycacabum, Mauritanis Alcakengi dictum, vesicariam quoq; vocant Herbarij à folliculis *teste Fuchs.* quos producit, vesicarum in animalibus speciẽ imitãtibus, & quod vnanimi Medicorum consensu vesicæ malè affectæ eiusq; calculis medeatur. Alius cuiusdam vesicariæ seu Halicacabi repentis dicti meminit *Mathiol.* in cuius seminis latere humani cordis nota visitur albo colore, quod semen in vesicis, subrotundis, senis secundum lõgitudinem suturis tanquam in pericardio quodam proueniens, ad omnes cordis affectus valere creditur, ob notam (vt ex ipsius *Mathiol.* virtute seminis huius demonstratione *in* physiognomico exprimentis ore loquamur) qua idem insignitur.

Vlmus

Vlmus folliculos profert multos & magnos, crispos, humani (*teste Mathiol.*) scroti ferè effigie, lento claroque liquore refertos, calicibus quoq; innumeris con-

clusis

clusis, quem liquorem in puerorum, adolescentumq; enterocelis sanandis idem mire deprædicat.

Scorpioides. Scorpioides herbula est folijs paucis, semine caudæ Scorpionis effigie, illita scorpionum ictibus *teste Galen. 8. Simplic.* præsentaneo auxilio. Symphiti quod vulgo à consolidando consolida maior dicitur, radices quæ foris nigræ sunt, intus candidæ, glutinosæ, vna si cum concisis carnibus coquantur, celerrimè coniungentur. Nec inferiorem vim symphito petræo inesse *Diosc. Galenus & Plinius testantur.* Vlcera recentia & ossium fracturas eo felicissimè sanari signato prędicto docemur.

Filix. Exemplum signaturæ legim⁹ apud *Dioscor. lib. 4. cap. 17.* de Filice vbi sic scribit: *Radix filicis masculæ epota, & illita cum axungia vulneribus sagitta arundinea factis medetur: Cuius rei probatio talis fertur; Peribit filix, quam per ambitum sata copiosior arundo coronat: è contra euanescens abibit arundo, quam obsepiens multa filix in orbem cinxerit.*

Fraxinus. Eiusdem signaturæ exemplum *Plin. lib. 16. cap. 14.* refert *verum esse quotquot in Hercyniæ syluis à viris fide dignis obseruatum sit, tanta est,* ait, *Plinius Fraxini vis, vt ne matutinas, occidentesue vmbras quamuis sint longissimæ serpens arboris eius attingat, adeo ipsum procul fugat. Experta prodimus si frõde gyro claudatur ignis & serpens in ignem potius quam in Fraxinum serpentem fugere: Hæc ille.* Ideo quod in Macrocosmo, illud & in Microcosmo, serpentes in ventriculo gerente Fraxini vsu præstare, sygnatura hac prouida Natura indicare videtur; cuius coniecturæ confirmationem *Dioscor. lib. 1. cap. 92.* innuit dicens: *Fraxini folia, vt & eorum succus ex vino potus viperarum morsibus medetur.*

Ætites. AEtites Germanis **Adlerstein** propter virtutem illam, si rerum naturalium scriptoribus credimus, quod Aquila sine ea parturire nequeat (ob quā etiam causam in eius nido plerumq; reperitur) signatura sua grauida (prægnans enim lapis est, & cùm quatitur, alius lapis quasi in vtero sonat) vim suam exponit: grauidis enim & prægnantibus continet partum, cùm lubricæ sunt vuluæ, & parum tenaces, sinistro brachio alligatus: sed parturientibus à brachio amouetur & femoribus alligatur, vt sine dolore pariant. Hæc *lib. 5. cap. 58. Dioscor.* quā rem sibi experimento comprobatam esse affirmat *Leuin. Lem. cap. 12. lib. 4. de occult. Naturæ mirac.*

Lapis Iudaicus. Lapis Iudaicus dictus Calculū per sectionē è vesica exemptum figurā suâ exactè repræsentat, quâ ad frangendū vesicæ calculum ægroto remedium mirificū quasi digito monstrare videtur. Omnia enim quæ calculum pellunt, sunt magice signata à similitudine, & suis imaginibus morbum significant, vt Crystallus, Si-

lex, Lapis Citrinus, Lyncis, Calculus Microcosmi, saxifragiæ radices; Lythospermon seu miliũ Solis, calculos candore, duritie, & rotunditate margaritarum ferens, cum alijs seminibus saxeis, ad comminuendos calculos valent; vti & fructus, & siliquæ Ononidis, fructus Alcakengi, nuclei cerasorum, persicorum, mespilorum, fructus roseti rubei, & plurimi alij in senticetis rubro colore in Autumno ad maturitatem prouenientes; & nunquam satis laudata lachryma Iobbea.

Ostiocolla. In eo Rheni tractu, quem Germani **die Bergstraaß** vocant, circa Darmstadium Oppidum duobus à Rheno milliaribus nascitur in arena (tale enim est illius loci solum) lapis quidam arenosus, os quasi lapideum apprimè exprimens, quem **Sandtstein/ Knochstein**/ Germani vocãt; Græci Enosteos lapis, vel Osteocolli dictus, à facultate quâ ossa fracta intra corp⁹ sumptus, & foris emplastris adhibitus mirificè ferruminet: etiam **Beinwell**/ & **Wallstein** vocatur: admirabilis sanè facultatis ad ossium fracturas, quas intra quatuor vel quinque dies curare affirmat *Mathiol. Quercetanus. Ioannes Schenkius*, & alij, si illi⁹ drach. I. in vino rubeo exhibeatur, in quo prius vinca peruinca per noctem macerata fuerit.

[Pl]antæ [cap]itæ. Sic plantæ capitis, cranij, ipsiusuè cerebri sygnaturas repræsẽtantes, eorum affectibus mederi videntur, præsertim si in multis signis conueniant, cõsentiantq́; alicui parti in colore, figura &c. v. g. papauer, eiusq́; adhuc inclusi flores, caput, cerebrumque repræsentant, hinc cephalalgijs calidis, phrenetidi, manijs, alijsque calidis capitis & cerebri affectib⁹ conueniunt: sic iuglandes eiusq́; nucleus cerebro conducunt, venena infringunt. Flores item Pœoniç necdum aperti cum suis venulis & suturis, pulchrè caput, cranijq́; suturas referunt: Sic Lilij conuallij flores, pendẽtis quasi guttæ signaturã habentes, guttæ, seu apoplexiæ medentur; vt & carpionum lapis semilunaris in oculis repertus; idem de maiorana capitata testantur scriptores.

Ocularia. Plantæ oculos figurãtes, oculis sunt salubres, vt Euphragia, Verbena, Chelidonij, & Agrimoniæ flores, Hyeraciũ seu Accipitrina, qua accipitres oculorũ vacillantẽ aciẽ iuuant; Flores item scabiosç, Anemones, Asteris, Attici, Buphthalmi, Potẽtillæ, cuius aqua stillatitia, prçsentaneum est, cuius imaginem refert, remediũ; vt & grana seu baccæ herbæ paridis, cuius expressum oleum, ad oculorum affectus, efficacissimum est remedium, vnde & anima oculorum vocatur.

Asarum. Folia Asari, Auriculæ muris, aurium idæas referunt, ideo aurium affectibus medentur. Sic cochleæ prælõgis auriculis (cum

sit

sit reptile acutissimi sensus) cum sale & aqua coctæ ac despumatæ, exiccatę, post in succini oleo maceratæ, demum destillatæ, oleum præbent, ad recuperandum auditum efficacissimum.

Dentaria. Dentaria cuius radix miro naturæ artificio compactili squammarum serie conspicitur, dentiũ doloribus medetur: vt & Hyoscyami receptacula seu siliquæ seminum, dentium figuram repræsentant, ideo eius oleum vel expressus liquor, aut radicis decoctum cum persicaria herba, acutos dentium dolores efficacissimè sistit.

Plantæ genitalia repræsentantes, ad generationem commendantur, Aarum, dracontium, & pleræq; orchidum seu satyriorũ species, fabæ, pisa, phaseoli, lupini, ciceres, phallus: sic cithorij erectum pistillum decoctum, intus & extra adhibitum, singulare, pro maleficiatis ex incantatione, habetur remedium. Sic Vrogallorum, gallorum Indicorum, gallorum gallinaceorum, & passerculorum testiculi, fungi item, Tubera, Boleti ceruini, matricis signaturam referunt, Aristoloch. rotundæ & cyclaminis radices, sabina, malum granatum, leontopetalon, macis nucem myristicam includens, matricis affectibus remedio sunt.

Pingues & oleosæ. Sic pingues & oleosæ plantæ, adimpinguandum; macilentę ad emacianda corpora faciunt: Neruosæ, neruosis & cartilaginibus conferunt: lactuosæ item, vt & semina lactuosa & lactis generationem promouent, & genitale semen augent.

Arbores resinosæ. Arbores demum & plantæ resinosæ, annosæ, multoq; balsamo abundantes, semperq; virescentes, ad vitæ humanæ tum productionem, tum conseruationem faciunt, vt est iuniperus, pinus, eiusq; nuclei, vitæ nostræ balsamũ augentes, palmarum fructus seu dactyli, qui senectutis amici dicuntur, eo quod palma à senio immunis, aut minimum 100. annos excedere credatur; Sic aloës perpetuò viret virore, ex qua optima ad vitã tùm conseruandam tùm prolongandam concinnantur remedia, vt & ex helleboro, chelidonio, quæ ob salis abundantiam ferè semper virescunt.

Ex animalibus quoque longo tempore viuentibus, vt ceruo, serpente ac vipera annuatim senectam deponentibus, remedia longæuitati inseruientia parãtur. Hinc qui ritè paratis viperarum carnibus vescuntur, senectutem producunt, *teste Dioscor.* & in longum tempus protrahunt.

Sed de his hactenus, nostrum enim institutum non est hoc loci vt signaturæ rationes fuse tractare velimus, sed vt medico longæuitati studenti ad ea altiori ingenio perscrutanda calcar adderemus, cum ex signatura rerũ, plurima cognoscet, quæ ad vitam produ-

producendam abundè facient; Nam stirpes seu plantæ hoc insitum habent, eaq; vi sunt imbutæ, vt natiua sua facultate, sicut hactenus ostendimus, nonnullis membris subueniant, atq; adminiculentur, sic vt præteritis alijs, ad illa se conferant, quibus sunt destinata, ipsaque membra auide non solum nutrimentum, sed & salutare medicamentum ac sibi proprium alliciant, fruanturque; & hæc vera est Megacosmi cum Microcosmo anatomia: imo verò tales plātarum species in quacunq; regione creauit Altissimus quales & Hominibus & animalibus ibidē natis tùm ad vitæ productionem, conseruationemque tùm ad profligādos morbos maxime conueniunt; inde ex crescētium plantarum frequentia ferè cognoscimus, quibus morbis popularibus seu endemijs, quælibet Regio subiecta sit: Hoc ipsum obseruamus apud Danos, Phrysios, Hollandos, quibus Scorbutus morbus dictus frequens, istius quasi proprium medicamentum Cochleariam scilicet copiosè prouenire: Ita vbi in paludosis locis Tamariscus natale solum agnoscit, plerumq; ibidem lienis vitijs expositi sunt incolæ, quod ex lurido colore, qui intumescēte cute illis efflorescit, Hypochōdrijsq; inflatis videre licet. Eodē modo obseruamus, quib⁹ in pagis circa sepes frequens absynthium luxuriat, in ijsdem habitatores naturalium viscerum obstructionibus, & ventriculi debilitatibus laborare, atq; bilis suffusionibus plurimum afflictos, vt facile, nisi prædictæ herbæ vsu, viscerum meatus deobstruantur, extersaq; bile, eadem roborentur firmenturque; in icterum primū, paulo post in aquam intercutem exorbitent.

Nec hisce benignissima natura, hominum amantissima contenta fuit, sed sicut ex herbarum floribus, folijs, seminū figura, ex trunco & stipite, ex succi qualitate, & id genus alijs nos docuit, quib⁹ morbis, quarumque partium affectibus, quælibet herba conueniret: ita etiā nobis bruta animantia suæ naturæ ex herbis subsidium quærentia, vt Hirundines, Accipitres, Cattos, Ceruos, Canes, Buffones, &c. proposuit imitanda, vt & eorum exemplo, & ex eorum schola præsidia vitę nostrę conferentia, quæreremus, cum ipsa bruta à natura edocta plurimarum herbarū vires mortalibus indicarint: credimus enim ceruos dictamnū herbam, quod eius pastu telum ejecissent, sagittarū vulneribus mederi ostendisse; grues seseli herbam demonstrasse; Testudines cunilam; mustellas rutam; ciconias origanum, accipitres hieracium; columbas verbenacam; hirundines chelidonium; feles Cattariam; picas laurum; perdices parietariam seu perdicium,

quod

quod ijs in locis vbi dicta planta luxuriat, plerumq; sese oblectēt; serpentes fœniculum nobilitasse, quod scilicet ipsius gustatu & esu senectam exuere, oculorumque aciem eius succo reficere credā-tur.

Hominũ mores ab animalibus.

Quod si animalium mores cō-templemur, omnium officiorum exempla, & virtutum effigies nobis offerentur, summa cum naturæ omnium parentis authoritate non simulatæ, non commentitiæ non inconstantes & labiles, sed veræ, ingenuæ, ac perpetuæ, quia non tam peruersa natura sui generis hostis est, quin emendari ac mitigari possit, cum nullum in rerum natura animal à sui generis bestia occidi videatur. Quis tam in parētes impius, quin, cum ciconiæ auis erga parentes pietatem intuetur, non magis pius efficiatur? Quis adeò inhumanus, illiberalis, quem offifragæ aquilæ in pullos benignitas, non reddat benigniorem? Quis tam piger & segnis est, quin ad vitæ munia excitetur, cum formicarum, & apicularum indefessos labores & industriam intuetur? Quem non pudeat per metum peccare, cum non solum inuictum leonis animum, sed & reguli auiculæ cū aquila de imperio certantis strenuitatem cogitat? Quis Principem bonum non colat atq; obseruet, quum, si rex Apum ab itinere deflexerit omnes eum inquirere, sagaciq; persequi odoratu, donec inuenerint, inuētumq; ad Regiam reduxerint, cognitū habet? gestari etiam regem à plebe, cum volare non potest, & si perierit, omnes discedere: nunquid parū exempli ad boni principis siue desiderium, siue obseruantiam præbet? Quis Princeps ad clementiam non facile incitatur, cum omnes apum Reges armari quidem aculeo, non tamen eo vti intelligat? Quæ fides, quis amor in canibus? Quanta in Elephante māsuetudo, in ansere verecundia? Quantum ornatus & politiæ studium in pauone? Quāta in vocis amœnæ & suauis modulatione fingenda diligentia in luscinia? Quid de apum iustitia dicemus, quæ colligunt quidem insitā rebus dulcedinem, sed sine vllo fructuū detrimento? Disciplina autē & eruditio Elephantis, quē nō reddat studiosiorē? Nulla omnino vitæ humanæ pars est, quæ non suorum officiorum exempla hinc accipiat: Nam vt artes illiberales omittam, quæ & ipsæ non parum animalium ingenijs iuuantur; longæuitatis & valetudinis exempla, vnde, quæso, commodius, quam ab animalibus peti possunt? Loca pro temporis conditione mutare cōsueuerunt, non plus vel edunt, vel bibunt, quam sanitatis ratio exigat, modum & mouendi & quiescendi seruant, Venerem stato duntaxat tempore admittūt, nouit sua quodq; medicamenta, vi-

uit sua quoduis sorte contentũ.

Omnia quæ terram exornant animalia, Hominem repręsentãt, in quibus se tanquam in clarissimo speculo intueatur oportet, cum omnes omnium animaliũ mores, vt iam dictum, & consuetudinem imitetur; ideoque non simplicitatis nota caretis, qui canem propriam nouisse vrinam, auiculas varios cãtionum referre modulos, & eiusmodi actiones animalibus proprias admiratur: Non enim patris sui animalium scilicet actiones stupeat Homo, sed potiùs ipsa animalia filiorum in paternis moribus effingendis studium suspiciant, cum non soboles ob parentem, sed parens ob sobolẽ sit admirandus. Quod Homo consuetudinem aut necessitatem habeat cum ijs, à quibus maxima cõmodorum emolumenta expectat, animalium naturam imitatur, cum idem canes in more positum habeant, taquum quid eduliorum subodorantur, & expectant: non miretur igitur, quod canem habeat imitatorem, cum Homo ex cane, nõ hic ab homine Naturæ suæ primordia trahat. Desine mirari philomelam rationis vsu destitutam necessaria vitæ alimenta quęrentem, nam quo ad brutalem naturam, in qua tantopere excellit, nequaquam tibi est postponenda: nam quæ tu ore præstas, hæc suauissimo concentu æmulatur: famem sedatur⁹, nõ Genius tuus, sed brutalis tua Natura cibos optat: quis igitur te brutum esse inficias ibit? cùm omnium brutorum proprietates, non ipsa tuam sequantur? Desine mirari bruta tantis industrię & rationis muneribus dotata; hoc te potius mirũ teneat, quod eandem cum illis sortitus indolem, eandem sagacitatem, eandem prudentiam, vt & brutum sis, & brutorum naturam sequaris, non ipsa tuam: v.g. serpens acceptis vulneribus sibiipsi est AEsculapius, hunc & ex arboribus & plantis medicamẽta inquirendo imitaris; atqui verò vnde hæc illi prudentia, vnde hæc ars, nunquid ex brutali suæ naturæ instinctu & proprietate? Ceruus venaticis telis sauciatus, medelam à Dictamno accipit, cuius scientiam à naturali accepit instinctu: Cur igitur ceruum hæc facientem sequeris, cum tu ipsius cerui sis soboles, hic autẽ parens, à quo hanc scientiam tãquam hæreditariam accepisti? Hujus enim naturalis prudentiæ est Doctor, tu verò brutali tantũ intellectu talis es, quo fit, vt hæc prudentia, qua dictamnum, serpentariam, chelidonium, fænicu-lum, consolidam &c. agnoscis, brutis sit naturalis & proptia, à quibus postmodum hausisti, ita vt à ceruo ceruaria, à serpẽte serpentaria iure dicta videatur. Et quemadmodum brutorum sapientia in Hominum operibus apparet, ita & in ipsis brutis; quinimò

Homines industriã ab animalibus didicère

imò omnium animalium facultates, sunt vnius Hominis facultates, cum omnium animantium scientia, ratio, sagacitas, astutiæ, in vno Homine elucescant, quo fit, vt summum nobilissimumq; animal Homo prædicetur.

Cæterum quod brutales animantium facultates habeant Homines, ex hoc ipso patet, quod omnes fere disciplinæ & artes ab animalibus tanquam primis scientiarum fontibus hauserint: cuniculi enim Hominibus foueas, & subterraneos specus rimari & fodere ostenderunt; Mus alpinus frumenta plaustris vehere; Bombyces & araneæ textoriam & sericium exercere; Formicæ, apes & grues, conuentus & concilia, sicut & constitutiones, & Reipublicarum imagines statuere; Simiæ fœtum vlnis gestare, & admoto vbere lactare docuerunt; De scutica & flagellis ex lupi cauda captam prædam pellentis admoniti sunt; Euryalus domos extruere ex Hirundinum nidis didicit primus: Ex Corynthiaco incendio confluentibus casu metallis & mineralibus ars vitrificādi initium traxit: Vulpes caudam permingit, & insequentes canes quasi aspergillo offendit, noxieq; conspurcat: ita venenis aquas, cętera quæuis armorum genera inficimus; Calceos ex boum vngulis *testatur Boetius*; Crocodylus capturam docuit. Sunt qui noctu nauigant, & remota per loca peregrinantur, acutissimè cernunt, sagaces, & purgatis naribus cum canum indagine certant: Gallus gallinaceus horas, aërisq; tempestates cantu indicat matutino, vt & grues: Rhynoceros, testudo, crocodylus, peltas & ægidas quasi squammosa arma: Camelo ephippiū debet eques; fulguris & fulminis odor de sulphure, nitro ac pyrio puluere cōficiendo nos admonuit: Artem quoq; Spagyricam & coquinariam ab animalibus accepimus: Videmus enim quanta industria, quāta arte, quāto ingenio apes mel præparent, ita vt nullus Homo in rerum natura inueniatur, qui eandem sibi adscribere, nisi impudentissimus ausit, (quamuis *Plin.* & alij dicant, quosdam Africæ populos è floribus copiosum mel confecisse, vti libro 2. fusiùs docebimus.) Nam multo prudentior est pater filio; in illo enim scientia viget in extrema exaltatione, in hoc paulatim deficit: in illo sunt ipsi scientiarum fontes, in hunc riuuli dūtaxat deriuantur; in illo latitat brutalis genius omnium omnino scientiarum, proprietatumq; & consuetudinū splendore præditus, qui in Homine latitans in actum erumpit; quo fit, vt omniū animalium mores sequatur. Nec & hoc Hominibus vitio vertendum, quod animalium voces æmulentur, imo maximę ducendū laudi, quod rem vnā, vocem scilicet infinitis torquere & variare

m[illegible]

modis possint: Ganniunt enim vt vulpes, canibus allatrant, porcorum more gruniunt, dentibus vt apri frendent, ringuntq́;, rugiunt vt leones, instar taurorũ mugiunt, vt equi hinniunt, vt simiæ obmurmurant, vt lupi vlulant, vt asini rudunt, caprarum & ouium ritu balant, vt vrsi, turtures, & columbæ gemunt, sibilant vt serpẽtes, garriunt vt ciconiæ, coruorũ more crocitant, conisant vt galli, glocitant vt gallinæ, cornicantur vt hirundines, cantillant vt lusciniæ, vesparum fremitus, & bombos æmulantur: Auium verò cõcentus ad Hominum symphoniã multiplici vocum varietate concinnã, vix voculæ rationem obtinere videtur: Hæc enim Regũ & Principum aures demulcent, iras temperant, animos extra se rapiunt, & in quemuis volunt, hominem transmutant. Quid superba corporis & vestium ornamenta referamus? quæ à plerisq́; animalium multiplici & colorũ & splendoris varietate depictis mutua acceperunt, quibus præparati & præculti vt plurimùm superbiunt, & altas cristas ad sydera tollunt.

Illa quidem decus adiungunt, sed frigida per se
Spreta iacent, animum ni comitentur opes.
Sardanapalus iners antiquis Regibus ortus.
Nil nisi luxuriem, quo memoretur habet.
Gloria nulla Mydæ, quamuis ditißimus eßet,
Pulchra quid ignauum Nerea forma iuuat?
Quid stolidæ vires, num Turni pectus adornãt?
Et lepus hoc laudis, quod cito currat, habet.
Penna rapit volucrem, vasto nant gurgite pisces
Fulmineus sæuo dente timetur aper:
Quis pugil Archoo concurrere sustinet vrso?
Quid Leo, quid Tygris, quid te Elephante loquar?
Corpora si spectes, potior Natura ferarum,
Corporis hinc laudes extenuare docet.
Et quid opes habeant memorabile, corporis ægri
Vsibus has voluit conciliare Deus.
Est tibi celsa domus? tenet alta Ciconia nidum,
Te tegit ampla domus? sic quoq; nidus auem.
Sunt nitidæ vestes? volucris Iunonia vincit,
Lilia num dicam? commemoremue rosas?
Quid tibi lautitiæ prosunt? te corniger æuo
Bis superat ceruus, cui dedit herba cibum.
Singula quid referam, nil non mortale tenemus,
Quæ Mare, quæ tellus, quæ vagus Aër habet,
Vnus at est animus, diuino munere nobis
Insitus, huc Hominis confluit omne decus.
Hoc vno vincit prudens, hoc cuncta subegit
Quæ mare, quæ tellus, quæ vagus aër habet.
Hoc, modo si magnis componere parua licebit,
Fit propè diuinæ conditionis Homo.
Corpore par ... Homo, vasti se nomine Mundi
Iactat, & hoc illi mens dedit arma bonum.

Sed hæc per transennã, & forte plus satis, quam instituti nostri ratio requirebat, ad vltimam huius capitis partem, occultas scilicet sympathias & antipathias, medico longæuitatis studioso non minus necessarias accedamus.

Rerum sympathiæ & antipathiæ.

Rerum naturalium sympathias & antipathias non pauci, perperam tamen, ad occultos Asterismos, seu reconditos Astrorum influxus referunt, cum tamen in dies, horas, & momenta Astra, & sedes, & coniunctiones & syzygias mutent, eorumq́; vis nec vna, eademq́;, nec vbiq́;, nec semper eodem se habeat modo, at semper & vbiq́; locorum magnes ferrum, succinum paleas, rhabarbarũ bilem, agaricus pituitã trahat,

Hæmatites sanguinem sistat.

Alij ad mundi animam admirandos hosce effectus referunt, omnia complentem (*Iouis omnia plena* canit poëta) omnia vegetãtem, fouentem, formantẽ & perficientem omnia, terras, cœlum, mare, & omnia ambientem, eius ope terram balsama proferre, aurum alibi, thura, & saccarum alibi Nos superius Lucem seu Ignem & calorem vna cum spiritu æthereo vocauimus (quorum adminiculo natura hæc cuncta effingit) ψυχωσιν τῶν ὅλων seu vniuersorum animationem, Dei liberalissima benignitate per totũ Orbẽ disper sam, vt res cunctas vita induat, modo quodã infinito, etiam absque semine aliquo rerum inferiorum. Hæc est genialis mundi spiritus, quo stirpes virescunt ac germinant, suasq; occultas tàm sympathicas quàm antipathicas proprietates fundũt, depromũtque; & cuncta animantur: & quia cœlitus veniunt, vbi omnia æterna sunt, nunquam deficere conspiciuntur, lux scilicet & aër cœlestis, ac proinde vera, indubitataque omnium rerum inferiorũ fontes, causæ, principia.

Quidã, sed frustra ex certa primarũ qualitatum temperie vna cũ ipsis formis produci putant.

Et licet profecto hæc ita se habere videantur, nec dum tamen certò nobis constat, cur non potius ferrum ferro trahatur, quam à magnete ferrum? cur non potius hæmatitem hæmatites, quam ipsum sanguinẽ sistat? aut succinum nõ potius succinum, quam paleas? Obseruemus paulisper, & plantarum & animalium mutuas tùm amicitias, tùm odia, ab ipsa natiuitate congenita: cur canis Homini amicus, lupus tamen cani haud multum absimilis, ita vt canis siluester multis vocetur, ita tamen Homini sit inimicus, vt vel solo aspectu vocem adimat, dicaturq; raucos vel aphonos lupi vidisse priores? cur equum nec antea visum, vrsus si conspexerit, mox sese ad pugnam parat? similiter contra draconem marinum elephas; contra serpentem araneus animatur insurgitq;: simia testudinem horret; hyænam panthera; acãthis asinum; pullus gallinaceus leoni terror, ad milui cõspectum protinus aufugit, expauescitq;. An communem amborum formam statuamus, quæ ad particularium congressus excitata, se mutuo vel copulantes, vel pugnantes faciat? An inter agens & patiens communis statuenda forma exemplaris, cõmunis spiritus, & vis quędam corporea vndique circumfusa, quæ nutu suo in particularib⁹ sibi subiectis mixturam incipiat, regat, perficiat? Idem in illis intelligas, qui feles sui natura abhorrent, vt si vel in vase conclusæ, ab illorum conspectu remoueantur, præsentib⁹ tamen occultum sensum nõ subterfugiant, quin mox animo deficiant, nisi procul abduxerit. Ita & in cadauere vulnerati, si cædis author paululum assistat, cur denuo

nuo sanguis erumpat homini vel ante triduum interempto? Nimirũ etsi recesserit forma princeps maneat tamen ad tempus rerum præteritarum character, & sub ipsam cædem impressus hostilis, vt & omnium rerum, quæ fuerũt in anima plenus spiritus, & eius figuram, hostilem scilicet characterem impresserit, fit sanè vt eodem denuo occurrente, per illud impressum & adhuc recens vestigium, moriatur residuꝰ sanguis & propter adhærentes idæas in obuiũ percussorẽ cõcitetur, tandẽq; per vulnus erumpat. Eadẽ penitꝰ ratione dum floret sub pampinis vua, dum crudus adhuc illius humor agitari cæpit, tunc repleto passim eius spiritibus aëre, per vestigium ratione motus, turbãtur in cellis vasa vinaria, assurgit vinum, turbaturq;, licet aliquot iam annis sæpius defæcatum, & ab innatis sordibus repetita vasorum mutatione liberatum fuerit. Similiter & in fæminis grauidis, etsi quo gestant tempore mẽses naturaliter non fluant facile, turbatur tamen vterus certis periodis ad illud tempus analogis, quo primùm substiterunt, ob semel eiusdem motus impressam sibi imaginem, quod & in morbis per periodos moueri solitis, cum desierunt, sui tamen relicto & diu durante vestigio fieri consueuit. Mirãdum magis in grauidis, quarum ita est efficax imaginatio, vt quorum vel horror, vel appetitus vehemẽs fuerit, horum idæa immutatus spiritus, & qualitates & corpus ipsum sæpe transformet, vt infixa vulneris idæa circa eundem locum in puero visa sit magni vulneris characterẽ reliquisse: sed maxime id admirandum (si fas sit credere) multos per solam imaginationem animam à corporibꝰ in exstasin abduxisse.

Sed in referẽdis eiusmodi occultis sympathiarum & antipathiarum proprietatibus paulo vlterius pergamus, vt ijs auditis non solum in maiorem admirationẽ rapiamur, sed & ad summi Opificis Dei laudes iugiter canendas magis magisq; incitemur: perpende primum quanta sit stellæ poli arctici ad magnetem sympathia! attrahit hęc ad se magnetem conuertitq;, ita vt nusquam magnes reperiri credatur, nisi versus septentrionem, licet obseruatum sit perpendiculũ in pixide nautica magnete illitum in nostro Hemisphærio à fortunatis Insulis ad occidentẽ sitis, nouem circiter gradibus ad catygaram dextrorsum declinasse: In altero autẽ Hemisphærio sinistrorsum mutasse: mox vbi ad meridianum peruentum, exactè idem perpendiculum congruisse ad lineam meridionalem, nec in alterutram partem mutasse. Quis non miretur Solis cum plantis quibusdam amicitiam, vt Heliotropij, Tragopogi, Ornithogalli: Trifolium floris colorem ter in

die mutare fertur, & non niſi ad Solem hæc accidit viciſſitudo, ita vt mane candidum, meridie purpureum, veſpere puniceum conſpiciatur. Cur ipſo ſolſticij die populus alba, vt & ſalices folia circumagunt? cur oriente Syrio Parra auis ipſo die non apparet, donec occidat? Thymni marini æſtro corripiuntur, & Coccyx occultatur.

Sic animantia pleraq; vniuerſales temporũ mutationes, tempeſtatũ exortus, ſagaciſſimè priuſquam inualeſcant, quaſi odorantur: Vnde magna ex parte vel ingruente hyeme, vel aëre infectionibus ſordeſcente, obtorpeſcenteue calidius, puriusq; cœlum, priore relicto, captant, quæruntq;, aut terra ſe condunt, aut exeſas excauatasue arbores ſubeunt, quoſue æſtate conſtruxerãt alueos ſubintrant, ac tantiſper deliteſcunt, donec frigus abeat, & tepidiore ac blandiore aura reniteſcat cœlum: aut ex ſyluis horridioribusue locis, in habitata & exculta migrant. Quædam ſtatis temporibus abeunt, redeuntq; vt Olores, Anſeres feri, Ciconiæ, Coturnices, Hirundines, &c. Coccyx & Luſcinia caniculæ exortu vocem mutant & canere deſinunt: Milui à ſolſtitio podagra afficiuntur. Septem ante brumam diebus Halcyon nidificat, & totidem pariunt: Cincidulæ veſperi circumuolitantes, maturitatis hordei & ſationis milij ac panici ſigna præbent: Formicæ interlunio quieſcunt, plenilunio nec noctibus laboribus parcent; Luna augeſcente, exuberant & effluunt in corporibus elementaribus humores: luna verò ſeneſcente defluũt, & marceſcũt; luna deficiente in Solis oppoſito areſcunt, & torrẽtur. Faba floreſcens apiculã euocat, & hæc procedens fabam florere indicat. Trifolium etiam inhorreſcit, & folia contra tempeſtatem ſubrigent: ægrè de arboribus defluentia folia, & exciſa fagis fruſta lignea, ſi madeãt, aſperã & intenſam hyemem loquuntur. Roſas etiam & violas, ſi ſub autumno ſecundò florent, peſtilitatem afferre compertum eſt; ob præcedentem forte auſtrinam aëris conſtitutionem καὶ ἀχυμῶλων longo tempore durantem. Sic & montium ſonitus, & nemorum mugitus, & ſine aura ſenſibili ludentia folia, lanugines populi, ſpinæué volitantes, & aquis innatantes plumæ, omnia tempeſtatum ſunt præludia.

Quis nõ miretur ſympathiam & amorem inter palmã maſculam & fæminam? harum ſi ramũ vnius ramus alterius tetigerit, complicãt ſe in mutuum amplexum, nec fructum fert fæmina abſq; maſculo: & amygdala ſolitaria minus fœcunda eſt. Vites vlmum amant, & opium; oliua myrtum & ficum. Naphtha ignẽ trahit, proſilitq; in eum vndecunque viſum; vt & Aproxis herbæ radix à lõginquo attrahit ignem.

 Sic

Sic merula turdum, cornix ardeam, pauones columbas, turtures & psittacos amant; Cattus gaudet nepetâ herbâ, ad cuius affricationem concipere & masculi defectũ supplere dicitur. Sic coturnices ad Zephyri afflatum cõcipere dicitur, vti & equi in Cappadocia.

Infinita quoque sunt & inter Mineralia, & inter Vegetabilia, atq; animalia odiorum & antipathiæ semina; lapis Herculeus trahit ferrum, quod præsente Adamante haud fit; AEtites, vt iam diximus, fætum attrahit, suppositus partum accelerat, superpositus roborat. Electrum, Succinum & Adamas alliciunt arripiuntq; paleas, pilos, floccos, festucas, solum succinum respuit ocymum, Adamas solo hircino sanguine mollescere fertur, Astrotes aceto immersus in orbem gyrat: Aurũ quod nec olei, nec aquæ capax est, argento viuo inebriatur.

Quod si vel de Vegetabilibus, vel Animalibus sermo habendus multa profectò, & admiratione dignissima proponentur: v.g. Cicuta Hominibus venenum, sturmis in alimentum cedit; Veratrũ Hominibus medicina, coturnicibus est alimentum: Aqua frigida Salamandram; Oua serpentum flammam extinguunt, quamuis oua vicissim comburentur. Eadem ratione capiti conueniunt Maiorana, Betonica, Saluia, Acorus, cubebæ, castoreum, Moscus, Rosæ, ambra, violæ camphora: Thoraci glycyrrhiza, Amygdalę dulces, Iris, Marrubium, Hyssopus Helenium, Crocus, Mel, Saccarum, Tragacanthum, Adyanthum, hordeum violæ, Cordi tũ ex his quædam, tum alia vt Cinamomum, Buglossum, Rosmarinus, Corallia, Margaritæ, Vniones, os de corde Ceruí, argẽtum, aurum. Stomacho præ cæteris Mentha, Mastix, Garyophilli, Macis, Acorus, Absynthium, Nux myristica, Aloe. Hepati, Absynthium, Nardus, Epythimum, Hepatica, Agrimonia, Cuscuta, Cichoreum &c. Quibusdam à tota substantia, ad secundum omnes corporis partes virtutes insunt; His maiora & admiratione digniora adde pisciculus Echineis solo contactu, naues sistit; Hyæna à tota substãtia hoc habet, quod vmbræ contactu canes obmutescant: Furens Elephas conspecto ariete mansuescit: Taurus quantumuis ferox, ad ficum alligatus, mansuescit: Ouium à lupo demorsarum carnes fiunt teneriores, sed lana earum neta & cõtexta, pediculos generat: Equi, vbi lupi vestigium cõtingunt, obstupescunt, & pedibus conuelluntur: & è contra lupus bulborum scillę contactu resolutus, fatiscit: Cancer polipodio obiecto, pedũ callos, & vngues abijcit. Basilisci, Cataphlebæ, & Hyænæ oculis insitam homines occidẽdi vim inesse tradunt, quo quodcunque ani-

animal aſpexerint, è veſtigio id hæret, ſtupeſcit, nec ſe mouere poteſt. Sic & fæminas quaſdam ſchytas, Illyricos, & Tribalos fuiſſe legimus, quæ quoties aliquẽ iratæ aſpexerint, eundem interimiſſe dicuntur. Sic & Telechines Rhodi populi omnia ſuo aſpectu in peius cõmutarũt, qua de cauſa à Ioue ſubmerſi dicuntur. Ex his ratio manare poteſt, cur faſcinatores per faſcinationes operaturi, eiuſmodi animalium oculis, in colyrijs, & non alijs vtãtur partibus ad ſimiles paſſiones introducendas.

Rebus quoq; indiuidualibus inſunt occultæ proprietates, ita vt quidam catti aſpectum abhorreant; alij caſeum ferre non poſſint; AEmilius Campolongus magni nominis Medicus, in ægrorum viſitatione poma ferre non poterat, ſed ijs viſis, ſtatim abibat; ſic Reuerendiſſimus & Illuſtriſſ. Princeps noſter VVilhelmus florem cheyri quamtumuis fragrantis odoris vti nec violas Martias ferre nulla ratione citra lypothymiam vel ſaltem inſignem capitis dolorem poteſt. Sic *Auicenna* ſuo tempore vixiſſe hominem ſcribit, quem venenata animalia fugerunt, morientibus omnibus, quæ fortè mordicus illum apprehendiſſent, ipſo omnino illæſo. Refert *Albertus* ſe Coloniæ Agrippinæ vidiſſe puellam quæ araneas in eſcam venabatur, eoq; cibi genere inſigniter delectabatur. Idem refert *Q. Curtius* de quadam puella, ob inſignem formæ decorem Alexandro magno oblata, quæ ab adoleſcentia venenis enutrita, tum ipſo anhelitu, tum aſpectu quoſuis obuios interimebat. Et vt Echineis naues ſiſtit, & Regulus ac cataphlepa viſu interimunt, ſic meis vidi oculis Friburgi Briſgoiæ in Charthuſianorum monaſterio viui Anatis podice deplumato, & vmbilico adhibito ventris tormina, ſeu colicã ſuſtuliſſe, mortuo poſtmodum anate; Sic patauij obſeruaui Tincam piſcem lienis tumori viuum alligatum, tumorem abſtuliſſe, & ea quidem vehemẽtia, vt citra ægrotantis periculum ob nimiam attractionem, diutius detineri non potuerit.

Virgula diuinatoria.

Sed quid de Virgula diuinatoria, in recognoſcendis & diuinãdis incluſis mõtium fodinis, Metallarijs omnibus familiariſſima dicemus? Eſt ea ex Corylo deciſus bifidus, ſurculus, quo venas auri, argentiué feraces explorãt, inclinante ſeſe eo virgula, quâ ſub terra venæ feruntur, inceduntque. Qua vi id ſoli præſtent corylorum ſurculi, & non item cæterarum arborum, quæ in ijſdẽ prouenerint locis, eodem terræ altæ, refectæq; ſucco, obſcurum eſt, niſi occultam ſympathiam ad corylos connatam ad metalla, conijectari vetimus, quam augẽt, roborantq; ſucci cognatæ cum metallis naturæ, quos ex aggeſta

radicibus terra nutritionis causa sugunt hauriuntque.

Quid dicemus de marinæ torpedinis contactu de venenatorũ morsuum plagis? de admiranda fulminis virtute, dum fusis nummis loculos intactos relinquit, & combustis aut incineratis vasis vinum congelat? Quid de stupenda fascinij ratione, ipsarumq; imaginum potentia prolem sæpè in materno vtero transmutante iudicabimus? Eiusmodi effectus, (præsertim si magicis fulciantur incãtamentis) velut sublimioris naturæ oracula oculis videmus, auribus haurimus, passiuum tamen effectionis principium vix cogitatione assequimur; Nam quod vulgo dicant virtutem à specie proficisci, vel quod sit forma quædam occulta, virtusq; interior & abdita, cuiuis & semper dicere licet: Verùm quid aliud eiusmodi responsa nobis, quam meros ignorantiæ, ineptiarumq; descriptionum circulos nectunt, & in scientiæ professione de rebus nihil scire demonstrant? vnde non aliàs solum à veri indagatione deterrent, verum & ignauos struunt inscitiæ põtes, omniq; his infestius audis methodo interclusa, nos in æternũ chaos, noctemq; præcipitant.

Porro non viuis duntaxat, sed & vita functis animalibus secreta quadam & occulta proprietate consensus & dissidium apparet, ita vt quædam se appetant, quædam se adeo prosequantur, vt dictum, quædam ad necem vsque bello persequantur. In cuius rei fidem leo belluarum rex, cæteris robore, & animositate sublimior gallum tamen pertimescit, non enim eius solum præsentia, sed & absentis cantu terretur: Sic porcum timet Elephas, mures & sorices ita abhorret, vt si obiectum pabulum eiusmodi animalium lotio infectum subolfecerit, non attingat quidem. Rhynoceroti cum Elephante perpetuum est odium, furore tamen & ira percitus Elephas viso ariete, residet ac quiescit. Equus sic Camelũ horret, vt eius præsentiam ferre nequeat. Lupus canem odit, hunc lepus fugit; Coluber nudum timet hominem, fugitq; at vestib' amictum persequitur. Aspidi & Ichneumoni mortiferum intercedit odium; Hic enim luto & argilla vbi se consperserit, ad solẽ apricatur, sicq; pluribus tanquã testis incrustatus & armatus in certamen progreditur caudâ erecta & obiecto intentoq; semper dorso, quousque in cauta in fauces præfocandi aduersarij opportunitatem nactus fuerit, quo eodem stratagemate crocodylũ conficit. Lacersus viridis capitalis est hostis serpenti, Homini verò amantissimus. Mustellæ aduersus aspidem venenosissimũ serpentem prælio decertatura, deuorata prius ruta, certo velut amuleto se munit: Sic inter serpetem

tem & araneum ac buffonē maximum intercedit odium: Simia torpedinem horrescit; par odiū, bubones & cornices disiungit ita vt bubo non nisi noctu progredi, volare & victum quærere ausit. Auis lacustris & riuularia adeo fulmen timet, vt si vel tintinabulum ipsis pedibus ex orbiculis argenteis annexum sit, & subaudierit, malit crebris fustib⁹ lapidibusq; obrui, quam volatu se in aëra attollere: Sic Alauda in manus hominis tractabilis venit, ne in accipitris vngues incidat. Tinniculus accipitrum generi natura terrori est, sic vt eius conspectum & vocem fugiat. Perpetua milui cum coruo sunt bella, itaque coruus semper paratas miluo subducit dapes: Omne Gallinarum genus vulpes odit: Pullus Gallinaceus Elephantem non horret, at vix exclusus, viso, auditoué eminus Miluo fugit, & matris sub alis se recōdit: Agnelli, Capreoliq; quem lupum prius non viderunt, timent; Nec etiam morte id finitur odium; sed etiā post fata superstes viget: Nam si tympanum ex lupino, & aliud ex ouillo corio paratum subtendatur, vnaq; pulsentur, ouilli tympani sonū vix sis auditurus: Quin etiam si lyram ex ouillis fidibus, & aliam ex lupinis subtenderis, nulla arte vt conueniant, eundēque sonum edant, consequeris; Item si ex ouilli præsepio lupinū caput appēdatur, timore perculsæ oues, gramina quantumuis læta ne gustabunt quidem, imò nullo loco quieturæ, semper tumultuabuntur, quousque omne territamentum fuerit sublatum. Nurium & Mustellarum odia eo se vel maximè produnt, quod si vel tantillum cerebri mustellici, coagulo, quo lac cogitur & caseis admisceas, nūquam eiusmodi caseum mures sint vellicaturi. Tanto flagrant Panthera & Hyæna odio, vt ne eorū pelles quātumuis validissimæ, si ex aduerso opponantur, mutuò ferant.

Mala medica insperso in eorū cumulum pane flacescunt; Taurus ferocissimus ad ficum alligatus, mansuescit; Puluis pyrius oleo sulphuris impraegnatus, non fulminat, nec fragorem edit; sal nitrum in ignito crucibulo liquefactum non flagrat, at leuissima ignis scintilla contactum, raptim in flammas abit; Alijs oscitantibus, & nos oscitare cogimur, imposito oleo in charta ita adaptata ne contingat, ignis subiectus oleum calefacit, at non chartam; in feruens ahenis saccarum si tātillum butyri imponatur, cessat feruor.

Mirabiles hactenus & stupendas audiuimus rerum natutaliū & sympathias, & antipathias, virtutesq; rerum occultissimas, in hunc solum finem à nobis huc adductas, vt horū exemplo Medicus longæuitatis studiosus, hęc & similia sagaci ingenio perpendat

dat, ne in vitæ productione perperam ijs aliquando vtatur, quæ occulta aliqua sympathia aut antipathia vitæ principijs insidiantur. At vnde, & quibus de causis diuinæ hę origines fluant & emanent, nullus est, qui de his mentionem facere ausit; velle enim inquirere, quæ sit harum rerum natura, qua vi cieantur, quomodo vim suam exerant, rem est tentare impossibilem, humanas vires superantem, & soli Deo peruiam, qui naturas condidit eo quo voluit modo, vires indidit, certisq; formis rerum effectricibus instruxit, vnde sicut formas ignoram⁹, ita vix unquam, quę ab his fluunt & dependent occultarum qualitatum naturas vel peruestigabimus, vel assequemur: Nam etsi Platonicorũ vestigijs insistamus, non tamen quod quærimus obtinebimus: In horum enim inuestigatione adsit quidam Deus infusor: adsit particularis virtus imaginum & intelligentiarum præsidentium; adsit radiorũ concursus; adsit peculiaris & harmonicus aspectuum, stellarumque concentus: & sint hæc vnum, & primum, & superius: Adsit res inferior infusum continẽs; adsit indiuiduum; species adsit: & hæc vnum sint, & extremum alterum: adsit etiam anima mũdi, seu forma spiritualis generica & cõmunissima, mystica & secretissima; & sit hæc vnum, & duo, & tria; tertium nempe vinculum & connexus apprehendens duplici termino, duplici manu, duplex extremum supremum & infimum &c. Nec dum habemus quod quærimus, causam scilicet cur admirãdi hi fiant effectus, & à quo fluant principio naturali. Solus igitur Deus Opt. Max. totius naturæ cõditor harum rerum causas agnitas penitusq; perspectas habet, è cuius exuperantissimis thesauris potissimæ harum rerum virtutes manant. Agnoscamus igitur diuinæ sapientiæ amplitudinem & immensitatem, atq; intellectus nostri angustias, & potius cum diuino Citharædo dicamus: *Iubilate Domino omnis terra, cantate, exultate, & plaudite, psallite Domino in cythara, in cythara & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ:* & cum tribus Chaldæorum pueris collaudemus eum: *Benedicite Domino vniuersa germinantia terræ, & omnia quæ mouentur in aquis, omnes volucres cœli, bestiæ, & pecora campi, simul cum filijs hominum.*

CAPVT XII.

De reconditis quorumdam Mineralium, Lapidum, Gemmarumq; viribus & medicamentis ex ijsdem Chymica arte parandis, Medico Longæuitatis studioso scitu & cognitu necessarijs.

DIVTIVS procul dubio, quã par sit, benignum lectorem in afferendis abstrusarum rerum sympathijs & antipathijs suspensum tenemus; nihilominus in spatiosum admirandæ Naturæ Oceanum

ceanum prouecti, antequam sex rerum non naturalium explicationem aggrediamur, admirandas quorundam & animalium, & lapidum atq; vegetabilium virtutes & proprietates ad vitæ propagationem plurimum facientes in mediũ afferem⁹, quibus instruct⁹ medicus, non tantũ vitã protrahere, sed & sanitatem conseruare & varios vitæ hostes, varios itẽ morborum insultus & præseruare, & etiam curare poterit.

Animalia itaq; voratia & insatiabilia, facultatem nobis præstãt ventriculum roborandi, vimque concoctricem iuuandi, ad quam ab Altissimo creata sunt. Mergus enim auis voracissima, & plurima cõcoquere valens, ob id eius pellis cum plumis ritè parata, & stomacho applicata, eundem firmat concoctionem promouet, flatus discutit, dolores colicos sedat, non calore duntaxat, sed & innata ac specifica proprietate: Idem præstant, Gallinæ, Columbi syluestres, Perdices, Gygni, Anseres Anates: Pelles item iuniorum tum Vulpium, tum Luporum & Caniculorum. Sic sturno cicuta cibus est, Homini venenum; at idem sturnus Homini in alimentum cedens, omnes iuuat, qui mortiferũ quidpiam hauserunt: teste poëta,

Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenũ

Sic Sthruthio ferrum, æs, aurum; Mures metallorum scobes conficere dicitur, licet stomachum Leone longé inferiorem habeat, idq; non calore innato, sed congenita proprietate ab Astris accepta proprijs. Sic ex Tauri fustibus ad internecionem cæsi visceribus, loco obscuriori relictis, viginti dierum spatio, ingẽtia apum examina erumpunt, vt ex occiso Asino Vespæ; ex interfecto Homine, Vermes, & Serpẽtes: ita vt totum cadauer illis obsideatur. Phœnix quingentorum annorum senio cõfecta, seipsam congestis lignis & accensis consumit, seu exurit potius, & ex proprio cinerum busto rediuiua exurgit. Relicto nobis argumento, qua ratione vitæ perennitatem comparare fas sit: Sic bombyces singulis annis emori, ijsdemque reuiuiscere videntur: Sic & Aquilæ, & Serpentes iuuentam renouant, vt superius dictum, ex quibus omnibus, qua ratione vitam nostram renouare & ad multos annos propagare queamus, edocemur.

Gallus gallinaceus. Galli gallinacei & pugnacissimi, elati, & in hostem ire paratissimi sunt, cristam coronæ instar gerunt, pedibus calcare munitis (quod nulli animalium datum) quum limen quantumuis excelsum intrant, tamen se subeundo inclinant, magno superbiæ argumento, ne scilicet vspiam crista offendatur, colla, & pennas ceruice diffusas quasi iubas pugnaturi explicant; terror sunt Leoni

ferarũ generosissimo, albus præcipuè tum cantu, tum cristâ ipsũ fugat. Hinc rectè à Proclo proditum, Dæmonas aliquando Leonis forma apparuisse, at gallo obiecto disparuisse; Basiliscus item eius & cantum & aspectum extimescit, & conuulsus moritur, qui tamen ex Galli decrepiti ouo nasci dicitur, Galli cerebrum cerebri substantiam augere, & sensus acuere, eiusdẽ testiculi, vim prolificam excitare, & sopitos Veneris ignes accendere dicuntur, vti & de Vro-gallorum, Gallorũ Indicorum, Perdicum, Cothurnicum, Anserum, Anatum, & salacium passerculorum testiculis, Italorũ escis frequentissimis perhibetur.

Ad Vesicæ, Renumq; calculũ conterendum expellendumque, omnium Medicorum consensu vim specificam obtinent pulueres tum vitri vsti, tum Auiculæ Troglotidis, vulgo **Goldthänlin** dictæ; tum etiam lapidis Microcosmici è vesica exsecti: vitri autem puluis sextena contritione in calcem versus, & drachmæ põdere in vino albo tenui, vel aqua appropriata haustus, abundè vesicæ calculos conterit: Passerculus autem sale tãtum maceratus, & crudus, & integer comestus, calculos conterit, cum lotio excernit, & deinceps renasci prohibet: Idem præstat Microcosmi lapis. Illarum autem auicularum ingens multitudo hyberno tempore passim in syluis oberrat.

Lapis Microc.

Passer Traglt.

Canis.

Canis inter omnia animalia Homini amicissimus, cuicunque corporis dolori admotus lactans catellus, in eum transire morbus dicitur, id quod exenterato & vino perfuso vitiato viscere deprehẽditur, quod Homini doluerat: Sic in chiragra & podagra, omnique arthritide nihil præsentius ad fouendos cruciatus, & præsertim quibus concolor pilus, & nõ variegatus existit: ex eorundem lactantium catellorũ adipe, & medulla balsamus paratur, ad eosdẽ effectus longè præstantissimus.

Qnemadmodũ Medica Naphtha, etiam lõga loci intercapedine dissita, ignis vaporem & scintillas ad se de repente allicit: Sic charadrios auicula in torrentiũ voraginibus, inter saxa oberrans primum regio morbo laborantibus conspecta, croceos bilis vapores cõfestim attrahit, ipsa quoque tanquam fascino perculsa oculis conniuet, caputq; sub alis condit, non medelam certam inuidẽs, sed bilis acrimoniã verita.

Charadryosa auis

Superius adduximus Ceruos post absorptos serpentes, fõtes, fluminaq; petere, quibus sese capite tenus immergunt, donec obortis lachrymis virus illud è corpore discutiatur, lachrymæ autem oculorum canthis concretæ, & quasi lapidescentes, tẽporis progressu vel ad arbores assrictu, decidunt, quibus Medici in venenorum expulsione, la-

Lachryma cerui.

pidis

pidis Bezoardici loco cum fru-ctu vtuntur;vti & cordis officulo quod subinde in grandiorũ cer-uorum cordibus reperitur: Sic extremis cornuum cerui cuspi-dibus in venenatarum & pestilẽ-tiũ febriũ curationibus feliciori sæpe successu vtimur,quàm vul-gò decantato illo Vnicornu, Ha-ctenus enim *Plinius*, *AElianus*, & alij grauissimi Scriptores, qui de animalium natura scripserunt, in peruestigando vero vnicornu, magnam operam posuerunt, & tandem multa de cornuum fos-silium facultatibus, de boue, & a-sino Indico, de ocyge, de mono-cerote, rhinocerote, vnico cornu præditis commenti sunt: at quod nam verum sit illud vnicornu tã-topere ad venena expugnanda præditum, nihil certi statuere au-si fuêre. Cùm igitur cornu Cer-uinum, multorum experientiâ, nõ exiguas aduersus venena ha-beat vires, rectissime deficiente illo Asini Indici cornu, in illius locum, extremos cornuum Cer-ui cuspides hactenus Medici sub-stituerunt. Imo simplex deco-ctum cornuum Cerui, insistendis tenuioribus capitis defluxioni-bus, in exiccandis podagricarum affectionũ fontibus, & suffocati-uis catharris mitigãdis magno v-tuntur Medici emolumento; vt iam sileam præclaros Salis, Olei, & Liquoris cornuum Cerui effe-ctus & virtutes.

Cornu Cerui.

Sed quid de admirabili, stupẽ-do, & quasi diuino, ac pretiosissi-mo, atq; per totum orbem decã-tatissimo serpentum puluere di-cemus? Hic non ex vipera dun-taxat, sed huius defectu, ex com-muni colubro citra alterius rei additionem, aut solennem ali-quem apparatum, sed (detracta prius pelle, intestinis, capite & cauda) ex carne, corde, hepate, & spina prius spiritu iunipero e-lotis, lento calore exiccatis & in tenuissimum Alcool reductis e-ducitur, tantis tamq; stupendis virtutibus præditum, vt relictis post se omnis generis alexiphar-macis, omnis generis sæuissimas pestes, morbos Epidemicos, ve-nena queq; assumpta, intus geni-ta, morsibus, ictibusué forinsecꝰ inflicta, Arsenicum Auripigmẽ-tum, Bisumuthum, Sublimatum, Napellũ, Aconitũ, Cicutã, & quid quid venenosi terra protrudit, profligat, & ad cutaneas corporis partes propellit: Regiũ profectò Alexipharmacũ, & quouis Princi-pe dignum. Tanti medicamenti potestatem, progressusq; longè felicissimos tota passim testatur Europa; & plurimorum Princi-pum, Ducum, Nobilium, plebe-orum, & omnium maximè mili-tum loquuntur testimonia, qua-uis exceptione maiora. Dosis est a. scrup. j. ad scrup. j ß. & drach. j. pro Medici prudẽtia, in vino mal-uatico, aut spiritu Iuniperino &c.

Puluis Serpentinus.

Iam verò ad præclaras quorũ-dam Lapidum, Gemmarumque virtutes

virtutes, Vitæ diuturnitati inseruientes accedamus, facto à Corallis initio.

CORALLIA.

Corallia

Corallus cùm arborum more in Mari nascatur, voluerunt quidam esse plantam seu fruticem marinum, sub aquis mollescere, extra aquas verò in lapideam duritiem concrescere: verùm potiùs est planta, sicut & Corallina. Alga, cæteræq; herbę, quæ in ipso mari nascuntur & crescunt: Fit autem Corallium & indurescit, quando succus lapidescens corpus lignosum subit, alterat, & in suam naturam conuertit, dum in eo coagulatur. Corallium aliud rubeum, niueum aliud, & nigrum aliud est: Cæteris omnibus præfertur rubeum, quod vti aspectu iocundius est, ita in medicamentorum vsu efficacioribus abundat virtutibus.

Omne autē Coralliū refrigerat, astringit & exiccat; cor præcipuè mox & ventriculū & hepar roborat, sanguinē purificat, inde & hilaritatē inducit, à sano gestatū homine, elegātius multò rubet; at si iam à morituro, aut periculosè laboranti gestetur, pallescit, liuescit, varijsq; maculis fædatur, Corallium est celebre amuletū contra Manes, Dæmoniacas illusiones, insomnia falsa, terriculamenta, fascinationes, incubos, incantationes, venena, epilepsiam, fulgura, fulmina, marinasq; tempetastes, & quæuis pericula. Album appensum vt pectus cōtingat, Hæmorrhogiā sistit, multorum experientia. Cor recreat & roborat Corallium, ideoq; pesti, omnibusq; venenatis & contagiosis morbis, malignisque febribus aduersatur, præcordia aduersus pestem, omneq; venenum munit, si drach. ß. pulueris grassāte peste quotidie sumatur. Scribit *Arnoldus. Villan.* cui subscribit *Camillus Leonard. Si grana 10. Coralli rubei puerulo nuper nato ante omnem escam in lacte materno exhibeantur, eum nunquam tota vita Epilepsia corripi.* Corallium insuper Menstrua nimium fluentia cohibet, virorum gonorrhæas, vterinosque fluores reprimit, absque alia corporis noxa: sanguinis rejectiones & sputa cruenta, fluxusque dyssentericos sistit, sanatq;: Renum & Vesicę calculos expellit; lienemq; absumit: ad quos omnes effectus, præstans est cōpositio sequens, quæ vomitum Lienteriam, Dyarrhæam, Dysenteriam, aliosq; alui fluxus, & pestis contagia impedit, & arcet, si drach. 2. exhibeatur.

Recip. Corallior. præp. ℥iiij.
Margarit. præp. ℥ ij.
Radic. Tormentil.
Ligni Aloes
Boli Armen. a. ℈ij.
Saccar. fini in Aq. Rosar. & Cinamo dissoluti q. s. fiat confectio solida.

Chymici quoq; facta Coralliorum Anatomia, ex ipsis Salem, Tincturas, Essentias, & Magisteria extrahunt, ad prædictos omnes

nes affectus longè præſtãtiſſima: Sic ex eorundẽ ſolutione & liquamine cum ſucco clarificato vel limonam, vel Berberum, vel acetis montanis, vel ſpiritu Quercino prolecto, addita ſufficiẽti ſaccari quantitate, & artis indole, Syrupum concinnant Corallatũ, tantopere in ſanguineis fluxionibus, & hepatis atonia decantatũ.

Sic Corallorum Tincturam ac Eſſentiam ſummopere laudant Chymici, vt & doctiſſimus *Anſelmus de Boot*, ad peſtem, febresque peſtilentes & malignas, animi deliquia, ſyncopas, ad morbũ item comitialem cum ſpiritu vitrioli: ad albos & rubeos vteri fluxus, ſanguinis eruptiones, hæmorhagias, melancholias, imo totum corpus in temperiem redigit vi quadam cœleſti, ideoq; propter analogiam quam cum ſpiritibus vitalibus, caloreq; innato habet, omnes interiorum partium affectus radicitus euellit. Sic autem paratur.

CORALLORVM TINCTVRA.

Coralli rubicundiſsimi groſſo modo tuſi, cũ æquis partibus Salis Hermaphroditici naturalis ac balſamici in crucibulo ad △ rotæ liqueſcant per diem naturalem, poſtmodum iteratis ablutionibus calentis aquæ, exiccãtur Corallia, & ſupra marmor in calcem aguntur: calci matratio inditæ affunditur menſtruum diſſolués acidum, vt eſt ſpiritus rectificatus ligni vel Quercini, vel Iumiperini; vel ſpiritus mellis acuatus; in hunc finẽ laudant alij acetum tartariſatum, vel acetum terebinthinatum, affunditur inquam ad eminentiam 3. vel 4. digitorum, vaſe clauſo fit digeſtio per octiduum aut in ventre equi, aut in balneo vaporoſo: ſolutio per inclinationem ſeparatur, affunditur aliud menſtruum, idq; toties donec totus ſolutionis circulus ſit abſolutus: Solutiones per chartam emporeticam filtrantur; mox per deſtillationem menſtrua è ſolutione ſeparantur: ſoluta calx toties aq. roſacea edulcoratur, donec nulla de menſtruo relicta acrimonia deprehendatur. Tandem affunditur vini ſpiritus rectificatus, & denuo factis repetitionibus Tinctura extrahitur, donec nil rubedinis extrahatur: Tinctus ſpiritus iterum per chartam emporeticã traijcitur, vt nullæ ſuperſint fæces; vltimò ſeparato per balneum ſpiritu, relinquitur in fundo Tinctura Corallorum, ſanguineæ ſapæ adinſtar quæ poſtmodum cum aq. cordialibus circulari; vel addito ſaccaro in ſyrup formam redigi poteſt.

Dubitant multi, præſertĩ *Zuingerus*, & *Crollius*, num genuina hic ſit Corallorum Tinctura, an verius perſonata & ficta adhibitorũ menſtruorum rubedo? quo factũ eſt, vt alij ſequentem excogitarint, licet & hæc ipſa nobis, ob menſtrui acrimoniam noſtræ naturæ inimicam ſuſpecta ſit, niſi forte hanc frequentibus edulcorationibus tolli quis putet: & ſic habet:

Tuſos in mortario chalybeo Corallos q. ſ. ſeu ad libram vnam ſolue in aqua philoſophica: ſolutionẽ per chartam emporeticam filtra: Huic ſolutioni adde ⊙ per aq. philoſophi-

 cam

cam soluti ℥ß. stent per noctẽ in loco frigido; sequenti mane adde tantundem menstrui vegetabilis soluẽtis, quoad crascescat traganti soluti instar, stent tota die, vesperi impone balneo, destilla totum, in fundo manebit materia nigricans; huic affunde lib. 8. aq. cœlestis destillatæ, impone cineribus vt euaporet ad dimidias, (non tamen bulliat aqua) residentem in fundo materiam nigro purpurascentem extrahe, affunde aliam aquam, exicca, quoad bene fuerit edulcata: hanc vasi impone in calentẽ arenam, da △ vt omnia candeant per horam, tunc Corallia euadent sanguinea, spongiosa, & leuia, manente tamen pondere priori.

Longe tamen compendiosiore via Corallorum magisteriũ hoc modo obtinebis.

Corallia crasso modo tusa & ignita aliquoties in forti vini spiritu extingue; quibus hoc modo calcinatis affunde spiritum mellis, vel spiritum rectific. ligni Quercini, aut spiritum vini tartarisatum, vel acetum terebinthinatum, vt soluantur, solutionẽ decanta, & adiectis aliquod olei tart. per deliquium facti guttulis præcipita; separato tandem menstruo edulcora.

Ad omnes prædictos affectus mirabilis est sequens Corallorũ liquor.

Corallia grosso modo tusa solue aceto terebinthinato, solutionem per mensem digere, tinctum acetum decanta, aliud affunde, digere, separa, idq; toties quo amplius non tingatur solutiones filtra, omne humidũ euapora, residentiam edulcora, exicca & cum vini spiritu circula, postea destilla, tandem supra marmor solue, sic habebis dulcem liquorem. Dos. 6. aut 8. guttæ. Ex ijsdem Corallis sequenti modo parabis.

SPIRITVM ARDENTEM Corallorum.

Fiat acetum radicatum, per tartarum & nitrum quater simul vstis, nouum semper nitrum addendo; hoc puluere acetum vini destillatũ probe impraegnetur, mox igne violento destilletur. In hoc aceto radicato soluantur Corallia rubicundissima in balneo calido. Solutio per chartã emporeticã filtretur, postea acetum vel euaporet, vel destilatione auferatur, manente in fundo albicante Corallorum materia, cui affunde aq. rosarum, edulcora, sicca: sic habebis pul uerem niueum insipidum. Hunc retortæ armatæ inditum aperto igne destilla, totus puluis, nil in fundo manente liquescet & destillatione effluet aqua limpida, spirituosa, ardens, in qua vera Corallorum essentia consistit.

MARGARITAE.

Margarita. Margaritæ in conchis marinis nascuntur, ex eo humore, ex quo cõchæ testa excrescit, terreo scilicet, viscoso, & exactè in minima (ab aqueo animalis humore) resoluto constantes, qui paulatim siccescit ac induratur, & certo tan dem tempore, nõ semper, ab animali pro testæ fabrica eructatur. Hinc Conchæ multiplici cute cõstant, cum semper posterior exiccetur, priusquã noua adijciatur. Dum humor ab animali morboso eructari & expelli non potest, ac in corpore hæret detineturq; si ibidem exiccetur, rudimentum

ac ini-

ac initium fit Margaritæ quæ adiecto sæpius nouo humore, eoq; exiccato, cute subinde noua augetur, ac in vnionem abit, haud secus quam lapis Bezoar, qui in capris Indicis multis cuticulis sibi mutuo adhærentibus & exiccatis nascitur: Id vel senescentibus é Margaritis constant, nam senescentes flauescũt, at dempta superiore cuticula, redit pristinus nitor argenteus.

Per vitrioli spiritum.

Margaritæ omnibus ad Nestoreos annos aspirantibus magnopere commendantur, nam cor, spiritusq; vitales roborant, omnibus venenis, pesti, febribusq; malignis potenter resistunt, animum exhilarant, cardiacos & melancholicos affectus, syncopas, animi deliquia, cordis palpitationes tollunt, & legitimæ præparatæ, cordis substantiam ne extabescat conseruant: hinc phtisicis, marasmo febre ardente, pestifera, & quouis sanguine profluuio laborãtibus vtilissimæ sunt, cum & temperie, & viribus ipsum aurũ æmulentur, vnde merito omnibus cordialibus madicamentis miscentur: memoriam etiam roborãt, fætum in vtero, neruosque firmãt, putredines, prauosq; corporis succos exiccant.

Præparantur autem Margaritæ supra marmor, & cum aquis cordialibus in Alcool impalpabile redigũtur, dum scilicet vna cum aquis dictis per subtilissimum setaceum aguntur, & demum exiccantur. Dosis est ℨj. vel ℨjß. vel per se, vel addito puluere lapidis Bezoar, aut vnicornu aut cuspidum extremorum cornuũ cerui, aut ossis de corde cerui. Sequens puluis ad omnia venena, morsusq; venenatos nulli est cõparãdus;

Recip. Margarit. præp. ℈j.
Lapid. Bezoar. gr. 10.
Ossis de corde cerui,
Cuspid. cornu. cerui a. gran. 5.
Vnicorn.
Auri diaphoret. a. gran. 10.
Bacc. vuæ Paridis. gr. 12.
Fiat omnium puluis. Dos. à ℈ß. ad ℈jß.

LIQVOR, SOLVTVM SEV
Lac Perlarum.

Recipe Perlas tritas q. s soluantur in aceto fortissimo, vel potius in succo limonum, aut spiritu vini cum aceto montano acuato, solutum decanta, aliud menstruum affunde, donec omnes fuerint solutæ, & in liquorem abeant lactescentem, cui adde saccari q. s. ad dulcorem. Ad soluti ℥iiij. adde Aquar. rosar. fragrant. flor. borrag. meliss. a. ℥j. Aq. cinamo. ℥ij. ol. cin. gutt. 4. misc. Datur ab ℥ß. ad ℥j Nec quicquam præstantius haberi potest in febribus malignis & pestilentibus ad vires reficiendas, & quasi mortuos resuscitandos admirabile est remedium. Probè claudatur vas, ne spiritus exhalent.

Ex hoc eodem exiccato sedimento parantur tabulæ, quæ ad vires promptissimè reficiendas, marcoremque senilem curandum, faciunt hoc modo. Recipe dicti sedimenti exiccati ℨj. magist. Corall. ℨß. saccari ℥iiij. Aq. ros. cinam. a. q. s. ol. cinam. gutt. 3. f. Tabulæ.

QVINTA ESSENTIA SEV
Oleum Perlarum.

Margaritis elotis, & in lapideo morta-

mortario tritis, phiolæq; inditis affunde menstruum acidi vegetabilis volatilis, vel etiã mineralis ad eminentiam 2. digitorum; clausam fortiter phialam, calẽtibus cineribus impone, solutionẽ decanta, aliud menstruũ affunde, digere, decanta: mixtas solutiones vel per balneum destilla, vt calx exiccata & calcinata resideat; vel vt compendiosius agas, solutionibus guttatim affunde oleũ salis maioris vegetabilis per deliquium facti, sic Perlarũ calx seu magisterium raptim fundum petet, capitis lactis, seu cremoris adinstar, separa menstruum per inclinationem nouum affunde, perge vt prius, quoad omnes fæces fuerint abstractæ; postmodum calcem exiccatam, aqu. pluuiali destillata ac calida, factis repetitionibus edulcora, vt omnis sit ablata acrimonia. Huic tandem magistetio affunde spiritũ vini rectificatum, ad eminẽtiam duorum digitorum vase probe munito, ne subtiles spiritus exhalent, vitrum calentib9 cineribus impositum octo dierũ spatio digere tunc magisterium paulatim in oleũ spissum spiritui vini innatans resoluetur, hoc per inclinationẽ decãta, alium vini spiritum affunde, digere, decanta, idq; toties, donec totum magisterium sit in oleum conuersum, tandem facta per biduũ circulatione, spiritus vini per Balneum ab Essentia, seu oleo separa non tamẽ ad totalẽ spiritus vini abstractionẽ: Et sic erit absoluta hæc essentia, cui si spiritum salis, oleum salis, aut vitrioli affuderis, iterum congelabitur essentia: Ex matre perlarum eadem essentia, æque efficax parari potest. Dosis sunt guttulæ aliquot cum liquoribus aut aq. appropriatis. Vsus huius essentiæ est, vt sumatur seminum Melissæ ℥j. semin. Lactuc. ℥ß. aq. fænicul. lib. 1. seminib. probe tritis, cũ dicta aq. emulsionem per linteum. Extrahe huius mixturæ Recip. ℥iiij. Essent. perlar. ʒij. Misc. Dos. mane & vesp. duo vel tria cochlearia.

Valet hæc essentia præcipuè addersus omnia venena, venenatasq; infectiones: Cor, cæterasque principes partes, summopere confortat; humidũ radicale, caloremq; natiuũ adauget, conseruat, spiritusq; vitales roborat, vt facile à venenis affici nequeãt, sanitatem conseruat, vitã in multos annos incolumem protrahit, omnes viscerum obstructiones reserat, febres ardentes mitigat, malignas curat, sitim tollit, calculos & vrinam ciet, neruosas partes roborat, Spasmum, Apoplexiam, Epilepsiam, & paralysin arcet, phtysicis, marasmo ac senili marcore laborantibus summum est solamen, eosque pristinæ sanitati restituit, si cum olei cinamomi guttulis sumatur; phrenitidem domat, hæmorrhoidum fluxum sedat; cãcri exulcerati exesionem impedit; tã in viris, quã mulierib9 vim prolificã auget; & quouis morbo etiam contrario correptos, roborando, & ad temperiẽ redigendo quemuis excessum pristinę integritati restituit.

LAPIS BEZOAR.

Huc referemus quoq; Lapidẽ Bezoar tũ Orientalem tum Occidentalem, qui è Capris quibusdam syluaticis in præaltis montiũ cacuminibus degẽtibus, & varijs

nobilibusque plantis contra venena pugnantibus vescentibus extrahitur; constat is ex tunicis, seu laminis, aut crustulis modo tenuioribus modo crassioribus, alijs alias complectentibus, vti in cæpis videmus, interdum politis & splendentibus, subinde etiã in extima parte scabris.

De huius Lapidis natura, facultatibus, viribusq; multi multa in vtramque partem scripserunt, & non ita pridem *Clarissimus Dominus, D. Caspar Bauhinus* ex instituto de eo libellum conscripsit, & quid Medici de eo hactenus senserint, varias in vtramq; partem sententias in medium adduxit, relictâ tamen & non prolatâ propriâ sententiâ: cùm tamen & manifestis aliquot, & occultis plurimis facultatibus polleat, *teste Doctissimo Anselmo de Bood*, & *clarissimo meo præceptore Horatio Augenio alijsq́; doctissimis viris*, qui hunc lapidem in venenis expugnandis satis laudare non possunt, à quo & cætera Bezoartica medicamẽta nomen sumpserunt: siquidem hoc tempore nullum ad venena aliosq́; difficiles morbos prædicatur præstantius medicamentũ lapide Bezoar, siue extrinsecus, siue intrinsecus adhibeatur. Ad omnium animalium venenatorum ictus, morsusq́; valet, si vulneri imponatur, vti & vulneribus toxico, aut re venenata inflictis. Cor à venenis, aëreq́; pestifero ac contagioso tuetur. Intrinsecus si puluis à granis quatuor ad 7. aut 10. cum liquore idoneo propinetur, omnibus cordis affectibus mirè opitulatur. Ad syncopen tamen in paroxismo, tùm paulo ante ex aq. cordiali, Borrag. Bugloss. Meliss. Cardui bened. Scorzoneræ, florum Tunicæ &c. ad 4. vel 7. aut 10. grana exhibitus mirè iuuat: sic ad cordis palpitationem quotidie mane 2. grana cum aq. Melissæ multùm prosunt. Ad Melancholicos humores domãdos, miros præbet effectus; nam elephantiasin, malam scabiem, prurigines, impetigines, erysipelata, & cætera corporis vitia tanquam præsens remedium sanat; febris Quartanæ symptomata, vt animi mœrores, anxietates, cordisq́; affectus aufert, vel saltem lenit, mitigatq́;, Morbo sacro seu Epilepsiæ tum puerorum & infãtium, tum adultorum medetur, si illis grana 2. in lacte: his verò grana 6. in aq. Tiliæ, Pœoniæ, aut Lilij cõuallij exhibeantur. Exhibitus cum aq. graminis, aut Gentianellæ, Vermes, lumbricos & tineas felici successu enecat, vt varijs à se editis experimentis testatur *Manardus* hac descriptione.

Recip. puluer. Herbæ Tanaceti ℨij.
Semin. Santonici ℨj.
Corn. ceru. vsti.
Semin. portulacæ
Carlinæ a. ℨß.
Lapid. Bezoard. peruani ℨß.
Misc. f. pulu.

Ad venenatos & contagiosos morbos

morbos hic lapis summopere cō ducit, nam & pestem, & febrium pestilentium virus ac symptomata, exanthemata, petechias, herpetes malignasq; pabulas cito ac miraculi instar compescit, extinguitq;, propinatur autem quotidie ad gran. 6. vel 7. cum vncia j. aq. acetos. aut borrag. aut flor. citri, maximo fructu, donec vel sudori, vel profluuio morbus manus tradat; datur autem aliquot horis ante pastum, ob occultos rerum dissensus, sæpe Medico ignotos.

Ad quæuis etiam venena quouis modo homini oblata lapide Bezoar nihil præstantius dari potest: Nec enim solùm corpus à veneno præseruat, sed & infectū aut oppressum liberat: ad præseruationem duo sufficiunt grana, vel cum vino generoso, si febris absit, vel cum aq. cordiali, melissę aut Cardui benedicti: ad curationem verò hausto iam veneno 8. vel 10. grana cum vino exhibētur: Imo ad Napelli truculentissimi veneni haustus, nihil præstantius reperiri potest: ita vt verbo dicere possimus, lapidem Bezoar ad omnes diuturnos & importunos morbos, etiam à flatibus originem ducentes, panaceæ instar esse, si præuia purgatione per aliquot dies exhibeatur. Indi ad seruandam iuuentutem, omnia membra corroborāda, totumq; corpus à morbis præseruandum, bis in anno, præmissa purgatione 5. dierum spatio ad 10. grana cum aq. Rosarum exhibent; tu, candide Lector, qui ætatem ad 120. annos salubriter protrahere studes, hos imitare non solum, sed singulis angarijs hoc lapide modo iam præscripto vtere.

Sed audiamus porro quid de cæteris lapidibus pretiosis, aut eorum saltem fragmentis rite paratis, ad propagandam vitæ diuturnitatem sit sperandum.

RUBINUS. Rubinus.

Carbunculi seu veri Rubini fragmenta vel in liquorem, vel in magisterium & salem acta & ebibita, venenis vehementer resistunt, & à peste præseruant, tristitiam arcent, coërcent libidinem, terrentia somnia auertunt, animos exhilarant, corpus sanum & incolume conseruant.

GRANATUS. Granatus.

Granatorum fragmenta cum oleo Salis aliquoties dum candent, extincta, & soluta, & solutio iterum edulcorata, vtilissimè Electuarijs, pulueribus & tabulis cordialibus ad varios morbos permiscentur.

SAPHYRUS. Saphyrus.

Saphyrus, omnium ferè gemmarum more, qualitate frigida sicca præditus est; in puluerem redactus, oculorum defluxiones siccat, inflammationes arcet, collyrijs adhibitus & palpebris illitus valet & ad omnia alui profluuia, dysenteriam, fluxum hepaticum, hemorrhoidum, sanguinisq; re-

jectiones, si hauriatur cum aquâ plantaginis, auriculæ muris, Bursæ pastoris, tormentillæ &c integra fronti admota, hæmorrhogiam sistit, & inflammationes extinguit, solo aspectu oculos recreat, & ab iniurijs tuetur. Puluis ad cordis roborationem præstātissimus est, & omnia membra principalia confortat; si lapidis huius Salis tria vel quatuor grana tribus cōtinuis diebus sumātur, omnes cordis tremores, & palpitationes tollit, cor viuificat, & ad incrementum reducit; pesti, omni veneno, febribusq́; malignis potenter aduersatur; cardiacos ad melancholicos affect⁹ vel tollit, vel saltem mitigat. Sic autem parabitur

SAL SAPHYRI.

Saphyri puluerem cum duplo sulphuris commisce, admoto △ calcina calcem aq. stillatitia calente ablue & à sulphure libera; calcem exiccatam spiritu vini rectificato perfunde, digere, destilla, quæ in fundo hærent, repetita opera calcina, ablue, exicca, spiritu vini persunde, digere, destilla, vt prius, idq́; toties, donec totus Saphyri puluis destillando, in liquorem abiuerit, tandem ablata per euaporationem aqua, crystalliza, sic salem; & hunc in loco humido supra marmor colloca, sic breui liquorem & magisterium habebis. Quod si ad veram cordis corroborationem pergere velis, adeo vt nunquam in futurum nunquam cardiacis affectionibus molesteris. Aliquoties ☉ purū in aceto terebinthinato extingue, & in hoc aceto Saphyri puluerem, vel prędictum salem solue, addas postea aquis cordialibus aut syrupis, & mēsis spatio vsurpa: adeo perfecta cordis hilaritas & robur subsequetur, vt nullā toto vitæ decursu patiére cordis palpitationem.

Eiusdem tincturā ad pestem & venena præstantissima sic elicies. Recip. pulueris Saphyri & Nitri p̄p. a. q. s. impone crucibulo, relicto superius foramine, & △ rotæ 7. horis calcina, tandē auge △ vt omnia liquescant; postea pulueriza, & aqua calente Nitrum abstrahe, exicca: hanc calcem oleo vitrioli solue, tandem spiritu vini essentiam extrahe, vt moris est.

Liquor Saphyri cū aceto fortissimo & limonum succo parat⁹, & exhibitus, omnes cordis affectus miraculosè sanat, & ad lætitiā summopere facit, hoc modo: In aceto terebinthinato multoties extingue aliquot ducatos, & hoc aceto solue Saphyri puluerem: Huic solutioni adde spiritum Melissæ cum spiritu vini extractum ad ℥ij. syrupt. violat. ℈j. Aq. Theriacul. ʒj. & croci ℈ß. mixta per mensem digere. dos. ℈j.

Paratur etiam oleum Saphyri Chymicum, sed plerumq; huius loco, oleum florum Camomillæ cum sale armoniaco tinctum, fucatur.

SMARAGDVS.

Smaragdus intensa viriditate præditus aliarum gemmarū more, frigida, sicca qualitate donatur, vnde omnem & alui, & sanguinis, & præcipuè dysentericum fluxum ebibit⁹ sistit, siue à mordaci

daci humore, siue à veneno ortũ duxerit: propinantur 6. grana in pollinem acta, cum aq. cordialib. acetosæ, tormentill. rosar. meliss. nam superueniente sudore somnoq́; intra decem horas liberatur.

præcipuè inter amuleta commendatur, nam à pueris collo gestat⁹, epilepticos paroxysmos arcet; digitis gestat⁹ eundem morbum impedit: Coxæ mulieris alligat⁹, partum accelerat; ventri apposit⁹ retinet; ori indit⁹ hæmorrhogiam sistit: ventri adhibit⁹ indubitato omnes dysenterias *teste Anton. Guainerio* miraculi instar, aufert, nimiumque hæmorrhoidum fluxum compescit; collo gestat⁹ inanes timores & melancholiam, vanaq́; spectra fugat & Hæmitritæam febrem tollit, memoriam firmat, solo aspectu suo virore visum recreat confortatque.

E Smaragdi fragmentis arte chymica Tinctura paratur ad omnes prędictos affectus vtilissima: In ferreo vase in puluerem agitur; pulueri per setaceum trajecto superfunditur spiritus vrinæ, qui aliquid phlegmatis coniunctum habeat, vt colorem extrahat, spiritusq́; iterum destillatione aufertur, remanente in fũdo gryseo extracto, è quo tãdem smaragdi color spiritu vini extrahitur.

Topasius.

CHRYSOLITVS.

Topasius seu Chrysolitus aureo suo colore solarem obtinet naturam; proinde vt aurũ, & Sol vitalis facultatis fomentum est, ita & Chrysolitus, vnde nocturnos timores ac melancholiam minuere ac depellere, intellectũ confortare, molestis insomniis resistere, pusillanimitatem & stultitiam auferre, sapientiã, animiq́; constantiam promouere, à fascinationibus ferentem tueri creditur.

Crystallus.

CRYSTALLVS.

Crystallus adeo frigida & sicca natura pollet, vt sub lingua detẽta, febrientium sitim sedet, manuq́; detenta, acutã febre laborãtes, recreet, ac refrigeret, præsertim si satis magna, ac sphærica figura donata fuerit, & sæpe gelida aqua rosacea immersa, quamuis in praxi obseruarim, mulieres hystericis affectib⁹ correptas, eiusmodi refrigerationis solatia ferre non potuisse. Crystallus in tenuissimum puluerem redacta, & cum vino propinata, dysenteriã curat, & albos vteri fluxus sistit. Cum melle, vino, ac iusculo exhibita, lactantibus, lactis vbertatẽ & copiam vi specifica auget. Drachma 1. cũ oleo amygd. dulc. exhibita, extemplo eos sanat, qui sublimatum vorarunt: Fluxum item cholericum, vel cœliacum citissimè, & à proprietate tanquã Bezoar aliquis compescit: Calculum etiam frangit, & per vrinã expellit hoc modo parata:

Recip. Aq. destillatæ roris maialis

vel fragorum, vel ſaxifragiæ, vel halicacabi, optimè acuetur ſpiritu ſulphuris acidiſsimo, in hoc liquore 10. aut 12. vicibus extinguantur fragmenta Cryſtalli, quibus tandem exemptis, addita ſufficienti ſaccari quãtitate, fiat ſyrupus cryſtalli. Doſis quotidie cochlear vnum: ad menſis ſpatium quotidie calculos diminuit expellitque.

Sequenti modo cryſtallum, reliquosq; ſilices & gemmas, pro remedijs calculifragis calcinabis.

Cryſtalli fragmenta optimè candentia decies aut duodecies vel in aceto deſtillato, vel aceto terebinthinato, vel in aq. deſtillata radicum vrticæ, ononidis, aut petroſilini, ſpiritu vitrioli aut ſulphuris optime inprægnata extingue, vt leuia ac quaſi ſpõgioſa reddantur; quibus extractis exiccatis, & in pollinem actis, adde tantumdem pulueris nitri per flores ſulphuris parati, miſce, crucibulo inde, & igne rotæ per aliquot horas calcina: ſatiùs tamen fuerit prius eliquare nitrum, mox fruſtulatim per vices indere calcem priorem, ſtent in fuſione per aliquot horas, ſic perfectè calcinabuntnr: mox nitrum aq. communi deſtillata repetitis vicibus aufertur.

Idem fieri poteſt cum floribus ſulphuris & mercurio viuo, quibus addũtur fragmenta cryſtalli, pari doſi, mox igne calcinatorio & ſulphur, & argentũ recedit, relicta vera cryſtalli calce. Hanc 24. horis igne reuerberatorio opt. reuerbera: tandem vaſe vitreo impone, affunde vel ſpiritũ mellis, vel acetum terebinthinatum, ad duos digitos, vaſe clauſo in balneo, aut eius vicario, digere ſolutionem ſepara, non ſolutum priori proceſſu & calcina, & ſolue, tandem mixtas ſolutiones ad ſiccum deſtilla, vel affuſo tartari oleo præcipita, calcem præcipitatam aq. deſtillatis calentibus repetitis vicibus edulcora. Huic ſali affunde ſpiritum vini rectificatum, digere, extrahet eſſentiã ſeu Tincturam; abſtracto ſpiritu reſidebit in fundo olei inſtar. Doſis ſalis 10. grana: olei vero guttæ 20. ſingulis ſeptimanis in vino diuretico, vel appropriato liquore. Alio etiam modo Cryſtalli Tincturam ſeu eſſentiã habebis.

Cryſtallum in tenuiſsimum pollinem actam duplo florum ſulphuris optimè ſupra marmor permiſce, adhibito △ ſulphur exvre, & 6. horis reuerbera: calcinatæ cryſtallo affunde aq. vrticæ vt ſex digitos emineat, & 14. diebus in ventre equi digere, mox deſtilla, & magna cryſtalli pars deſtillatione exibit: remanentiæ, vt prius aquam vrticæ affunde, repete opus, donec totum per deſtillationẽ exiuerit: Extillato inijce parum ſalis fuſi, ſtent aliquandiu, ſeparabitur oleum ab aqua ſuperiorem partẽ occupante; hac effuſa, aliam cryſtallis affunde, in qua iterum ſalis fuſi portio diſſoluta ſit, idque toties repete, donec omne ſal in ea ſolutum ſit, & oleum cryſtalli dulce fiat. Vel, Cryſtallum ſubtiliſsimè ſupra marmor tritam, cum aquali nitri, vel duplo floris ſulphuris pondere miſcetnr, & in calcem aduritur. Calx calente aq. pluuiali ſtillatitia abluitur, & exiccatur:

tur: mox vini ſpiritu perfunditur, & aliquot diebus in loco calido digeritur, tandẽ rurſus extillatur, & quod in fundo remanet, iterum calcinatur, lauatur, maceratur, deſtillaturq; toties, donec ſalis inſtar ſit, ac in vino liqueſcat niuis inſtar, tandem ſal in loco humido in oleum abit. Doſ. ℈ſſ. ad ℈j. eſt expertiſſ. etiam probatiſsimũ Recip. ad calculum.

IASPIS.

Iaſpis Iaſpis rubicunda mirificè ſanguinem non ſolum è naribus, & hæmorrhoidibus, ac vtero, ſed & è vulneribus fluentem cohibet, præſertim ſi ea eligatur quæ ſanguinis inſtar toto corpore rubet, & collo appendatur, aut femori adhibeatur. Viridis ſtomacho adhibita, eum roborat, nauſeam vomitumq; cohibet; calculos, vrinamque pellit. Omnis Iaſpis conceptum firmat; femori alligata, partum accelerat; geſtata febrem, ac hydropem prohibet, eo quod ſanguinis fluxum ſiſtat; etiam epilepſiam arcere creditur, vti & calculi generationem, ita vt inde ſculpturę ſcorpionis ſymbolo inſignitæ fiant, ſole ſcorpionem ingrediente, licet fruſtra & perperã eiuſmodi ſculpendi horæ obſeruentur.

LAPIS NEPHRITICVS.

Lapis Nephriticus. Nephriticus lapis in calculis & arenulis expellendis ſumma & admirabili poteſtate pollet. Geſtatur varijs figuris inſculptis *teſte Monardo*. effigiatus, aduerſus Nephritidis aut ſtomachi dolores, in quibus morbis valde commendatur: eius tamen præcipua laus eſt, ad nephriticos dolores, & calculum, arenulasq; expellendas: vrgente dolore alij brachio, alij femori alligant.

ASTROITES.

Aſtroites. Aſtroites ſeu ſtellaris lapis aceto immerſus hinc inde mouetur, ſubit enim per ſtellulas aut lineolas lapidi impreſſas, tanquã poros humor, ac dum incluſum aërem premit, ille exitũ quærens lapidem commouet. Hic lapis pulueris forma in aqua appropriata ad grana 4. exhibit⁹, ad peſtis contagia impedienda commendatur, & ad vermes è corpore deturbandos: geſtatus membrorum tremorem pellit.

BVFONIVS LAPIS.

Bufonius lapis. Bufonius lapis ad tumores atque inflationes à venenatis animãtibus illatas prædicatur, quas crebro contactu diſcutit. Nam ſi ſcarabei, glires, veſpæ, araneæ, aut ſorices alicui parti inſederint aut damnum intulerint, parti affectæ admotus lapis, miteſcit dolor, partisq; tumor ſubſidet. Præſente venenato poculo fertur hic lapis, non ſolum colorem ſuum mutare, ſed etiam ſudare, ac guttas à ſe mittere; proinde ad deprehendenda venena vtiliſſimus habetur, ideoq; à nonnullis ad venena magno fructu propinatur. Annulo perforato inſertus vt cutim tangat, præſente veneno cutim calefacit. Hodie à multis ad prædicta expetitur, an-

nulisq;

nulisque, licet ingrati coloris sit, gestatur. Præterea ad tollendos antiquos renum dolores & prohibendam calculi generationem celebratur. Nam ad ea certum & singulare amuletum esse, à Gemmarijs lucri auidis prædicatur. *Andr. Libauius 2. Batractior. cap. 23.* mirabilem refert historiam, prægmagni cuiusdam lapidis Græteriani, ad cuius lecturam beneuolum Lectorem, breuitatis studio, remittimus.

Succinū.

SVCCINVM.

Succinum album à Medicis ad varios affectus commendatur: Forinsecus gestatum, pueros cōtra fascinationes, nocturnaque terriculamenta tuetur; ceruici alligatum, oculorum lacrymas, fluxiones, & ophthalmias miraculi instar sanare scribit *Mizaldus.* Commansum succinum album, linguam grata dulcedine, naresque fragrantissimo odore afficit. Cordi in primis est amicum, ideo syncopen, animi deliquia, cordis palpitationes, & pestem ipsā curat, morbosq; cōtagiosos abigit, & cor contra omnia venena tuetur; balsami enim instar cordis spiritus recreat, viribus auget, pu rosq; reddit. Cerebro non minꝰ quàm cordi cōuenit: illud enim si nimio humore grauetur, corrigit, ac proinde vertiginem amouet, Epilepsiā, Apoplexiam, memoriæ defectum, lethargum, Ephialtem, paralysin aliaque vitia, quæ à cerebro oriuntur, non curat solum, sed ne quis in ea præcipitetur, prohibet: Asthmaticos à paroxismo liberat, vrinæ difficultate, calculoq; laborantes, statim iuuat Hydropicorum Ascitiorum aquas miraculi instar, breui vrinę promotione educit, Gonorrhœam, hæmorrhagiam, intestinorumq; difficultatem compescit, dentium dolores sedat, retentos menses ciet, vteri fluorem sistit, vteriq; strangulatum vi peculiari prohibet & curat; partum vteriq; prolapsum retinet, illūq; si difficilis fuerit, facilem reddit; catharris, morboque articulari medetur; renes & matricem purgat, omnia ventriculi vitia corrigit, eiusq; tunicas à vitiosorum humorum infarctu liberat, ac ne quid in eo putridi, aut dolor oriatur, prohibet; ad omnes cordis affectus, pestem, venena, morbosq; contagiosos edomandos sequens puluis mirificè præstat:

Recip. Succini alb. in alcool redacti ℥ j.
Corallor. pp.
Margarit. pp. a. ℈ ß.
Oss. de corde cerui
Cornu Ceru. pp.
Rasur. Eboris ℈ j.
Auri diaphoret. ℈ ij.
Terr. sigillat.
Boli armeni. a ℈ ß.
Misc. f. puluis, dos. à. ℈ j. ad ʒ j. cum Aq. cordialib. Meliss. Ros. Borrag. corn. tenell. cer. scorza &c. Sic ad Epileps. Apoplex. catharros ad pectus decūbentes multi hoc puluere præseruātur.

Recipe

Ricip. Pulu.succini alb.ʒij.
Spec.diarrhod.℥j.
Diamarg. frigid.
De Gem.a.ʒß.

Cum aq.beton.detur ʒj.altero à nouilunio die.

Ad omnia cerebri vitia sequẽs quoque puluis admirandæ facultatis est, nec enim solum desperatam curat Epilepsiam in pueris, sed & in adultis: Vermes item omnes interficit, è quibus sæpe Epileptici paroxysmi oboriũtur:

Rec.succini alb.in alcool.redacti ʒij.
Cranij humani
Vngul.Alcis
Cuspid.cornuum cerui.
Visci quercini.
Radix pœoniæ maris.
Seminum rutæ.
Pœoniæ.
Ciminj
Cinamomi.a.℈ij.
Cinabaris mineralis ℈j.
Auri diaphoretic ℈ß.
Margaritar. p̃par.
Corallor.p̃par.a.℈ß

Dosis hui⁹ pulueris a ℈j. ad ℈ij. cũ Aq.rutæ, Pœoniæ, Cerasor. nigr. Tiliæ, aut flor. betonic.die proximo â Nouilunio; præmissa purgatione idonea.

Ad capitis defluxiones, tussim, & asthma, exhibetur prædictus puluis, cũ Guaiaci; decocto; ad dentium dolorem decoquitur cum vino, & singulis diebus vnciæ duæ propinãtur: propinatus ex vino austero puluis, albos vteri fluores, & gonorrhœam ad ʒj. ex ouo sorbili mirè iuuat. Ex vino potatus puluis, grauidis partũ reddit leuiorem: calculum miraculi instar pellit, si paliuri, semen addatur; Mẽses prouocat, & vteri strangulatum sistit, difficilesque partus, faciles reddit, si drach. j. cum vino calente exhibeatur, cũ croci modico & artemisiæ decocto.

Ad morbos articulares coquitur cum guaiaco; ad conseruandum ventriculi robur, ad exturbandos ventriculi tunicis adhærentes humores; oculorum, matricis, renumq́; vitia emendanda, sequentes pillulæ mirificè commendantur.

Recip.Succini albi.
Mastichis a.ʒiij.
Essentiæ Aloes extractæ secundum Querc.ʒvj.
Agarici Trochiss.ʒijß.
Aristoloch.rotund.veræ ℥ij.
Feculæ Bryoniæ ℥j.
Myrrhæ ℥jß.
Croci ℥ß.

Cum syrupo de betonic. ex quauis Drachma formentur pillul.9.Dos.℈j. vesperi sub lecti ingressum.

Succini fumus vtero except⁹, decidentem vterum pristino loco restituit; naribus admotus, ejusdem strangulatum impedit; cubiculis exceptus, aëris putredines corrigit, pestisq́; miasmata consumit.

Hoc itaque modo Dogmatici Succino albo vtuntur; at Hermetici ex eodem & Tincturam, spiritum, magisterium, salem, & oleum arte spagyrica eliciunt ad omnes prædictos affectus mirificum

&

& iam dicto pulu[illegible]e multò efficatius:

Recipe Fragmentorum succini albi opt. mundatorum & crasso modo tusorum, lib. 3. impone matracio seu cucurbitæ non nimis altæ, affunde bonam quantitatem aq. Rosaceę, destilla per arenã, iuncturis probe clausis apposito satis amplo recipiente, ignis continuo, lentoq;, (quo scilicet in ceræ liquatione vtimur, fortiore adhibito ebullit.) Egreditur primo aq. rosacea, cum oleo albo, & spiritibus nubium instar apparentibus, mox in alembico striæ comparebũt, tunc vel cessandum, vel mutato recipiente, flauum & tandem nigricans, vel obscure rubens oleum excipiendum. Semper continuandus ignis, sic tandem ascendet Sal sublimatione, manente in fundo capite mortuo friabili, leui, ac nigro: Postmodum oleum album aliquoties per balneũ rectificabitur, semper addita noua aq. rosacea, sic aquæ limpidæ instar, & fragrantissimum euadet.

Admirandæ sunt huius olei vires, & meritò Balsamum Europæum vocatur, quod sua facultate omnia alia remedia superet, tã in Apoplexia, quam Epilepsia curanda, magnopere siquidem illis prodest, qui periculosis capitis affectibus obnoxij sunt, si guttulæ aliquot cum aquis Cephalicis Betonicæ, Maioranæ, Lauendul. Saluiæ, Anthos, Pœoniæ, Tiliæ, aut Lilij conuallij, aut spiritu cerasor. nigrorum exhibeantur: eodem inunguntur nares, ceruix; partes item neruosæ in paralysi, contracturis, spasmo. Ad Aëris contagia, pestẽm, febresq; malignas, & catharros prohibendos, nares manè & vesperi hoc oleo inunguntur, aut aliquot guttæ gossipio exceptæ sæpe naribus adhibentur, & eò præstantius erit, si aliquot guttulæ olei garyophillorum addantur. Eiusdem efficaciæ sunt Rotul[illegible], è simplici saccaro factæ, & dicto oleo perfusæ: præseruant etiam 3. guttulæ cũ sale Absynthij, & aq. scabiosę, acetosæ, cardui benedicti, aut veronicæ quotidie assumptæ, nam virus per sudorem, aut vrinã expellunt. Ad vesicæ renumq; calculum, vrinæq; suppressionem, vna aut altera gutta cum aq. pimpinell. Seneloruũ, Saxifragiæ, Raphani, Nasturtij, aut Petroselini propinatæ calculum pellunt, & obstructiones soluunt; quod etiã fit, si vmbilicus, & pærineum eo inungantur. Sex guttæ cum aq. artemisiæ & cinamomi difficilem partum reddunt liberiorem; ad quem effectum idem oleum Anguillæ pinguedini miscetur, & vmbilico adhibetur. Ad vteri strangulatum guttæ tres cum aq. menthæ propinantur, ac nares & vmbilicus inunguntur, hoc enim modo facile mulieres hystericæ restituuntur. Quotidie ad 3. vel 4. guttas vel per se, vel in idonea cõserua, aut in tabulis sumptum, caput frigidis defluxionibus, vt & vertigini obnoxium curat, roboratq;, & anhelitum liberiorem reddit, cordisq; robur auget. In

animi deliquijs ceruix, nares, pulsusq́; tempora inunguntur; vti & ad vomitum, stomachi orificium. Hæmaptoicis singulis septimanis bis tres guttulæ cum aqua Tussilaginis vtiliter exhibentur; vti & ad Icteritiam cum Aq. chelidoniæ; ad visus obscuritatem cum aq. Eufragiæ; ad colicã cum aq. Cinamomi, menthæ, aut cremorũ florum, camomillæ; ad febres, cum aq. Gentianæ, & cum aq. Tanaceti ad vermes; & cum aq. Rorismarini ad Melancholiã mirabile est: Guttæ 4. cum aq. fragorum sumptæ, mirabiliter retẽtam vrinam prouocant: septem vel octo guttę cum aq. Saluię aut Artemisiæ in fætus, & secundinarum expulsione mira prętat; vt & in mensium retentione cum aq. melissæ.

Succini Sal sublimatione prolectum & in aq. Maioranæ solutũ, filtratum, & aq. denuo per balneum separatã, iterum solutum, filtratum, coagulatumq́; idq́; repetitis vicibus, dabit oleum demũ, vel sal etiam Diureticum efficacissimum, ad 4. 6. 8. 10. grana exhibitum cum aqua Petroselini aut Ononidis; mirabiliter enim remoratam prouocat vrinam. Hic tamen Sal arte spagyrica in spiritum conuersus, vires obtinebit longè penetrantiores.

E Succino etiam Tinctura hoc modo paratur, quæ ad omnia, vt oleum, ac eodem modo ad vsum adhibetur, sed vnica olei gutta plus virium obtinet, quam sex guttæ Tincturæ:

Succino albo probè mundato & tuso affunde spiritum vini rectificatum q. s. stent in loco calido: Tinctum spiritum separa, affunde nouum, idq́ue toties, donec amplius non tingatur: Extractiones misce, & spiritum lento calore per balneum abstrahe, manebit in fundo liquor crassior purpurei sanguinis instar. Dosis 6. 8. 10. guttæ cum liquore idoneo morbis conueniente.

Vitriolum.

VITRIOLVM.

Videamus modo quid de Vitriolo Hungarico, Romano, aut Cyprio, vel maxime, quod arte spagyrica è Venere prolectatur, pro vitæ humanæ conseruatione nobis promittere possimus; Vitriolo seu Calcantho tum Hungarico, tum Romano, Silesiaco, & præsertim Cyprio admirandæ facultates passim tribuuntur, nos autem omnium maximas Vitriolo Veneris adscribimus, cum & maturius, puriusq́; sit, & à cupri corpore metallico per debitam calcinationem præuiam extrahitur, cum scilicet cupro in tenues laminas acto, & per sulphur facta stratificatione ritè calcinato per ignem rotæ, & (sublato tandem & combusto sulphure) in puluerẽ redacto, calidissima affunditur aqua, sic enim Veneris calx soluitur, Aqua verò cæruleo colore tincta, quæ demum lento igne per euaporationem abstrahitur, donec crascescere, & crustã agere incipiat, tunc immissis bacillis,

celle imponuntur, tunc resultant crystalli cærulei pulcherrimi, verum scilicet Veneris vitriolum, pretiosa illa Gemma, maximis dotibus ab Altissimo pro cõseruanda Hominis vita ornata, locupletataque, vt Smaragdos, Saphyrosq́;, si non æstimatione, vel existimatione, saltem viribus, ac operationis efficacia superare, vel minimùm adæquare potest; in quam summus rerum moderator omnium medicamentorũ neruum collocasse, eamq́; ex ineffabilis misericordiæ adytis, ac omnipotentiæ suæ thesauris depromptam, mortalibus tãto bono fruituris dono dedisse videtur, cum nullus sit in rerum natura morbus sublunaris, qui non ex vitriolo efficax remedium habere possit, vnde merito vniuersa Medicina ei tres sui partes deuouit. Etenim in hac radice omniũ ferè & Mineralium, & Animaliũ, atq; Vegetabilium virtutes præcipuæ, imo verò omnesomnium metallorum spirit⁹, vires, ac proprietates, in vno vitriolo, tanquã in sua origine delitescunt, continenturq́; maximè verò Cuprei, seu venerei, deinde & Martiales, & Lunares, imo etiam & Solares, qui immensa & inexplicabili virtute, viuâ, actiuâq́; efficaciâ exinde prodeunt, & eruuntur. Exemplo nobis sit Vitriolum Cyprium magnam Solis, seu auri quantitatem in se continens, ex quo, ad vtriusq; luminaris, Solis scilicet ac Lunæ dissolutionem aqua paratur, veteribus philosophis menstruum vocatum, quod vulgaribus mineris absq; additione non est concessum.

Est igitur Vitriolum sedes & habitaculum omnium spirituum metallicorum, in se habens sulphura, Salia, Rocchas, Ochras, Gillas, Aquas, & Ignes, atque ex contrariarum & pugnantiũ qualitatum conflictu & prælio tonitrua, imbres, nebulas, grandines, glaciamenta, niues, pruinas, & similia, quæ spagyricis inter medios labores versantibus tædia demulcent, ac fastidia solãtur, quãdo ex vno indiuiduo tot tamq́ue diuersas formas, diuersis quoq; imo etiam aduersis dotibus insignitas prodire cernunt, adeo vt theatralem quendam lusum præ oculis habere videantur.

In eodem quinetiam Vitriolo inuenies flammulas, ranunculos chelidonias, Oxalides, Hyosciamos, & papauara plusquam soporifera, plantagines item, solana, centaureas, hypericones, persicarias, imo etiam helleboros, & quicquid earum rerum postulas: Est enim Vitriolum chaos quoddam infinitum omnium medicinarum; præstat namq́; & Caustica, & Escharotica, Sarcotica, Epulotica, Narcotica, Septica, Stignotica, Repellentia, Attrahentia, Discutientia, Coarctantia, Aperientia, Deobstruentia, frigida, calida, sicca, at in humidis, nõ nisi

cum humidis humiditatem operatur, ita vt alicuius Prothei instar sese in omnes figuras transformare solitum sit. Hic est Leo ille viridis Riplæi, omnium animantium, id est, medicinarũ vires superans; inde fit Draco, nam Colcothar abstracto phlegmate, & exusto Vitriolo venenum euadit, vnde statim vrere, exulcerare vesicas ducere, ac caustica sua præpotenti vi lædere, aut exustione crustas inducere solet. Fit modo sus, cum scilicet vomitiuũ redditur, vt sumptâ Gillâ videre est: Fit & pardalis, dum scilicet Pardi instar variegati, varios & plurimos edit colores, variasque in se continet tincturas: Fit arbor alticoma, dum scilicet spagyrico ingenio Vitriolum ex se spiritus pandit, cerebrum potissimum exercentes, in quo quasi Quercus frondes suas exerit: Nunc frigida defluit vnda, quando scilicet Vitriolum vel natura vel arte in aquas resoluitur vitriolatas, ad quas pro refrigerio, inuictis ac deploratis morbis oppressi ablegantur: Fit etiam ignis Vitriolum diuerso Hermeticorum labore, nam extrema frigiditas cum summa caliditate coniuncta, se varimode pro operantis manu & artificis intentione prodit, vt iam dictum: itaq; eidem merito illud *Homericum* 4. *Odyss.* ascribi potest.

Concussit ceruice iubar, Leo factus & inde
Fit draco terribilis, modo sus, modo pardalis ingens,
Alticoma aut arbor, nunc frigida defluit vnda,
Nunc ignis crepitat.

O benedicta glacies, ô vitrum crystalloides, ô gẽma saphyrina & smaragdina, inter cęteras pręclarè scintillans, tibi humani generis salus quantum ad corporalem medicinã credita, tibi mortalium tot salutes concessæ, tibi tot ciuium vitæ cõcreditæ, suum apud te peculium depositum habentes, tibi diuitũ opes, tibi pauperum miseriæ, tibi inquilinorũ vitæ, tibi ventriculorum concoctiones, lienum opificia, iecorũ sanguificationes, renum sequestrationes, vesicarum cataclysmi, venarum meseraicarum ostia, mesenterij anfractus, abdominis labyrinthi, intestinorum facultates tàm retentrices, quàm expultrices debentur, tibi chylificationes, sanguificinæ, ac cãbij distributiones subnexæ hærent; tu caput recreas, tu ventriculum instauras, iecur restituis, tu reserato meatu choladocho molestæ futuræ obilysmi abitus viam monstras, tu lienem diminuens schyrros dissoluis, obstructa reseras, ac nimium laxa restringis, renes, vreteras, atque vesicam expurgas, calculos frangis, lapides atteris, tartarum minuis, sanguinis grumos dissoluis, atq; in vniuersum ea præstas, quæ hominum saluti conseruandæ, reparandæque debentur, & necessariò expetuntur, vt merito *Paracelsus* dixerit, in vnico Vitriolo quartam Pharmacopææ partem generosis reme-

dijs

dijs refertiſſimã conſiſtere. Quot enim in partes vel ſpecies Vitriolum ſpagyricè diuiſeris, vel quot formas ex eo elicueris, tot habebis, easq́; diuerſas Vitrioli qualitates ac operationes, adeo inter ſe pugnantes & diuerſas, vt ex vno ſubiecto tam varia remedia, ac inteſtino inter ſe diſſidio pugnantia pharmaca prodire vel poſſe, vel potuiſſe, incredibile quodammodo videatur. Aliud enim operatur Gilla & Sal Vitrioli; aliud phlegma; aliud ſpiritus acidus; aliud colcothar, creta, ac terra eius dulcis; aliud ſulphur ex hoc prodiens; aliud ipsũ oleum.

E Vitriolo igitur fit inſigne Vomitiuum, cum cryſtalli Vitrioli Veneris in rore vel phlegmate acido reſoluuntur, ac octo dierum ſpatio circulantur. Huius liquoris datur a ℈j ad ℈ij. qui longe efficatius operatur ipſo ſale, quod è capite mortuo vitrioli poſt deſtillationem extrahitur, vel ſoluitur vitriolum album in aq. pluuiali, ſolutio filtratur, filtratus liquor in cryſtallos coagulatur, qui labor ter repetitur, & vltimo loco cum aq. roſacea idem opus recantatur: cryſtalli in loco calido per ſe in candicantem pollinem abeunt.

Operatur hic puluis variè, modo per vomitũ, modo per ſeceſſum, interdum ſudores ciet, modo ſomnum parit, præſertim ſi è ſulphure Vitrioli eliciatur. Doſis à ſcrup. j. ad ſcrup. ij. Puerulis grana 6. 8. 10. vel in vino maluatico, vel Hydromelite vinoſo. E veſtigio vomitum mouet, quo ventriculus & onere leuatur, & robur citra vllum nocumentum acquirit, & cerebrum benignè purgat.

Exhibetur in Febribus, Lumbricis, omnis generis ventriculi morbis, ſalſis defluxionibus, Synouiâ, peſte, dorſi doloribus, & difficili Vulnerum curatione.

Ros, phlegma, ſeu humidus Vitrioli ſpiritus: Recip. Vitriolum ſelectiſsimum, eoq́, amplam ſatis cucurbitam ad dimidium adimple, & ſuperpoſito alembico, rimisq́; probè clauſis, per balneum mariæ adhibito quarto ignis balnei gradu deſtilla, & ebullitionem tantiſper vrge, donec tenuiores quoſdam ſpiritus halituum, ſeu roris inſtar aſcendere notaueris, tunc à deſtillatione ceſſa, & habebis aquam ſeu liquorem limpidum, phlegmatis ſeu roris Vitrioli nomine inſignitum, aereo vitrioli ſpiritu imprægnatum, circulatione, cohobatione, rectificatione, & repetitâ ſæpius deſtillatione extrahendũ.

Quod ſi dictum liquorem colcothari ſuo nouies aut decies reddideris, cohobaueris q́;, ſpiritus tum humidos tum ſiccos cõgregando, idq́; per cinerum, aut arenæ ignem medicamẽtũ longè potentius & efficatius habebis, cui in Epilepſia plus ſit tribuendum, quam oleo Vitrioli, id enim terreſtre magis & metallicũ, ideoq́; fundum petens, Iecoris, Lienis, Ventriculi, Renum, Meſenterij, Veſicæ, ac partium nutritioni dicatarum affectibus magis oportunum. Et licet in medicamentis comitialibus, & ad morbum caducũ, conuulſiones, ſpaſ-

mos, Apoplexias, vterinas suffocationes pertinentibus, subtilem quandam atq; penetrantem volatilitatem, ceu spiritum quendā animalis facultatis organa lustrātem pererrantemque desiderant Chymici, (quamuis oleum per accidens, quando Epilepsia partium infernarum ventriculi scilicet aut vteri consensu excitatur, potissimā curationis partem obtineat) spiritū tamen semper magis probāt, vt pote, qui aereus sit ideoq; facilius ad caput vehatur, & affectam partem tantò citiùs pererret, salutaria ei auxilia præstiturus.

De phlegmate, seu rore, aut primo vitrioli liquore hæc quoq; subiungunt Hermetici, esse quādam quasi huius mundi margaritam, quam si agnouisset *Galenus* procul dubio dimidiam suorum medicamentorum partem, quæ magno studio, multo labore, lōgis ac indefessis peregrinationibus, in AEgyptum, Palæstinam, Alexandriam, Romam, Cyprum, Lemnumq; susceptis deseruisset, & soli huic medicamento fidem ac fiduciam collocasset. Et licet Hermetici hac nostra ætate paulo altius interiorem Vitrioli anatomiam rimentur, & hucusque præclara multa adinuenerint, & in dies magis magisque in reserādis eiusdem arcanis indefessis laboribus, nec vulgari industria certent, vix tamen quartam adhuc Vitrioli & remediorum ex eo eliciendorum partem eruisse videntur. Et sanè si tota medicina nō aliud ex toto Vitriolo haberet remedium, quā solum hoc phlegma, tamen id (licet solo nomine omnibus vilescat) inter cætera medicamenta, vt gemma fulgeret, è cuius radijs plurima medicamenta scintillare possent. Atq; hic est Ros ille benedictus, quem Dominus Deus tot virtutibus & dotibus locupletatum humano generi pro sui sanctissimi nominis gloria est liberaliter elargitus; qui nō Chymicis duntaxat operarionibus in quibus tamen plurimū potest, sed & Medicis vsibus potissimum deseruiret. Experientia quippe constat hoc vitrioli phlegmate Lichenas Impetigines, Nomas & Erysipellata tolli, vlcera maligna repurgari, putrida mundificari, carcinomata eo colluta, vt & vlcera cacoethea eius vsu purgari, ac faciliorem medelam suscipere. Insuper eius vsu cutim poliri, & à quacunq; scabie repurgari, vt in cuprifabris, fabrisue ærarijs nulla nunquam scabie laborantibus videre est. Aphthis item eximiè prodest, & oris ex putredine natis exulcerationibus, quales post lōgas febres emergunt, vel scorbutum illum insolentem comitantur: vnde vtiliter eo os colluitur aquâ aliquâ conueniente plantaginis, prunellæ, aut centūnodij remixtum; sic partes stringit, putredinem & serpentia oris

Vires roris Vitrioli.

vlcera

vlcera coercet ac persanat; laxis gingiuis firmitudinem præstat, mucum & tortarum circa eorum radices hærentem abstergit, eademq; loca purificat, gratum ori saporem inducit, linguæ fastidia tollit, quæ in ardentem prunam excurrere potuissent.

Datur & hic liquor commodissime febrientib⁹ aquâ Cichorij, Endiuiæ, Acetosæ, Nympheæ, Lactucæ, Fragariæ, aut alia conuenienti mixtum, lautâ sanè ac largâ dosi: Est enim remedium securissimum, quod purgato prius corpore, vtpote alterãdo febres fugat, quascunque viscerum obstructiones aperit ac penetrat, oris amaritudinem tollit, & aufert, cibi fastidium adimit, appetentiã instaurat, prassinam bilem, eiusq; ferociam domat, & quosuis fellis insolentes motus molestos, periculiq; subinde plenos compescit ac exustis internis calore partib⁹ solamina præbet.

In Epilepsia morboue comitiali cũ Aqua, vel spiritu cærasorum nigrorum, aut cum stillatitio pœoniæ, aut florum Tiliæ, Lilij conuallij, aut Roris marini vel Dentariæ liquore saluberrimè porrigitur, præsertim si ex consensu vẽtriculi, & neruorum sexti paris ei implantatorum conspiratione morbus originem traxerit, aut exinde dependeat.

Sunt hæc rara & chara remedia; spiritus tamen vitrioli potẽtius operatur, suamq; operationem citius absoluit: phlegma tamen etsi infirmius sit, at continuato vsu, idipsum præstat, quod spiritus, licet paulo tardius: phlegma enim aquositate sua spiritus acrimoniam nonnihil retundit, ac eius subtilitatem suo quodam pondere deprimit, ita vt agilitatis perfectio in phlegmate multo sit remissior, at verò etiam scrupulosis (tametsi nullus hic sit metus, nec vllius emergentis mali inexpectati formido) securior visa.

In Dispepsia, & Bradipepsia vẽtriculi vino permixtum, vtiliter exhibetur: In renum ac vesicæ obstructionibus, & vrinæ suppressione. cum aqua Saxifragiæ Ononidis & Linariæ; at in Hydrope cum aqua Lumbricorum terrestriũ & modico syrupi Cinamomi salubriter porrigitur; vt & in affectibus vterinis cum aq. Panacis Heraclei, Artenisiæ, Melissæ, &c. Quod si dictum phlegma seu Ros secunda vice destilletur, abstracto primo liquore, seu quarta eius parte, multò potentius redditur; quod enim in cucurbita remanet, magis fit acidum: In omni enim aceto debilior pars primo per alembicum transit, manente in fundo potentiore parte cum in spiritu vini destillatione contrarium fiat, vbi nobilior spiritus primò procedit, magnâ subtilitate ac vtilitate præditus, relicta post se viliore, fatuâ ac segniore parte.

Itaque phlegma seu ros vitrioli præter alias quã plurimas, quas in se continet vtilitates, longæuitati maximè idoneas, vim quoq; habet mundificandi, aperiendi, obstructiones reserandi, ac viscera purificandi, & ab infarctibus liberandi. Humidum præterea radicale conseruat, firmatque omnes ac singulas partes nutricationi dicatas fulcit, sanguinis adustionibus, iecorisq; exæstuationibus medetur, phlogoseis reprimit, cerebri meatus aperit, internas putredines arcet, sudores mouet, præsertim si cum aq. card. ben. aut pimpinel. porrigatur. Febriũ pestiferarũ malignitatẽ pessumdat, ac in ipsa peste sudaturo cum aq. Stapediana porrectum, veneni vires frangit, eaq; tàm in chymia, quàm medicina præstat opificia, pro quorum thesauro Domino Deo nostro Iesu Christo sit immortalis laus, honor, gloria, & gratiarum actio sempiterna.

SPIRITVS VITRIOLI, SEV *Spirituosa Calcanthi Essentia.*

VItrioli volatilitas in eius spiritu consistit, qui medius est inter rorem seu phlegma, & oleum, cũ illud plus aquositatis, hoc autem plus terrestreitatis contineat; spiritus verò quasi vinculum inter vtrumq; de vtroque participat. Prodit autem vitrioli spiritus recto ordine post ipsum phlegma, ponderosioris substantiæ nempe olei (quod iam metallicam naturam sapit) prodromus, non iam vt phlegma leuiore ignis gradu, sed potentiore nisu euocatus, è demortua phlegmatis terra vi pulsus. Quamuis *Crollius* in Basilica solo balnei calore spiritum vitrioli eliceat, postquam vitriolum destillato maiali rore soluerit, filtrarit, & factâ menstruâ digestione ab omnibus fæcibus perpurgarit, tunc addito alembico, prius rorẽ seu phlegma, mox aucto balnei calore fragrantissimum, acidissimũ, & minimè corrosiuum spiritum prolectat, & tãdem auctiore igne ipsum quoq; oleum suauissimi odoris colligit: Et sanè hic modus eliciendi vitrioli spiritum cęteris pręstare videtur, cùm post destillationem, non laboriosis illis rectificationibus, reductionibus, digestionibus, exaltationibus, & purificationibus opus habeat, vt cæteri præparationũ modi, vbi ob vim ignis, spiritus plerumq; empyreuma sapit, spiratq;, caput grauiter infestans.

Sunt & alij modi compositi, quibus pro morborum natura quandoq; vtimur; v. g. prolecto vitrioli spiritui addunt aliqui partem roris maialis destillati, & facta digestione, liquorem iterum per balneum eliciunt, sicq; spiritum rectificant, & magnam Empyreumatis partem auferunt. Alij hũc spiritum paraturi vitriolo ritè purgato addunt spiritum vini rectificatum, q. s. vt in pultem mediocri-

mediocriter crassa redigi possit, quam cucurbitæ sat amplæ & probè clausæ ac munitæ imposi-tam per debitos ignis gradus destillant, vbi primum vini spiritus, mox aucto igne vitrioli phlegma & tandem spiritus ipse prorumpit, qui postmodũ per maris balneum separandus, & rectificandꝰ venit. Huic spiritui dupla vel tripla spiritus Tartari quantitas iũgitur, & additis aquæ Theriacalis camphoratæ partibus quatuor, simul digeruntur mensis spatio. Tunc scrupulus vnus aut drach. ß. pro ægri conditione in Epilepsia exhibetur validissimo planè ac efficacissimo remedio, præmissis præmittendis vniuersalibꝰ vacuationibus, corpus ad eius sumptionem disponentibus.

Spiritus Vitrioli Vsus.

Vitrioli spiritꝰ in multos vsus abit, præcipuè verò cerebri morbos ac capitis affectus adoritur, quos radicitus euellit, & eorum fundamenta scrutatur, vtpotè tenuis substantiæ, ac perfectarum virium, quibus & medicus, & æger fidere potest. Idem spiritus cùm diaphoreticus & summè penetratiuus sit, ideo testibus Doctissimis viris *Gesnero*, *Matthiolo*, *Heurnio*, *Angenio*, *Cratone*, *Doncelio*, *Zuingero*, *Quercetano*, *alijsq́, doctissimis viris*, omne venenum in peste, febribusq́; pestiferis, malignis, Vngaricis, ac punctualibus, seu petechialibus à corde protinus disijcit, & à centro ad circũferentiã, partesq́; exteriores, per sudorem expellit, obstructiones leuat, & suppressa menstrua mouet: Idem spiritus cerebri microcosmici regionem peruadit, aëra purgans, non madens zephyrus, nõ algens boreas, nec corus vel caurus nebulosus ac frigidus, nõ auster auditum hebetans, caliginemué oculis inducens, ac in syluis ceu cerebri anfractibus immurmurans; sed blandæ illæ Etesiæ, quibus fretus quondam noster *Hippoc.* ad grauissimorũ morborum curationem animosior accessit. Huius spiritus subtilitas, animalis facultatis instrumenta protinus pererrat, eorundem obstructiones reserans, in quibus Epilepsiæ, vertigines seu scotomiæ, Paralyses, Lethargi ac Apoplexiæ contingere solent, ideoq́: lethalium eiusmodi morborum pericula præuertunt, imo etiam accedente commoda victus ratione, ac ipsius ægri obsequentia in totum tollũt, nisi morbus iam extremum contraxerit habitum, tunc nihilominus eorũ tam difficiles paroxysmos, in rariores differunt, atq; earundem exacerbationes mitigant, & breuiores reddunt, in ijs presertim, qui iam iam sperare nesciunt, vtrum imbribus ac caloribus per æstatem victuri, vel per pruinas autumnum transituri, aut gelidæ hyemis molestas tẽpestates sint superaturi.

Et licet spiritus vitrioli subtilis & euanidus sit, non tamen euanescit, nisi prius auxilium tule-

rit, ac quod vitrioli oleum ponderosius planè, ac magis metallicum, in inferioribus partibus, Iecore scilicet Liene, Hypochondrijs, Renibus, Mesenterio, Abdomine, & Ventriculo præstat, idipsum spiritus in cerebro, ac partibus animalibus operatur, ac perficit, oleo partibus naturalib⁹ plus magis deseruiente. Quoties quæso rete illud admirabile ab obstructionibus liberatum, & spiritus vitrioli vsu reseratum fuit? Quoties os Ethmoideum ac colatorium, os cribriforme tenaci pituita occupatum, oppilatumq; hoc spiritu reclusū extitit? Quoties turbines illi per cœlestem cerebri aream insolenti quãdoq; impetu vagantes disiecti? Quoties Ecclypses ac tenebræ motionis sensusq; organa grãdi quadam caligine obducentes dissipatæ, ac nouo quodam lumine illustratæ fuerunt? Adest, pręstatque Maiorana, Libanotis, Saluia, Betonica, Euphragia, Stæchas, Spica, flos Cheyrinus, Tiliæ, Lilium conuallium, Pœonia, & plura alia caput eximiè roborantia, attamen non spretis, imo prædicatis potius eorum virtutibus, spiritus vitrioli his longè superior videtur, qui his cęphalicis medicamentis iunctus, torpidas & quasi languentes eorum vires suscitat, & in feliciorem effectum deducit; tota enim vitrioli efficacia in hoc consistit, vt præter proprias dotes, omnium medicamētorum vires intendat, & in perfectiorem quendam gradum exaltet.

Potest idem vitrioli spiritus, pro variorum affectuum ratione & natura, variis modis concinnari, ita vt is modo huic, modo alteri morbo fiat analogus, vt videre est apud *Crollium, Beguinum, Quercetanum*, & alios, qui vitrioli Elyxir, Tincturam & Magisteriū facere docent, vt & spiritum vitrioli aurificum, dulcem, & cum suo virore virentem describunt, nō omissis ferè hyperbolicis encomiis.

OLEVM VITRIOLI.

Tantæ insunt oleo vitrioli vires tam ad vitã in multos annos prorogandam, quam ad grauissimos morbòs persanandos, vt iure omnium medicamentorū Rex (si vniuersalem medicinam excipiamus) nuncupari possit, & ipsa medicina hoc oleo orbata, inermis, inanis, elumbis, & fatua dici queat, cum vitriolum omnium aliorum medicamentorum auxilia non modo intendat, augeat, vigoret, atq; perficiat, quæ huius beneficio destituta, languent, euanescunt, vel planè torpescunt.

Hoc igitur oleum paraturus, sume Vitrioli rubificati; seu colcotharis ad rubedinem calcinati, (vt infra patebit) q. s. crasso modo tusum, retortæ firmæ, intus vitriatæ, amplæ ac capaci indito, adiectis coctorum laterum frustulis retorta tamen vltra tertiam partem non impleatur; vas recipiens amplissimum applica, &

iunctu-

iuncturas luto seu pasta Hermetica, è sale argilla, bolo armena, ferri scoria, calce viua, oui albumine & glutine dissoluto concinnata, tenaciter claude, & agglutina, mox igne aperto à secundo caloris gradu, ad intensissimum & extremum oleum vrge, cauendo ne recipiens dissileat, aut fissuras admittat; Hunc ignem tandiu extende, donec nil olei amplius destillare, vel fumosi vaporis in vas recipiẽs euomi notaueris. In vasis recipientis fundo perfectum habebis oleum acidissimum; quod vt è fæcibus repurgetur, cucurbitæ vitreæ inditum ex arena per alembicum pellatur, in medicos vsus seruandum; quod autem in fundo remansit, vsibus metallicis adhibetur.

Et hoc est verum vitrioli oleũ, illud terrestre acetum esurinum, quod deiectum instaurat appetitum, cum tamen præterea, & è contra Orexin, ac caninã famem sanet; hæc est illa Oxalis, seu Acetosa mineralis, quæ febres quascunq; exurentes suo modo vsurpata restinguit, & causonides reprimit; hæc est illa Oxyacantha bilem domans; hic est ille liquor Cytoniorum aluum stringens, ac biliosas Diarrhæas cohibens; hic est acidus ille Limonûm succus febribus pestiferis, ac quibuscũque malignis aduersus; hic est ille crespinus sitim sedans, acvua crispa, oris amarorem tollens; hic est Rubus ille Idæus cordis vires reparans, cuius vires innumeræ, dotes ac facultates insignes nullo calamo sufficienter describendæ: Insigne enim hoc Dei Opt. Max. donarium cunctas laudes superat, & deprædicatorẽ suum ad raucedinem vsq; defatigat, cũ noua ab eo indies prodeant auxilia ad vitam propagandam felicissima, tanta celebritate, securitate, facilitate, promptitudine, ac iocunditate dotata, vt mundus ipse in admirationem raptus obstupescat, vilescentibus interim ac fatiscentibus ijs calumnijs & opprobrijs, quæ vel pigra quorũdam petulantia vel liuor, aut pertinax odium, ad lucernam hanc caligantium, stultè, temerè, arroganter ac ineptè sine vlla ratione effutiunt.

Olei Vitrioli vires.

Hoc vitrioli oleum has præclaras dotes possidet, ex aqua florum Anthos, Sambuci, Maioranę Saluiæ, vel Betonicæ datum, capitis dolores à frigore excitatos persanat; cum aqua Pœoniæ, florum Tiliæ, Lilij conuallij, ceras. nigrorum, Epilepsiã, morbumuẽ comitialẽ, protracto per aliquot septimanas eius vsu eliminat; cũ aqua Lauend. vertiginem tollit; cum aqua primulæ veris aut Iuæ Arthеticæ, paralyticis prodest; Lethargicos cum aq. appropriatis suscitat; cum aqua Euphrogiæ oculos recreat, & nerui optici obstructionem reserat, cerebriq; infarctus mirâ facultate expedit. Multò autem potentius suas exerit vires si conuenientibus Iulepis, Syrupis, aut Tincturis ad quosuis affectus analogâ ope valentibus misceatur ad gratum a-

corem. Insaniam leuat, calidos capitis dolores, eosque furibundos demulcet, & biliosæ cephaleæ æstus mitigat, felleas & ex bile profectas euaporationes compescit, & cerebri æstum contemperat. Medetur & Hemicraniæ ex efferuescentis aut ebullientis in ventriculo bilis brassinæ consensu natæ, adhibito semper prudẽtis Medici iudicio, & consideratis diligenter tum ægri natura, tũ morbi ratione, & temporis seu occasionis opportunitate.

Innatos insuper polypos contactu eximit, & Ozenas repurgat; In lue Venerea vbi earum partiũ ossa & cartilagines putrefiunt & ruinam minantur, corruptionem aufert, aqua Plantaginis aut consolidæ minoris vel maioris, vt & Chelidoniæ remixtum. Vuam pendulam ac flaccescentem imò vlceribus fædam, decocto Guaiaci inditum, ac collutum mundificat, constringit, & glandulas putrefactas, à pituitæ infarctu ac repletione liberat, si cum melle rosato lingatur. Dehinc Aphthas delet, ac putrescentia tum oris, tum Gingiuarum vlcera latius serpere consueta funditus extirpat, laxasq; gingiuas stringit. Tartarum ac mucositates dentibus adnasci solitas abstergit, vnde dẽtes purificat, firmat, ac dealbat; eorum cauitatibus inditum, vermes necat, & eorum dolores sopit, sed os dolorificum frangi tãdem necesse est, quod tamẽ postmodum citra dolorem excidit; Ad gingiuarum hæmorrhagias, vbi quandoq; euulso dente cruor ægrè sistitur, vnicè valet, solo enim loci sanguinẽ stillantis cõtactu aream contrahit & eam cruoris eruptionem protinus cohibet. Cum aq. Prunellæ, Semperuiui, aut Portulacæ gargarisatum, Prunam delet, ac linguæ & œsophagi inflãmationes ad gurgulionem pertingentes reprimit præsertim si Rob Nucũ, Diamorũ aut Syrupus violaceus admixtus fuerit, quo collutio humidior reddatur. Notandum tamen hoc loci, Nitrum non esse permiscendum, quo aliàs iam fido experimento vtuntur Medici, correcto tamen, & cum floribus sulphuris fuso, vt suo loco docebimus; Nitrum enim & vitriolum simul iuncta aquam fortem soluendo argento destinatã confestim repræsentant, quæ citra periculum intra corpus non admittitur.

Iam verò si ad ventriculi morbos veniamus (in pectoris enim & pulmonum vitijs persanandis oleo vitrioli, tum ob nimiam acrimoniam hisce locis infestam, tùm ob acetositatem iisdem partibus inimicã, cum hoc oleo vix acidius quicquam existat, tum ob astrictionem easdem partes exasperantem (nil omnino tribuendum) nullus sanè est ventriculi affectus, cui oleum vitrioli non medicam offerat manũ; excepto sangui-

ſanguinis vomitu, inflammatione & abſceſſu; reliqua omnia vẽtriculi mala, vitrioli oleo ſubiacent, & eius vſu domantur, nõ ſolum calida, ſed & frigida ſymptomata & effectiones quæuis promiſcuæ, quæ ex eo quaſi foco prodeunt, has enim omnes exterminat, choleram morbum, vomitiones, nauſeas, ac violentas ſtomachationes ſedans; vnde in frigida cauſa cum Syrupo Menthæ, Abſynthij, Enulæ, Corticum Citri, Cinamomi &c. porrigitur: In calida cauſa, cum Syrupo Granatorum, Acetoſæ, Creſpini, Ceraſ. acidor. Berberorum, aut de Roſis ſiccis, ſi ſit adſtringendum, exhibetur; Cum Syrupo Myrtino, Cydoniato bilioſas Dyarrhæas ſtringit: ſed & diuerſimodè datũ faſtidia tollit, ac nauſeas perimit, ſitim ſedat, oris amarorem aufert, aſſumpti cibi bileſcentiam, & quamuis corruptionem fieri prohibet, & iam factam corrigit, emendatque. Datur acidum, aut acre, vel amarũ ructantibus præſentaneo auxilio, & remedio planè ſalutari, Iulepo violato, Roſato aut Rob de Ribes permixtũ: In frigida vero cauſa melli Roſato, aut Citrato, aut Syrupo de Pimpinella aut enula &c. inditũ; cum ſyrupo de Agreſta porrectũ, bilẽ necat praſſinã, ac Iſato dẽ extermi nat: Cũ Syrupo de ſucco ſcordij, aut Cardui benedicti quibusuis putredinibus aduerſatur: Cum Syrupo de Portulaca, cui cortices citri inditi fuerint, vel cum Syrupo florum Hyperici vermes necat, & expellit: Cum Syrupo acetoſo Diarrhodon, aut de ſucco Hederæ terreſtris, aut cerefolij, vel aqua eiuſdẽ ſtillatitia grumoſum diſſoluit ſanguinem: Cũ Syrupo de ſucco plantaginis bilioſas compeſcit Diarrhæas, atq; Lienterias mitigat: Cum Syrupo de Symphyto, vel Hiſpidula, vel Piloſella impuris medetur abſeſſibus: Cum Syrupo florum Borraginis ac Bugloſſæ, Tunicæ, aut Rubi Idæi cor recreat, & infirmas eius vires reponit: Cum Syrupo de Limonibus, aut Fragis, Dialthæa, aut Adianthino, Fernelij, vel Nephro catharctico Ioberti, calculum atterit; & cum aq. Ononidis, Herniariæ, ſeu Empetri, aut Linariæ, vel vincetoxici eoſdẽ frãgit, ac per vrinarios meat⁹ expellit exturbatq́; nec non remorantem Vrinam expedit: In Colica cum Syrupo de Camomilla datur: In Inteſtinorum cõuulſionibus, & ſtricta aluo, cum brodio prunorum, aut paſſularum, vel Cibebarum laxante ſucco.

In Iecoris morbis quid quæſo præſtantiùs ac excellentius reperias? Obſtructiones enim quaſuis reſerat, vnde Cachexiæ præſens eſt remediũ; auxiliatur, proinde ex venarum meſeraicarum, ipſiusq; Iecoris obſtructione ægrè ſpiritũ ducentibus, ſuſpirioſis cacoſtomachis, quibus aſſumpti cibi ventrem grauant, & diſten-

dunt, ac vt follem inflant; ictericos protinus sanat cum Syrupo Bizantino, vel Eupatorio; aut de cichorio cũ Rhababaro, aut syrupo de quinq; radicibus exhibitũ: Hydropicos purgato subinde corpore plurimum iuuat, imo persanat abactis per vrinam serositatibus præsertim si cũ aq. Agrimoniæ aut S. Kunigundis (quam Eupatorium Auicennæ vocant) aut cum aq. Lumbricorum terrestrium admixtâ portione syrupi cinamomi præbeatur. Arquatum nigrum tollit cum syrupo de scolopendria, Lienem stringit, ac ne Schyrrhi in eo generentur, prohibet; vreteres mundificat, vasa spermatica eluit, ac totam ventris inferioris areã extergit. Nec iniuriâ sane & hæc & multa alia præclara præstat hoc oleum: In vitriolo namq; latet, eiq; inhęret plena, perfecta, absoluta & cõsumata cura Cachexiæ, Icteri, Verminationis, Epilepsiæ, Hydropis, Lythiasis, calculi & Arenarum, quin imo & Erysipelatum Scabiei, Vlcerum phagadænicorum, incipientis Lepræ, Elephantiasis, psoræ ab adusto sanguine natæ; Hypochondriacæ melancholiæ, schirrhorum ac induratorum viscerum, quibus non reperitur remedium: His enim omnibus Oleum vitrioli auxiliatur ac subuenit. Intendit autẽ & vigorat præcipuè omnia medicamenta vegetabilia, quorũ virtutes ad summum exaltat, vt vel in coloribus videre est in syrupo florum Tunicæ, Pœoniæ, Papaueris Rhæados Violarum, Rosarum, qui adiecto vitrioli oleo saturato colore purpurascunt. Sic & eodem vitrioli oleo Saicarum seu conserua Rosarum ita tingitur, vt ei Rubinus vix æquiparari possit, quam Hermetici conserua Rosarum vitriolam nuncupant, quæ in aq. cõmuni dissoluta, biliosis ac siticulosis febricitantibus, & stomachabundis potanda exhibetur præsenti sanè auxilio; aut ea deuoranda datur prassinam bilem euomentibus & amarum ructantibus tantâ iucunditate, vt sumẽtis appetitio, morbi vel symptomatis pellendi abactionem præuertat. Sed ne charta quidem cærulea depressum suum colorem seruat, quippe quæ solo contactu huius olei confestim ruffescit, ac purpurascit, ita vt nullus color ei similis adæquari possit, cuius decor omnium oculos in admirationem rapit, cum in puncto id cõtingat: quod si hæc fiant in viridi ligno, quid quæso in arido fiet? & quis dubitabit in vitrioli oleo tã subitaneis mutationibus insignito, non latere quoque insignem Tincturam, & vitæ in multos annos propagationem, & grauissimorum morborum sanationem præstituram?

Inest insuper vitrioli oleo plena facultas omnis generis febres curandi & exterminandi, siue ea fuerint stomachicæ, siue ex hepatis

tis incandescentia aut obstructione, vel venosi generis æstu, aut spirituum incendio, aut excandescentia ortum duxerint. Quinimo pestilentes febres, & malignæ quæuis, vinctas ei man⁹ tradere coguntur, cùm omnem putredinem, earum scilicet fontem & fomitem aufferat, ac corrigat, datur cum succo acetosæ semperviui, cichorij, endiuiæ, Acetositatis citri, Limonum, aut granatorum, portulacæ vel violarum in syrupum redactis: vel cũ aquis appropriatis, Lactucæ, Sedi, Angariæ, in internis inflãmationibus, in febrib⁹ malignis verò cum aq. Scordij, Scorzonerę, Stapedianæ, Cardui bened. calẽdulæ &c. Et sanè cum oleo vitrioli in toto hoc sublunari orbe nil quicquam acidius detur vt merito ab Hermeticis modo acetum terrestre, montanum, modo acetosa mineralis, modo succus acidus, esurinus nuncupetur, nõ video quidnam potentius putredines corrigere possit, quam vitrioli oleum, quod non vna; sed diuersis qualitatibus eidem resistit, aciditate scilicet salsedine, acrimoniâ, aperiẽdi potestate, ac valentis penetrationis virtute: suâ enim aciditate bilem domat, ac deprimit; acrimonia incidit, terget, attenuatq; salsugine putredinem corrigit, ac corruptionem emendat, vnde febribus omnib⁹ conducit, siue eæ continuæ, siue intermittentes fuerint, cum appropriatis vel succis, vel syrupis, vel aquis sumptum. Sed de his hactenus; pauca etiam de vitrioli Calcantho, sale, & sulphure dicamus.

Colcothar, Sal, Et Sulphur Vitrioli.

Extracto vi ignis vitrioli phlegmate, & spiritu, remanet in fũdo vasis caput mortuum, quod colcothar rubificatum vocant. Fit etiam colcothar *teste Beguino* & alijs hunc modũ in: In olla noua super prunas ad latus posita vritur vitriolum semper rubicula agitando mouendoque, donec omni sublata humiditate, rubicundum euadat. Valde adurens est hoc colcothar, & intra corpus humanum nullum habet locum, ad externa verò corporis vitia, fœda vlcera & id genus emplastris & vnguentis magno fructu permiscetur. Escaroticum insuper est, & crustas inducit, vnde sanguinem sistit. Paratur & ex eodẽ mirabile Antipodagricum, cum scilicet colcothari in puluerem acto, defecata sani adolescentis *οἰνωπότε* vrina admiscetur, vt rubentis pastæ instar fiat, hæc exiccatur, exiccata teritur & iterum dicta vrina persũditur, hoc opus tertio vel quarto repetitur, tandem omnia cucurbitæ induntur & per arenam destillantur. Elicitur acre phlegma, cuius portioni additur Oleum verbascinum, populneum, sambucinũ, raninũ &c, & dolenti parti applicatur.

Ex

Ex eodem colcothare caustico, escharrotico, & omnino venenato Dracone mordicantem, septicam exurentem, ac flammiuomam facultatem vomentem, fit blandum, mite, delicatum, & epuloticum medicamentum; cuius edulcatio facili admodum labore sic paratur: Colcothari perfectè rubificato, inque puluerem acto, & ollæ nouę indito affunde aq. pluuialem vel fõtanã calidam, postmodum aliquãdiu bacillo omnem materiam agita, tandem facta residentia aquam Colcotharis salsedine imprẹgnatam separa seorsim, aliam affunde, fac vt prius, idque toties, donec ad gustum nulla amplius in Colcothare salsilago deprehendatur, postea Colcothar exicca, & ad vsus reserua, quod & dulce, & rubentissimum erit.

Colcothar dulce.

Vsus multiplex.

Hoc Colcothar sanat, cutique firmitudinem prẹstat quam ante salis ablationem læserat; sic calida frigidis, humentia siccis iuncta hẹrent, vt aliter in concreto, aliter in abstracto, interueniente artis spagyricæ industria operentur. Sanat hoc Colcothar manãtia vlcera ijs inspersum; sic & vlcerosa cohibet Erysipelata, & noua Epidermide vestit; perniones, & quasuis cutis intertrigines redintegrat; serpentium vlcerum, & ex humorum vel acrimonia, vel salsedine cutim erodentium ferociam domat, & insolentiam coercet, Synouiã reprimit cum ouj albumine super datum; vulnerum hẹmorrhagias, & cruenta stillicidia sistit, modo venis sãguinem fundetibus ritè applicari queat; Emplastris sticticis iunctum & debita proportione mixtum, mira in Chyrurgia operatur, in vulneribus protinus per sanandis, spiculis, telis, cuspidibusque extrahendis &c.

Sal Colcotharis

Separatas superius è colcothare dulcificato aquas diligenter cola, & coquendo vel euaporando in salem inspissa; concretũ salem iterum aqua pluuiali solue filtra, seu per chartam emporeticam cola, & iterum coagula, habebis candidissimũ salem, cuius dosis sunt grana 3. in vini modico vel Oxymellite, aut Hydromelite vinoso: vermes siue in ventriculo, intestinis, aut vtero fuerint eijcere dicitur: licet intra corpus nõ ita tuto sumatur, cum pectori noxam inferat; In fædis autem vlceribus primas tenet, sinus, fistulas, & carcinomata expurgat, malignis vlceribus præsenti est remedio, & præsertim in periculosa illa oculorum fistula, acanthum occupante; gangrænam educit & iam putrefactas mucositates potenter euellit relicta post se non leui adstrictione, post vlceris mundificationem, firmam carnem, atque sanationi oportunam relinquente.

Sulphur vitrioli.

Vitrioli sulphur quod concernit, etsi varium à varijs Spagyricis conficiatur, inter quos & *Quercetanus*

tanus, qui Nepenthem suam miris modis deprædicat, eiusq; basim Vitrioli sulphur, è secretioribus Chymiæ adytis nullis aut paucis saltem cognitis erutum facit, constituitque: Nos tamen missis omnibus Hyperbolicis encomijs, verum vitrioli sulphur, è purificato vitriolo, & in aqua pluuiali (cui tertia phlegmatis chalcanthini pars admixta sit) dissoluto, affuso Tartari oleo paramus, sic enim confestim absque igne sulphur sequestratur, vitri (quod amplum esse debet) parietibus affixum, quod post liquorum separationem, aqua diluitur, vt dulcescat, tam insipidum euadit, vt cretam, bolumuè armenum, aut terrã Lemniam æmuletur, quinimo fixum est, nec cõburitur, sed flammas spernit: In hoc magna & pertinax Tinctura latet, vitrum enim in quo paratur adeo tingit, vt nulla arte, nullo lixiuio, nullo salis aut cinerum affrictu repurgari queat. Sulphur hoc flauum est instar ochræ, & multis magni anodyni loco habetur, quod gallinis ad aliquot grana exhibitum soporem inducat: tutissimũ saltem est cum omni sapore destituatur, & nulla vel acrimonia vel salsedine, vel odore præditum. Et hæc sunt quæ de Vitrioli præstantia & vsu, deq; medicamentis ex eo parandis partim è *Querceta- neis. Crollianis, Puteanis*, potissimũ verò è *Mindererianis monumentis*, partim etiam ex *Paracelso, Angelo Sala Penotoq;* decerpta, parti quotidiano nostro vsu, & experientia comprobata huc afferre, ijsque nostrum hoc Pantheum exornare voluimus: nunc antequam prolixo huic capiti coronidem imponamus, ad alia quædam æquè & grata, & nobilia, tùm ad præcauendos, curandosq; morbos, tùm ad vitam propagandam non minus præstantia, in candidi quoque Lectoris gratiam, impigro & calamo, & indefesso labore progrediamur.

Sal Colcotharis

Sulphur vitrioli.

NITRVM.

Admiranda plane est Nitri, seu Salis-petræ natura, vtpote quæ duas partes volaticas in se continet, sulphuream scilicet & mercurialem; illa eius anima, hæc verò spiritus dicitur: Sulphurea ad primum illud naturæ mouens, ignem scilicet æthereum accedit, qui non calidus est aut siccus, nõ consumens aut conflagrans omnia vt est elementalis, sed ignis quidam cœlestis, humor aëreus, calidus humidus, & talis quidem qualem in aquâ seu spiritu vitæ ferè obseruamus, contemperatũ scilicet viuificumque, & quem in vegetabilibus animã vocant vegetantem; in animalibus verò calidum & humidum radicale; emphytum, symphitumq; calorẽ, verum vitæ nectar, quo deficiente, illico sese mors ingerit. Præter hanc partem sulphuream, reperitur etiam in Sale-petræ spiritus quidam mercurialis, aëreæ natu-

ræ, qui tamen flammam concipere nequit, sed ei potius contrarius. Hic spiritus sua qualitate calidus non est, sed *frigidus*, testante idipsum eius aciditate prors' admirabili & ab elementali lõgè diuersa, cùm corpora dissoluat, spiritus coagulet, & omnium rerum naturalium fermentationis & coagulationis causa existit, vt in sulphure apparet, quod si acido hoc spiritu spolietur, olei instar diffluit; quo etiam spiritu acido inter cætera salia maximè abundat vitriolum, vt superius dictum. Hic deniq; spiritus acidus, frigidusq́; cur Sal-petræ igni iniectum, sulphureq́; eius accenso crepitum edat, & de eorũ numero sit, quæ cõtrario motu mouentur. In hoc igitur mirabili sale lato Ignis naturæ, natura Hermaphroditica, mas & fæmina, fixum & volatile, agens, & patiens, calidum & frigidum, ignis & glacies, mutuaq; amicitiæ ac sympathiæ in vnum coniuncta, & in eandem substantiam vnita. Hic sal præcipua est clauis, & primarius ianitor, qui solidissima durissimaq; tum lapidum tum metallorũ corpora aperit, ipsaq́; maiora luminaria in liquorem agit cum aqua propria extracta, ex tota massa absq; maris seu fixi separatione. Hic insuper sal corpora reddit volatica & spiritualia; spiritus è contra coagulat fixatq́; etiam summe volatiles; promptissime flammas cõcipit, at medijs in ignibus liquefactus in crucibulo, flammas respuit, nisi ignis ad contactum admoueatur; tandem etiam in igne fixatur; Idem sal licet post debitã depurationẽ candidissimus, crystallinus, & diaphanus euadat, interius tamen omnis generis colores pulcherrimos continet, quod vel in spiritus nitri simplici destillatione videre licet, spiritu vitri corpus penetrante, & farinæ instar varijs coloribus insignita externis vitri parietibus adhærẽte, manẽte in cucurbitæ fundo residuâ materiâ niuis instar candicante ac prorsus fixâ: Specificũ sane ad omnes febres extinguẽdas remedium, datum a drach ß. ad drach. j. in conuenienti aliquo liquore. Huic remedio simile nõ datur ad incidendum, tergendũ, itemq́ue ad purgandas euacuandasq́ue humorum corruptiones atq; putrelagines, & ad corpus ab omni corruptionũ inqninamento conseruandum, vitamq́ue in plurimos annos propagandam. Cùm enim sit de natura salis balsamitici, oportuit ipsum talibus quoq; virtutibus & proprietatibus esse præditum. Hinc factum est vt Hermetici non solum, sed & dogmatici Medici ex ipso Nitro seu Sale-petræ præclara concinnarint remedia, quibus omnibus fere & grauissimis morbis occurrerent, vt est spiritus Nitri, Oleũ, Magisterium, Sal prunellæ, quem & Glaciem paradysi, Anodynum minerale vocãt, & sequenti modo

Salis prunellæ præparatio. do conficiunt. Nitrum seu crystallum mineralem pellucidum, & ab omnibus sordibus defæcatissimum crucibulo indito, & ad ignem rotæ liquefac, ad liquefacti libram vnam paulatim, & per vices inijce vnc. j. optimorum florum sulphuris, quoad omnis pinguedo deflagratione abscedat, & crucibuli fundus ob Nitri pelluciditatem commode videri possit. Postea solutionē in destinatas æneas formulas effunde; si nondum placeat nitor; Hoc Nitrum iterum pulueriza, in limpidissimâ aquâ vel pluuiali, vel rosaceâ solue, solutum per chartam bibulam filtra, coagula, coagulatum iterum in crucibulo liqua, & per sulphuris flores reliquam pinguedinē crema, vt prius, quoad tandem placuerit. Quod si hunc salem saporis conciliandi gratia, saccaratum esse velis, in vltima concretione inter coagulandum saccarum finissimum puluerizatū anaticâ fere proportione immisce, donec miscendo duritiem acquirat: vel solue saccarum candi in aquâ rosaceâ postea etiam Nitrum purificatum, colaturam artis ingenio inspissa, & in cella crystallos expecta dulcacidos. Quod si libra vna Nitri præparati cum salis Armoniaci depurati drachmis quatuor vel 5. secundū artem fundatur, remedium erit præsentissimū in Prunella. Sunt qui in vltima coagulatione inter coagulandum variorum florum tincturas vt violarum, rosarum, florum tunicæ &c, immiscent, & ingenioso hoc fuco multos in huius remedij sumptione decipiunt.

Mirabilis, varius, & multiplex est huius medicamēti ad omnes pene morbos vel sanandos vel præcauendos vsus: Datur enim à scrup. j. ad drach. ß. imo ad drach. j. pro hominum ætate, viribus, & morbi natura, in Aquis destillatis morbo conuenientibus, vel vino vel succis depuratis vuę crispæ, Acetosæ, Semperuiui, Sedi maioris & minoris; vel Iulepis, Syrupis, aut decoctis appropriatis. Conuenit enim in omnibus febribus tàm continuis, quàm intermittentibus, internis inflāmationib⁹ Pleuresi, Angina, Prunella, Renum & Vesicæ calculo, arenulis, internis viscerū obstructionibus, vrinæ difficultatibus, vteri obstructionibus, mensium retentionibus in clamosa item & febricitantium & Hydropicorum siti, in externis ardoribus, in pestilentibus affectibus, malignis, & Vngaricis febribus: est & Militibus castra sequentibus, & impuras sæpe aquas haurientibus & sæpe Pruno Vngarico affectis sollenne remedium, quo nullus vnquam carere deberet. Vt iam externos affectus, inflammationes, Erysipelata, & id genus silentio inuoluamus, quibus hoc remedium debito liquore solutū, adhiberi potest. Hoc saltem in huius

 ius

ius remedij vſu notandum, quod qui frigidiores habent ventriculos, in calidis rebus; qui calidiores, in frigidioribus rebus adhibendum eſſe.

E Nitro quinetiam elicitur arte ſpagyrica ſpiritus, qui verus eſt naturæ ignis, ſuasq́; vires & inſignes facultates in Colica, Pleuritide, Angina &c. exerit, nam ſpiritus Microcoſmi efferueſcentiā & malignitatem compeſcit, & mirè reprimit. In Pleureſi & prunella miſcetur anaticâ proportione cum ſpiritu vini, & de illa mixturâ dātur ſcrup. ij. vel drach. j. in hauſtu aquæ fontanæ tepidæ. Extrinſecus cum oleo Nuciſtæ expreſſo & Zibetti tantillo permixtum, & vmbilico inunctū, intollerabiles Colicæ dolores confeſtim nō ſolum ſedat, ſed & diſcutit, malignosq́; crudos, & vitioſos humores reſoluit, qui niſi impediantur, quo minus ad partes neruoſas & articulos ipſos impetu feruntur, & miſeram articulorum reſolutionem & laxationem excitant.

Fit etiam eſſentia extracta Halonitri, quod febres omnes ad miraculum curare dicitur, hoc modo: Halonitro probè præparato & in pollinem acto, affunditur ſpiritus vini, ſolutio filtratur, colatura digeritur, donec ſedimentum fiat, hoc abiecto, clarus liquor circulatur, & tandem in clariſſimā eſſentiam coagulatur.

SVLPHVR.

De Sulphuris denique natura, viribus, proprietatibus, & vſu multiplici ad vitæ propagationē nōn ſolum, ſed & ad grauiſſimos morbos perſanandos plurimum facientibus multa dicenda forēt, breuitatis tamen gratia beneuolum Lectorem ad *Crollium, Beguinum, Quercetanum, Penotum, Libauium &c,* remittimus, qui ex profeſſo illa tractant, nos pauca duntaxat noſtro inſtituto inſeruientia adducemus.

Flores ſulphuris.

Occurrunt primo flores quos ſic paramus: Cucurbitam terreā, furno arenæ impone, habeat & duos alēbicos vitreos idoneos, quos cū libuerit aptare, aut mutare poſſis: vacuā tuam cucurbitā arenæ impoſitam igne gradatim adhibito calefac, ignem temperatum ſerua, ne ſulphur imponēdum liquefiat; calefactæ igitur cucurbitæ ſulphur in fruſtula actū manipulatim inijce, & alembicum ſuperadapta, mox videbis ſurgentes ſulphuris flores, modo iuſtè ignem ſeruaueris, elatos flores ablato alembico collige, ſed alterum ſtatim alembicum adapta, ne ex mora, & aëris ingreſſu ſulphur flammam cōcipiat; poſtmodum eleuatos flores iterum collige, & ſi viſum fuerit, nouum ſulphur immitte, quoad ſufficientes flores nactus ſis. Quos ſi elegantiores & in Medicina efficatiores deſideres, prædictos flores cum pari Salis anodyni in puluerem acti miſce, & prædicto iam modo ſublima, habebis flores albican-

bicantes subacidos, & tanta virtute præditos, vix vt quispiã credere possit. Quidã hosce flores, vt etiam Bezoartici reddantur, & ad pulmonum affectus præstantiores, cum saccaro candi, myrrha, croco, & aloe, atq; colcothare rubeo miscent, & sublimant.

Resistunt hi flores putredini, ideoq; in peste, morbisq; pestilẽtibus tùm curandis tùm præseruandis in aquis, iulepis, conseruis cordialibus offeruntur: omnibus morbis exiccatione indigentibus conducunt, in omnib⁹ pulmonum affectibus, asthmate, tussi, catharris ad pectus labentibus, pleuritidi, apostematibus & quibusuis corporis putrefactionibus.

Flores sulphuris.

Spiritus sulphuris.

Spiritus sulphuris acidus per campanam factus easdem vires habet, quib⁹ etiam spiritus vitrioli insignitur, putredines arcet in phthisi autem asthmate, sanguinis sputo, catharris suffocatiuis, alijsque pectoricis affectibus debitis vehiculis administratus, suam laudem obtinet.

Oleum sulphuris.

Oleum verò sulphuris tantæ est virtutis & efficatiæ, vt nullum corpus putrescere sinat, sed integrum conseruet, & ab omni vel cœlorum impressione, vel externa aëris iniuriâ, aut alimentorum corruptione vindicet, tueaturq;. Insuper multis & varijs tum internis, tum externis corporis vitijs aduersatur, verrucis scilicet strumis, Orexi, Hydropi, Aurium tinnituj, Vrinæ suppressioni, Colicæ, Epilepsiæ, Odonthalgiæ &c. si debitis vehiculis administretur: In febribus item putridis, quartanis, pestilentibus & ipsa peste in liquore aut iulepo, ad gratum acorem: Quoad præparationem, Recip. Sulphuris probe per iteratas cum puerorum vrina decoctiones purificati, dealbati, & ab omni fætore vindicati quantum vis, adde tantundem pulueris lapidis pumicis, aut silicum, mixta retortæ indantur, & per arenam lentissimo igne bidui spatio, preciosum sulphuris oleum destillabis, quod postmodum per Balneum rectificare poteris.

Rubinus sulphuris.

Balsamum quoq; seu Rubinũ Sulphuris parabis hoc modo:
Ad. ℥iij florum sulphuris debito modo sublimatorum cucurbitæ inditorum affunde olei Terebinth. vel Iuniperini vt 4. digitis emineat, stent in loco seu arena calente, quotidie vas agitando, sic tandem Sulphur in sanguineum liquorem soluetur; vase refrigerato, Tincturam decanta, nouũ soluens affunde, fac vt prius, donec omnis sit absoluta solutio, nec quicquã amplius tingatur; collectas tincturas balnei calore destilla, & menstruũ separa; relictæ in fũdo tincturæ spiritũ vini, vel spiritum iuniperinũ affunde sine vt tingatur, Rubinum separa per inclinationem, aliũ vini spiritum affunde, vt prius; tandem iunctas tincturas per Balnei tẽporẽ aliquandiu circula, postea euocato spiritu, in fundo habebis mellis crassitie Balsamũ, Rubinum, seu sanguinem sulphuris, magnum in medici-

na thesaurum in phthysi, pectoris affectibus peste, febribus malignis, varijsque humorum corruptionibus.

Cremor seu Lac Sulphuris.

Lac, cremorem seu butyrum sulphuris parabis ex eiusdem floribus ritè paratis, in vitro positis, & in oleo tartari, per salem suum oleaginosum resolutum parato, super arenæ calorem dissolutis: Dissolutioni affunde pedetentim acetum destillatum, efferuescet materia, & lacteus sulphuris cremor subito fundum petet; dissoluens per inclinationem separetur, albissimus verò cremor crebris Aquarum cordialium ablutionibus edulcoretur. Crollius & Beguinus quãdoq; florum loco, ipsum purum sulphur cribratum sumunt, & ad ℥j sulphuris addunt Salis Tartari ℥iij. Aquę communis *lib. 3.* digerunt in arena 24. horis paulatim Ignem augendo, vt sub finem aq. ferè bulliat, & sulphur soluatur: calentem solutionem per chartam bibulam filtrãt, filtrationi acetum destillatũ, vel vinum austerum, affundunt, sicq; Cremorem ad fundum pręcipitant, mox separato per inclinationem dissoluente, cremorẽ crebris aquarum cordialium ablutionibus edulcorant, siccant & vsui reponunt. Magnus est hic cremor vitę propagandæ thesaurus, est enim humidi radicalis seu primigenij Balsamus; vires naturales confortat; sanguinem purificat; est specificum remedium ad omnes pulmonum & thoracis affectus, asthma, phthysin, antiquas tusses; cerebrum confortat, ab Apoplexia, & neruorum contracturis præseruat, catharros exiccat; ventositates & flatus discutit; in peste magnum est remediũ; in Arthritide, podagra, Schiatica magnopere cõmendatur, nam occulti Ignis instar, omnes prædictos morbos consũere dicitur, Datur hic puluis in appropriatis liquoribus & tanta dosi, vt inde liquor quasi lactescere videatur.

Essentia Sulphuris.

Extractum quoq; seu Essentiã Sulphuris aurei ferè coloris, ad omnes corrodentes morbos, hęmorrhoidum, penis, & aliarũ partium vlcera extrinsecus curanda præstantissimum:

Recipe Florũ sulphuris q. s. impone scutellæ vitreatę, lento Ignis calore liquescant, liquefactis adde partẽ 1. salis Tartari triti, agita bacillo, donec omnia in materiam subrubeã inspissentur, massem supra marmor effunde, induratam tere, puluerẽ vitro impone, affunde vini spiritum q. s. & in ictu oculi aureo colore tingetur; stet tinctura per noctem, & Rubini instar euadet.

Secreta sulphuris fixatio.

Et hoc selectissimo arcano, paucissimis cognito, & ad vitæ propagationem, & ad metallicas tincturas plurimũ faciente Pantheum nostrum exornare, & beneuolo Lectori vltro & gratis offerre voluimus, licet hactenus & nobis, & amicis secreti loco habitum fuerit: Sulphuris viui electissimi, & calcis viuæ electæ in alcool

alcool actorum anaticas partes vitreæ ollæ impone, & affusâ fontanâ sufficiente, coque tantisper quoad aqua lactescat; lactescentem decanta, nouam fontanam affunde, decoque vt prius, lactescentem iterum decanta, & nouã affunde, idq; tamdiu, donec decoctio amplius non lactescat, vel tingatur. Tinctas decoctiones, prius probè per chartam emporeticam filtratas lento igne coagula; coagulum liqua, liquatum in conos funde: conos iterum liqua, & ad 1. partem liquationis, affunde reguli fusi ♁ q.s. fiet mixtio, at non sine strepitu. Omnib⁹ refrigeratis, regulum diligenter separa; sic habebis sulphur solubile, fixum, & ignem respuens. Ad hoc fusile & fixum sulphur, prius reuerberato, adde partem anaticam sulphuris communis non fixi, funde, & liqua simul, sic totum figetur. Hac adeptâ claue, cum tibi via patescet ad aureos Hesperidum hortos, pomis aureis refulgentes, modo industrius & elegans Spagirus fueris, & præeunte *Paracelso lib. de natura rerum* fixo huic sulphuri, debitâ ☉ tincturam addere noueris. Prædicto fusili & fixo sulphuri in alcool reducto, affunde spiritum Terebinthinæ digere, tincturam extrahe, menstruum a tincturâ separa, tãdem affunde spiritum vini rectificatum, extrahe s.a. factis repetitionibus purissimam sulphuris essentiam, verum protrahendæ sanitatis balsamum. Sed de his plus satis, ad alia transeamus.

Essentia sulphuris.

CAPVT XIII.

De secretioribus quorundam Vegetabilium Vitæ propagationem promouentiũ virtutibus, proprietatibus, Tincturis, Oleis, Salibus, arte Spagyrica eliciendis.

SVPERIORI capite multa quidem de quorundã & Lapidum, Gemmarum, & Mineralium occultis viribus & maximis ad vitam in multos annos producendam potestatibus non minus iocunda, quàm vtilia, atq; necessaria in medium adduximus, cõsequens est vt & de pręcipuorum quorumdam Vegetabilium balsamiticis facultatibus Vitæ stamina in multos annos protrahẽtibus pauca pẽrstringamus, antequam candido Lectori sex rerum non naturalium historiam ob oculos ponamus, idq́ue eo magis, quod in sequentibus nullus forte commodior locus hisce explicandis sese sit oblaturus; de Metallorum siquidem viribus & potestatibus ad vitam extendendã facientibus suus quoq; dabitur locus, libro scilicet huius operis tertio, vbi de vniuersali Medicinâ sermo erit.

Fatetur quidem *Apuleius* se ab occulto Numine edoctum, multa esse & herbarũ & lapidum genera, quibus homines sibi vitæ etiam perennitatem tribuere possint, sed fas non esse tanta secreta hominibus reuelare, qui cũ pauco tempore viuãt, pluribus malis stude-

ſtudeant, imo omnibus vitiorum gurgitibus ſeſe immergerent, ſi vitæ perennitate potirentur: At cum hoc vanum & profanum ſit Ethnicorum figmẽtum, illud relinquentes, cum in hoc ſublunari mundo non vitæ perpetuitatẽ, ſed eiuſdem in multos duntaxat annos productionẽ inquiramus; reſeratis prius vegetabilium adytis, quid, pro vita propaganda, intus lateat, penitiore mentis acie introſpiciamus.

Aloes. Occurrit in primis ALOES foliis ſemper virentibus, pinguibus ac ſucco balſamitico plenis prædita, quam Botanici quandoque ſemperuiuum Indicum, aut Sedum amarum vocant, cuius Natale ſolum eſt India; quæ enim in India prouenit, Aſiaticâ, Syriacâ, Arabicâ, & cœlo-Syriaco longè præſtat, optima habetur Soccotrina, ſplendens, nitida, minimè adulterata, ſapore amariſſima, colore ruffa, boni odoris, calculorum expers, hyeme friabilis, ac iecoris modo denſata, æſtate lẽteſcens manuum affrictu. In maximo ſemper vſu fuit Aloës non priſcis duntaxat Medicis, qui varias Remediorum formas ad varios morbos ex Aloë concinnarunt, ſed & Neotorici ac Hermetici omnes eandem magnis laudibus extulerunt, cum per ſe ſola pro ſanitate tuenda, ritè pręparata, ſufficiat, & plurimorum Hominũ vires, robur, incolumitatemque vnicè iam olim tutata ſit, quorũ ætatem ad longos dies & annos liberiorem, liberaliorẽque produxerit. Arcet enim ea cuiuſcunque generis putredines tã in viuentibus quàm vita functis; cadauera etiam ipſa à corruptione ac interitu præſeruat; humores eius vſu ab omni corruptione vindicantur vnde febribus putridis, multo minus malignis, contagioſis ac peſtilentibus materia & fætida in corpore vix vnquam relinquitur, è cuius fomite vitam edens flamma ſuccreſcere poſſit. Si quod viſcus extra pulmones, veſicam, & aluum cariem ſenſit, Aloe ſuppetias fert, nec eſt quod quiſquam interaneorũ animalium, vermes ſcilicet lumbricos, aſcarides &c. vel in ventre progigni, vel in hoc ipſo permanere poſſe vel credat, vel metuat ſi quis Aloen crebro ſumpſerit, cum nihil in homine viuere permittat, niſi quod ad eius partes, vel vitam ſpectet. Quod ſi caput catharris obnoxium, humido eoq́; æſtuanti ventriculo correſpondet, ac defluxiones ad articulos ruituras molitur, Aloe has ſubtrahit, adeo vt clariſſimi Medici auſi fuerint, iis qui ſibi continuum Aloes vſum familiarem fecerint, polliceri, eos ab omni Podagra & Arthritide ſecuros fore, vt quibus à quotidianis ingeſtorum cruditatibus ac recrementis imminutis, morbi aut grauaminis cauſa, quotidie in ventris ſentina deriuaretur, alioquin à nobiliori-

Vires & effectus Aloes.

bilioribus viſceribus ad ignobiliora membra demandari conſueuiſſet, vel eo procumbere ſoleret.

Aloe itaq; balſamus eſt naturę cunctos humores ſuccosq́; ſiquidem natutales adhuc fuerint, conſeruans, præternaturales euacuans, medios emendans, vniverſos putrefieri ac corrūpi prohibens, iam enim ſolidis partib⁹, addita huic ſucco Aloetico Myrrha, tutela præſtatur, firmamq́ue corporis compagem, eiusq́; mēbra, oſſa, neruos &c, tutatur. Non eſt Aloe dignus, Aloen qui non nouit, aut eius amarore terretur, ſecurior enim eſt Aloes in ore amaritudo, quam mortis in ventre præcipitium: nec ſanitati ſtudet, qui amat dulcia, cum natura ſub amarore, multa remedia vitæ ſanitatiq́; producendæ conuenientia abſconderit; ne quilibet ad vitæ diuturnitatem adſpirans, ea lamberet. Sed qua ratione præparanda ſit, vt humanæ vitæ, valetudini conſeruandæ, ægritudinibus propulſandis, morbis præcauendis, diuerſis aduerſitatibus anteuertendis, vitę prorogandæ, ætati extendendæ, futuris corporis calamitatibus obſiſtendis ad dies huius lucis elongandos, nepotes conſpiciendos ac ſubuenturam prolem in tertiam vſq; generationē contemplandā, aut (ſi homo mortalis nō foret) ad æuitatē pręſtādā &c, vtilis, & proficua futura ſit, nūc paucis doceamus.

EXTRACTUM, TINCTURA, SEU Eſſentia Aloes:

Recipe Aloes ſuccotrinæ electæ, & à calculis, arenulis, veſicarumq́; pelliculis liberatæ. q ſ. in puluerē tritæ, & vitreæ cucurbitæ impoſitæ: affunde Roris maialis probè deſtillati (qui in Hecticis, internisq́; ardoribus magnum eſt refrigerium) vel huius defectu, Aquæ deſtillatæ pomorū curtipendulorum; guttulis aliquot oleī Tartari acetatæ, vt quatuor digitis emineat, ſtent in loco calido tribus diebus vaſe probe clauſo, & materiā ſingulis diebus agitando, ſic mēſtruum ſanguineo colore tingetur, Rubini inſtar; Tincturā vaſis inclinatione decanta, aliud menſtruum affunde, fac vt prius, idq́; toties, donec menſtruum amplius non tingatur; Collectas tincturas cola, & blando balneī calore, vel ſimplici euaporatione mēſtruum ſepara; manebit in fundo Tinctura rubens, craſceſcens ſapæ inſtar: cuius ℈j. purgando corpori iam ſufficiet.

Poſtmodum Recip. Succorum pomorum Curtipendulorū, Cichorij, pimpinell. Acetoſ. Flor. perſicorū violarum, Roſarum caulium rubearū, & Rutæ, a. q. ſ. ſinguli pro temporis ratione per debitas repetitasq́; digeſtiones ab omni ſedimento repurgentur, & demū inſpiſſentur: Inſpiſſati ſuperiori Tincturæ Aloes debita proportione iungantur, addita conuenienti doſi Scammonij Reſina, & Gūmi Ammoniaci, Myrrhæ, & Croci extracto, & omnia lento calore in maſſam duriuſculam formandis pillulis conuenientem coge. Doſis á ℈ſſ. ad ℈j. & ℈ij. Et ea pręſtabunt, quæ ſupra fuſe in Aloes laudē adduximus.

Clariſſimus & exellentiſſimus

 Minde-

Mindererus p.m. in suo Aloëdario, vbi artificiosam, & laboriosam satis pillularum Marocostinarum extractionem docet, Aloën repurgatam prius in succo rosarũ defecato, aut Limonum, Citriorumué succo iungit, dissoluitque solutioni addit Marum, Costum Indicum, Crocum orient. Rhabarb. Agaric. Myrrham, Gummi Ammoniac. Lignumque Aloes, (omnibus prius debito modo paratis, & ingeniosè correctis) mox omnibus mixtis cucurbitæ infundit, affusisq; Aq. Lupuli, Borrag. Card. bened. Agrimon. Iuæ, roris mar. centaur. minor. & cerasorum nigrorum in balneo digerit, facta digestione, Tincturam separat, & in pillularum massam cogit: Pulchra quidem & elegans, at laboriosa præparatio, quæ industriam, & indefessum operatorem requirit; sed difficilia, quæ pulchra.

Fit etiam Balsamus Aloëticus, quibusuis pillulis præstantior, hoc modo.

℞ Ad libram semis Aloes soccotrinæ calculorũ expertis, & hepatis modo coactæ, tritæq;, affunde Aq. rosaceæ fragrãtiss. lib. j. agitentur ad ignem tãtisper, donec Aloe probè dissoluatur, mox paulatim coquatur ad tertię partis casum: facta residentia, Aloe olei limpidi instar supernatans, vitro seorsim excipiatur, fæcibus relictis nouam affunde rosaceam, & eodem procedatur modo, vt prius, idq; tertiùm, post abiectis sordibus pellucidum Aloes florem, in tigillo tandiu coque, quandiu ouum solet, vt durescat, tunc sublata spuma, coquendo perge, donec ad crassitiẽ redigatur. Dos. ℈j. Efficaciorem efficies, si ex hoc Aloes flore essentiam cum spiritu vini extraxeris: verùm cum calidior hæc futura sit essentia, non omnibus æque corporibus conueniet.

TEREBINTHINA.

Hæc omnium Resinarum mitissima est, & inter omnes Resinas principem locũ obtinet, ob vim & proprietatem balsamiticã, vnde & omnibus vulneribus familiarem præbet Balsamum. Colligitur autem ex arbore Terebintho, omnes Germaniæ arbores facile superante, liquor scilicet pinguis, totus balsamiticus, clarus, pellucidus, albus, acris, & odorus; hic moderatè calefacit, mollit, expurgat renes & corpus, discutit, vrinam ciet, & vi suâ balsamiticâ, totum corpus ab omni corruptione & putrelagine vindicat, & omnibus longæuitati operam dantibus optatum præsidium (quo tamen nõ promiscuè quauis hora, & illotis manibus vtendum) quæ enim eo inunguntur cadauera, nunquã putrescunt vti nec ligna, nec plantæ eo illitæ, præsertim si Terebinthina arte Spagyrica in sua arcana exaltetur, cùm sit verus & naturalis balsamus ipso Indico non inferior, qui temporis diuturnitate aliam insuper in balsamatione concipit essentiam, vt alteri omnino similis euadat.

Varia & insignia remedia ad varios morbos persanãdos è terebinthina parantur. Datur enim primò in substantia prius probè lota & ad niueã quasi albedinẽ redacta (lauatur a. Aq. appropriatis pro præsentis affectus ratione) daturq; ad vnc. ß. vel drach. iij. in forma boli, cũ saccaro; vel soluta in prodio calente, vel quod cõmodius fuerit, frangitur ouum recens, cortici interiori glutinoso infunditur aliquid iulepi violati, mox infunditur terebinthina præparata, iterum superfundendo aliquid iulepi, mox vnâ vice sorbetur, oui sorbilis instar, absq; vllo labore & molestia. Hoc modo sumpta citra stomachi labem (quem potius firmat) sedes mouet laxatq; sabulosos & arenosos renes expurgat, obstructos aperit, vrinam ciet, & in virulenta gonorrhæa vix præstantius remedium habetur.

Vsus terebinthinæ.

Ad aluum soluendam, eãdem hoc modo tutissimè exhibebis: Terebinthinam clarissimam ad vnc. ß. solue oleo tartarisato (cũ eo scilicet spiritu, qui è tartaro calcinato, vel sale tartari rubedinem extraxit) adde aq. communem destillatam, & albescet lactis instar, & hanc solutionem hauriendam exhibe.

In forma pulueris hoc modo paratam exhibemus maximo successu in colica calculosa, vesicæ, & renum calculis, vrinæ difficultatibus, & orthopnæa:

Recipe Terebinth. Venet. vel Cypriæ probe ad albedinẽ lotæ q. s. indatur vasi terreo vitreato, affunde Aq. Rosac. vt quatuor digitis supereamineat, coque lẽto igne multis horis, ea tamẽ lege, vt aq. rosacea, semper 4. digitis supernatet, sic in Colophoniam albissimam euadet friabilem. Huius pulueris Recipe lib. ß. Tartari ad albedinem calcinati, vel etiam cremoris tartari ℥ij. Mechoac. albiss. fœnicul. dulc. a. ʒj. Saccari candi ad pondus omnium: Habebis præstantissimum puluerẽ, præmissa debita purgatione exhibendum, superbibendi vino generosi parum.

Spiritus terebinthinæ.

Ex eadem Terebinthina spiritum hoc modo parabis: Recip. Terebin. claræ q. s. impone vesicæ vitreæ affundendo aquam vel rosaceam, vel fragariæ, vel alterius vt vas ferè sit plenum, mox adhibito refrigeratorio alembico destilla, sic elicies spiritum, mox è balneo rectificãdum, manente in vesica colophonia. Multiplex est huius spiritus vsus in medicina ad tussin, & phtysin debitis vehiculis exhibitus; venenis pestilentibus resistit, ventriculum à sordida & viscida illuuie mundat, vrinã ciet odoram, calculos & arenulam pellit, stranguriam & vesicæ vlcera sanat, neruosas partes aperit, confortatque vasa spermatica calefacit, & Veneri stimulos addit, concretũm sanguinẽ dissoluit, vterum purificat, & vteri suffocationi medetur. Ex eodem spiritu, & sulphuris floribus preciosus paratur balsamus, vt superius ostensum.

Medullam ex spiritus terebint. destillatione relictam tere, & cũ butyro modico liqua, & cucurbitæ impositam per cineres destil-

Oleum terebinthinæ.

la, habebis oleum terebinth. per balnei destillationem, omni Empyreumate spoliandum. Hoc oleum calefacit, emollit, discutit, aperit, expurgat, & exterius naturalis balsami loco vsurpatur in omnibus vulneribus, & vlcerib⁹, cacoëtheis, insanabilibus fætidis vt & fistulis, lupo, parotidib⁹, fracturis, contracturis, præsertim si & alia dictis affectibus, idonea coniungantur.

Hoc oleum si leniter in scutella euaporarit, reducetur in colophoniam transfucentis Rubini instar, quà puluerisata, & cum vini spiritu extracta, post spirit⁹ per destillationē abstractionem, relinquit balsamum admodum vtilem in doloribus nephriticis, renum tantum regioni cum pennâ ad fricandum.

LIGNVM GVAIACVM, SASSAfras, Salsaparilla, China.

Et hæc vegetabilia ob maximas quas possident vires balsamiticas, huc afferre voluimus, vtpote quibus nō solū grauissimi morbi curantur, sed & eorundem Salibus, spiritu, extractis, & oleis balsamiticis debitâ ratione vsurpatis, corpus humanum, ab humorū corruptionibus liberum, & ad plures annos sartum, tectūque seruari potest. Et ne sæpius vnum idemq; repetere cogamur, apponam hoc loci secretū quendam, nec omnibus forte peruiū modum, quo ex omni Ligno radice, Cortice, seminibus, & ipsis etiam plantis oleum, essentias, Spiritum & salē elicere possimus.

MODVS ELICIENDI OLEVM ex omnibus Lignis, radicibus corticibus &c.

Recipe. v. g. scobē ligni Guaiaci, vel Iuniperi, vel sassafras partes quatuor, cui admisce salis calcinati partem. 1. Indantur omnia retortæ vitreæ, & aperto Igne, gradatim tamen destillentur. Destillantū oleum per Balneum rectifica, sic vnà cū aqueo liquore exibit pulcherrimū & nitidū oleum, vase separatorio ab aqua separāndum. Quod in fundo relictum est cum arena misce, & iterum destilla, exibit oleum balsamiticum forinsecus adhibendum.

Hoc igitur aut simili modo ex omnibus balsamiticis & resinosis lignis, corticibus, radicibus, olea balsamitica elicies ad vitam protrahendam, morbosque tùm præcauendos, tùm sanandos efficacissima, vt è ligno Agalochi, seu Aloëtico, Iuniperino, Santalis, Nephritico, Buxo, ligno Heraclio, Coryllino, Abietino, Fraxino, Tamarisco &c. quorum virtutes passim apud authores descriptas inuenies.

Quod si è plantis quoq; balsamiticis virtutibus insignitis in eundem finem Essentias extrahere animus sit, vt è Roremarino, Maiorana, Saluia, Basilico, Angelica, Imperatoria, Magistrantia uē, Panacei Heraclei herba, Leuistico, Rhapontica, Maro, Costo,

Pim-

Pipinella, Dauco cretico, Smyrnio, Ceruaria, Fæniculo, Cumino, Petroselino, Cerefolio, Benedicta Caryophillata, Carduo Benedicto, Veronica, &alijs quã plurimis invsu Medico celebratis, vt & ex eorundem seminibus, floribus, resinis, & ex omnium Gummatum genere, secretum hunc processum obseruare poteris, quẽ ad Dei optimi max. gloriam, & hominum vtilitatem huc afferre lubenter voluimus.

Beguinus pro menstruo sumit quandoq; Hydromel vinosum, quandoq; rores destillatos, subinde Aquas plantæ cuius Essentiã optamus, quandoque serum destillatum, ad *Quercet.* Imitationẽ, vt plurimum spiritum vini oleo Tartari acuatum, nos hactenus sequentem modum obseruauimus.

Primo maioris vegetabilis corticem lucidum ac crystalinũ, arte spagyrica calcinamus, calcinatum soluimus, solutum filtramus, coagulamus, & in candidũ salem agimus; hunc crucibulo impositum tandiu Igne graduatim vrgemus, quoad colorẽ cæruleũ nanciscatur; Huius recipe postea partẽ 1. Spirit⁹ vini ab omni phlegmate separati partes 4. stent in digestione Balnei in vase vitreo probe clauso, sic spirit⁹ vini rubini colore tingetur, habebisque ad prædictorũ Essentiam seu Tincturam ritè paratum menstruum. Iam verò Recipe plãtam cuius Essentiam habere exoptas grosso satis modo contusam, impone vasi vitreo, affunde dictum menstruum vt quatuor digitis emineat, stent in loco calido, vel balnei tepore, & paucorum dierum spatio habebis Tincturam seu Essentiam summo colore exaltatam; postea per inclinationẽ Tincturam decanta, nouum mẽstruum affunde, & priorem in omnibus methodum obserua: collectas demum Tincturas cucurbitæ impone, & balnei vaporosi calore menstruũ euoca. Restabit in fundo quæsita essentia sapæ instar, quam vel in pillulas cogere, vel addito saccaro & proprio plantæ liquore in exellentissimum syrupum conuertere poteris.

Quercetanus in Guaiaci & corticis eiusdem extractione, vtriusque scobem sumit, pluribus cucurbitis imponit, affunditq; vel vini spiritum, vel vinum ipsum, aut Hydromel vinosum, q. s. vasis clausis fit digestio ad plures dies in balneo vaporoso: subrubentem Tincturam ligni essentia imprægnatam, separat, colatq;, eiq; expressionem ligni pinguem, & oleosam permiscet; mox destillãdo menstruum euocat, manente in fundo mellita ligni extracti cõsistentia, quæ frigidæ aquæ infusa in gummi abit nobilissimũ, quod manibus malaxatũ tandem pretiosi clynodij loco reseruatur, vtpote præcipuis Guaiaci viribus

tam sulphureis, quàm salinis dotatum; è quo pillulæ exiguæ formantur; sic excllens habebis & sudorificum, & bezoarticum remedium nullas in corpore relinquens corruptiones, sudorem & vrinam mirificè prouocans, & vna simul aluum deijciens.

Liquor herbarū

Quod si liquorem plantæ v.g. Absynthii, aut Cardui benedicti exoptes, Carduo benedicto minutim inciso, affunde vini, aut aq. q.s. stent in loco calido ad 10. vel 12. dies, postea Tincturam effunde, affunde aliud nouum menstruum residentiæ, post 14. dies, extractionem priori misce, cola, destillando liquorem mercurialem per se virtualibus potestatibus præditum separa, manebit in fundo liquor seu extractū plãtæ.

Quod si è Vegetabilium floribus colorem, odorem, & saporem, vnà cum spiritu elicere aueas, hoc idem sequenti processu obtinebis, quo non rarenter vsi sumus: Recipe v.g. Violam martiam cum toto, & ab ea more cõsueto liquorem aqueum destilla; huic liquori cucurbitę indito adde violas tantum quantum sufficit, vt parum emineat liquor, & apposito alembico cæco probè clauso, fiat digestio in balneo rorido, quoad omnis virtus extrahatur: tandem apposito alembico rostrato, fragrantibus prius violis repleto, lento calore aqueum liquorem extrahe tamdiu, quoad fragrans & odorus liquor ascendat, quem mutato recipiente seorsim excipies, vase cineribus indito, & sensim ignem augendo, quoad oleosus appareat liquor, cæteriq; omnes & colores & odores, & sapores pro cuiuslibet plantæ natura & proprietate: Poterunt tamen primo liquori, in quo planta digeritur, addi tres partes spiritus vini, omni phlegmate spoliati.

MODVS DESTILLANDI OLEum ex *Melle, Sulphure, Succino, & omnibus Gummatibus.*

Nec hoc secreto candidū Lectorem longæuitatis studiosum frustrare voluimus: Habeas itaq; cucurbitam figulinam intus extraq; probè vitreatam, circa cuius fundum palmi altitudine duo promineant tubuli, quorum vn⁹ sursum, deorsum alter vergat, vterq; suo cono instructus, ita tamen, vt is qui sursum vergit, paulo altiore loco prodeat: Cucurbitæ orificium crassiora habeat labia cum ambiente circulo, vt ei ferrea lamina multis foraminib⁹ referta commode adaptari possit: Cucurbitæ alembicus seu capitellum sit cæcum non rostratū, rotundum, & ita capax, vt orificio & laminæ ferreæ superpositū commodè claudi, & rimæ (post materiæ impositionem luto sapientiæ affabre muniri queant. Gummi igitur, aut dictorum aliquod destillaturus, primò materiam liqua lento calore, liquatæ sensim tantum adde farinæ tegu-

larum

larum cribratæ, ſemper materiã miſcendo, vt tandem craſſa & dura euadat, exicca, iterumq́; tere, & ea alembicum cæcum vltra dimidiam partem, reliquam verò partem vacuam ſilicibus lotis auellanæ magnitudine ad totum imple, laminam perforatam dextre adapta, & omnia cucurbitæ ſuperimpone, lutoq́; vt dictum, omnia firmiter claude. Poſtea igne admoto materiam ſenſim per gradus vrge, pro materiæ ſcilicet conditione & natura. Cucurbita verò intus contineat aquam ad inferioris tubuli ambitum vſq;. Cùm aliquandiu deſtillaueris, tubulorum conos firmiter clauſos aperi ſeu extrahe, & per ſuperiorem tubulum aquam infunde, ſic per inferiorem ſtillabis oleum in vas recipiens vnà cum aquæ parte aliqua: mox claudis iterum tubulis iterum deſtillando perge in omnibus vt prius. Finitâ deſtillatione oleum ab aqua mediante ſeparatorio ſepara, vel per balnei deſtillationem rectifica.

Quod ſi hic modus, qui paulo laborioſior videtur, non arrideat, eundem effectũ ſequenti modo facilius forſan obtinebis: Recipe Gummi quodcunq; placuerit, & cuius oleum affectas; tere minutim, cucurbitæ impone, affunde ſpiritum vini rectificatum, vt duos digitos emineat, ſtent triduo in balnei digeſtione, Tinctũ ſpiritum decanta, alium affunde, tinctum ſepara, idq́; tantiſper, donec ſpiritus amplius non tingatur, tinctos ſpiritus per balneum ſepara, manebit in fundo craſſus liquor ſapæ inſtar, huic admiſce paruos ſilices, & per arenam deſtilla, exibit oleum, hoc per balneum rectifica, habebis fragrans & clarum oleum.

Oleum Camphoræ.

Camphorę oleum ſic habebis: Tritæ affunde olei amygd. dulc. ad 3. digitor. eminentiam, digere octiduum, poſt adijce ſpiritus vini rectificat. tantumdem, digere vt prius octiduo, tandem deſtilla. Vel Recipe Camphoræ tritæ, & ſaccari candi ana, deſtilla per balneum, habebis pulcherrimum & fragrans oleum.

MODVS DESTILLANDI OLEum ex omnibus Herbis, & ſeminibus &c.

Recipe Semen quoduis, aut plantam cuius oleum habere desideras, tere ſubtiliter, cribra, & ad illius libram 1. addè tartari pulverizati & cribrati manipul. 1. & ſalis decrepitati manip. 2. miſce, & veſicæ deſtillatoriæ impone adhibito refrigeratorio, & rimis probè clauſis, ne quid euaporet, adhibe primùm ignem ſatis intẽſum, vt gutta guttam ſequatur, quo apparente ignem leuiorem, nec ita intenſum, at continuum ſerua, ſicq́; 5. horarum ſpatio pergas, quoad nil olei amplius effluxerit, oleum poſtea per ſeparatorium inſtrumẽtum à phlegmate ſepara, vel per balneum rectifica.

Oleum

Oleum tamen Anisi cùm facilè ascendat, nec ignis violentiam ferat, ad seminis tusi lib. 1. addendæ lib. 2. aq. & è cucurbita lento satis igne instituenda destillatio; & cùm hoc oleum adipis instar crascescat, non separatorio, sed cochleari ab aq. separandum.

De oleis & essentijs ab Aromatibus eliciendis suo loco lib. scilicet 2. agemus.

Sequenti modo ex omni Herbarum genere salem efficies crystallinum.

Recipe v. g. cinerum Absynthij ad albedinem calcinatorum, & sulphuris flaui partes anaticas, optime cribratas & mixtas, reuerberentur probè in reuerberio vt sulphur vstione abscedat, vel in furno figulino non clauso tamen: postmodum aquâ propriâ, vel cõmuni destilla calente, more consueto sal elicitur, aquam euaporando, vel destillando, nõ tamen ad siccum, sed vt aliquid phlegmatis supersit, quæ cellæ imposita, vitrioli aut nitri instar, crystallos candicantes eijcit, loco sicco reponendos.

Absynthij sal cum sulphure paratum, si ad drach. ß. cum propria aqua exhibeatur, vomitum ciet. Datur etiam drach. ß. vel drach. j. pro ratione personæ in aceto rutaceo, vel rubi Idæi, mouet sudorem, & pestem, febresq; malignas curat. Cum sanguine seu rubino ♁ ad aliquot grana exhibitũ, omnes febres soluit. In hydrope, hepatis & ventriculi affectibus, atq; venenis mira præstat. Sic sal Imperatoriæ eodem modo paratus & ad 5. vel 6. grana cum extracto ebuli exhibitus, omnes febres curat.

Hac igitur viâ & ratione ex omnibus plantis, lignis, corticibus, radicibus, seminibus, floribus, resinis, gummatibus &c, essentiæ, olea, liquores, extracta, & salia prolectantur, tam ad vitæ propagationem, quàm ad varios morbos persanãdos vtilissima, ac nobilissima. Quod si candidus Lector, peculiares cuiuslibet vel essentiæ, vel olei, vel salis proprietates scire ac virtutes nosce desideret, eos adeat, qui ex instituto, & data opera isthæc fusè & solidè pertractarũt, vt est *Libauius, Tholdius, Grammannus, Poppius*, & alij quam plures, cùm nostri instituti non sit isthæc ex professo pertractare, quorum tamen præparandi modos & faciles, & claros adduximus, ne, cum de specificis morborum curationibus, libro scilicet 3. agemus, eadem repetere cogamur.

LIQVOR, SPIRITVS, TINCTVRA, & oleum Rosarum.

De Rosis tamen aliquid dicemus, vtpote cuius in bene constituenda & vitæ, & valetudinis ratione, in varijs morbis persanãdis, & remediorum cordialium, & balsamiticorũ preparatione multiplex est vsus.

Aquam

Aquam igitur seu Liquorem mercurialem rosarum fragrantissimũ hoc modo parabis.

Recipe Myrrhæ claræ lucidæ, ac electæ lib.1.sitque noua, gummosa, non sicca, minutim cõfringatur, & cucurbitæ imposita, affundantur succi rosarum purgatissimi & ab omni sedimento defæcatissimi vnciæ 8, mox accenso forti igne è cineribus vel arena destilletur oleum, cum suâ aquâ. Mirabile secretũ curatiuum vulnerum, vlcerumq;. Separatur oleum ab aqua. Huius aquæ vnc.j. mixta multis aq. cõmunis libris, tãto illas odore perfundit, vt tota rosacea, & pretiosas quasuis rosaceas, odore suo roseo superare videatur.

VEL

Recipe folior. rosar. modicè siccatarum, & tusarum q.s. imponantur ollæ vitreatæ, suo operculo & linteo cerato probè clausæ, feruentur in cella vinaria 2. mensium spatio, postea per balneum destillentur ad siccum. Fæces supra marmor tere, tritas cucurbitæ impone, & aquam prius destillatã affunde, digere suo tempore tandem vt prius destilla, & habebis fragrantissimam aquam.

VEL

Recipe Galanus drach.j. Garyophil. drach. ij. Cinamo acutiss. vnc.ß. omnibus minutim incisis, mixtis, & cucurbitæ inditis affunde Aq. Rosaceæ quartale, circulentur ad solem, mox per Bal. destillentur. Recreat cor hæc aqua, Syncopas iuuat, memoriam roborat, nec digno satis præcio soluitur.

Spiritum Rosarum, vt & aliarum plantarum, seminum, granorum, frumenti &c. hoc modo parabis, ad vitæ diuturnitatem præstantissimum.

Quercetanus Rosas rubicundas nec dum omni ex parte explicatas temporeq; & sole balsamitico lectas, optime contundit, ijsq; doliolum ad id opus destinatum replet, non tamen exactè, vt cõmodius fermentatio fieri queat; mox clauso dolio, & cellæ imposito fermentationem expectat, quoad Rosæ scilicet acidum de se spirent odorem. Mox sumpta vna huius fermentationis parte, moderato igne per vesicam cum refrigeratorio destillat ad siccũ; hac parte semotà, & nouâ impositâ, priorem aq. spirituosam destillatam affundit, idq; toties donec tota dolij materia hoc modo fuerit destillata; tandem collectas & colatas aquas illas destillatas, coniungit digerit, & lento balnei calore primum spiritum, mox & fragrantissimam aquam Rosaceam destillat. Hæc praxis in alijs quoq; plantis, seminibus, granis, leguminibus vsurpari potest.

VEL

Rosas, Saluiam, Maioranam, Absynthium &c, q.s. tunde, adde Salis, & fermenti in calente aqua dissolu-

dissoluti q.s. misce cum rosis iam tritis & agita, vt pultis instar euadant, indātur doliolo, tertiâ parte vacuâ permanente, claude dolium, cellę impone, quotidie materiam bacillo agita, donec fermentari incipiat, quod ex acido odore facile cognosces; exactâ fermentatione materiæ & ebullitione vas firmiter claude, & mensis spatio vel circiter dolium quietum relinque, tandem per vesicam destilla primò spiritum, mox & aquam fragrantem.

Quod si summam vegetabilium præparationem habere velis, hoc modo procedas.

Recipe quoduis vegetabile, minutim contunde, & quantum sit, pondera, ollæ vitreatæ impone, affunde aquæ calentis quantum sat videbitur, factâ dierum aliquot digestione, lento igne totam affusam aquam euapora, vt ad primum pondus redeas, iterū tunde, & prælo materiam succolentam fortiter exprime, expressam destilla per arenam, exibit primò phlegma, mox spiritus tādem oleum, quod debito modo separatum, retortæ imponitur, & sūmè rectificatur. Spirit⁹ phlegmati iunctus per balneum separatur, rectificaturq́;. Fæces in fundo ex olei destillatione relictæ, priori herbę à qua succus fuit expressus, vel etiam recenti herbæ miscetur, calcinatur, & è calce cum dicto phlegmate Sal elicitur quod filtratur, coagulaturq́; toties, donec cādore, & sapore placeat. Sali huic puluerizato, & vasi indito sensim affunditur spiritus, quo exhausto, tandem & oleum paulatim affunditur, quæ tādem ouo philosophico indita ad lampadis ignem mensis spatio in vnā Monadem ducuntur; sicq́; habebis exellentem ad vitam propagandam Medicinam.

Balsamus rosatus.

Lubet huc ex nostra pharmacopæa Dogmatico-Chymica afferre synceram Balsami Rosarum descriptionem, ad cuius imitationē beneuolus Lector, alia quoque balsama pari labore & industria parare poterit; idq́; eò lubētius, cum eiusmodi balsama, vitæ nostrę balsamū foueant, firment, roborent, restaurent, & vt homo plurimos annos viuere possit, summopere auxilientur: Sit igitur in promptu rosarum Tinctura, odorifera, & exigua spiritus vitrioli additione ad summum colorem exaltata; adsit & spiritus & oleum rosarum fragrātissimum. Concinnaturus igitur Balsamum rosarum, corpus ipsum seu basin prius solue, prępara, & aq. rosacea fragrantissima sæpius ablue, & ad duas dictæ baseos partes, iam vltrò ad linimenti formā redactas, Tincturā adde, ac lentissimo calore in vasculo subige, & accedēte coagulatione, tantum olei & spiritus rosarum admisce, quantum Balsami consistentia requiret; nec attinet rancoris euitandi causa, propriū salem addere, cum

spiritus

ſpiritus vitrioli tincturæ inditus, id abunde præcauere poſſit.

Sic ex roſis incarnatis, violis, floribus tunicæ, hyperici, papaueris Rhæados, cichorij, Borraginis, Bugloſſæ, floribus chermes lilij conuallij, pœoniæ, & alijs quã plurimis plantis cordialibus, capitalibus, thoracicis, hepaticis, vterinis &c, accedente proprio liquore deſtillato, & acetis montanis tantillum impregnato, facili admodum methodo eliciuntur Eſſentiæ, Tincturæ ſeu Arcana, quæ addito ſaccaro in elegantiſſimos iulepos vel ſyrupos concinnantur, quibus poſtmodum non ſolum ad vitam propagandam, ſed & ad varios morbos expugnandos cum fructu, & magna ſumentis iocunditate vtimur.

Ros Solis, ſiue Solaria.

Iſaacus Hollandus referente *Penoto*, in ſuo vegetabilium tractatu, tria ſimplicia proponit admirãdis virtutibus prædita, quorum Magiſteria, Eſſentiæ, & arcana ad producendam longæuitatem, morboſque propellendos plurimum faciunt, Saccarum ſcilicet, Mel, & herba quam Rorem Solis nuncupat, de quo nunc agemus, de duobus reliquis, libro ſecundo paulò fuſius diſſerturi. Rorem igitur Solis herbam eſſe docet (myſticas vel etiam cabaliſtico magicas adhibe aures Lector) ſupra quam Sol vitales radios effundit, balſamiticasq; influentias expandit (vti & ſuper aurum venis ſubterraneis, aut terræ vtero incluſum) imo verò fæcundiorem, & virtualibus poteſtatibus multò ditiorem reddit cæteris omnibus plantis à DEO creatis; vnde & alio colore, folijs alijs, aliaq; figura exornatur, quã cæteræ plãtæ omnes, cuius ea eſt natura & indoles, vt quo calidior & acrior fuerit vel regio, vel anni temp⁹ aut maior Solis æſtus, aut quo Sol eandem diutius torret, eo magis hęc plãta madeſcit, humet, & Solari rore tota perfũditur, pendẽtibus è caulico plusquam mille guttulis, quibus flexili ferula leuiter excuſſis & lato vitro exceptis, totum vitrum mirifico hoc rore adimplere queas: quod ſi Solares radij paulò feruidiore æſtu plantam vrgeant, videbis intra ſemihorium omnes ramos, plus quam antea rorido madore diffluere: Quod ſi vigeſies eadem ferula rorem excutias toties eandem breui guttulis de integro plantam onuſtam videbis. Et, ſi nihil aliud miraculi cerneretur, quã vnde rorid⁹ hic mador ſeu humor oriri poſſit, qui tã breui temporis ſpatio vſque adeo copioſius emanat, & quo Solis ardor cæteras plantas aridiores reddit exiccatque, eò magis hæc planta turget humore, & guttas affatim exudat, quaſi tota aquis perfunderetur: Hinc tamen illam admirandis viribus pollere, & occulti quid in internâ ac viuâ anatomiâ poſſidere, conijcere poſſu-

mus. Illam enim aquã seu rorem in vitro collectum si recondas, ea omnes oculorum morbos siue à defluxione, siue ab inflãmatione exortos, omnes item cordis affectus, pũctiones curat; Hepar, ventriculum calidiorem cõtemperat, omnemq; capitis dolorem ab ardore excitatum mitigat, & *phrenetica deliria tollit*, cancrum mortificat, & lupum; atq; venenatorũ animalium morsibus medetur; intus sumpta pestem arcet, & venenatos haustus expedit, & alia sexcenta commoda præstat. Solis insuper colore insignitur hæc planta, colore enĩ rubicundo, obscuro, flauis radijs respersо micat, figurâ stellã, proportione cœlestem planetam referens, septem ramulis in extremo latis, & velut pilosis cõstans, consistentiâ tenella, extrinsecus calida humida, intrinsecus verò frigida sicca, & vt aurum temperatissima, vnde nec elementa ab inuicem facile separari possunt ob validam eius fixationem, vti in aliarum plantarum separationibus videre est; à fęcibus tamen facile repurgatur: ascendit quidem ignis cum aëre per balneũ, terra verò à fæcib⁹, & hæ ab igne & aëre separari possunt, licet non vsqueadeò fæcibus abundet. Veteres philosophi admirandas eius vires vel silentio inuoluerũt, vel ænigmaticis inuolucris proposuerunt, ne scilicet vulgo innotesceret, cùm mirum sit hominem mori, referente *Arnoldo*, qui quotidie aliquid de hac planta, etiam in crassâ suâ substantiâ degustauit; quid futurum, si ad suã tenuitatem redacta, & à fæcibus repurgata fuerit, poculo venenato infusa, venenum, vitro dissiliente, refringit; parturientis vtero alligata, fætum illico euocat, demortuum verò ac putridum, statim excutit; gestantes & quotidie de ea degustantes ab Astralibus morbis Epilepsia, Apoplexia, Paralysi &c, liberat, & obseruat, sensus omnes, & loquelam vegetam conseruat, ita vt teste eodem *Isaaco Hollando* hac plantâ nulla in terris præstantior, nulla ad vitã propagandam excellentior haberi possit, quæ sanè nisi in tãtâ copiâ nasceretur, eiusq; vires sat cognitæ forent, non aurum ipsum sed & gemmas quasuis, & precio, & dignitate superaret, præsertim si artis ingenio, ad summum gradũ & quintam essentiam redigatur, vt in præcedentibus modum attigimus.

OPIVM.

Sed quid tandem de admirandis huius simplicis facultatibus, non tàm ad vitam propagandam quàm ad grauissimos morbos depellendos, dolores mitigãdos somnumq; producendum maximoperè facientibus dicemus? Opium Latinis, Græcis ὀπὸς à dignitate, ex nigri papaueris tantum capitibus vulneratis, aut spontè effluens lachryma seu succus est, cuius

cuius variæ sunt differentiæ, pro Regionum in quibus colligitur varietate. Quod Thebaicum est, & à Cayro aduehitur, albicat, & præstantissimum habetur: Ex Syria, Alexandria, aliisq; Regionibꝰ allatum, nigrum, & minus bonũ. Ex albo quoq; papauere vulnerato, seu domestico papauere optimum quoq; haberi posse, testatur *Quersetanus*. Quod ex Cambaia adfertur, è prægrandi papauere, Carcax inibi dicto, manat, cuius singula capita oui Struthio cameli magnitudinem adæquãt: vnde non mirum, si ex his cultello læsis, succi vbertas emanet.

In assignandis eiusdem qualitatibus magnæ authoritatis scriptores interse discrepant: *Dioscorides* enim *libr. 4. capit. 60. Galenus 7. Simplic. Auicẽna lib. 2.* & alij nõ pauci magni nominis Medici scribũt Opium quarto gradu frigidum esse. Quibus tamen & *Mathiolus* & pleriq; Hermetici sese acriter opponunt, & ratione atq; experientiâ edocti, contrarium demõstrant, odorem, saporem, amarorem, & acrimoniã opponentes. Sapor enim amarus, caliditatis est argumentum, at Opium cum amarissimum sit, ergo & calidissimum: Neq; enim huius argumẽti vim vel tollet, vel eneruabit, qui dixerit in Opio partes esse heterogeneas, calidas scilicet & frigidas; cùm teste *Auerrhoe 6. Collect. 27.* Secundæ qualitates secũdum gradum primas qualitates sequantur, ita vt si qualitas secunda remissa fuerit, sequatur & primam esse remissam: at Opij amaror est intensissimus, eiusdem ergo & calor intensissimus erit. Ade quod odorata omnia caliditatem, vt soboles parentem sequãtur teste *Aristotele libr. de sensu & sensili 5.* & *Galenus 4. Simplic. 22.* at Opium est graui, tetro, & sulphureo odore præditum, vnde & calidum quoq;: Idem & experientia loquitur, nam & Austriaci & Tridentini quàm plures non solum papaueris semine vescuntur, sed & eiusdem oleo expresso in placentis vtuntur, neq; tamen ab eius frigiditate læduntur. Magnꝰ quoq; eius est vsus per vniuersã Mauritaniam & Asiam, vbi amsiũ & osium, quasi Opium dicitur, ad animi (quod valdè mirum) & corporis vires erigendas, & facultates exhilarandas, vtpote qui ipsiꝰ esui adeo assueuerunt, vt si prorsus abstineant, vitæ discrimen incurrant, ac sæpe moriantur. Eodẽ & AEgyptij, & Indi, atque Turcæ vtuntur (quibus Maslach nuncupatur) tùm ad excitandam libidinem, tùm ad animos exhilarãdos tùm vt ad pugnam alacriores, & quasi ebrij, ac amentes reddãtur, & ad quæuis pericula subeunda minus formidolosè sese præcipitent.

Hermetici verò atque Spagyrici, qui non rerum vmbram, seu corticem, sed nucleum rimantur viuamq; rerum anatomiam sedula

mentis indaginē ſcrutantur, hi in Opij anatome nullam, aut exiguam frigiditatem, ſed inſignem caliditàtem ab inflãmabili, fætente, crudo, ac indigeſto ſulphure dependentem repererunt, adeò enim ſulphureum eſt, vt flammã quã facillimè concipiat, & ardeat ſuumq; odorem narcoticum, etiam poſt ignis examen adhuc integrum retineat. Qualitas ergo illius narcotica & ſoporifera nõ à frigiditate, ſed potius vt iam dictum, à ſulphure inflammabili, fætente, crudo ac indigeſto dependet, quo plurimùm abundat. Nam & fumus ſulphureus cerebrum, & vapor ſulphureus tàm vini ebulientis, quàm croci, multò citius hominem in profundũ ſomnum præcipitant, quàm vel aqua niuis, vel glacialis, quantũuis hęc frigidiſſima, eo quod ſpiritibus ſulphureis ac vaporoſis deſtituatur. Non igitur mirum ſi Opium crudum, indigeſtum, minusq; præparatum, multis veneni loco habeatur, eo quod paucorum granorum pondere ſumptum, vitæ ſpiritus ſuffocare, extinguere, & lethęum ſeu extremũ ac æternum ſoporem inducere queat. At ſi ritè præparatum, excoctum, & è ſulphure ſuo narcotico liberatum fuerit (quod ignis philoſophici beneficio & paucis horis, & facili labore fieri ſolet) è noxio innoxium, & ex pernicioſo, lethifero, ſoporiferoq; veneno, vtile, viuificumq; anodynum euadet, quod inſtaurabit, & perturbatos, nimiumq; à naturâ exagitatos ſpiritus ſedabit, ipſisq; ſuauē, & dulcem quietē inducet. Pauci profectò ſunt morbi, ſiue cũ alijs cõplicentur, ſiue ardorib. aut inflammationibus, vel inquietudinibus, commotionibus, lãguorib⁹, oppreſſionibus, vigilijs, delirijs, defluxionibus, vel varij generis doloribus capitis, pectoris, ventriculi, ventris, vteri, vel cuiuſcunque alterius partis, ad quorum omnium ſymptomatũ ferociam compeſcendã, Opium non ſpecificam & peculiarem habeat proprietatem, qua vel vnũ ex his ſymptomatibus ſeorſim, vel plura cum morbo coniuncta ſimul, cum admirabili aſtantium, ipſorumq; ægrorum admiratione vincat & ſubigat. Vnde ſæpenumero in eiuſmodi caſibus tàm admirandos ſanationum effect⁹ prodire videmus vel ipſam Theriacam, Mithrydatum, & cõſimiles veterum Medicorum antidotos, in quibus Opium ipſum, craſſâ quantumuis Mineruâ paratũ, baſin habere videmus.

In tantæ igitur rei admirationem rapti præſtantiores medicæ Hermeticæ Doctores, relictis antiquorum Opiatis & Antidotis, miris nominibus inſignitis, varia Laudana, pro cuiuſq; genio & ingenio excogitarunt, in quibus tamen Opij eſſentia defæcata atq; digeſta baſin tenet, cui poſtea Aromatum olea, Corallorum, Perlarum

larum, Lapidumq́; precioſorum magiſteria, eſſentias, & Tinctu-ras adijciunt, maioris, vt arbitrã-tur, efficaciæ gratia. Variant ta-men, vt diximus, in huius Arcani præparatione Hermetici: Nam *N. Renſuerus* in eius præparatione omittit extractum ſucci radicum Hyoſciami, & ceu noxium reſpu-it, & Opij eſſentiæ ſucco citri ex-tractæ, addit eſſentias & magiſte-ria Corallorum, perlarum, aro-matum, moſci, ambræ &c.

Zuingerus iunior p. m. Opij in-ſolentiam caſtigaturus, iam præ-dictis addit flores ſulphuris cum Aloë & Myrrhâ eleuatos, ſicque Nepenthem inſtituit, quouis Ho-merico præſtantius.

Sic *Beguinus, Crollius, Baniſteri-us, Felix VVirtzius*, & multi alij ſuas peculiares habent deſcriptiones. *Paracelſi* nomine hæc circumfer-tur, quæ fit eſſentia Opii, Hyoſci-ami, additis magiſterijs Diambrę Perlarum, Corallorum, Croci, Mumiæ, Aromatum, Moſci, Am-bræq́; & anima Auri.

Quercetanus in cõſilio pro no-bili quadam virgine peculiarem habet Nepentheos deſcriptionẽ plauſibilem verius & ſpecioſam quàm neceſſariam, in qua eſſen-tiæ Opij loco, proponit ſulphur vitrioli dulce, cuius præparatio-nem ſuperius dedimus, cui admi ſcet extractum Angelic. Zedoar. Tormentill. viſci Querc. Pœoni-æ radic. & Garyophillat. omniũq́; aromatum; Sales item cranij hu-mani, cornuumq́; cerui: vt & eſ-ſentias confection. da Hyacintho Alchermes, de Myrrha, Mumia; oleum item auri, argenti, croci, camphoræ, ſuccini, nuciſtæ, gary-aphillorum, cinamonij, corticũ citri; his demùm (ne quid omiſiſ-ſe videatur, quod tanti myſterii dignitatem, nobilitatem, rarita-temq́; pluſquam hyperbolice ex-tollere, & ad quartum vſque cœ-lum efferre poſſit) addit corallo-rum, Perlarum, lapidisq́; Bezoar eſſentias. Præclara ſũt hæc ingre-dientia, quorum vel vnico variæ morborũ hydræ expurgari que-ant; quid fiet, ſi tot rerum eſſen-tiæ, extracta, atq; tincturæ totque phalanges recta acie diſpoſitæ, morbis opponantur?

Nos relictis varijs ambagibus, veram, nudam, ſimplicemq́; veri Laudani, Nepentheos, aut Pha-langæ compoſitionem ſic cõcin-namus: Primum ab Opio The-baico ſelectiſſimo, ſulphur inflã-mabile, narcoticum, crudum at-que indigeſtum igne philoſophi-co vel tollimus, vel ad debitam maturitatem perducimus, mox eius veram eſſentiam ſeu animã ſpiritu vini tartariſato, vel men-ſtruo è manna cœleſti parato eli-cimus, huic eſſentiæ, debita pro-portione addim⁹ ambræ eſſentiã, aurũ diaphoreticũ, & olea cinna-momi, Garyophil. & cortic. Citri melle pri⁹ virgineo ſubacta. Doſ. grana 2.3.4. vel in forma pillulari, vel cum aq. ſpecificis potionis

forma

forma exhibetur, aluo præsertim lubrica existente, tunc enim efficaciores exerit vires.

Vires & Vsus. Mirabiles sunt huius remedij vires, mirabilis quoque vsus; In omnibus enim acutis doloribus tùm frigidis, tùm calidis tàm internis, quàm externis, hominibꝰ præ doloris vehementiâ ferè animam agentibus, & præsertim colico dolore cum aq. Menthæ, vel cremore florum camomillæ, Nephretico, Pleuritico, Arthritico: In sistendis omnibus omniũ humorum defluxionibus, & tenuium catharrorum prolapsu, præsertim in principio: vti & in omnibus intestinorũ profluuijs, siue peccantium & mordentium, siue purgantium humorum ratione, cum mastiche & terra sigillata datum: In vigilijs & immodicis inquietudinibus, intus forisq́; rectè adhibetur: foris quidẽ cùm granâ 4. oleo Nucistæ miscentur, & hoc linimento illita turunda naribus inditur, sic enim mirificè somnum inducit, qui si longior foret quam par sit, turũda eximitur: qua ratione sæpe etiam desperatæ curantur Hæmorrhagiæ: In omni febrium genere cum aq. Absynthij & Rutæ (quæ sunt specificæ febrifugæ) si calor diutius duret, post quartam horam reiteratur dosis. In ardentissimis febribus sitim restringit, somnũq́ue conciliat, præsertim si febres somnum inducant laboriosa vigilia permixtum. Asthmatici & phthysici si cum aqua Hyssopo vtantur, diu illo foueri possunt; hîc tamen & in tussi cautione opus est, ne scilicet prostratis iam viribus exhibeatur, & cum recremẽtorum copia in thorace retineatur, vnde licet tussin leuet, leniatq́ue, & somnum accerset, thoracis tamen angustiam auget, & suffocationis periculum minatur ideo tunc hoc remedio vel abstinendum, vel non nisi influente tenui, & acri materia exhibendũ, quo facilius inde crascescet, & expectorationi aptior reddatur. Conseruat item calorem naturalem, spiritus corroborat, & vires reparat, pręsertim illud in quo est moscus. Efficax item est remediũ contra affectus melancholicos, præter naturam mæstos, & cordiacos. Feliciter eodem vtimur in vomitu, singultatu, & ventriculi exolutione ac debilitate: vt & in sanguinis excretione, & nimiâ menstruorum euacuatione cum croco Martis, & rubeis corallis præparatis, vel in essentiam redactis: In phrenesi & mania, intra & extra temporibus cum aqua vitæ illinitur: in Epilepsia autem cum spiritu vitrioli & camphoræ essẽtia, amygdalarum oleo extracta exhibetur.

Laudanum magni Guidonis de Monte, ad omnes deploratos & dissolutos morbos.

Recipe Auri poculenti coagulati, idest cum ☉ sublimati & pcipitati ℥j. Olei perlarũ cum menstruo vegetabili

bili resoluti ℥ß. Menstrui vegatibilis ℥j. vitro indita. 14. diebus putrefiant, mox separato iterum per B. M. menstruo, adde olei ♁ & Extracti vnicornu. a. ʒj. (hoc autẽ fit è calce vnicornu affuso menstruo vegetabili minor. quod post digestionem. 10. dierum, iterum per B. M. reuocatur) Essentiæ croci orientalis ʒiij. (quæ eodẽ mẽstruo extrahitur) Myrrhæ opt. Aloes succotrin. a. ℥ij. ʒj. (præparatis prius, in aceto scilicet solutis, & per chartam emporeticam actis, acetoq́; iterum per B. M. separato affunde postea menstrui vegetabilis lib. ß. vitro indita, digere, mox destilla, destillatum, menstruum iterum affũde, digere, destilla, idq́; 10. cohobiis repete, tandẽ euocato per B. M. menstruo, residet in fundo Balsamũ Aloetico-Mirrhatum) Huius igitur Balsami adde ℥ij. ʒj. Misce omnia in vitreo mortario probe, lento ignis tepore. Ex hac mixtura formentur exiguæ pillul. Dosis. 3. 4. 6. 9 10. grana. Curat omnes dolores colicos; Dysẽtericos, Nephriticos, cum guttis. 3. ☉ poculenti. & guttis. 2. olei perlarum; vel gutt. 10. olei Martis: & Theriac. Alexandrinæ fabæ instar, atque terr. sigillat, ad 2. &. 3. ad 8. grana. In Hyposarca datur cum oleo ♁ purgato prius cum tinctura ♀ corpore.

EIVSDEM LAVDANVM aliud ad omnes Febres.

Recipe Olei ♁ Balsami Aloëtici succotrin. superi⁹ parati a. ℥ß. Essẽt. Croci dicto modo paratæ ʒvj misce, & ex 10. granis formentur 20. pillulæ, aut 15. grana pro robustissimis corporibus. Dos. pillula 1. pro vice. Robustiores summit 20. vel 18. grana. Cum saccaro rosaceo, hora vna ante paroxysmum cum sudore. Habes simul purgatiuum curatiuũ atq; confortatiuum medicamentum. Sed de his hactenus.

CAPVT XIV.

De Aeris vitæ prorogationem vel promouentis vel impedientis Natura, proprietatibus, admirandis effectis, differentijs, mutationibus, electione, & correctione.

INTER Res non naturales, in quorum recto & legitimo vsu & vitæ propagandæ, & sanitatis in multos annos conseruandæ cardo versatur; Cùm AER & innatæ essentiæ, & necessitatis ratione facile primas teneat, vtpote quo tùm ad spirituum nutritionem, & refrigerationem, tùm ad vaporum fuliginosorum calorẽ natiuum offuscantium exclusionem, ne temporis quidem momẽto carere possumus, eo quod sit spiritus quidam, quo veluti flabello ignis noster internus temperatur, expurgatur, & inspirando, exspirandoq́; instauratur &c. multa de eius essentia, quid, quãtus, qualis, & vbi sit, quibus polleat viribus, quas edat actiones, quas & à quibus patiatur passiones, qua mundi regione aut plaga sit, quo pertingat, & quid in se vel comprehendat vel admittat, dicenda forent, nos tamen breuitatis amore ea duntaxat beneuolo Lectori proponemus, quæ ad instituti nostri declarationem facere videbuntur.

Quid Aer.

Aërem itaque inani similem, corpora sublunaria tangentem, circumdantem, penetrantemq́;,

tactum item, auditum, gustum, & odoratum ferientem exercentemq́;, & omnibus sensibus, ac ipsi quoq; rationi cognitum, veteres philosophi, quod & diaphanus & perspicuus, rarus, fluidus, mobilis, & tenuis esset, AEtherē & Cœlum nuncuparunt, circumfusam vndiq; terræ spirabilemq́; naturam; aut vitalem & per cuncta meantem, totoq́; consertum spiritū æthereum, Græcis ἀέρα vocatum, eo quod semper fluitet, vagus erret, & certæ sedis nesci9. Nec iniuriâ forsan, si enim omnium philosophorum consensu, Elementa vbi sese mutuo cōtingunt, aliquam naturæ similitudinem & symbolum habeant, & Aër, AEthera contingens raritatis illius particeps reddatur; AEther autem ad Aëris densitatem quadantenus accedat, meritò Aëri AEtheris nomen impositum fuit, licet re ipsa discrepent.

Hunc inquam, Aërem *Hippoc. lib. de Flatib.* Spiritum, & omnium quæ corpori accidere solent, authorem, ac Dominum vocat, eò quod huius attractu & inspiratione, omne animal sanguine & pulmonibus præditum, vitam sustentet, ac natiuum reparet, contemperet, expurgetq́; calorem, *Platoni* quoq; in Cratylo appellatus est ἀήρ, quod ea quæ circa terram sunt, tollat, eleuetq́;, vel quia semper fluat, vel quod perenni eius fluore spiritus concitetur. Alij, vt Arabes eundem & corporū & spirituum pabulum: Alij primū vitæ principium, imò ipsam animam crediderunt, eò quod vita, ne temporis momento Aëre carere possit. Chaldaicæ philosophiæ sectatores, cùm animaduerterent Aërem vitalem esse spiritum, cuncta Entia permeantem, omnibus vitam & consistentiam præbentem, superiora inferioribus diuerso tamen modo ligantem, mouentē & implentem omnia, illum medium velut glutinū, & vinculum, diuersa in vnum cōiungens, & reboantem mundani spiritum sunt interpretati: Nec inconcinnè; cum per hunc vita, cum hoc omnia, apud hunc omnia, per hunc conuenientia omnium matrimonia, per hunc omnis in omnibus impressio, & secundum hunc diuersæ rerum naturalium affectiones. Hinc *Galen. 1. diff. Sympto. 5.* Aëris naturam cōtemplatus, eam volaticam, penitusq́; spiritualem, omnia corpora pari & subtilitate, & facilitate permeantem, vndiq; circumfusā, calidam, leuem, tenuem, animabilemq́;, spirabilemq́; substantiā vocauit, quæ suopte insito & ineuitabili motu rapta, & in præcipua corporis membra absorpta, ea suis mox hoc modo imbuit qualitatibus: Quamprimum attrahitur Aër, subito in totum fertur corpus, cuius leuior pars in cerebrum euolat, & animali spiritui permiscetur, pars à pulmonibus hausta, & præuia tamen &

Spiritus in homine vnde & quomodo gignantur.

præpa-

præparatione & defæcatione, in sinistrum cordis sinum rapta, vitali iungitur spiritui; pars qualibet deglutitione abripitur in vẽtriculum, inde in hepar fertur, ex hepate in venas distribuitur: Ex quo fieri nequit, quĩ nõ suis qualitatibus tenuissimos spirit⁹ imbuat, humoresq; ob mollitiem alterationi obnoxios, plurimũ & continuo allisu inhærescendo, ipsis etiam solidioribus partibus aliquid de sua natura imprimat; ex quibus abundè constat, aërẽ omnia, etiam solidissima corpora penetrare. Nec iniuria profecto, cũ aëris proprietates, eius essentiam vel constituentes, vel ab ea fluentes, illi⁹ scilicet raritas, fluiditas, mobilitas, partium tenuitas, atq; perspicuitas, id plus satis demonstrẽt; hisce enim proprietatibus à summo Conditore insignitus est, tum vt facile omne adimpleret vacuum; tum quò facilius ab omnibus animantibus ad cordis, spirituumque contemperationem, nutritionem, & conseruationem, & fuliginosorũ, excrementorum exclusionẽ attraheretur; tùm vt ipsam lucem, solares radios, cæterorumq; astrorum influx⁹ excipere omniumq; oculis omnes rerum formas, magnitudines, colores, sapores, odores recipere, exhibere, deferreque posset.

Aëris proprietates.

Cæteræ verò aëris qualitates, in eius essentia existentes aut ab eadem fluentes, vires poti⁹ sunt Aëris, quarum meritò essentiæ in actum exeũt, & rem aliam extra se tùm efficiunt, tùm afficiunt, qualis est aëris & caliditas & humiditas, quibus aliæ adnumerantur peculiares passiones cunctis animantibus ad vitã necessariæ, scilicet vt sit tẽperatus, tam ad infringendam frigoris inclementiam, quàm ad mitigãdũ caloris excessum, pro tẽporũ anni ratione, vitæ nostrę cõseruatione, & omniũ rerum productione, modo calid⁹ humid⁹, modo calidus sicc⁹, modo frigidus humidus, modo frigidus siccus &c, pro cuiusq; naturæ, situs, loci, ac regionũ conditione: Clarus limpidus, ac luminosus, quo vitales spiritus reficiantur, & totus homo ad obeundas functiones promptior vegetiorque reddatur; Purus esto, potest enim clarus esse Aër, at non pur⁹, nam purissima etiam tàm Cœli, quàm Aëris constitutio, æquè loca immunda, fætentia, paludosa, & grauem Mephytim spirantia, quàm sana, amæna, & odorifera peruagatur; requiritur ergo Aëris puritas, ne ex locorum, paludum, specuum fætentium, terræ, aquæué impuritatibus magnam aliquam aut venenatam auram vitæ nostræ inimicam contrahat, & attractus cordi communicet; Inodorus, nam vt aqua omnium optima censetur, quæ insipida, & nullo sapore est imbuta, vti secũdo huius operis libro docebim⁹, sic & optimus ille dicendus Aër, qui

Aëris qualitates.

qui nullo tetro odore imbuitur; Liber, non coactus, non inclusus nec conglobatus, nam vt aquæ nō motæ, facile corrūpuntur, sic & Aër aquâ longè subtilior, ad cor perenniter attract⁹, facile vitæ insidiaretur, si inclusus, teter, nullâq; salubri aurâ perflatus foret. Domesticus demum, ne scilicet vel contagiosorum morborum atomis, vel pestis miasmatibus, vel fodinarum metallicarū, mineraliumué venenatorum exhalationibus, aut grauibus ac tetris specuum subterraneorū, antrorum, locorumué paludosorū euaporationibus infectus, vitam nostram deprædetur.

Aeris vires & mirrandi effectus.

Admirandæ porro sunt Aëris virtutes, stupendi effectus, tātisq; virib⁹ pollet, vt follibus, vtribus, maioreué pila lusoria inclusus, non tantum non cedat, sed & magnopere resistat, renitaturq;, retropellat, ictus valenter recipiat, potius quàm ictibus scindatur, aut dispergatur, integer natet, volet, vehatq; imo & pondera sustineat, quæ in aperto non sustineret. Sed & in aperto ingentes moles magno fert spatio, gestante vento: leues item mouet aquas, sed & immensa maria commouet & conuoluit, & per ea vastas nauium moles & impellit, & quasi vt molem efficit, dum in carbasa illatus, impletis omnibus vacui poris, in seipsum intenditur & intumescit. Et quod sæpe stupent homines, magnas arbores, saxa grauissima, ingentes rupes è mōtibus diuellit, quassatque; terras cum montibus concutit, motat, concussat, aperit, sursum iactat, tecta, murosque & magnas cum populis vrbes, & cum totis maria littoribus non solùm quatit, sed & per reliquum fert Aëra: Tanta vis est Aëris inani similis cōpressi, & seipsum mouentis! Imo tantis pollet viribus Aër, vt veteres philosophi crediderint vniuersā terram in eo pendere, & ab eo vndiquaq; cōtineri, ne vel in partes discerpatur, vel tota se aliò conferat, & locum mutet. Aër item, vt sua munia facilius obeat, id à Conditore habet, vt partium & totius constitutione, per aquā, per terram, perque omnia mixta meet, seq; ipso impleat, & ea penetratione sibi ipsi extra se posito ita annectit, vt mutuo complexu diuersitatis nexum efficiat, vt & terra, & aqua, in vniuersi medio facilè librentur & pendeant. Cedendi igitur, impellendi, sustinendi, alijsq; viribus contrarijs, mirâ Conditoris sapientiâ, Aer constitutus, per eum, quasi per suam machinā omnia in vniuerso administrātur, vegetantur, vitalia fiunt, fæcundantur, producūtur, nutriuntur, augentur, perficiuntur, & conseruantur: vt nō immeritò *Zoroaster* Aerem παντοτρόφον αἴθρην omnialentem ætherem nuncuparit, quod nimirum omnium corporum hylęorumætheri simillimum, ipsius ætheris & lumina

mina,& calores, & ſeminum influxus ab eo recipiens, in hæc inferiora deferat,eorum veluti auriga effectus,ita vt rerum ſemina & influxus ipſe à ſuperioribus fotus foueat, eisq; fauens per omnia meando,omnibus ea inferat, grauida & fæcunda reddat; & cũ totus calet, fluidus ac tenuis eſt, ab æthereis cõcalefactus &adiutus,omnium generationum machina eſt & organum: ita etiam aduentitijs ſibi alias aduentitias patitur paſſiones,dum ſcilicet interdum nimium vel incaleſcit, frigeſcit, ſicceſcit, humeſcitque, vt quæ per proprias vires noua generauit Entia, per haſce alias eadem corrumpat, & ad interitũ perducat.

Aeris ſitus naturalis.

Aeris ſitum in Vniuerſo quod attinet,ſub luna eſſe nemo ignorat, vſque ad mare, ad aquas,terræq; profundum,ita vt æthera cũ hiſce cõnectat,ima, & ſumma ſic ſeparet,vt tamen iungat: Separet quia medius interuenit; Iungat, quia vtriſq; per eum inter ſe conſenſus vehitur,ſyderumq; vim in hæc noſtratia transfundit. Terræ ſic appoſitus eſt, vt ſtatim ibi futurus ſit,vnde illa diſceſſit: Aquas item terrasq; partibus ſuis penetrat,& illico, vbi deſunt, eo mouetur, vacua eorum loca adimplens &c.

Aeris Regiones.

Supereſt, vt antequam ad Aeris differentias accedamus,de Aeris regionibus(quas Peripatetici triplices ſtatuunt)pauca in medium proferamus, quarum cognitionem Medico longæuitatis ſtudioſo nõ minus vtilem, quàm iocundum fore ſperamus.

Aeris itaq; regio trifariam locis diſtincta videtur; Suprema, Infima, & Media, non loco duntaxat & ſitu,ſed & natura, & qualitatibus differens: Prima & ſuprema,ætheriq; contigua,perpetuò calida,tùm ob ætheris vicini-

Prima Aeris Regio.

am,tùm ob motus perennitatem cum aſtris,primoq; mobili communem; Hæc quidem regio nubibus vacua & immunis, tùm ob nimiam à terra diſtãtiam,tum ob aſſiduum tàm motus,quàm caloris perennitatem: eadem tamen leuiorum exhalationum calidarum & ſiccarum minimè expers, ex qua materia ab æthere proximo varie accenſa, variæ repræſentantur ſpectantium oculis formæ,quas à rerum nobis familiarium ſpecie denominamꝰ Faces, Tædas, Trabes, Candelas, Lampadas,Lanceas,ſiue Iacula,Scintillas micantes,Torres ſeu Titiones, Ignes fatuos, & ſonoros, Capras ſeu Capreas ſalitantes, Dracones volitantes, Sydera velut cœlo procidẽtia, Stipulas ardentes, Virgas, Gladios, Belides, ignitos Exercitus, Chauſmata, & id genus ignis deluuia, tàm à *Plinio lib.2.* quàm ab *Ariſtotele lib. Meteorolog.* deſcripta, modo ſurſum lata,modo deorſum pulſa,modo in latus,aut gyrum acta.

Atq; Orbi nunquam viſos impunè Cometas; & eos quidem

formis omnino varijs ſpectanti plebeculæ formidoloſos, (qualẽ Anno 1618. magno totius Romani Imperij & terrore, & iacturâ obſeruauimꝰ) cincinnatos, crinitos, iubatos, pogonias, ſeu barbatos, caudatos, Xiphias, acontias, diſcos, ceratias, lãpadias, bippos, pithos, ſiue pitheras, anthropondes: & quis ſingulas ſpecies perſequi queat, quas accenſa variè in lucido Aere materies (quanquam in cœlo fieri, & quandam lucentium Aſtrorum congregationem eſſe luminis, *Cardanus* & alij quidã viri ſanè acuti tradunt) & pinguis exhalatio æſtuans fouet, fingit, effigiatq́; ? Quis reliquas rerum infinitarum imagines quibus omni æuo, vt quis dixerit

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

aut denique, quos in Aere quotidie repræſentari, & olim viſas tùm cernimus, tùm accipimus, curruum ignitorum, Quadrigarum, Enſium, Clypeorum, Aciei inſtructæ, Hominum, Equorum, Leonum, Pardorum, Crucis, Nauis, Turris, Coronæ, Crateris, Tubarum clangentium, ac ſimilium complurium? cùm ſcripſerit *Poeta 1. Georg.* (& nos his grauiſſimis bellorum Germaniȩ cladibus, vrbium, pagorumq́; incẽdijs, agrorum vaſtationibus, cæterisq; calamitatibus & audiuimus, & obſeruauimus)

Armorum ſonitum toto Germania cœlo Audijt:

vt Cimbaricis bellis Romani referẽte *Plin. lib. 2. cap. 57.* vt bellis Iudaicis ad ſtuporem vſq; vt *2. Machab. 5.* mirificè refertur & à *Ioſeph.* hiſtoria texitur *lib. 6.* & ab *Euſebio* repetitur *lib. 2. hiſtor. Eccleſiaſt.* & ab *Egeſippo*, & alijs hiſtoricis, & à *Iulio Obſequente lib Prodig.* dimicatio & conflictus duorum exercituum in Aere exauditorum deſcribitur, L. Scipione, & C. Norbano Conſulibus.

Media Aeris Regio.

At Media Aeris regio valde algida perhibetur; quia ſolares radios ſeſe reflectentes ſurſum, nõ percipit: nec ab AEthere ſuperpoſito, ob nimium interuallum concaleſit: nec circulari motu incaleſcit; ſed contrà vi ἀντιπεριστάσεως tota ſemper congelaſcit, & vi frigoris multum conſtricta ſolideſcit, atq; inſpiſſatur. Hinc ex elatis eò vaporibus calidis & humidis, vbi vi frigoris in nubes coacti fuerunt, pluuia, nix, grando ſuam accipiunt originẽ, formâ magis, quàm materiâ primâ diſtincta ſingula. Ex calidis autem & ſiccis exhalationibus, natiua loci frigiditate coactis & colliſis fulmina, fulgetra, corruſcationes tonitrus minaces & horrifremi eduntur; aut vano luctamine è vanidi typhones, præſteres, & ecnephiæ prorumpunt.

Tertia Aeris Regio.

Deniq; infima citimaq; terris plaga, ſumma quidem minus calida, ſed media lõgè calidior regione perhibetur, propter ἀνάκλασιν ſeu radiorum Solis à terra reiectorum

ctorũ, & quasi reuerberatorũ reflexionem, tum etiã ob vapores & exhalationes suapte natura calidas, quas à se & terra & maria & flumina & lacus, & paludes, & gelidi fontes & irrigui riuuli sursum spirant, attollunt, eiaculanturq;. Qua quidem ex concretione, ob mediæ regionis frigidæ viciniam imber largus generatur; sic è nocturno frigore Ros, pruina, nebula, seu caligo, & si quæ eiusdem generis: quamuis & à ratione alienum non videatur, pluuias quoq; vt plurimum fieri non ab exhalatione, vt in summis caloribus, atq; frigoribus; sed nubium roscidarum in mare depressione, quæ multum humorem spongioso suo corpore exugant & combibant (à similitudine pompæ vulgo dictæ, qua putei & fontes exhauriuntur) & mox ventorum vi per Aera dispergant.

Media Aeris Regio.

Primo huius libri capite ostendimus in Microcosmo non pauca, si non omnino similia, at affinia Aeri reperiri: vt enim spiritus Domini replet orbem terrarum, & hoc quod cõtinet omnia, scientiam habet vocis; Itemque occultam Dei maiestatem, potestatẽq; præseferens, per omnia sparsus permeat, vbique præsens, omnia complectitur, omnia fouet, alit, vegetat, animat omnia, quẽ ideo *Plato* mundi animam, *Galenus* mentẽ cælitus demissam, alij Naturæ spiritum vocant. *Aristoteli* libro de Mundo Spiritus dicitur quædam tùm in plantis & animalibus, tùm per omnia commeans animata, fæcundaq; substantia, qui longè latèq; diffusus, omnia continet, omnia læteficat, vitalẽ Mundi animam, ipsamq; naturam secum afferens, quæcunque subierit, vitalia faciens. Mens illa rerum opifex ab *Hermete* primò, deinde ab *Anaxogora* celebrata, nobis etiam seriò multumq; celebranda, quam & *M. Tullius* ita prædicat: Hæc ita fieri, omnibus inter se Mundi partibus concinnentibus, profectò non possent, nisi ea vno diuino & continuato spiritu cõtinerentur. Sed numerosius forsan Poeta.

Spiritus cum Aere comparatio.

Tertia Aeris Regio.

Principio Cœlum, Terras, Camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet
Inde hominũ, pecudũq; genus, vitæq; volantũm
Et quæ marmoreo fert mõstra sub æquore Pontus
Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo
Seminibus.

Hunc spiritum Plotinus ab Anima Mundi dimanare vniuersũ existimauit, quem vi sua genitali quasi turgens procrearet; hic per cuncta fusus & insertus totus æthereos, totus lucidus, totus diuinus, omnium, quæ sunt, quæq; fiunt proximus author, totusque vitalis, vitæ seminaria rebus infundit. Huic comes est cœlestis ille, diuinusq; feruor, qui cæteris omnibus naturis salutarem & vitalem impertit calorẽ: qui in omnem fusus naturam, omnia animantia

mantia, omnesq́; ſtirpes gignit, conſeruat, alit, auget, ſuſtinet. Deniq; natura illa quæ Mundum continet, quæq́; ipſum tuetur; eadem anima Mundi, ſiue ſpiritus hic genitalis intelligitur, ex quo cõſeruatio & ſalus omnium omnis oritur, & cuius vis cuncta ſuo complexu cõciliat, aut ſane quaſi vehiculum quoddam, illã Mundi animã, tùm Idæarum notiones in vniuerſum Mundi corpus inuehit, atq; inſerit, & rebus ſingulis immiſcet, & è cœlo, ſyderibusq́; rationum ſemina inuehit, totisque perfundit, & permiſcet, teſtibus *Platone, Fernelio, Rondeletio*, & alijs tùm priſcis, tùm neotericis Scriptoribus.

Animantibus igitur ſpiritum ineſſe non dubitãdum, qui calorem natiuum foueat; qui corpus hoc luſtret & oberret; qui animã in corpore retineat, & ſe ad omnia corporis munia adaptet, & idoneum inſtrumentum exhibeat; qui animi, omniumq; facultatum vector, vt iam diximus, propriaq; ſedes & (vt Platonicis placuit) illarum corpus, quo illæ cũ terreno & denſo corpore ſocientur & coirent, quaſi vinculo quodam mediam inter vtrumq; conditionem ſortito, cuius diuinam & æthercam naturam agnoſcens *Ariſtoteles*, Elemento ſtellarum proportione reſpondere ſcripſit.

Habet homo de iſtis meteoris quid ſimile (vt 1. capite aperuim⁹) at non omnia: Quomodo enim exilis homuntio orbem in ſe totum complexus contineat? Sed tamen ſanè permulta. Nam à corpore ſubiecto in ſublime quotidie vapores attolluntur, qui ſi calidi ſunt κνισώδεις ſeu nidorulenti dicuntur, ab intemperato & ęſtuante ventriculo elati, plurimi autem tales ab hepate & corde calidiore per venas, perq́; arterias ſolent efferri: Sin autem frigidi ὀξεῖς ſiue acidi (à quibus dicta Hippocrati ὀξυρεγμία) denominantur, quales pleriq; ab eodem potiſſimum ventriculo, & prima corporis regione eleuantur, eo maximè tempore, quo concoctio iniri, & cibus in aluo, velut in olla, aut lebete caro concoqui atque efferueſcere incepit.

Atq; hi demum vapores omnes ſiue calidi, ſiue frigidi more ſtillatitiȷ́ liquoris alembico, ſeu vaporario vaſe aliquo eliciti, atq; ad capitellum appulſu concreti: Sic cerebri ſua natura frigidi occurſu illico cõcreſcunt, pariuntque vel in cerebri concauitatib⁹, & ventriculis flatus quoſdã verticoſos, vel quod frequentiſſimũ eſt multiplicẽ catharri ſeu rheumatis materiem vitæ humanæ & grauem & inſidioſam, imò verò ſæpe calamitoſam ac pernitioſã, ſicuti in Aere ex elatis è terra vaporibus imbres generantur. Vnde ex decubitu ad partes inferνas morbi frequentes, & quidem adeo funeſti ophthalmia, parotis,

Morbi ex defluxionib.

acutus

acutus aurium dolor, dentium tormenta, anginæ, antiades, paristhmia, columella, pleuritides, peripneumoniæ, coryza, branch⁹ pthysis, ischias, chyragra, gonagra, podagra, arthritis, & pro partium affectarum diuersitate, alij atq; alij particulares morbi oriũtur & succrescunt. Sin verò contingat materiam illam liquidam ac fluidam in ipsa capitis capacitate retineri, nõ minor inde morborũ soboles, sæpe etiã funestior oboriri cõsueuit, vt Cephalalgia, Cephalea, Hemicrania, phrenitis, paraphrosyne, deliriũ, mania, melãcholia, lycanthropia, stultitia, amẽtia, sopores, vetern⁹, catoche, catalepsis, lethargus, incub⁹, vertigo, epilepsiæ, apoplexiæ, paralysis, tremor, conuulsio, catharr⁹. Horum tamen nõ omnium causa ab elato sursum vapore, deinde concreto, seu calido, seu frigido existit, cùm nõ rarenter è sanguine etiam, aut congeneribus illic humoribus, aut maligna aliqua qualitate illic oriantur. Sed de Spiritus cum Aere, & regionum Aeris, cum corporis humani partium, locorumq; comparatione hæc sufficiant, & obiter dicta sunto, ad Aera redeamus, & cum non vbiuis vnus, idemq; sit Aer, aliqua de eius differẽtijs Medico vtilissima in medium adducamus.

Aeris differẽtiæ. Primùm quidem, quemadmodum Homines & natura, & ætate, & moribus, formâ, figurâ, colore &c, inter se differunt, ita & circũdans, & ambiẽns nos Aer pro climatum, Regionum, Insularum, Prouinciarumq; diuersitate variatur, varias recipit impressiones variasq; exerit vires & effectus, vti sequenti cap. 15. ostendemus; Sumimus igitur Aeris differentias à cœli plagis, Orientali scilicet Occidentali, Meridionali, & Septentrionali: Omnis enim Aer suorum Incolarum non corpora duntaxat, sed & animos mutat, v. g. Australis Aer corpora reddit humida, lenta, pigra, defluxionib⁹ variis obnoxia; Aquilonaris verò exiccat, constringit, roborat &c, sic de alijs. Differt item ambiens nos Aer ratione Prouinciarum, Vrbium, Oppidorum, & Pagorũ, qui singulis annis quater minimum, pro quatuor temporum anni ratione mutatur, vt Vere sit calidus humidus: AEstate calid⁹ siccus; Autumno frigidus siccus; Hyeme frigidus humidus, plus tamen minusué, pro Regionum natura, & Cœli positu. Differt item Aer ratione quatuor temporum diei, quatuor anni temporibus proportione respondentiũ, ita vt mane sit calidus humidus; meridie calidus siccus; vesperi frigidus siccus; noctu frigid⁹ humidus. Die enim ac nocte distinguitur Aer, idemq; tùm fusus & extenuatus in sublimè fertur: tũ concretus in nubes cogitur, humoremq; noctu colligens, terrã auget imbribus: tùm huc & illuc effluens, ventos efficit, idemque

 annuas

annuas faciet & frigorum & calorum varietates. Sumitur item differentia à ventis, certis anni temporibus Aera perflantibus, vt flante Austro Australis; Aquilone Aquilonaris reddatur &c, Tempestatum item ratione differentias subit, ita vt quãdoq; nebulosus, pluuiosus & crassus; quãdoq; lucidus, clarus, seren⁹, odor⁹ calidus &c, vt Vere & AEstate efficiatur. Differt item situs loci, terræq; ratione, alius enim est in præaltis montium cacuminibus, alius in conuallibus, locisq; depressis, & angustis, alius in montium cauernis, scrobibus, antris; paludibus alius, alius in domus vertice, in eiusdem cella alius. Sic & ex aquis variæ sumuntur Aëris differentiæ, semper enim humidior & crassior est qui maria, lac⁹, stagna, fluuios, piscinas, fontesq; pererrat, eo qui montes, colliculos, collesq; & nemora, locaue sicca, sublimia & præalta percurrit: vt iam alia multa silentio inuoluamus plantas scilicet tùm odoriferas tùm venenatas, arbores etiam varias, metalla, mineraliaq; varia, quæ omnia Aërem facile immutant, & peregrinis sæpeq; deleterijs qualitatibus inficiunt, imbuuntque.

Aeris mutationes variæ.

Cùm itaq; Aër, vt iam dictum, sit vapor volaticus, tenuis, fluid⁹, & spiritualis, ob naturæ suæ instabilitatem varias subit mutationes, mutatur enim potissimum à Cœlo, Stellis, Sole, Luna, Ventis varias regiones, variaq; loca pererrantibus, & receptas qualitates Aëri imprimentibus, vt sequenti capite videbitur; ab Aquis item tàm mobilibus vt flúuijs, fluminibus, fontibus; quàm immobilibus vt Mari, stagnis, piscinis, lacubus &c, & ab ipsa demum Terra, varijsq; Terrarum naturis; & ab ipso Homine. Modo enim illum Sol accendit; modo Luna pro vario quadræ cursu, variè eius temperiem exercet, immutat, & inflectit; Nunc vario quorundam Syderum vt Syrij, Pleiadum, Hyadũ, Orionis vel ortu, vel aspectu, vel occasu, Syzigijs, & influxionibus varias recipit mutationes, & alterationum vices, ita vt modo incalescat, modo frigescat, siccescat modo, aut humescat.

Hic ergo ambiens nos Aër cũ quandoq; vitam nostram in multos sæpe annos prorogare, quandoq; verò etiam demoliri & rescindere queat, multũ profectò in eius & cognitione & electione situm est, vtpotè sine quo nec sanitas sarta tectaq; conseruari nec morbi præcaueri vel curari possũt tũ quod vel qualitatũ immoderatione, vel propriæ substantiæ vitio, vel insolita aliqua mutatione vel ipsomet *Hippocr.* testimonio *lib. de flaltib.* Morborum author & procreator existat.

Aeris electio.

Vitæ igitur propagandæ, valetudinisq; solidandæ rationem initurus, Aërem eligat, quantũ fieri poterit longè optimum, temperatum

peratum ſcilicet & cuiuis naturæ conuenientem, qui nec calore, nec frigore, nec humiditate, nec ſiccitate excedat, ſed cuiuis ſpecificæ naturæ quadret; idemque quoad ſubſtantiam, purus ſit, nitidus, limpidus, tenuis, patens, liber, odoratus & temperatus, qualis eſt in Vere, Sole tẽperatis Regionibus, Arietem ingrediente, quiq; oriente Sole facile incaleſcat, eodemque occidente facile frigeſcat, nullis vel Cœli, vel Terræ, Aquarumuè inquinamentis, aut inundationibus obſitus, nulla putredine affectus, nullo prauo vapore, oligine, craſſitie, aut corruptione perfuſus, ſed lenib⁹, & ſuauè ſpirãtibus Zephyris, modice perflatus, & multâ ſerenitate redundans &c.

Optim. Aër.

Quis fugiendus Aër.

Quæ cum ita ſint, omnibus lõgæuitatis ſtudioſis facilè conſtabit, quis ſit fugiendus Aër? qui ſcilicet vitioſo ſtagnorum, piſcinarum, paludum, cloacarum, ſentinarum, cadauerum inſepultorũ fimetorũ, piſcium, lini, canabisuè in aquis putreſcentium halitu vel è propinquioribus locis, vel è profundioribus terræ cauernis ſpirante inquinatur. Inſalubris, inſuetus, & ſæpe exitialis eſt Aër ſolitò vel frigidior, vel calidior; ſiccior vel humidior; turbidus item, craſſus, nebuloſus, pluuioſus, nimboſus, varijsq; meteororum impreſſionibus alteratus; quiq; ex olerum, leguminum, fœni, ſtraminumuè fætente marcore inficitur, aut vitium contraxit; aut editis vndiq; montibus ſeptus, & demiſſo, incluſo, aut cauo loco; aut cõpreſſis, anguſtis, ventisq; minimè peruijs conclauib⁹, hippocauſtis concluſus. Ex hiſce profectò conſtat Aërem in anguſtis & obſcuris hyppocauſtis incluſum, fędis hominum excrementis, ſordibus, ſudoribus, ſæpe hircum olentibus, veſtium item madoribus, grauibus lychinorum, candelarum, lampadum rancido oleo inſtructarum fumis veris ſcilicet vitalium ſpirituum hoſtibus; canum item, cattorum, gallinarum, ne dixerim & porcorum excrementis, aut graui eſculentorum nidore infectum ſedulò euitandum eſſe: vt & fornaces iuſtò calidiores, ſudantes ac calore nimio madentes ſtuphas, æſtuaria, noſtris Germanis heù nimium familiaria, & magno ſæpè vitæ diſpendio vſurpata, præſertim cum vel carbonibus, vel ligno foſſili tetros vapores ſpirantibus igniantur. Fugiendus inſuper Aer longo tempore incluſus, conglobatus, & nunquam, vel rarenter ſalubribus auris perflatus, qualis plerumq; reperitur in antiquis & inacceſſis antris, cauernis, ſpecubus ſubterraneis, cellis vinarijs fornicatis, templis humidioribus frequenti hominum ſepulturâ celebratis, & paucis ac depreſſis feneſtris illuſtratis; vt & in antiquis ac humudis cæmeterijs, ſcholis item publicis æſtiuo

tempore putridos sæpe carnium, cruorumq; vapores spirantibus; in angustis quinetiam vrbium ac ciuitatum plateis, multis latrinis ac cloacis malè purgatis, & non rarenter ingruentibus imbribus, Austrisq; flantibus, putidissimorum excrementorum sentinam per totam viciniam effundentibus, totumq; Aera tabido vapore inficientibus, vt nunc priuatas domos, stabula, negligenter repurgata, varijsq; tum hominum, tum animalium excrementis scatentia, quę non domesticos duntaxat pallido ac liuescente colore (sexum præsertim muliebrem) afficiunt, sed & totũ ambientem nos Aerem inficiunt, & morborum seminibus augescunt, silentio inuoluamus. Talis quippe Aer omni ætati, sexui, omni temperamento, omni deniq; animãtium generi non invtilis duntaxat, sed & noxius, exitialis, & pestilens euadit.

Aer Bruntrutanus qualis.

Hinc fit, vt licet Bruntrutani, ob loci editioris naturam & sitũ, aquarumq; & fontium salubritatem & puritatem, salubri, amęno, & lucido Aere perfruantur, propter fætentes tamen platearum sordes, manantem irruentibus imbribus ac procellis tàm cloacarum malè purgatarum, quàm stabulorum, & Macelli eluuiem, in totas sæpe plateas sese effundentem & totam viciniam prauo fætore inficientem, ob cæmiteriorum item viciniam, & proximè adiacẽtes coriariorum officinas, tantus quandoque excitatur fætor, & aeris inquinamentũ, vt nisi cõtinuo ventorum septẽtrionalium effluxu, effusione, & perflatione Aer expurgaretur, & inquinamenta perenui flatu excuterentur, non leuis sæpe Aeris corruptio, & pestilentium morborum incursiones pertemiscendæ forent. Huic tamen incommodo Magistratus facili negotio exigiusque sumptibus occurret, si plateas à tali eluuie, destinatis ad id certis hominibus emundari, ipsasque latrinas debitis temporibus hyemali scilicet ac pluuiali cælo expurgari curet, aut quod satius, honestius, visuque iocundius foret, adductis in singulas plateas salientis aquæ fontibus è vicinis scatebris non magnis sumptibus introducendis, quorum postmodum ope & plateæ expurgari, & sordes facilè exportari possent.

Quomodo corrigendæ Aeris substantia.

Ergo quicunq; & Vitæ propagandæ, & sanitatis conseruandæ rationem inire voluerit, Aëris quam diligentissimam rationem habeat oportet, qui si vel intestina, vel forinseca corruptela; pestiferisué inquinamentis laboret corrigendus erit, vel salubrium ventorum orientalium, vel septentrionalium perflatione, crassos, caliginosos, turbidos, pluuios, ac nebulosos Austrorum, circiorum, vel Notolybicorum expirationes discutiente; vel locorum

rum madidorum, deprœſſorum, inſalubrium in longé ſalubriores mutatione; quæ tamẽ in contrarium mutatio ſubitò & raptim fieri non debet; vel magni *Hippoc.* exemplo maioribus ignibus è Quercino, laurino, abietino, Iuniperinoue lignis accenſis. Ignes enim luculenti vel in ædibus, vel compitis publicis accenſi magnã in corrigendo Aëre vim obtinẽt: Cum enim Ignis omnium agentium naturalium validiſſimus & actuoſiſſim⁹ exiſtat, nulli corpori parcens; ſed omnia quæ tangit, aut vicina habet depaſcens, deſtruens, ac in cineres redigens: ideo non dubitandum, quin corruptam Aëris ſubſtantiam, vel etiam peſtiferis ſeminarijs inquinatã corrigere & emendare poſſit, præſertim ſi ſæpius in die eiuſmodi Ignes è ligno Iuniperino, Fagino, Querno, Betulino, plantiſue odoriferis vt Roremarino, maiorana, ſaltica, origano accẽdantur. Non rarẽter mane & veſperi maiora tormenta bellica explodun tur. aut ſuffumigia è Thure, Maſtiche, Styrace, Ladano, alijsque odoratis malignitati reſiſtentibus parantur. AEdium cõclauia (præſertim ſi peſtilens fuerit Aër) Aceto vel Rutaceo, vel Roſaceo ſambucino, iuniperino, Rubi Idęi; aut conſimili liquore ſæpius in die inſperguntur: vel odorifera aliqua aqua pauimenta, parieteſque irrorantur: ſcilicet Maioranæ, Meliſſæ, Rutæ Roriſmarini, Lauẽndulæ, Citriorum, Scordij, Scorzoneræ, cum eiuſmodi acetis & liquoribus ſpecifica quædam vis inſit cõtagioſis illis ſeminarijs, & morbidis excretionibus per Aëra ſparſis reſiſtẽdi, omneſq́; putredines diſſipãdi. Delicatior quiſpiam ſuauiſſimo ac fragrantiſſimo è Chymico penuario deprompto, pro vitanda Aëris corruptione, ſmegmatis loco, pro faciei aut manuum irroratione vti poterit.

Recipe Cinamo: ℥ij.
Macis.
Garyophill. a. ℥j.
Benzoini
Styrac. calamit.
Maſtich. ℥ſſ.

Omnibus craſſo modo tuſis, & cucurbitæ vitreæ inditis Affunde Aqua. Lilior. Conuall. cortic. citr. maiorarę, Roſar. a. ℥iiii. facta per aliquot dies digeſtione, ſ. a. deſtillentur, impoſito prius alembici roſtro Ambræ ℈j. Ziberi ʒſſ. Moſchlij ℈ſſ. ſimul mixtis & in petia ligatis. ſic habebis odoratiſsimam, & ſuauiſsimam aquam.

Vel paretur ſequens Aqua fragrantiſsimi odoris:

Recipe Xyloaloes
Styracis calamit.
Aſæ dulcis
Saccari albiſſ. a. q ſ.

Pulueriza ſingula ſeorſim, & ſaccari ita quidem contriti,

recipe ℥ſſ. ſtyracis ʒiiij.
Xyloaloes ʒij.
Benzoini ʒj.
Moſci
Ambræ, a. ℈ij.
Zibetti. ʒjſſ.

Omnibus exquiſitè mixtis, diligenter

genter apto vase reponātur mox cū ijs voti voles, de eo pauxillū patinæ impone, superfunde ad eminentiam 2. digitorum Aq. rosac. fragrantissimam, patellam prunis impone, & cū incalescere cæperit, tunc suffitū vestibus &c. excipe; hæc dulci suo & fragranti vapore totum conclaue perfundet, & vestes, indumenta ac interulas quotidie sano hoc ac subtili vapore perfumigare, & aëris prauitati obuiare poteris.

In eundem finem hos Trochiscos parabis

Recipe Benzoini ℥j.
Saccari albi ℥iij.
Ligni Aloes ʒjß.
Mosci ℈j.

Iulepi Rosati q. s. ex omnibus pri⁹ pulveratis fiant Troschisci pro fumo, qui carbonibus impositi totum conclaue suauissimo replebunt odore.

Quemodo corrigendæ Aeris qualitates.

Quod si qualitatibus duntaxat peccet Aër, & hæ corrigendæ erunt, non tamen subitæ Aëris in contrarium mutationes instituantur, cùm hæ sint periculosæ; nec enim consuetum fuerit ab æstuante hyppocausto, sese statim ambienti frigori exponere; vel vice versâ: inæqualis siquidem ac distans qualitatū mutatio, sæpe graues exuscitat morbos, præsertim in rarioris ac tenuioris texturæ corporibus, aut quib⁹ morborum semina ex prima conformatione insculpta hætent. Sic qui à vehementissimo frigore ad luculentum ignem staim accedunt, animā non rarenter efflant; vt & ij, qui diutius tenebricoso carcere detinētur, si protinus lucem intueantur, facile occæcantur. Sic ex consueto Aëre in peregrinum & minus salubrem mutationes, varios sæpe morbos, & febres inuehunt, præsertim si impura & cacochymica fuerint corpora.

Aër pro temporum anni mutationibus, suas quoq; subit mutationes, nec ita graues, aut morborum feraces, si naturæ terminos non excedant: vernalis enim Aër calidus & humidus; æstiuus calidus siccus; autumnalis frigidus siccus; hyemalis frigidus humidus existit; quod si hæ qualitates vel excedant, vel citra naturæ cursum sese immutent, tunc variorum quoq; morborum seminaria introducunt, vt docet *Hippoc. 3. Aphorism.* Calidior quippe Aër humores partim extenuat, dissoluit, discutitque; partim adurit, bilem auget & acuit, morbos acutos gignit, spirit⁹ inflammat, nec solùm calorem præter naturam in toto corpore excitat, sed & poros aperiendo natiuum calorem euocat, dissipat, atq; vitæ breuitatem inducit, vt in ijs videre est, qui calidiores Regiones incolūt.

Corrigendus igitur frigidæ, & aceti inspersione, floribus item rosarum, violarum, primulæ veris, liliorum conuallium, nympheæ; folijs salicis, vitium, rubi Idæi; pomis item citrijs, arantijs, cytoneis, granatis, limonibus, aquis, succis & liquoribus natura refrigerantibus.

Frigi-

Frigidior autem Aër, qui hyeme flante vel boreę, vel aquilone in frigidis regionibus, intensior existit, Homines, humoresq; incrassat, stringit, intra corpus coercet, exteriores corporis partes densat poros concludit, & catarrhoicarum defluxionum feracissimus est. Ergo & hic emendand⁹ leui, claro, luculentoq; Igne, accensis lignis Iuneperinis, Quercinis, betulinis, faginis, lentiscinis; suffumigijs item odoriferis è styrace, mastiche, ladano, Maiorana, saluia, Roremarino, origano; aut rerum calentiū decoctis; hac enim ratione corrigitur hyemalis & gelidus Aer catharrorū neruos, pectus, pulmones, artusquę lædentiū feracissimus, Germani suis hyppocaustis (vtinam dextrè satis) pro arcendo frigore vtuntur; sint tamen nec angusta nec depressa nimis, nec plus æquo calefiant, quouis die aliquoties idoneis suffitibus perflentur, nè fætore spiritus inficiant. Veteres præter caminos, etiam vaporarijs vtebantur.

Aer quinetiam iustò nec siccior nec humidior sit, cum pro varia temperamenti ratione, modo hic, modo ille expetendus veniat: Corporibus enim optimo tēperamento præditis, optimus & exquisitè temperatus Aer, optimus & saluberrimus sit; in quo corpore autem vna aliqua qualitatū à temperamenti mediocritate deflexit, ei vtilissimus erit Aer contrarius, eiq; qualitati excedenti diuersus. Semper enim ad contraria renitendum, ne contrariæ qualitates roborentur, & in nostram perniciem vehementiores euadant; ad iustam ergò temperiem, in qua sanitatis & vitæ propagandę ratio consistet reducantur.

Quod si Aër à Mineris, fodinisuē metallicis sulphureis, ferratis, antimonialibus, arsenicalib⁹, auripigmentinis immutetur; vel à fætantibus arboribus, quales sunt ficus, nux, sambucus, ebulus, sabina, buxus; aut à plantis venenatis, vt cicuta, Napello, Aconito, veratro, Tytimalis, & id genus alteretur, tunc vel euerruncandæ, vel obruendæ, vel locus mutandus, quo minus eiusmodi infectus aër, vitæ nostræ damnum inferre possit.

Aer Macrocosmicis, quis & qualis.

Et hæc quidem hactenus de Aëre, quantum nostro instituto inseruire videbantur, dicta sufficiāt. Atqui verò cum ex præcedentib⁹ constet, Aëri Megacosmico spiritus Microcosmicos tam innatos, congenitos seu complantatos & fixos, quā vagos & omnibus mēbris influentes, analogos esse, calidam nempè, tenuem, leuem, aëream, seu ætheream substantiam, penetrabilem, seu suoptè motu totum Microcosmū pererrantem in qua caloris, facultatūq; sedes, ipsumq; vinculum, ceu primum ac p̄cipuum obeundæ facultatis instrumentum, animæ, eiusque faculta-

facultatum velut basis: cui ex tenuissima, purissima ac leuissima tum Aeris, tum sanginis, & seminis origo est, (vt passim ex *Galen.* monumentis colligere est) & tāta est necessitas, vt sine eo, nè tēporis quidem momento vita cōsistere queat, & inter tres Microcosmi partes, quas *Hippoc.* (naturam, vimq; potius intuitus) solidas quidem continentia: Humores verò contenta; Spiritus denique impetum facientia vocauit: non quidem à substantiæ tenuirate, sed quod eius, vt venti, vis maxima sit, & cōuersio, cum præpotens sit, mirabiliaq; efficiat, & oculorum obtutum effugiat &c. Hi inquam, spiritus Microcosmi tàm implantatus, quàm singulis partibus influens, cùm nō solùm Aeri Megacosmico sit analog⁹ sed etiā modo à varijs externi Aëris impressionibus nō rarenter maligna qualitate impraegnatis alterentur; modo à calidiore, frigidiore, humidiore, sicciore ue tùm cœli, tum Aeris, tum cordis, reliquarumq; principum partiū corporis temperemēto varie exerceantur; modo ab alimentorum, potulentorumq; vâria intemperie, ac indole præditorum fumis; Melancholicorum, Splenericorum, Hystericorumuè euaporationibus, ab internarum partium infarctibus, ceu prauis minerarū, specuumque subterraneorum fætentium exhalationib⁹ eleuatis, aut morbidis tàm internorū, quàm externorum affectuum excretionibus mutentur; modò ab humorum vel qantitate vel qualitate peccātium, biliosorum scilicet melancholicorum, vitriolatorum, arsenicalium, aaronicorū, napellinorum, &c, putredine, aut corruptela corrumpantur, & vitium contrahant, sicque demùm clàm, furtimque vitæ balsamum deprædentur; haud absre fuerit, peculiaria quædam remedia in medium proferre, quorum debito vsu prædictos corporis nostri Spiritus non roborare, firmare, sartos tectosque conseruare, sed & ab omnibus iam enumeratis incommodis vindicare possim⁹.

Cum itaque Spiritus corporis nostri ex tenuissimà, purissima leuissimaque tum Aeris, tum sanguinis substantià oriantur, nutriantur, foueantur, conseruenturque, quilibet vitam ad 120. annos propagaturus, ante omnia, operam dabit, tùm, vt quantum fieri poterit, in saluberrimo, purissimo, lucidissimo, suauissimo, ac fragrantissimo, & cuique ætati, sexusq; maximè congruo Aere vitam degat, (vt toto hoc capite docuimus) tùm vt optimis, salubribus, optimique succi, & facilè coctibilibus, nullis aut exiguis excrementis redundantibus tàm esculentis, quàm poculentis vtatur, (vti in sequentibus abundè docebimus) tùm nè corp. prauis, corruptis, malignisuè vel humoribus, vel flatibus, aut euaporationibus,

onibus, ſcateat aut redundet, aut morbis, prauiſuè ſymptomatib⁹ obnoxium ſit; parteſuè varijs obſtructionibus aut infarctibus laborent, nè hac ratione Spiritus noſtri vel alterentur, vel corrumpantur, vel etiam dolore, vigilijs nimijs, vel medicamentorum inclementia reſoluantur, diſſipentur, vel quouis modo à ſuis functionibus præpediantur.

Et quoniam Spiritus noſtri, cum odoriferis magnam conuenientiam habeant, eo quod tum ſpiritus, tum odor, ſeu vapor mixtionis expertes non ſint, & odorifera interueniente Aëre facile in præcordia penetrẽt, & per arterias ad ſpirituum officinas rapiantur, non abſq; cauſa laborãdum, vt & bonũ Aëra, bonoſq; & fragrantes odores hauriamus, cũ ijs ſpiritus reficiantur, foueantur, nutriantur, conſeruenturq́;.

Inter res verò odoriferas primatum obtinere videtur ipſum vinum maturum, odoratum, generoſum, ac validum, quod cùm ſpiritu, & odore pleniſſimum ſit, plurimum quoque, potenter, ac velociter ipſos ſpiritus reficit, recreat, nutritque & ipſum corpus ſuaui prædulcis ſanguinis rore paſcit, fouetq́; vt ſuo loco docebimus: imo verò ſi ſpiritu vini rerum odoratarum eſſentiæ extrahãtur, tenuiſſimus cùm ſit, & omnia facile penetret, facile quoq; extractas odoratorum vires ad corporis penitiſſima diffundet. Idem optimi Aceti vſu obtinebimus.

Sunt & alia quæ gratos ſpirant odores vt Aromata pleraq́; Cinamomum, Garyophilli, Nux myriſtica, Macer, Crocus, Lignũ Rhodium, Aloes, Sãtali, Saſſafras, Flores non pauci, Anthos, Saluiæ, Lauendulæ, Liliorum, Liguſtri, Tunicæ, Lilium conuallium, Iaſminum, & tu terræ ornamantum, plantarumq́; decus, florum oculus, odorum trophæum prati rubor & amænitas, pulchritudo corruſcans, & formoſis comata folijs, nobilibusq́; frondibus luxurians Roſa, in cuius admirationem cùm ſeſe effudiſſet Anacreon, in hæc verba prorupit:

Roſa flos, odorq́; diuûm,
Hominum Roſa eſt voluptas
Decus illa gratiarum
Florente amoris hora
Roſa ſuauium. Diones
Quid plura? nonne multis
Medicina certa morbis
Huius ſenecta ſuauem
Seruat inuenta odorem.

His adduntur Moſcus, Ambra, Benzoinũ, Zibettum, Styrax calamit. Ladanum, Cortex Citri, Iris florent. &c. & alia ſexcenta, ex quibus ſimul iunctis varia remedia odorifera roborandis, reficiendisq́; Spiritibus deſtinata concinnari poſſint, nos ex ſexcentis aliquot tantum formulas adducemus, facto ab odorifero ſpecifico Paracelſi, quod cæteris omnibus palmam præripere videatur.

Recipe Lilior. albor.

Anthos
Basiliconis.
Cardamomi
Rosarum a.M. j.
Spicæ M. ij.

Omnibus crasso modo in pastam contusis, adde succi pomor. arantior. depurati quartas duas. Hæc omnia mixta & pellicano indita, mensis spatio digerantur, postmodum per prælum fortiter agantur, expressum pellicano indatur, addendo statim.

Macis
Garyophillor.
Cinnamon. a. ℥j.
Ambræ ℥ß.
Molli ʒij.
Zebetti ℥j.

Terenda tenuissimè terantur, & cum alijs pellicano indita in ventre equino per suum tēpus digerantur. tandē adde gummi Arabici dissoluti ℥ß. & Tragagūthi dissoluti, ℥j. & ita clauso vitro cum clareto albuminis ouorum indurescant. Mox atq; videris ad modum vitri factum, fracto vitro eximè, & habebis specificum odorificum, cui ad vsus addi poterit aurum poculentum. Hoc specificum odorificum non tantum spiritus nostros reficit, restauratq; sed & grauissimos morbos cordis palpitationes, Syncopas virium resolutiones, Apoplexias, Epilepsias &c. è medio tollit.

Aqua fragrantissimi odoris, quæ per modum Tincturæ multiplicari potest.

Recipe Flor. selectiss. Anthos.
Iasmini.
Sambuci.
Arantiorum a ℥vj.
Cinamo. acutiss.
Garyophil. a. ℥ iiij.
Benzoini ℥ ij.
Mosci fini ʒ ij.

Omnibus crasso modo tusis & cucurbitæ vitreæ inditis, affunde spiritus vini rectific. lib. 10. Aq. rosac. odoris lib. 2. vase probè clauso, digerātur in balneo per triduum, postea destillentur ad siccum, & vase vitreo bene munito ad vsus repone: est enim mirabilis virtutis & fragrantissimi odoris. Quod si hanc multiplicare velis, recipe Aq. font. libr. 2. coque aliquantisper, post ebullitionem ab igne aufer, cola, & ad singulas libras adde prædictæ aq. odorif. ℥j. sine refrigerare, & habebis aq. fragrantissimam.

Sequenti etiam modo ex cōmuni aqua fōtana facies aquam odoriferā in maxima quantitate.

Recipe aq. rosac. fragrantis libr. 6. impone cucurbitæ vitreæ, addendo mosci grana 10. in mortariolo cum sputo soluti, & benzoini ℥j. vase probe clauso bulliant, ad quartæ partis casum: postea recipe aq. fontanæ vel putealis libras 40. bulliant per sesquihoram, mox colatā, & adhuc bullientem prædictæ aq. rof. moscatæ affunde, sine refrigescere, & habebis aquam fragrantissimi odoris.

Aqua odorifera & preciosa pro Magnatibus.

Recipe Aq. rosac. opt.
Citrangulor. è florib.
Lilior. conuall. a lib. 2.
Garyophillor. ʒiiij.
Mosci finiss. carat. 4.

Misce, digere, destilla, destillatūm liquorem vase clauso Soli expone: habebis fragrantissimam & preciosam aquam.

Aqua Rosacea præstantissima & fragrãtissima in virium resolutione, quæ etiam Epithematibus addi potest.

Recipe rosas incarnatas recentes, cum flauedine in medio existente lib. 4. Garyophillor. ℥j. Benzoini ℥ss. Cinamomi acutiss. vncia. jss. puluerizata rosis permisce, & per balneum lẽto igne destilla, destillatum liquorem vase clauso aliquandiu Soli expone, & habebis aquam mirabilis fragrantiæ.

Aqua odorifera è spica nard. & floribus Lauendul. vel Anthos, Saluiæ &c pro pauperibus.

Recipe aliquem è dictis floribus q. s. impone cucurbitæ, affunde spiritus vini rectific. q. s. digere per triduum, mox per balneum destilla, habebis aquam optimam, quæ etiam modo prædicto multiplicari poterit.

Oleum Spicæ odoriferum. Sic parabis Oleum fragrãtiss. Spicæ nardi, quo pulsus, carpi, nares, tẽpora, pectus ipsum inungi poterit: Recipe pulu. Spicę nardi lib. 1. Amyg. dulc. purgat. lib. 6. pistentur simul in pastam, stent hoc modo in loco tepido per decendium, posteà iterum pistentur, & singulis lib. addatur vnc. j. spiritus vini rectific. mox in cattino calefiant, indentur sacco, & per prælum, laminis ferreis prius probè calefactis, agantur, habebis oleũ odoriferum magni vsus.

Pedemontanus talem efficit Aquam valde odoriferam.

Recipe Aquar. rosar. damascenar.
Lauendul. a. lib. 6.
Garyophillor.
Cinnamo. a. vnc. j.
Macis.
Cardamomi.
Mosci oriental. a. ℥ss.
Ambræ ℈j.
Cortic. Citri.
Santalor. Citrin.
Irid. florent. a. ʒj.
Benzoini.
Styrac. calamit. a. ʒ ss.

Puluerisatis & mixtis omnibus, phialæ vitreæ indantur, & 14. dierũ spatio in loco tepido digerantur, tãdem per balneum destillentur, destillatus liquor itidem 14. dierum spatio, vase bene munito Soli exponatur, sic habebis liquorem valde odoriferum, & ad spiritus refocillandos valde oportunum.

Oleum Benzoini fragrantissimi & mirabilis odoris.

Quidam Benzoinum in puluerem actum phialæ vitreæ impositum & probe munitum, 20. dierũ spatio in ventre equino digerũt, soluuntq́; mox per colum traijciunt, & vsui reponunt. Nos aliquando ad *Fioravanti* imitationẽ hoc modo fragrantissimum destillauimus.

Recipe Gummi Benzoini purgati v. g. vnc. ij.
Moschi oriental. ℈ ss.
Spiritus vini rectific. vnc. iij.
Arena fluuiatilis lotæ vnc. j.

Omnibus probè mixtis, & retortæ vitreæ inditis lento igne per cineres destillentur, ita tamẽ vt quarta pars retortæ vacua permaneat; destillentur ad siccum; habebis & aquam odorantissimã & oleum longè fragrantissimum, paucis cognitum, ab aqua tamen vitro separatorio separandum, & vsui reponendum.

Trochisci admirandæ fragrantiæ & suauitatis & paucißimis cogniti, longißimæq; durationis.

Reci. Ligni Agalochi odoriferi ʒß.
Ambra gryseæ
Mosci orientalis a. ʒij.
Cinamomi acutiss.
Nucistæ a, ʒj.

Omnibus in pollinē subtiliss. actis cum spiritu vini rectificato, & anisorum tinctura impraegnato dissoluantur, & cum mucilagine tragaganthi in pastam agātur, ex qua formabis trochiscos mirabilis fragrantiæ, vase vitreo reponendos.

Quod si puluerem odoriferū habere malis, quem ad cordis Epithemata, aut vestium suffitus adhibere magno cū fructu queas, sequenti modo parabis

PULVEREM CYPRIUM fragrantißimi odoris.

Recipe Moscum quercinum, Ianuario vel Februario mensib⁹, sudo cœlo lectum, mundatumq; & exiccatum, aquâ fontanâ ter quaterué ablue, exicca in vmbra: postea per horam aquæ rosaceæ fragranti infunde, iterum exicca, & in alcool redige; puluerem aquâ rosaceâ irrora, & supra cribrū ita dispone, vt sequens suffumigium, citra vaporis dispendium, commodè excipere possit.

Recipe Benzoini.
Styrac. calamit. a. ℈j.
Ladani.
Ligni Aloes a. gran. 12.
Mosci gran. 6.

Omnibus crasso modo tusis misceantur, & per vices vasi fictili prunas continenti, & dextre cribro supposito inijce; tādem puluerem tuum è cribro exime, & ad singulas vncias adde Benzoini scrup. ß. Zibeti. gran. 2. mosci & ambræ a. gr. 4. Omnibus per se in puluerem actis, misce, & vasi vitreo ad vsus repone.

Hisce & alijs quam plurimis odoratis rebus nostros spiritus reficere, roborare, & languentes vires refocillare quilibet facile poterit. Sed de his forte plus satis.

CAPUT XV.

De Ventorum vitæ stamina vel extendentium, vel abrumpentium Natura, Origine, Numero, Differentijs, admirandis viribus, Potentia, & Electione.

IAM verò de Ventorum naturâ nobis instituendus est sermo, cùm *teste Hippoc.* illorum cognitio Medico comprimis sit vtilis & necessaria, quo per vacuum Aëra longè lateq; regnū patet, & quos *Hippoc.* tùm *lib. de flatibus* tùm *2. de Diæta*, vt & *Plato in Cratylo*, commoti aëris fluxum, effusionem, seu fluentis aëris vndam, velà sui, vel ab alterius generis vi impulsā nuncuparunt. Quoties enim multus Aër fortes flatus facit, tū & arbores radicitus euelluntur, & mare vndis exæstuat, ita spirituum potentiâ cogente, & naues etiam onerarias ingentes disijciente. Ventis siquidem modo vehementius efflantibus vis & impet⁹ tribuitur, ad validissima quæque quatienda, ferienda, & infestanda,

Quid venti.

Ventorum vis & potentia.

standa, ad mare turbandum, ad validissimas etiã arbores effringendas & eruendas: Sic enim habent Sacræ paginæ: *In tempore illo dicetur populo huic & Ierusalem: Ventus vrens in viis, qui sunt in deserto.* Iterum, *in spiritu vehementi conteres naues Tharsis.*

Venti item pluuiarum, grandinum, fulgurum & fulminum sunt ministratores & impulsores, atque pro Regionum, horarum & temporum oportunitate inseruiunt, vt canit diuinus *Citharhœdus: Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia; vox Domini confringens Cedros Libani, & cõminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium: vox Domini intercidentis flammam Ignis: vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Cades.* Nec verò vehemens ventus retineri potest, quippe detentus & conclusus, rumpit tandem, & foras prodit, vnde terræ-motus origo, & montium concussiones obseruantur: Hinc illud *Prouerbior. Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur, qui retinet eam, quasi qui ventum teneat.* Maximè verò in ventorum natura vires miramur maximorum corporũ ponderibus, pares, aut etiam superiores. Atq; rei tàm tenui tantum esse impulsum, vt non solum magnas naues retinere, sed neq; etiam ædificia, maximas moles, arbores proceras, & alia quæ firma stabiliaque videntur, ferre ac peruincere possint; quod singulari Dei efficatiæ tribuit *Iob*, eiusmodi vim magni momenti compotem, *pondus* vocans: *Qui fecit ventis pondus, & aquis appendit mẽsura.*

Talem itaq; vim in isthæc exercent Venti, etiamsi oculis minimè sint conspicui, & sola consideratione cognoscantur, & suis effectibus manifesti reddantur, vt ex sacris litteris constat: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, vel quo vadat:* Et, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius: Qui ponit nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.*

Ventorũ origo.

Ventorum autem origo varia est, pro vt varij sunt Aëris thesauri à Conditore Deo instituti: Alij enim in terra, alij in abysso locatur: exhalatus siquidem ex vtrouis loco Aër vndam occipit, quæ vbi deuolui cæperit, proximum densat Aëra, hic densatus propriæ habitudinis auiditate ac studio calescit, tumetq; & sibi continuatum propellit spiritum, atq; vnda superueniente auctus, ad maximam vsq; vim excrescit, & pro loci atq; itineris vel angustiâ, vel laxitate, nunc densior, pressior, arctiorque; nunc liberior, & magis extensus procurrit, viamque qua datâ portâ facit in regionem ei, vnde flare cæperat, oppositam

eamq; quàm rectissimam tenere optat, nunquam nisi obicis interuentu ac interiectu, vel in latera declinans, vel retrorsum versus. Obicem autem offendere solet, vel solidius aliud corpus, vel alterius Venti è regione spirantis, aut cursum interrumpentis vim, & occursum, siue concursum, ex quibus procellæ & tempestates, pro impetus & materiæ variâ ratione multiplices, leues, validæ ac validissimæ existunt. Huius naturæ celerrimus & liberrimus est motus, neq; vllo certo fine terminatur excursus, sed pro exhalationum copia & Conditoris imperio vel compescitur & sedatur, vel porrò longius ac longissime propagatur.

Ventorum opifex.

Ventorum autem opifex in naturæ ordinibus Luna esse dicitur, quæ sublatas à sole exhalationes, proprio spiritu dilatatas extendit, & aucto exacuit spiritu, cū Lunæ perpetua spirandi, dilatandi, expādendi, diffundendi, inferioris mundi naturam complendi, nec nō humidam, vaporosam, aqueam, & ventosam materiam comparandi efficacitas, & vis tribuatur, licet quandoq;, sic postulante rerum natura, quiescente etiam Luna, & solo diuinæ voluntatis imperio venti surgant, tollantur, insolescant, sedentur, & mitescant, vti canit diuinus *Psaltes*: *Qui producit Ventos de thesauris suis*: *Qui fecit Ventis pondus*. Et *Ierem. Ecce formans montes, & creans Ventos. Dixit, & stetit spiritus procellæ. & exaltati sunt fluctus eius.*

Antiquissimus *Hippocr.* noster à diuina hac philosophandi ratione non multum aberrasse videtur, dum *libr. 2. de Diæta* scriptum reliquit, omnes ventos naturam habere Aëra expurgandi, humectandi, ac refrigerandi, tùm animalium corpora, tùm è terra nascentia, eò quod omnes à niue, glacie, vehementi gelu, à fluminibus item & stagnis, terraq; madēte spirent, at propter situm, tùm regionum, tùm locorum, per quę venti ad singulas regiones accedunt, inter se quoque caliditate, humiditate, frigiditate, siccitate, morbositate ac salubritate differre.

Aristoteles verò pro more suo semper antiquis contrarius, *Hippocr*. Ventorum definitionem, quod scilicet *Ventus sit Aëris fluor, seu fluctus*; acriter conuellit & impugnat *lib. 2. & 4. meteor.* negans ventum Aërem motum dici posse, tùm quod vt Aër sibi est cōtinuus ita vt venti sibi forent continui, simulque omnes flarent, quod tamen rerum natura non admitteret; tùm quod Aër humidus, ventus verò siccus sit. At *lib. de mundo*, & *lib. problem.* iterum cum *Hippocr.* non tamen nominato, scribit Ventum nihil aliud esse, quàm *Aërem multum fluentē.* Idem refragatur *Hippocrati*, scribens *Ventum esse exhalationem calidam siccam, motu desuper obliquo impulsam à Sole scilicet motus causa, violen-*

violentos illos motus ciente Aëris expurgandi gratia: At *lib. de generat. animal.* & *part. 26. problemat. 34.* humiditatem Aëri propriam tribuit & *Ventum Aëris vel redundantis humoris commotionem* definit; vti & *Gal. lib. 1. de semine*, Ventorum ortum ab humoribus repetit.

Plinius tandem *lib. 2. cap. 43.* de ventorum generatione verba faciens, & *Hippoc.* & *Aristotelis* causam cõplexus est scribens, simili modo ventos seu flatus posse & ex arido siccoq; terræ halitu gignj: posse & aquis Aëra expiantibus, qui neque in nebulam densetur, nec in nubes crascescat: posse & Solis impulsu agi, cum ventus aliud non audiat, quàm Aëris fluctus: pluribusq; etiam modis, namq; & è fluminibus, & niuibus & è mari videmus, & quidẽ tranquillo, & alios quos vocant Altanos è terra consurgere, qui quidem cùm è mari redeunt Tropæi vocantur: si pergunt Apogæi. Qui autem à fluminibus, paludibus, aut mari spirant, alij sinuales aut Pelagij nuncupãtur. Sed plurimum interest, flatus sit, an ventus: illos statos & perspirantes, quos non tractus aliquis, verùm terræ sentiunt, qui non aura, non procella maris, sed appellatione quoq; ipsa Venti sunt: qui siue assiduo mundi incitu, & contrario syderum occursu nascuntur: siue hic est ille generabilis naturæ rerum spiritus, huc illucq; tanquam in vtero aliquo vagus: siue dispa- rili errantium syderum ictu, radiorumq; multiformi iactu flagellatus Aër: siue à suis exeunt syderibus his propioribus: siue ab illis cœlo affixis cadunt; palam est illud quoq; legem habere naturę non ignotam, etiamsi nondum percognitam. Et hinc illa opinionum discrepantia, & nõ exigua inter philosophos in vento definiendo controuersia.

Ventorum numerus & differentiæ.

In statuendo Ventorum numero multos ambigere videmus dum alij 16. alij 22. alij 32. alij plures etiam recensent, vt peculiares quibusdam gentibus ventos non vltra certum tractum procedentes, vt & repentinos flatus silentio inuoluamus, qui exhalante terra coorti, rursusque deiecti, interim obductâ nubium cute, multiformes existunt. Quidam à quatuor præcipuis ac stabilibus Ventorum regionibus, Ortu scilicet Occasu, Meridie, & Septentrione, è quibus cardinales venti flare dicuntur, quatuor quoque cardinales Ventos statuerunt, Eurum, scilicet Zephyrum, Notum, & Boreã, quos graphicé hoc modo Poeta describit.

Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit,
Persidaq; & radijs iuga subdita matutinis.
Vesper & occiduo qua littora sole tepescant
Proxima sunt Zephyro, Schythiam septemque triones
Horrifer inuasit Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduis, pluuioq; madescit ab Austro.

M. autem *Varro* & eum secuti non pauci celeberrimi scriptores secundum triplicem Solis ortum & occa-

& occasum, duodecim agnouerunt Ventos, à quatuor mundi cardinibus spirantes, ternos videlicet à singulis: quotuplices natura esse voluit velut fontes & principia eorundem distincta locis ac nominibus dirempta. Iampridem enim illustres Mathematici duodecim Zodiaci signa notarunt, velut totidem principia terram mouentia, rerum mutabilium naturam alterantia, halitum è terræ visceribus, & aquarũ vorticibus elicientia, vnde ipsa posita sit ventorum origo.

Subsolani natura.

Inter cardinales igitur Ventos Medici Subsolanum ab Oriente AEquinoctiali, Sole arietis aut libræ caput tenente spirantem, & temperatissimum, & saluberrimũ vocant: Est enim orientalis auroram versus spirans, in quã partem ædificiorum fenestræ seu luminaria spectare deberent. *Lemnius* quoq; scribit esse ventũ magna ex parte salubrem, mentis nebulas discutientem, ante lucano subfrigidum, meridie verò sole in Austrum vergente, tepescere, languidum & flaccidum concipere calorem; æstate, feruescente Sole æstum excitare, flauã bilem & causonẽ accendere. Hinc Hæbrei Subsolanum ventũ exurentem vocant, quod omnes plantas & arbores exurat, terramque exiccet, vnde & nocentissimum, atq; sanitati maximè infensũ esse volunt: eo quod sit natura calid⁹, tenuis, longo ab oriente tractu exhalationibus, & solibus adscitis intemperiem augeat propriã. Hinc illud *Ierem. Sicut ventus vrẽs dispergam eos coram inimico.* Et *Ezechiel. Ecce plantata est, ergone prosperabitur? Nonne cum tetigerit eum ventus vrens siccabitur, & in areis germinis sui arescet?* Hoc eodem vento Deus rubri maris fundum siccasse dicitur. Et apud *Ioan. Et cum ortus fuisset Sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti, & percussit Sol super caput Ionæ, & æstuabat.*

Subsolani collaterales.

Duos collaterales habet Subsolanus Cæciam & Eurum, seu Vulturnum: Hic à parte Solstitij hyberni cum strepitu & vehemẽtia spirat, densas & aquosas caligines fundit; æstiuis mensibus feruet, febresq; vrentes excitat; hyeme frigus intensissimum, niues, atq; rigidissimas pruinas producit: Ille verò instabilis, inconstans, & propemodũ semper nubilus existit, Aquilone minus sonorus, ac violentus, nec flatu, frigoreq; tam rigido nubes cõglomerat, conglobatasq; ad se attrahit, & allicit.

Fauonij natura.

Subsolano è diametro opponitur Fauonius seu Zephyrus ab Occidente AEquinoctiali fluens blandus, lenis, amænus, suauis, frugumq; nutritor, nam propter maris vicini oportunitatem, Palæstinis finitimis imbrem affert. *Luc. 12. Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis nimbus venit, & ita fit.* Hic stirpes & flosculos elicit, omnia rediuiua præstat ac

stat ac

ftat ac renouat, ſanguinem, ſynceroſque in corpore humores profert, mentem exhilarat, & lætitia perfundit.

Fauonij collaterales.

Huius collaterales ſunt Aphricus ſeu Lips, ab occaſu brumali ſpirans, quo nullus impetuoſior, procellisque fæcundior & magis furibundus, nam & tonitrua, & fulmina æſtiuis menſibus profert ſæuasq; tempeſtates parit; æſtate tamen minus, quàm hyeme diuturnus. Corus ſeu Argeſtes ab occaſu ſolſtitiali flans, plerumq; fulmina, nimbos, grandines, & procellas exuſcitat, atq; orientē nubibus offuſcat, & furentes marinos fluctus quatit.

Auſtri natura.

Auſter ſeu Notus licet ab altero Mundi cardine Vrſæ oppoſito, & perpetuo gelu rigente procedat, ſicq; perinde atq; Septentrio frigidus eſſe deberet, cùm tamen per aridiſſima terrarū loca, perq; longiſſimos maris tractus ſpiret, multum media via calorem plurimis atq; madentibus vaporib⁹ permiſtum concipit. Hinc calidus humidus, pluuioſus, & procelloſus efficitur, pluuias & imbres ciet, tempeſtates, procellasque fundit, *teſte D. Luca 12. Cum Auſtrum flantē videritis, dicitis quia æſtus erit, & ita fit.* Quod ſane quotidiano vſu compertiſſimum eſt, & rationi valde conſentaneum: Auſtrinæ ſiquidem tempeſtates plerumqne ſunt pluuioſę; Auſter itaq; omne robur deijcit, vires laxat, meatus reſerat, humores fundit, liquat, turbatque, & teſte *Hippoc. 3. Aphoriſ.* Senſus hebetes & graues, motusq; ſegnes & pigros reddit, articulorum robur diſſoluit, febres ac putredines creat, multa tubercula, podagras, chyragras, catharros, defluxiones tā in fauces, quàm pulmones, tuſſes raucedines, corizas, epilepſias, vertigines, apoplexias, lethargos ſurditates, lippitudines, aurium tinnitus, ventriculi faſtidia, & vterinos abortus excitat, præſertī pueris, mulieribus, & ijs qui vliginoſa loca incolunt. Hoc item vento ſpirante omnia flacceſcūt ac madent lintea, ſtragulæ, papyrus, membranæ, omnisq; ſuppellex; paludes item & ſtagna, flumina, oceanus, torpida, caliginoſa, & nubiloſa ſpectantur; cloacæ, paludes, aliaque loca proluendis ſordibus deſtinata, graues halitus effundunt, vitæ, valetudiniq; maximè infeſtos, præſertim ſi graſſantis peſtis tempore hic vētus primatum obtineat, tunc enim & contagium, & funera magna mortalium iactura multiplicantur.

Auſtri incommoda.

Auſtri collaterales.

Auſtri collaterales ſunt Euroauſter, ſeu Euronotus, aut phœnix, ab ortu hyemali, ſeu dextrâ circuli antarctici parte ſpirans; æſtate magnâ ex parte ſerenus, nōnunquam tamen & Aëra, & mentem caliginoſis nebulis offundit, vaporibus ſcilicet ex humorum commotione in ſublimè elatis: Et Auſtro-aphricus ſeu Libanotos,

tos, ab occasu hyemali, sinistra scilicet circuli antarctici parte fluens. Hi ambo tumidi sunt, atq; nimbosi, non minus corpori quã menti infesti: humores enim in imis visceribus latitantes commouent, quorũ vaporibus mens agitata inardescit, & affectibus commouetur.

Aquilonis natura. Austro demum Aquilo, seu septemtrionalis ab arctico polo spirans (quem Galli Tramontanam & *Bizze* vocant, quemque *Hippocrat. libr. de sacro morbo* omnium ventorum saluberrimum, Aërem compingentem, turbatũ ac nebulosum excernentem, illustriorem atque pellucidiorem reddentem pronunciauit; & *Aristoteles lib. 7. Politicor.* Vrbes ad Auroram sitas, & vel ad orientales, vel ad Aquilonares ventos spectãtes, saluberrimas esse scripsit) & situ, & natura cõtrarius, diuersa omnia atq; cõtraria facit: Ventorũ omnium saluberrimus atq; frigidissimus nubesq; fugans, Solemq; reducens. Est autem saluberrimus, quod ab extremo Mũdi cardine, ad quem Sol nũquam diuertitur, tanquam è natali sede prodeat, atq; per montosa, niuibus atq; glatie obsita loca, ad nos cursum inflectat. Neq; frigidus duntaxat, sed & siccus apparet, quod neq; his flatibus vapores aquosi & humidi sint permixti, neque per vasta maria, statarias, paludosasué ac cæno refertas aquas, sed per inculta, multoq; gelu rigentia loca, longo tractu in nostras oras sese recipiat, ac proinde impetu actus, Aëra quidem refrigerat; At, quod ad corporis nostri constitutionem spectat, hic ventus corpora roborat, & caloris natiui intro-reuocatione vegetiora, maiora, & robustiora reddit, vnde Germanorum corpora cæteris & viribus præstantiora, & mole ampliora conspiciuntur. Idem ventus tempestates plerumque serenas, ac semper arentes producit, corpora indurat, cogitq;, & à putredine liberat, fluxiones cohibet, compescitq;, meatus coarctat, coctionem, atq; sanguificationem fortem, atque valentem efficit, aluos sistit, sudores prohibet, vrinam ciet, Aërem putridum, & morbida excretione infectum purgat, sanatque. Cùm enim ex altissimis & frigidissimis regionibus spiret, frigidus & aridus est naturâ, & repentes in expansione nubes, & nebulas omnes discutit, & è medio sublatas abscondit. Senibus verò & virtute imbecillis, atque à morbo surgentibus, & attenuatis aduersissimus est.

Quod si vicissitudine quadam Aquilonius flatus Austrinam sequatur, tum fluxionũ morbi nascentur teste *Hippoc: 3. Aphor.* siquidem ab austrino flatu humorum fusio, & liquefactio, ab Aquilonari verò eorundem expressio sequatur, & tunc grauedines, raucedines, tusses; neruorum, vteri, pectoris

pectoris, & laterum dolores oriri consueuerunt. De Aquilone hæc leguntur in sacris litteris: *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* Item *qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Item *Ecclesiast. Tempestas Aquilonis & congregatio spiritus, & sicut auis deponens ad sedendum aspergit niuem? & sicut locusta demergens descensum eius &c.*

Aquilonis collaterales.

Septentrionalis collaterales habet Boreã ab ortu Solstitiali, seu circulo arctico læuorsum flãtem & Circium ab occasu Solstitiali, seu polo arctico dextrorsum spirãtem, ventos sane violentos, rigidos, asperos, ac planè vehementissimos. Scribit enim *Olaus Magnus* (quid ni tanto viro adhibenda fides?) *lib. 1. cap. 4. 5.* & *lib. 2. cap. 3.* in Aquilonali plaga tantas inesse Circio vento vires, vt homines cataphractos prosternat: Et in Tartarorum regionibus æstate mediâ ventos adeo inualescere, vt ijs flantibꝰ, equitare omnino sit impossibile, quod equites prosternant, & abripiant; imo vero Circium murorum, Ecclesiarumque tecta etiam plumbea, ingentes quoq; trabes quam lõgissimè transferre: &, quod omnem fidem superare videtur, ipsa quoq; molendina, cum ipso molari lapide, totoq; tecto, inclusisque & illæsis hominibus procul absporrare; in mari sub nauibus aquam quadam ratione pertere-brare, & ab aquis naues attrahere, in sublime efferre, postmodũ iterum remittere: Fides sit penes authorem. In Orientali maris Indici plaga non minori pollet virtute Tifon ventus, scribit enim *Organtinus Brixonius Societatis IESV è Goa*, hunc ventum à Sinarum regione in Iaponiam nauigantibus tantæ sæpe tempestatis incẽsorem esse, vt illo flante, non nisi miraculo naufragium euitari possit si vel vnam perduret noctem: Vela enim quantumuis egregiè firma discindit, malos abrumpit, quamuis integros & solidos: partes quoque eas nauigiorum, quæ ab aquis eminent dissoluit, ac demum (vt ferunt) si nauigia onerata non fuerint, etiam ab vndis in Aëra vltra littus effert, vnde facilè collisione rumpuntur. Refert quinetiam *Ouentan. lib. 6. cap. 3.* in Australi noui Orbis cœlo in ea regione, quæ S. Vincentij nuncupatur tantam ventorum vim esse vt infra dimidiæ horæ interuallũ procella adeo magna emergat, vt syluæ ipsæ eradicentur, domus concutiantur: Sed & in Hispaniola Insula quandoq; adeo inualescere ventos, vt elatos in sublime homines ad stadij interuallũ transferant ad casum, quo etiam miserè quatiuntur: transferunt & ingentes arbores radicitus euulsas, syluis etiam valde procul sitis. At in Perside Ormuntio Insula, referente *M. Polo lib. 1. cap. 15.* venti mirum in modum feruent:

 nam

nam vbi mox excitantur, omnes obuios feruore suo interimunt, occisorũ carnes (quod aquâ feruente fieri videmus) ab ossibus disiungunt, idq; multis sæpe hominum millibus cõtigisse, idem memorat author vnde illi tãtum periculum euasuri, capitetenus sese aquis immergunt, cõduntq;.

Hi igitur sunt vẽti qui è reconditissimis inexhaustæ bonitatis diuinæ thesauris & abyssis, tàm ad hominum, quàm ceterorum animantium salutem, & necessitatẽ producuntur, & quibus, vt iam dictum, subinde à Deo Opt. Max. tribuitur impetus & vis maxima, ad validissima quæq; quatienda, ferienda, infestanda, ad mare turbandum, vastissimas arbores cõfringendas, euellendasq;, ad superbissima palatia funditus euertenda, ad altissimas montium rupes disijciendas: ijdem sunt pluuiarum, grandinum, fulgurum, fulminum, tonitruorum, terræmotuumq;, pro regionum, temporum, locorum, & horarum opportunitate ministratores, & impulsores; quos vt faciliori negotio, & promptiore memoria referre quis possit, placet, ad extremũ subiungere versiculos quosdam à varijs variè descriptos:

Flant Subsolanus, Vulturnus, & Eurus, ab ortu:
Aphricus Occasum, Corus, & Fauonius afflant:
Atq; die medio Notus errat, & Aphricus Auster:
Sed veniunt Aquilo, Boreas & Circius arcto.

Ioan. de Sacrobosco libr. de Anni ratione quatuor Anni temporum qualitates, quatuor Mundi regiones, quatuor ventos cardinales quatuor Elementa, quatuor corporis humores, & quatuor hominis ætates inter se componit, & comparat, deinde ventorum cognationes his versibus includit.

Euro Vulturnus, Subsolanusq; sodales:
Aphricus atq; Notus sunt Austro collaterales:
Et Zephyrum Corus, Fauonius atq; sequuntur
Circius ac Aquilo Boream stipare videntur.

Inter omnes autem prædictos vẽtos teste *Hippoc. lib. de sacro morbo* & Orientalis, & Aquilo saluberrimi sunt, deinde Occidentales; at Meridionales & Australes sanitati infestissimi: Austrini tamen & Aquilonares in tota ferè Europa annuas constituunt vicissitudines, ideo præ cæteris sedulò obseruandi: nullus enim ventorum toto anni decursu ijs constantius spirat, siquidem cessante altero, exoritur alter, ita vt horum vtriusq; & in vita propaganda, & in sanitate cõseruanda, incõmodis profligandis, in morbis sanandis, & itineribus suscipiendis magna sit habenda ratio.

Sed videamus modo num vẽtis megacosmicis in corpore nostro Microcosmico analogum quid reperiatur? Hac de re pauca quædam capite primo huius lib. in mediũ adduximus; sicut enim in Megacosmo & ex abysso, & è terra, imbribus illam irrorantib⁹ & calore tàm inexistente, quàm solarijs radijs transmisso, eosdem fundente, & in vapores agente, ventorum vis atq; potestas exurgit:

git: ita&in Homine, à calore tum intenso, & valido, teste *Galen. 12. Method. 8.* humores liquante, fūdente, & in vapores agente; tum à remissiore ac languente; flatus seu venti generantur, in ventriculo potissimū frigido & humente, ventriculoq́; subiectis. Intestinis, humore tàm tenui ac vaporoso, quàm crasso, viscido, lēto, glutinoso, omniū autem maximè melancholico repletis & infarctis: nec in ventriculo duntaxat, & intestinis, sed & in reliquis cauitatibus tàm sensui manifestis, vt cerebri, cordis, pulmonum, vesicæ, vteri, renum, scroti, quàm sensui occultis, spatijs scilicet inanibus inter membranam & membranam, partibus item similaribus, & neruorum spiraculis: qui postmodum pro varijs, in quibus habitant, Microcosmi regionib⁹, varios exerunt effectus, varios excitant & morbos & symptomata, vt non iniuria *Hippocr. lib. de Flatib.* neruoso satis orationis filo scripserit Flatum plurimorum morborum & symptomatū esse radicem, fōtem & originem.

Morbi à flatibus excitati.

Quatenus enim ex quatuor humorum minera consurgit, & modo calidus, modo frigidus, humidus aut siccus esse potest, varias quoque poterit varijs corporis partibus inducere & intemperies & diuersos morbos organicos, vt Tympanitidas, pneumatocelas, tumoresq́; flatulentos, tàm sub cute, quàm sub ossium membranis seu periostijs, aut ipsis musculis. Est etiam flatus & obstructionum, & luxatiotium author, cum teste *Fernel. lib. 5. Patholog. cap. 12.* obseruatum fuerit, flatum cordis palpitationem excitantem, vicinas thoracis costas non luxasse solùm, sed & effregisse, sæpe eas, quę supra mammam sunt de propria sede depulisse; quod ante illum docuit *Auicen. lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 9.* Nunquid ergo hac ratione corporis nostri flatus & Cæcias, & Typhones, & Aphricos, & Circios ventos agūt, dum in corpore nostro omnia quatiunt, omnia feriunt, disijciunt, diuellūtq́;? Nec hisce malis finem faciunt, verùm in corpore excrescentes, tumentesq́ue, pro loci natura, & inclusionis vel angustia, vel laxitate, varios excitant dolores, vt in capite Cephalalgias, Cephalæas, Hemicrastias &c, quatenus scilicet vel in ipsa parte generantur, aut aliunde eò delati, inter caluam & pericranium, inter cranium & duram menyngem, vel inter vtrasque, vel inter cerebri substantiam & menyngas sese insinuant, easq́; diuellunt, distendunt, atq; ab osse diducunt; sed etiam pro substantiæ seu naturæ mobilitate in corpore oberrantes, modo has, modo illas inuadunt partes, nunc caput, nunc thoracem, musculos, mēbranas, nunc neruos, articulationes & periostia peruadūt, & vagos illos & oberrantes dolores excitāt, vti

&in auribus præter acutissimos dolores, & varios tinnitus, sonitus, sibilos, fragores. Quod si prĩcipem Animæ sedem cerebrum scilicet occupent, tunc mirandas in eo vires exercent, & magno corporis malo vertigines, Scotomias, Tremores, Apoplexias, Epilepsias, Melancholias, Conuulsiones, Spasmos, & cõsimiles capitis affectus exuscitant: vti & periculosas tùm peripneumonias, cum scilicet sese pulmonum venis ac membranis insinuant, easq́ue conuellunt, distendunt, sæpe etiam motu suo confertim facto calamitosam αἱμαπτόουσιν fundunt: tũ etiam pleuritidas quoties sese inter pleuram tunicam ingerunt, easq́; diuellunt, atq; à partium vicinarum adhæsu diuellunt. Quid etiam de cordis palpitatione ac tremore dicemus? à flatulento quoq; excitantur spiritu tàm calido, ebulliente, quàm frigido nõ solum per venã arterialem cum Aëre: aut per venam cauam vnà cum sanguine, cordis cænacula intrante, sed&in ipsis cordis ventriculis non minus sinistro quàm dextro sæpe prognato, & ab vno in alium per cæcos illos & labyrintheos tractus transeunte; sæpe in cordis capsula, sæpe intra mẽbranam cordis parenchyma inuestientem reperto: & talis palpitatio cordis frequenter accidit naturâ flatulantis, virgineo morbo detentis, cachecticis, &omnibus, qui leui occasione fuliginosorum vaporum apparatum congerunt. Demùm si naturaliũ partium regiones percurramus, nullam reperiemus, quæ non subinde sæuissimis horum ventorum seu flatuum tormentis concutiatur; hinc enim ventriculi, intestinorumq́; inflationes, hinc rugitus, borborygmi, murmurationes, ventorumq́; turbines; illinc dolores Nephritici, Colici, Hypochondriaci, Priapismi, Satyriases, Pneumatocele, furores vterini, affectus hysterici; Arthritides etiam Chyragræ, Gonagræ, Podagræ, Isciades &c, quorum omnium pro temporũ anni constitutione, partium natura, & tẽperamentorum ratione, venti microcosmici ministratores sunt & impulsores.

CAPVT XVI.

De Temporum Anni varietate, deq́; Morbis, (singulis Anni mutationibus à syderum ortu vel occasu pendentibus) emergentibus Medico longæuitatis procuratori sedulo obseruandis.

CVM *teste Hippoc. lib.* de Aëre, Aquis, & locis, Hominum ventriculi vnà cum Anni temporibus varias recipiant mutationes, hæ autem à vario syderum ortu & occasu fiant, operæpretium quoq; fuerit, & ad singulas temporum vicissitudines, & ad ipsam Astronomiam (quæ *teste Hippocr.* ad artem Medicam plurimùm facit) animum attendere, cùm temporum mutationes potissimum morbos pariant; & Naturarum

turarum quædam AEſtate, quædam Hyeme melius aut deterius habeant; & quæuis anni conſtitutio ſuos peculiares morbos excitet *teſte Hippoc. 3. Aphor.*

Cùm autem *Hippocr.* Aſtronomiam Medico neceſſariã, Aſtrorumq́; ortus & occaſus ſedulò attendendos docet, non vult Medicum ad ipſa ſydera ſimpliciter attẽdere, nec friuolis Aſtrologorum obſeruationibus, ſtellarũq́; ſitu, poſitione, motu, retrogradatione, directione, aſpectu, ſtatione, oppoſitione, cõiunctioneue, fruſtrà occupari, vel ſingulariter de planetis ſollicitum eſſe, num, quando, vel quomodo, hic aut ille ſit, aut fuerit Soli vel coniunctus, vel ab eo diuulſus? numué apparens, vel oppreſſus? num in ſuo aſcendente, vel deſcendente num nocturnus vel diurnus, in ſuo Hayr, in proprio domicilio liberè, ab alio haud quaquã præpeditus apparuerit, & an alia ſydera in eius naturã conſpirarint, & quicquid nugarum hactenus protulerunt Aſtrologi, qui pecuniarum ſuam artem fecerunt aucupium: ſed vult ſapientiſſimus dictator, Aëris, temporis, ac anni in certas ſuas partes diuiſi, conditiones, conſtitutiones, mutationesq́; circa huius, vel illius Aſtri exortum, vel occaſum emergentes diligenter obſeruari, in quib' anni conuerſiones incidant; & num Ver, modo AEſtas, Autumnus, vel Hyems incipiat; quibus temporibus morbi vel varient, vel inchoent, aut deſinant; qua item ratione quælibet anni portio propriam ſuam temperiem, ſtatis quibuſdam vel caloris, vel frigoris, humiditatis aut ſiccitatis limitibus circumſcriptam teneat? Nam ſi quæ anni portio à ſuâ metâ vel regulâ deflexerit, modo hi, modo illi oborientur morbi, vti teſtatur *3. Aphoriſ.* Auſtros ſcilicet auditum hebetare, caliginem oculis inferre, capiti graues exiſtere, & corporis laxitatem procurare: Aquilona verò tuſſes mouere, faucium morbos excitare, vrinas difficiles, & duras aluos reddere, laterum dolores, atq; pleuritidas accerſere. Quod ſi verò tempora vices ſuas permutarint, ac tepida fuerit hyems, Ver autem ſiccum & aquiloniũ, abortus, aut infirmorum fætuum editiones, dyſenterias, ophthalmias, & ſenibus catharros breui funeſtos comminatur *eodem libr. Aphoriſ. Hippocrat.* Siccam autem & aquiloniam ęſtatem, autumno pluuioſo iunctam, fortes cephalalgias, tuſſes, raucedines, grauedines, & tabificos morbos inferre idem ſcripſit *Aphoriſ. 13. eiuſdem libri.* Vere quinetiam furores, atræ biles, ſanguinis profluuia, anginæ, lepræ, impetigines, vitiligines, puſtulę vlceroſæ plurimę, tubercula, & articulorum dolores vigent: AEſtate verò horum nõnulli, & febres continuæ, & ardẽtes, & tertianæ, & quartanæ, vomitus

mitus, alui profluuia, & oculorũ lippitudines, & aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines, atq; sudamina: Autumno febres quartanæ, & erraticæ, & Lienes, & aquæ intercutem, tabes, stillicidia, vrinæq; difficultates intestinorum & coxendicum dolores, anginæ, anhelationes, Ilei, morbi comitiales, furores, & atræ biles. Hyeme demum vt iam præmonitum, pleuritides, peripneumoniæ, orthopneæ, grauedines, ac tusses &c, oboriuntur.

Cùm item Annus secundum syderum rotationem in suas partes distinctas abeat, vti mox docebimus, ea sanè astra obseruari vult *Hippocr.* quæ circa harum initia vel fines exorientur; Solstitia item, AEquinoctia, Arcturi, Cani, & Vergiliarũ ortus, non quod signa ipsa cœlestia & astra certi quidpiam sint tũc temporis molitura, sed quod tunc anni partes, vel in summo sui statu substitutæ, vel absoluto vnius decursu, alteram prægressam subsequens, suam sit ætatem inchoatura; cùm primitùs Anni non secundum menses & dies, sed secundum Astrorũ quorundam ortum & occasum diuiderentur, sic AEstas, Hyemsque vtriq; AEquinoctio adscribebatur. Medicus hæc omnia diligenter perpẽdens, quid in æstate, quid in hyeme agendũ, facilè prospiciet, nec tempora inuicem promiscuè cõfũdet, aut nullâ cuiuslibet tẽporis qualitatũ habitâ ratione errorem committet; aut anni partibus suam crasin & temperiem non seruantibus, quid faciendum sit, præuidebit, quo aëris vel in hac, vel in illa qualitate peccatum, ac inde corporibus ingruentem noxã auertere, præcauere, aut resarcire valeat; sub Australi nempe anni constitutione corpora, exercitijs, sudorib⁹, laborib⁹, abstinentiâ, vacuationibusq; resiccando: in magnis siccitatibus humectando: in alijs aliter & victum, & medicamenta disponendo.

Quocirca ad idoneam victus rationem, tàm sanis, quàm ægris corporibus feliciter instituendã, & vitam ad 120. annos salubriter prorogandam, magni momenti erit diligentem habere temporũ Anni considerationem, cùm hæc ad rerum vicissitudines, ad nouas productiones, & maturationes proferendas à Deo Opt. Maxim. procreata, atq; in Solis & Lunæ motus, conuersiones, solstitia, & æquinoctia reijcienda veniant, atq; ex varia syderum mutatione, rotatu, ortu, & occasu, quatuor illa decãtata anni tempora VER, AESTAS, AVTVMNVS, & HYEMS, exurgant.

Horum autem temporum varia est temperamenti ratio: VER enim & salubritate, & temperamenti perfectione cæteris omnibus prælucet, cùm in eo effulserit prima nascentis Mundi hora; & primigenium Mundi tempus, ob

miram ſui temperiem, cuius natura & temperatiſſima, & ſaluberrima eſt, vnde ſalubritatem parit, ſpiritus hilaritate reficit, amænâ viriditate, nouiſq; fætibus arbores nemora, ſyluas & animantes fæcundat, prata grato virore florumq; amœnitate veſtit, corpora laxat, & rarefacit, vitioſos humores è principibus partibus ad cutem propellit & expurgat. Verno item tempore pueri, adoleſcentes, ętatesque bene temperatæ optimè degunt, & maximè ſani ſunt: tunc tēporis ſanguis creſcit, homines rubicūdi fiunt, & calidi apparent; quo tempore mollioribus, & paucioribus cibis, ampliore autem & dilutiore potu vtēdum, vti & purgantibus peccanti humori conuenientibus. Verni temporis amænitatem ſic depingit *Ouid.*

Omnia tunc florent, & tunc noua tēporis ætas,
Et noua de grauido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatq; pecus.
Tunc blandi Soles, ignotaq; prodit hirundo,
Et luteum celſa ſub trabe figit opus.
Tum patitur cultus ager, & renouatur aratro,
Vere nitent terræ, vere virore virent.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

Æſtas. AEſtas autem calida & ſicca eſt, acriorem & valentiorem calorem fundens, tùm ob radiorū ſolarium directionem, tùm ob longiorem Solis ſupra horizonta moram. Hinc corpora immodico æſtu fatigata, calidiora, ſicciora, ſquallidiora, ſiticuloſa, rara attenuata, fluxa, & imbecilla reddit, humores attenuat & accendit, exiccatis venis acres, bilioſoſq; humores ad ſe rapientibus; inde febres acutæ, bile ſcilicet tunc plurima vigente, feruente, & intus æſtuante; bileſcit corporis calor, ciborum appetentia fatiſcit, immodica ſitis vrget, labor, anguſtia, defectiones, corpora æſtus & ſqualloris exuperantia tenent, exercent vigiliæ, ſudoribus corpora diffluunt, vnde virium languor & proſtratio. Hoc itaq; tempore quiſq; ſuæ valetudinis curam maximam habere, ſibique cautâ victus ratione proſpicere debet, quo minus in morbos incurrat; vnde victu frigido humido, parcâq; manu aſſumpto, plurimo verò, at dilutiſſimo potu corpus reficiendum & humectādum; nullis purgantibus, niſi leniſſimis, & nō niſi magna vrgente neceſſitare corpus vacuandū. *Ouid. 2. Meta.*

Tunc mihi non dubijs auctoribus incipit æſtas,
Cum tepidi finem tempora veris habent.
Tu quoq; qui æſtiuos ſpatioſius exigis ignes
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.
Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat.

Autumnus. Autumnus anni pars omnium & grauiſſima & morborum feraciſſima; nam frigiditate, ſiccitate atq; inæqualitate, corpora refrigerat, exiccat. & morborum iniurijs exponit; tunc in corpore ſanguis imminuitur, atra bilis redūdat, corpora denſantur, humores diſſlari perhibentur, & aëris fri-

giditate ad interiora pelluntur. Hoc tempore paulo pleniore cibo, quam æstate, parco tamen vtendum, cùm *teste Hippocr.* corpora æstate & autumno cibos grauissimè ferant: sic pocula meratiora quidem, at pauciora sunto; exercitationes, & motus leniter, sensimq; intendantur: tunc demum purgationes instituendæ, humoresq; atrabilares potissimũ euerrendi: *Ouid. lib. de Arte.*

Sæpe sub Autumno cum formosissimus annus
Plenaq; purpureo subrubet vua mero.
Cùm modo frigoribus premimur, modo soluimur æstu,
Aere non certo corpora languor habet.

Hyems. Autumnum sequitur anni senecta, Hyems scilicet frigida humida, catharroicis defluxionibus obnoxia, corpora firmat, vegetiora & calore naturali multũ pollentia reddit, somnos productiores, profundioresq; facit, indeq; meliores tũ cõcoctiones, tũ sanguificationes. Hoc tempore pituita augetur, vnde valentibus exercitationibus corpus defatigandum, calente enim vehemẽtiore motu corpore, crassi extenuantur succi, & transpiratu magna ex parte exhalant, sicq; corpus excrementis vacuũ redditur, minusq; fluxionib⁹ obnoxiũ: tunc quoq; plurimis, valentioribus, at siccioribus alimentis vtendum, quod *teste Hippocr.* hoc tempore ventres calidissimi sint, potu tamen parcissimo, at meracissimo; somno item largissimo indulgendum: vitandæ interim obstructiones, & viscerum infarctus, vt & purgationes, at laboribus assuescendum. *Ouid. lib. Trist.*

At cùm tristis Hyems squallentia protulit ora
Terraq; marmoreo est candida facta gelu.
Et glacialis Hyems canos missura capillos. &c.

Repentinæ verò dictorũ temporum, tàm qualitatum excessu, quàm putredinosa propriæ substantiæ excretione mutationes, varios, & sæpe periculi plenissimos pariunt morbos; perniciosissima omnium, & maxime putredinosa esse consueuit, quæ fit ad calidum & humidum: Aquilonaris autem constitutio corpora condensat, bene mobilia, coloratiora, & melius audientia facit, aluos siccat, oculos mordicat: Austrina vero corpora dissoluit, humectat, & aggrauat, vertigines parit, sensus hebetat, difficiles motus præstat, auditum obtundit, aluos humectat &c, ampliorem huius rei doctrinam, apud *Fr. Valleriolam libr. 2. cap. 3.* & 4. candidus Lector habebit.

CAPVT XVII.

Astrorum vi, potestate, & seminalibus rationibus, mediante Sole, & Luna, inferiorem hunc orbem fæcundari, rerum generationes, productiones, renouationesq; excitari; animantium & potissimum Hominis Vitam in multos annos conseruari; nullatenus verò vt Astrologis placet, in eius perniciem, clades, pestes, contagia, bella, infortunia &c. conspirare.

EX precedentis capitis discursu, de syderum ortu & occasu varias temporum Anni constitutiones & vicissitudines ciente, inuestigandi ansam hoc capite acce-

accepimus, nùm & Astra ipsa ad rerum sublunarium, tum generationem, tùm renouationem, tùm hominis in multos annos propagationem facere videantur, vel vt verbo dicamus, nùm aliquid agant, an ad cœli duntaxat ornatum à Cõditore creata sint? Hoc vt fiat de syderum natura, potestate & efficacitate aliquid præmittendum foret, verendum tamen ne de clarissimis hisce fulgoribus, splendidissimis cœli imaginibus, ornatu, militia, tantæque militiæ & numero & pulchritudine, & ordinibus, admirationem tùm Angelis tùm hominibus parientibus, pauca dicturi, ab eorum maiestate, luce, calore, & pulchritudine obruamur. *Quis enim nouit ordinem cœli? aut quis ponet rationes eius in terra? Quis enarrabit rationem cœlorum? aut cõcentum cœli, quis dormire facit? Spiritus enim Domini ornauit cœlos, & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus: Extendens cœlos sicut pellem, & tegit aquis superiora eius; & extendit eos sicut tabernaculum ad habitandum.* Quis item infinitos illos fulgores & ignes, quis infinitam ferè Astrorum in cœlis frequentiam, hominique nũquam satis perspectam ac laudatam concinnitatem, nunquam satis expressam imaginum varietatem, & venustatem declarabit? An non cum *Fastorum Poeta* exclamabimus:

Felices animæ, quorum hæc cognoscère primùm,
Inq; domos superas scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitijsq; iocisq;
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus, & vinum sublimia pectora fregit,
Officiumq; fori, militiæq; labor.
Nec leuis ambitio, perfusaq; pectora fuco
Magnarumue fames sollicitauit opus.
Admouêre oculis distantia sydera nostris
Ætheraq; ingenio supposuêre suo.
Sic petitur cœlum, non vt ferat Oßan Olympus
Summaq; peliacus sydera tangat apex.

Nihilominus in tantæ rei maiestate, in tãti momenti mole põderanda, præstat aliquid ingenij viribus attentasse, quàm admirãdam isthæc summi Conditoris opificia silentij tenebris inuoluisse cùm & ipse altissimus Opifex ad id faciendũ, Abrahamum, & per hunc, totam posteritatem *Genes. 15.* inuitarit dicens, *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes:* Et apud Iob: *suspice cœlum, & intuere, & cõtemplare æthera, quod altior te sit.* Inde *Ouid.*

Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Videamus ergo, quantum ingenij imbecillitas permittet, quã tumq; instituti nostri ratio requiret: quid Astra? & quid tùm in Hominem, tùm in cætera sublunaria agant? Astra platonicorum testimonio corpora sunt ingentia, terrâ multis partibus maiora, insignia, luminosa, numeroq; pene infinita (licet quidam primæ magnitudinis stellas 1022. esse existiment) quę passim in sacris litteris cœli ornatus, legiones, militiæ, exercitus, Hebræis chachabim,

quasi cœlestium virtutum cacabi, capsulæ, ac receptacula vocãtur: Nulla enim in tanta, tùm minorum & minimarum, tùm maiorum stellarum multitudine est, quæ authoris notitiam effugiat, *teste Psalmographo*, *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*; quàm pulchre imitatus *Ouid.* sic canit:

Tu stellas numeras, quarum tu nomina solus
Signa, potestates, cursus, loca, tempora, nosti.

Singula enim astra suis virtutibus, potestatibus & efficacitatibus prædita sunt, vt in cœlesti illa regione nihil in vanum, nihil cõfusum, nihil perturbatum, aut temerè & inconcinnè diffusum, factumué relinquatur, sed singula à Conditore in idoneis thesauris locata, ad mundi tùm ornatum & cultum, tùm vtilitatem & necessitatem comparata conderentur, inde pro temporum & oportunitatum ratione ac modis depromenda; vt iam iam è duobus maioribus luminaribus patebit, à maiore Luminari initium facientes.

Solis natura & virtutes.

Summum hoc summi Conditoris organum, quod *Plinius* totius Mundi cor, animam, mentem, oculũ, principale naturæ numen, syderumq; rectorem vocat, hoc organum Dei, astra modo occultat, modo reuelat, eisq; lucem iã adimit & aufert, iã reddit & splẽdere facit, cœli tristitiam discutit, aëris & humanæ mentis nebulas serenat, & *teste Homero omnia videt, audit omnia Phœbus*: tãta erant olim priscorum gentilium de Sole encomia; quibus illum Deum fecerunt, & omnium rerum conditorem crediderunt. Nos veriora secuti & gratiæ lumine illustrati, dicimus Solem, (qui claritate suâ se omnibus prodit, eamq; rebus omnibus cõmunicat) zoroastris exemplo esse ignem, ignisq; dispensatorem, à luminum patre pulcherrima luce donatum, qua in æthere luces, flãmæ, faces omnes, seu astra lucent; nam rationibus à luce, lumine, calore, micantia, radiatione, colore, & figura petitis demonstrari potest, omnia astra esse ignes, flammas, luces à lumine accensas; Solem verò ignem æthereum, omniũ simplicium densissimũ & vere πίλημα, purissimæ, lucidissimæ, lucentissimæ, ardentissimæ, & calentissimæ flammę coagmentationem, cum in nullo alio corpore tanta lux, tantusq; calor cõspiciatur, vt merito dixerit diuinus *Vates*: *Non est qui se abscondat à calore eius.* Cùm enim Sol *teste Zoroast.* in planetarum medio collocatus, terrâ cẽties, sexagies septies maior sit, haud dubiè ignis erit maximus, totum & æthera, & elementa omnia illustrans & calefaciens. Hoc luminare maius etsi naturã corporis non expertem nactum sit, tenuissimam tamen, purissimam, agillimam, celerrimique motus compotem, eamq; penetrationi atq; peruasioni maximè idoneã, ob tri-

ob triplicem vim illi concessam, luminis scilicet flammæ & caloris, quorum nullum ab hoc astro, ne cogitatione quidem separari potest. Calor enim perpetuus est luminis comes, nec lumen vnquam sine calore est, licet quandoq; calor absq; lumine reperiatur, quando scilicet re aliqua à lumine cōcalefacta, ipso abeunte, calor remanet, idque ideo fit, quod Solis lumen aliud non est, quàm rarissima flamma: & sicut omnis flamma, vt est ignis, calet, & calor fit; sic lumen cùm sit flāma, calor quoq; est; sed vt lumen flamma est tenuissima, ita & rarissima; sic etiam eius calor est & lenissimus, & suauissimus. Hinc Astro solari coniunctus est vnicus radius, cum ipso simul existens, eiusdemq; cum sole naturæ, virtutis, nominis, & efficientiæ, cum philosophi dicant, vnitos Solis radios, paruulum, lucidissimum, & feruentissimū efficere Solem, relationis tantùm formâ differētem: neque enim Solis radius quodpiam est accidens, sed congener, eiusdemque substantiæ, & naturæ, easdem obtinens vires lucendi, calefaciendi, & candendi: Quocunq; enim Sol in cœlis cursum suum inflectit, eo etiam in terris Solis intendit radius; & quidquid Solis radius in terris agit, idem prorsus in cœlo, & è cœlo efficit Sol.

Cùm igitur & Sol, & emicans eiusdem radius, & lumen ab hisce micans talia sint, haud dubiè omnes suas vires per ea tùm in aërē, tùm in aquas, terramq;, & vt canit Poeta, *Terrasq;, tractusq; maris, pelagusq; profundum* transfundent, eisq; & bonitatis, & omnium rerū semina infundent. Admirabiles enim sunt huius luminaris virtutes, cui Conditor omnis bonitatis fons, omnium rerum semina infudit, à quo postea eadem rerū semina, mediante & radio, & lumine in hæc inferiora transfunduntur: rerum enim semina à Solis lumine vecta, & in hæc corpora deuecta, & à calore inuecta ac fota, omnis generationis rerum naturalium causa sunt: Lumen enim vt seminum est delator, sic & eorundem est & numerus, & mensura, & fomes: Illuminando enim & inepta subeundo, & calore comite permeando, separat, congregat, purgat, mouet, generat, nutrit, adauget, perficit, renouat, & viuificat, ita vt cuncta corpora illū expetant vti genitorem motorem, calefactorem, illuminatorem, & deniq; vti vitæ datorem, eiusq; in multos annos conseruatorem: Hæc enim omnia corporibus omnibus tùm influit tùm indit, tàm manifestis luminis viribus, quàm occultis & spirabilibus actionibus. Ex quibus constat, lumen, calorem, & semina, vera esse Solis instrumenta, ad ea omnia facienda, quæ in hoc sublunari orbe efficiuntur. Sunt itaque summi huius summi DEI

ministri actiones (nec enim isthæc hoc loci ex professo, sed summariè duntaxat pertractare animus fuit, cùm de ijs superius fusius disseruerimus) motu suo sese mundo circumferre, & vnà secum tùm lumen, tùm calorem, & spiritum circumferendo mundo infundere, & quæ à superis rerum semina à se receperat, in mundũ radijs suis disseminare, eumque totum toto rerum ornatu efficere fæcundum.

Lunæ natura & virtutes.

Luminare minus, seu Luna, cum cęteris syderibus nulla conditione, at cum Sole & molis æqualitate, & figuræ rotunditate conuenire videtur: Nam nec luce, nec radiatione, nec scintillatione, nec lumine, nec calore, aut colore cum alijs conuenit Planetis, sed fusca, & splendida simul, alia atq; alia parte tantummodo conspicitur, ne obscuris quidem aut nebulosis stellis, subturbidũ quendam, & nebulæ adinstar nigricantem fulgorem habentibus similis, ita vt ab alijs omnibus differre videatur. Hanc *Zoroaster*, & post eum *Thales* terream esse voluit; quam Pythagorei maiorib⁹ animalibus excultam, & plantis longè pulchrioribus vestitam arbitrati sunt: *Democritus* Orphei sententiam secutus, terream esse putauit, in qua & campi essent, & montes, & vallium anfractus reperientur: *Anaxagoras* addit iam dictis inæqualem constitutionẽ, frigoris, terræ, caliginisq; admistionem. *Ocellus* cum *Heraclide* & *Heraclito* terram esse dixerunt caligine obductam: *Diogenes* & alij puniceam, aut etiam vitreã, transpicuam, & partim obscuram esse voluerunt; contra verò *Pythagoras* cum asseclis eandem igneum corpus asseruit, vti & *Anaximenes*, cum *Parmenide*, *Beroso*, & *Zenone*, & *Cleanthe*. *Empedocles* verò aërẽ nebulosum ab igne conflatum eiq; commistum esse censuit; alij, vt *Chrysippus* collectam & à Sole accensam ex dulcium aquarum vaporibus incensionem. Ex quibus omnibus facile colligendũ, Lunam esse toto corpore opacã, & minimè diaphanam, non vniformi tamẽ, sed varia opacitate, & totam lumini peruiam, cum mirum in modum in proprijs eclypsibus in horas colores variè mutet; ita vt & vmbræ obscuritate, & sui corporis opacitate, terræ fiat quam simillima, ita vt eodem merito Luna astrum nominari possit, quo à veteribus quibusdã terra astrum est nuncupata: non enim hæc aliter in aëre, ac Luna in æthere pendet; nõ aliter ac luna rotunda est, non aliter ac luna opaca est, & vmbrã ad lunã vsq; iacit, sicuti luna ad terrã vsq;: nec minus vt ipsa luna partes habet tùm obscuras, tùm luminosas, vniuerso scilicet mari, lacubus, stagnis, & fluminibus opertas, ita vt quidam lunæ globũ, alteram esse terram, toti simul aquæ conglobatam, planitie, montibus, & cõualli

Comparatio lunæ cum terra.

uallibus variegatam, atq; insuper prouectioris ętatis animantibus, plantisq; nostratibus longè viuacioribꝰ exornatam existimarint, cum id iam dictæ conformitates quasi persuadere videantur, ita vt luna ætherea terra, & terra hæc nostra, Elementalis Luna dici possit; ambæ à Conditore in eum creatæ finem, vt mutua similitudine altera alteram foueat, & sibi inuicem faueant, & influxus, quibus & ipsa & vtriusq; partes viuunt, cõseruanturq;, altera ab altera recipiet: quandoquidem ad Lunæ motum, ac lumen, & plantæ, & animalia multa, & humores omnes, tum commouentur, tùm alterantur: quin & omnia maria ad Lunæ aspectus varios varie commoventur, fluxus item, refluxusq; maris, cæteriq; ęstus ferè ab eiusdem lumine trahuntur, retrahunturque, & hæc omnia intercedente magnâ illâ inter Lunam, & hæc sublunaria sympathia. Præcipua demũ huic astro efficacitas non est vrendi, & lucendi, sed dilatandi, expandendi, atque diffundendi, & complendi inferioris mundi naturas, necnon vẽtosam, aquosam, humidãq; materiam cõparandi, & sufficiendi, attenuandi, exhalandiq;. Luna enim & humectat, & exhalationes excitat, & ventos semper profert, licet nõ eodem semper modo, aut pari, similiq; impetu, sed pro temporis, atq; loci tum sui, tũ Solis, tum & terræ ratione, ad quam vtriusq; vis peruenit, atque adeo tẽporis ac decursus, quorũ alia atq; alia Soli est obseruatio.

Ex tradita hac duorum maiorum Luminarium & natura, & potestatibꝰ, facile colligere est, nullum reliquorum Astrorum virtute & facultate vacuũ, otiosum nullum, nullum item pręter ordinem temere suas vires promens, putare fas est, vt non iniuria exercitus, seu cœlestis militia nuncupari possit: Quicquid enim in terra, quicquid in mari & fluminibus est, & in his oritur, & viget succorum, liquorum, aut spirituum, quibus numerandis nullius sufficeret ingenium, id omne per varia genera, diuersasque distractum formas, id omne in cœlestibus illis thesauris, vel vasis, aut cacabis, ad oportunos repositum est vsus: alijs aquarum dulcium, salsarum acidarum, acrium; alijs vinorum; olei alijs &c. copiam cohibentibus; præterea mineralium, metallorum, lapidum, adde & carnium, sanguinis, lactis, mellis: quibusdam etiam niuis, grandinum, glaciei: nonnullis etiam Ignis vim conseruantibus, ita & similium, & dissimiliũ rerum natura omnis pura ac fæcis expers, eadẽq; tenuis, & apprimè efficax illis attributa, & pro Conditoris iussu & consilio, proq; oportunitatis modo promenda seruetur. Hinc *Iob: Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris: Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas,*

& in-

& interiora Austri. Et *Amos: Facientem Arcturum & Oriona, conuertentem in mane tenebras, & diē in noctē.*

Omnis porro luminis, quod in Cœlo spectatur, fons vnicus est Sol teste *Aristotele* (licet *Zoroaster*, & eum secutus *Fr: Patritius* velit sydera non à Sole, sed solem ab Astris lumen accipere, ita vt ab eis πυρὸς ταμίας, ignis scilicet pœnu, & quæstor efficiatur) à quo cætera, quæcunq; lucent, lumen claritatemq; accipiunt, & accepta,ætheri, terrisq; reddunt: quædam tersi ac solidioris speculi instar, vt luna: alia pellucidi vasis ex vitro, aut crystallo confecti instar habent, vt stellæ omnes, quarū corpora pellucent, & pro contenti spiritus, aut naturæ ratione, tùm viribus, tùm claritate distinguūtur, ita vt quædam ignis, aliæ sanguinis, aliæ lactis colorem referant: aliæ purissimi crystalli, aliæ æris, ferri aut chalybis speciē preferant: nonnullæ virorem imitātur; pars etiam pallent, vt ex coloribus ac tincturis vires ac potestates, & earū potissimū, quæ numerari possunt, aut arte cōsequi licet, facile cōijci queant. Nam si totū Cœlū rerū seminibus plenū est, vt loquuntur philosophi, quis Cœli partes, stellas scilicet singulas nō rerum seminibus refertas dixerit? Si Ignes si luces, & calores sint, quid ni etiam ardendo, lucendo, & calefaciendo suas edēt actiones? Si teste philosopho Sol & Homo, Sol & Equus, Sol & Quercus, Sol & platanus &c. Hominē, Equū, Quercū, Platanum generent, cur non idem Saturnus, Iuppiter, Mars, Mercurius, Venus, aut Luna idem præstabit? Nam etsi Sole minores videantur eiusdē tamen sunt cum Sole substantiæ, ætherei scilicet ignes, luces, & calores; & ab vna eademq; natura, vnus, idemque fluit effectus, nisi subiecti dispositio aliud suadeat. Agunt igitur stellæ, fæcundantq; omnes, tùm intra se, modo sibi proprio & conuenienti, sensibus nostris inaccesso: tùm extra se, in Solē, Lunam, & mundum hūc sublunarē, idq; tàm procul, quā procul lumina sua, & cum luminibus seminum vires proijcere possunt, quibus se mutuo fouent fauentq;, & inter se conspirant.

Cùm autem lumen & calor stellarum, terram vsqueadeo distantem vix, ac ne vix quidem attingant, attingat autem eam vnicus Sol (qui solus & lumine & calore & seminibus cæterorum generator esse videtur) verisimile est, cuncta sydera in Solem vnicū & Lunam vnicam, & lumina & calores, & seminales rationes effundere, & hisce duobus, ceu generationum rationibus, Aëri, Aquis, Terrisq; propioribus, quasi vicariis & administris vti: ab Astris enim & lumen, & calor, ceu seminum vectores in Solem; in Lunam verò fluores & humores effunduntur: vnde omne lumen, omnem calorem, omnem noua-

rum

rum rerum generationem, & veterum tùm renouationem, tùm conseruationem à Sole & Luna prodire, temporumq; tùm effectores, tùm moderatores, atq; dispensatores, vitarumque conseruatores, & propagatores esse obseruamus: per quæ tempora, omnes fiunt suis seminibus rerum & generationes & renouationes: seminibus, inquam, tùm manifestis animalium scilicet vegetabiliumque; tùm occultis, vt lapidũ mineralium, metallorum, aliarũque rerum, quas quidem fieri videmus, vnde autem & quomodo fiant, non videntes, saltem suspicimus & admiramur. Quæ autem sensibus occurrunt semina, per se nullius sunt efficaciæ, nisi & occultum in eis semen ea fæcundet; Occultum autem hoc semẽ in omnibus reperitur manifestis seminibus, in eius scilicet humore latitans, qui à Lunæ luminibus cœlestem humorem deferentibus, dum fouetur, vitalis est, & conseruatur, donec calor, dicti humoris comes, à Solis lumine fotus, illud foueat, præexistentemq; in eo spiritum seruet, vel nouum generet, vitalemq; faciat & fæcundet. Et sicut Sol lumen & calorem & cum hisce semina in hæc sublunaria transfundit, ita & Luna in eundem transmittit fluores, humiditates, vnde humorum & humiditatum mater, nutrix, & moderatrix dicta fuit.

Audiuimus hucusq; qua ratione Astra in hæc inferiora agant, quid, & quomodo agant, non nisi bona scilicet & humanæ vitæ cõuenientia, lumẽ, calorem, & cũ hisce rerum semina, ad sublunarium tùm generationem, tùm renouationem & conseruationem transfundant: quomodo enim corpora tam ingentia, tam præclara, tam luminosa, & in tanta perfectione creata (viderat enim Conditor post absolutam creationem, quod erant valde bona) quomodo, inquam, in Hominis perniciem, interitum, clades pestilentias, contagia, bella, infortunia & eiusmodi, vti & Astrologis & Genethliacis placet, conspirabunt? Frustrà profecto infaustos cœlorũ, syderumq; influxus, frustrà certos syderũ concursus, configurationes, aspectus varios oppositiones, aut magnorũ planetarum coniunctiones, pro rei tàm incertæ, dubiæ, & nulli rationi congruentis assertione in medium adducunt; nullo enim pacto admitti vel potest, vel debet, cœlorum, syderumuè concursu, constellatione, figuratione, aut maiorum planetarum vel oppositione, vel coniunctione, vel pestem, vel contagium, aut aliquã aliam perniciem, infortuniumuè in sublunarem hunc orbẽ transmitti posse. Nam, vt cum *Plotino* philosophemur: Stellę vel animatæ sunt, vel non animatæ; si hoc, vel calidæ, vel frigidæ: si calidæ tantùm, non nisi calorem in

Contra Astrologos.

 sublunaria

ſublunaria fundent: ſi frigidæ, etiam frigus; ſi ita, non niſi ad noſtra corpora actiones ſuas propagabunt, vt ea calidiora, aut min⁹ calida efficiant; unde multa corporum accidet diuerſitas, à qua non efficitur, vt talibus vel talib⁹ morbis, infortunijſuéinfeſtemur; aut tales vel fratres, vel filios, vel vxores habeamus: neq; vt cytharædi potius, quam milites, aut Medici euadant, aut ſapientes fiant, aut ſtulti, aut diuites, pauperes, reges &c, hæc enim à corporum temperie, quam ſolam Aſtra inanima efficere in nobis poſſunt, nequaquā veniunt, aut inde pendent: Si verò Aſtra ſunt animata, tunc conſilio vtentur. Si hoc, & diuina ſunt, & diuinū locum habitant, cur nobis quotidie, nihil à nobis læſa, aut iniuriâ affectâ malefacient? Nec enim (vt aſſerunt Aſtrologi) conſentit *Plotinus*, planetas locis, & figurationibus, aut naturas mutare, aut iſthæc facere poſſe. Si enim hæ in cauſa eſſent, ſemper eadem facerent, quando in eadem venirent loca; non faciunt autem, non igitur naturam mutāt, neq; cum in angulis ſunt, neque quando ab eis declinant: neq; modo lætantur, neque aliàs mærent. Et ſi mæreant, cur nobis malum inferant? Si lætantur, cur bonum, aut è contra? Si enim diuina ſunt animalia, trāquillo ſunt animo, & perpetuo fruuntur bono: Vita enim cuiuſq; in ſeipſo conſiſtit; id autem ad nos nihil pertinet. Ridiculum quoq; hoc aut illo aſpectu, trino, ſextiliué lętari, oppoſito verò quadratoué triſtari planetas; quæ enim ipſorū aut qua de re poteſt eſſe diſcordia? Hæc & alia ſexcenta manifeſtam Aſtrologorū vanitatem ſapiunt, tùm rationibus, tùm euentibus ridenda: quod ne temerè affirmaſſe videamur, ea afferem⁹, quod doctorum fidem afferre poterunt indubitatam. *Plato in Epimenide*, eam vult eſſe Aſtrorū naturam, vt & viſu pulcherrrima ſit, & progreſſu, choreaq; inſignis, & cunctis animalibus cōmoda prębeat; Sic autem ſcribit: *Alterum autem animalium genus ſtatuendum quod etiam & gignitur & cerni poteſt, & ignis quidem plurimum, terræ quoq; & aeris, cæterorumq; omnium paruas particulas habens: variáque hinc omnia animalia, & viſibilia generari dicendum. Hæc cœleſtia exiſtimamus animalia eſſe, diuinum Aſtrorum genus, corpore quidem pulcherrimo, animâ autem tum beatiſſimâ, tum optimâ conſtitutum. His vtiq; animalibus è duabus ſortibus alterā tribuendam putamus. Nam aut abſque pernicie immortalia, atq; diuina neceſſario ſingula ſunt, aut vitam lōgæuam agunt, ſingulis adeo ſufficientem, vt longiore non egeant.* Quibus verbis *Plato* Aſtra diuinum quoddam genus abſq; pernicie, & ſempiterna quædam corpora eſſe aſtruxit: quomodo igitur perniciem, clades, peſtes, contagia &c, hiſce inferioribus afflare

poterunt

poterunt, cum ipsa corpora sint purissima æthera, & ab omni labe alienissima? Si Astrorum hæc est natura, vt aspectu quidem pulcherrima sunt, incessu ordine, ac motu decentissima, eoq; incessu, ac motu suo ordinatissimo, commoda, hoc est, bona cunctis animalibus præbeant, nempe generandi vim, seseq; tuendi alimentorum ope, quæ fotu suo atq; beneficio, vitaliq; calore astra e terra ad animalium alimoniam proferunt, quomodo si hæc tãta bona ab Astris animantibus proueniant, cõtagio vlla, clades, fames, pernicies inde manare poterit? Nulla enim effectrix causa, contraria per se vnquam efficere potest, vt asserũt omnes philosophi. Quare si bona & vtilia cunctis animantibus astra impertiri soleant, vt rectissimè hoc loco *Plato* sensit, sit autem bono malum cõtrarium, ipsaq; contagio malorũ omnium perniciosissimum, fieri sanè nequit, vt ab astris eiusmodi labes proueniat.

Idem author Cœlorum virtutes recensens, Solis, Lunæ, cæterorumq; planetarum, omniumq; stellarum potestatem, atq; naturam admirans, *in Epinomide* omnes sorores appellat, nefasq; cuiquam esse putat, existimare horũ syderum legitima alia, alia illegitima esse, taliaq; qualia nefas est, pronuntiare, quasi velit impium esse, sentire astrorum alia esse bona, alia verò mala. Quod si nullũ sydus malum est, vt rectissimè statuit *Plato*, quomodo mala, in hęc inferiora, vi suâ planè beneficâ ac salutari immittent? eiusdem interpres *Chalcidius*, nullũ à stellis oriri malum, nullas esse maleficas, nec etiam ab ipso cœlo aliquod manare malum affirmauit. Si ergo stellæ omnes, *testãte Chalcidio*, ex æquo diuinæ sunt, & bonitatis excellentia præstãtes, nec vllas esse in illo bonitatis loco, nempè cœlo maleficas, quis illas maleficij insimulare audebit? At verò illud non alia ratione foueri potest, quam si modo beneficas, modo maleficas (quod nefas) dixerimus. At hoc perabsurdum est, cum sit vna cœlestium substantia, optima, salutaris, benefica. Quod si maligna aut malefica fuerit, iam à sua ipsius natura degenerabit, quod fieri minimè posse omnes vno ore affirmãt philosophi: quod enim vniusmodi est, è seipso degenerare minimè potest. Nimirum igitur absurdum est, existimare cœlestium motus & configurationes (si modo variant istæ configurationes, & aspectus, planetarum efficientiam) aliter vnquam ire, atq; cõponi, quã naturalis tenor & cursus exigit eorumdem. Nec audiendi sunt, qui contagionem, rem omnino malã, inordinatam, non naturalem (cuius origo vitium & infirmitas) primis adscribunt naturæ causis, cœlo, & syderibus, omnium optimis, ordinatissimis,

& potentissimis Vt illud verè *Auerrhoes* dixisse videtur: *Qui crediderit Martem aut sydus aliquot aliud quoquomodo dispositum nocere corporibus, aliena credere ab ommi philosophia*. Sed ita certè est, nulla professio cœlo magis iniuria aut inimica, astrologica superstitione, ac vanitate, quæ quicquid in infimis materiæ vitio præter naturam & ordinem euenit, id totũ syderibus imputat, nec illorum saluam dignitatem putat, si non illis indignissima quæq; accepta referantur clades, incendia, pestes, bella, infortunia, alluuiones, quo, quid absurdius dici haud potest.

Sic *Aristoteles libr. 5. Meth. in his quæ sempiterna atq; ætherea sunt, neque malum, neq; errorem, aut corruptionem inueniri* scriptum reliquit vti & *Auerrhoes* fidissimus *Aristotelis* interpres, qui vnus omnium optimè insanientium Astrologorum inscitiam summâ cum ratione arguere visus est, cùm affirmet vanum id esse, quod ab Astrologis dicitur, stellas quasdam fortunatas, alias infortunatas esse, sed id tantum de astris affirmari posse, esse alia alijs meliora, cùm sint vtiq; bona omnia, quæ à principio proxima sunt (ea autẽ sunt cœli, & quæ in eis sunt diuina lumina) neq; malum cadere, neque corruptionem dicat, quomodo à syderibus contagionem inferri dicemus, quomodo item fortunam, aut infortunium, cum hæc, *teste Aristotele*, sint rerum temerè, & non semper eodem se modo habentium? Nec enim stellæ aut sydera, aut temerariò & inordinato cursu feruntur, aut infortunium sinistro euẽtu vnquam pariunt: Infortunium enim rerum caducarum, errantium, & mutationibus obnoxiarũ esse, omnes testantur philosophi, quorũ nihil tale syderibus congruit, vtpote quæ ad summi boni exemplar diuino artificio constructa: illiusq; pulchritudinem summam, aspectu, lumine, calore, positu, effectione, ordine, atq; perennitate referant. Quis hæc ætherea corpora, tot illustrata Dei dotibus malum inferre mortalibus credere audeat? *Quidquid de alto descendit*, inquit *Trismegistus in Asclepio, generãs est*. At si generat, quod è cœlo ad nos labitur, quomodo corrumpere potest? Non igitur contagiũ, sed generatio, sed perfectio è cœlo manat. Hæc & alia multa in huius rei confirmationem, tum ex *Platone, Chalcidio, Plotino, Marsilio Ficino*, omniũ autem maxime è *Pico Mirandulano*, scientiarum torrente (qui hanc rem ex professo tractauit, & Astrologorum vanitates & insomnia detexit) adduci possent, ad quos candidum Lectorem remittimus, & tandem ad instituti nostri rationem redeuntes, quid Aqua, quid Terra, & ex ijs orta, ad Vitæ diuturnitatem conferant, videamus.

Caput

CAPVT XVIII.

De Aquarum, & Abyßi natura, mirandis effectis, proprietatibus, & mirabili cum corporis humani humoribus analogia; deq; fontium fluuiorumq; humanæ vitæ conducentium, origine, natura, & electione.

AQVAM, (medium inter Aërem & Terram Elementũ) *Thales Milesius* Sapientum Græciæ vnus è ſeptem, materiale rerum omnium principium; *Heraclitus* verò Ignem ſtatuit; *Pindarus* omnium Lyricorum princeps, vtrũque & Ignem, & Aquam amplexatus, definiuit Aquam optimũ, humanoq; generi maxime neceſſarium Elementum, cùm ſine Aquâ nullum animal viuere, nullũ vegetabile citra Aquæ humectationem, & irrorationem vegetari aut creſſere poſſit, ita vt aquæ vbertas, cũ Terræ fæcũditate forſan certare auſit, tam piſciũ omnigenum ferax, quã Terra fructuum, & mercimoniorũ frequẽtia telluri neutiquam cedens. Sic autẽ forſan Aqua dicta videtur, quod ſit æqua, ſeu vndiq; æqualis, & adæquata, vel æqualiter cõſtrata, ex quo Latinis AEquoris appellatio fluxit: Nõnullis Aqua, quaſi à qua ſit vita omnis. Hinc Aqua apud *Varronem* fæmina dicitur, quod fætus ab eius humore, & eorum vinctione ſumat Venus. Ignis autem mas, quod ibi ſemen, quæ eſt nobis naſcendi cauſa duplex.

Aquæ proprietas. Prima & eſſentialis Aquæ proprietas eſt fluor ſeu humor, tùm quia omnium maximè & fluere percipiatur, & quæ tangit, humida reddat; tùm quia & quouis craſſiſſimo aëre denſior, & quauis humidâ terrâ rarior, tenacior, & magis glutinoſa ſit, ita vt pars fluens, alterã ſecum trahere, nec ſponte ſua ab ea diſtrahi, ſed vna parte fluente, tota reliqua ſequi videatur: Cùm enim ſit humor, ita in ſe conſiſtere nequit, vt proprijs terminis ſubſiſtat, quin fluat & dilatetur, quouſq; durioris rei terminis coerceatur. Hæc eadem aqua, etſi tota ſibi ſimilis & ſimilaris ſit (modo naturali ſtatu conſiſtat) poteſt tamen concreſcere tùm frigore in glaciem, grandinem, cryſtallos; tùm calore in plurimos fluores, in ſales, lapides, mineralia, metalla, in plantas item, & cætera mixta: poteſt item compingi & in ſeipſam conſtringi (dum eadem aqua durat, nec in aliud vertitur) ſicuti in fluminibus in anguſtum redactis, vt & eà à fluuijs, fontibus, lacubus ad humanos vſus per ſubterraneos tubos & canales vel lapideos, lateritios, ligneos, aut plumbeos ductâ, videre eſt, quæ etiãſi duorum palmorum diametro prius fluebat, ſi tamen vel ventus, vel alia aqua à tergo impellat, ea in ſe redacta & condenſata, per vnius tantùm palmi diametrum tranſit.

Aqua itaq; cùm & aëre denſior, & terra rarior ſit, & in horum medio ſita, tum loco, tum natu-

ra, tùm corporis sui cõstitutione rara simul & densa dici, & ab his (preter alias quas possidet dotes) etiam calida & frigida dici potest cum à raritate, caloris sobole, vt calida: à densitate, frigoris prole, vt frigida sit, habeat: nam omne quod rarum est, à calore tale est, & sui natura calidũ est, teste philosopho, & vice versa, quæ densa sunt, à frigore densa sunt, vnde & aqua, qua densa, tactui nostro frigida apparet. Aquam quidem sui natura frigidam dixerunt *Ocellus, Hippocrates, Empedocles, Aristoteles,* & potior Medicorum pars, imò *Strato* philosophus, omnium frigidorum primum esse voluit. At *Bernardinus Telesius, Franciscus Patritius, Franciscus Mutus,* & veterũ recentiorumq; non pauci, ab inditis à natura Aquæ principijs, lumine, calore, fluore, mobilitate, eius essentiam constituentibus, à viribus item, actionibus, generãdi multiplici potestate, à perspicuitate, raritate, sapore item tùm dulci, tùm amaro ac salso &c, audenter & confidenter, omnes Aquas, ipsum scilicet Mare seu Oceanum, quod & loci magnitudine, & aquarum copia, & molis immensitate primatũ tenet; omnes item lacus, stagna, flumina, fontes, puteos; tùm & ipsas subterraneas aquas, *Platonis* Tartarũ, aliasq; ingentes speluncas & cauernas adimplentes, vt & fluuios subterraneos à metallorum fossoribus, alijsq; curiosis hominibus tùm auditos, tùm visos &c, sui natura calidos, eosq; tùm salsos, secundum magis & minus, tùm & dulces esse astruxerunt. Omnis enim Aqua tùm subterranea, tùm superterranea (de Aquis enim supercœlestibus hic nobis non est sermo) vel amara & salsa est, vti Maria, vel dulcis, vti flumina, fontes, lacus &c, nisi per accidens alieno sapore, aliarum rerũ accessione tingãtur. At cùm omnes Aquæ, fontes, & flumina, ab oceano seu aquarum vniuersitate, & abysso oriantur (vt paulo post docebimus) neq; enim vllos habet fontes, sed ipsum fons est, & scaturigo reliquarum omnium aquarum *teste Moyse, Iussit enim Conditor omnes aquas, quæ sub cœlo erant in vnum locum congregari, quã postea congregationem Maria & Abyssum vocauit.* Maria autem aquę sunt amaræ, ita vt omnes aquæ à primordio fuerint amaræ ac salsæ quas postmodum qualitates, aquæ terrarum anfractus subeundo, & fontes constituendo, amiserunt.

Aquam esse sui natura calidam

Salsum autem Conditor esse voluit Mare, tùm vt dulcib' aquis crassius, densius, corpulentius, atq; terrestrius effectum, facilius in se & consisteret, & coiret, & tenacius esset, & totam non operiret terram, tùm hominibus, tùm animantibus victitando, ac incolendo destinatam: tùm vt ponderibus, nauigijsq; ad varios hominum vsus sustinendis sufficeret:

Mare cur salsum.

tùm

tùm vt minore opera in se concretum, fæcundius, & ad rerum procreationem aptius esset, & innumerarum plantarum, lapidum mineralium, zoophitorum, animaliumq; fæcundissimum efficeretur, vt hac ratione *Orpheus* Mare concretilem vndam, omniũq; rerum genitorem vocarit, ob salsas oceani aquas, cùm sal sit primarium omnium rerum semen, & ex semine omnia oriantur. Mare autem facile in se coire, corporascere, & densescere, sales ex eo concreti quotidiana experientia edocent; quæcunque enim in mari variarũ specierum fiunt, ex maris concretione oriuntur: Salsum item factũ est mare, tùm vt terram subiens, in sales facilius conuerteretur, vnde tot mineralium succorum, metallorum, lapidumque species suscitarentur, quorũ omnium Sal primaria est origo: tùm vt per terras percolatum, potabileq; factum, dulcibus omnibus aquis ortum daret, lacubus, fontibus, fluminibus, & puteis, vt ijs, quæ sub terra viuerent, vsui esse possent. Hisce ergo de causis totum Mare à principio hucusq; à summo Conditore salsum factum est, ita vt vniuersitas aquarum (cum & finis sit & principium aquarum) & non compositionis solum, sed & mixtionis elementum sit habendum, illudq; calidum sui natura; frigidum verò non nisi secundariò, & per accidens; cùm omne corpus sua natura sit calidum, vnde & quæcunq; aqua, quæ mare est, omnis ac tota calida est, vt & omnis aqua dulcis, cùm omnis dulcedo sit caloris progenies, quod & philosophi & medici omnes testantur.

Quantum ad Aquæ figuram, etsi tùm Geographi, tùm Astronomi, tùm Philosophorum pleriq; doceant, terram & aquam vnum conficere globum; Aquam tamen per se, suique natura esse globosam, seu rotundã, ac sphæricam tùm vniuersam, tùm in suis partibus, vel adeo ad minimas vsque sui particulas, vt guttulas omnes, & roscida prata, & vireta, arborumq; folia surgente aurorâ sphæricis roridæ substantiæ guttulis onusta demonstrant: Nam etsi cuiuscunque vasis figuram propter liquoris facilitatem subeat, & compleat, sçaptè tamẽ natura & virtute rotunda & sphærica est, cuius figuræ signum (quicquid in contrarium afferat *Patritius*) tùm maiusculæ, tùm minores, tum minutissimæ stillæ prodeunt, & maiores etiam partes, quæ in planissimo fusæ spatio, in gyrum expansæ diffunduntur: ex quare consequitur, & aquarum, & liquorum omnium naturam rotationis motu exerceri.

Aquæ rotunditas.

De alijs aquarum miris multa dicenda forent, quæ cùm instituto nostro parum inseruire videantur, aliqua, & ea perfunctoriè duntaxat in medium proferem⁹: tale

De aquarum miris.

tale quid est *Euripus* ille in Græcia septies quotidie refluus, cuius euentus causam, cùm *Aristotel.* capere non posset, in eum se præcipitem dedisse fertur, vt ab eo caperetur, quem ingenij acumine capere non posset: de quo sic disserit *Cicero 3. de natura Deor. Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? Quid freto Siciliensi? Quid Oceani feruore in illis locis,*

Europam, Libiamq; rapax vti diuidit vnda?

Quid ęstus maritimi vel Hispaniensis, Britannici, eorumque certis temporibus vel accessus, vel recessus sine Deo nonne fieri possunt? Quid de Nili incremento tàm vario, tamq; diuersi effectus? Nilus enim AEgyptum irrigat, & cùm tota æstate obrutam, oppletamq; tenuerit, dū recedit, mollitosque & oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quottannis nouos quasi agros inuehit. Indus omnium fluminum maximus, nō aqua solùm agros lætificat, & mitigat, sed eos etiam conserit, magnam secum & seminum, & frumenti, & similium vim deferens. Multa insuper hoc loci dicenda forent de maris fluxu, & refluxu, de stupendis inundationibus integras sępe prouincias obruentibus, & similibus oceani miris effectib9, quæ cùm nostro instituto parum inseruiant, silentio præterimus, ad ea potius attendentes, quę adductis Aquæ vsibus necessarijs humanæ vitæ cōferre possunt, sumpta ab Aquæ electione opportunitate: Considerandа enim aqua nùm crassa sit, vel tenuis; limpida ne & pura sit, an fæculenta, & sordibus inquinata, aut alieno infecta colore? nùm dulcis, an insipida; an metallicum, aut alicuius mineræ referat saporem, salsum, nitrosum, aluminosum, vitriolatum, acidum, austerum, adstringentem, sulphureum, aut bituminosum? hæc enim & consimilia aquas immutant, salubres aut insalubres reddunt, vti libro secūdo docebimus, & paulo post insinuabimus, de fontium origine tractantes. Ad aquæ dignitatē potestatēq; facere videtur, quod in se seminarias omnium rerum tùm animalium, tùm vegetabiliū atq; mineralium vires contineat, generandi, alendi, augmentandique potentiam possidens, omniū alimentorum & antiquissimum, & potentissimum; cùm *teste Plinio lib. 2. cap. 5. & lib. 31. cap. 103.* omnib9 imperet, terras deuoret, flammas enecet, & in sublime delata, nubium obtutu sibi cœlum vendicet, eas deniq; decidentes, omnium terrâ nascentium causam efficiat. Ad eiusdem dignitatem facere videtur, quod hoc elemento nō solum spiritualis fiat regeneratio, sed & expiatio, atq; purificatio. Sed de his hactenus.

Videamus modò paucis, quid Aqua analogi cū corporis nostri

aquis

Aquæ cum humoribus nostris analogia.

aquis ſeu humorib⁹ habeat, hoc enim inſtituto noſtro conuenientius, medicoq́; vitæ diuturnitatem procuranti vtilius fuerit. Quemadmodũ igitur terra certis ſuis quibuſdam partibus ingentia maria continet, ſuſtinetq; lacus perennes gerit, viuis fluminibus, &limpidis ſinubus irrigatur, ſtagnis reſidibus madet, iugibus fontibus diluitur, amnibus, ſinubuſq́; traijcitur& humet, alijs claris, & pellucidis, alijs cænoſis & turbidis, alijs dulcibus & amænis alijs amaris, ſalſis, acidis, nitroſis, vitriolatis, aluminoſis, ſulphureis, bituminoſiſué &c, alijs genuino & ſimplici humore præditis, alijs autem metallorũ colorem & ſaporem omnigenum guſtu, vſuq́; referentibus: Sic microcoſmum, & molem iſtam corporeã multi ac pene innumeri& fontes & riuuli penetrant, traijciuntq́ue per venas & arterias quacunque ſui parte irroratam; atq; vt *Platonis Timæus* dixit: In noſtro corpore, quaſi quodam horto, meatus veluti aquæ-ductus varij diducũtur, vt liquoris deriuatione irrigetur. Eadem hæc corporea moles ſinu multis capacitatibus, veluti lacunis quibuſdam aut ciſternis, inſignem humorum copiam complectitur & continet, vt in cordis ventriculis, fellis folliculo, venis tùm maioribus, tum minoribus in cerebri ſinibus, ventriculi abdominis, vteri, veſicæq́; capacitate, alijsq; partib⁹ humores modo ſimplices, & aqueos, modo peregrina qualitate imbutos, ſalſos ſcilicet amaros, baurachiales, ponticos, porraceos, praſſinos, vitriolatos, nitroſos, aluminoſos, auripigmentales, aronicos, napellinos, antimoniales, arſenicales &c, varios ſæpe morbos, varioſq́; in corpore & motus & impetus, perturbationesq; cientes videre eſt. Quorũ quidem humorum ea eſt conditio, ea natura, vt alii guſtu & ſapore varient, alij colore & cõſiſtentia plurimum diſcrepent, vt ex iã dictis conſtat.

Fontium origo.

Fontium autem ſcatebras ſeu originem quod concernit, certũ eſt admirando Conditoris & artificio, & imperio aquam pèr occultos meatus& canaliculos tùm laxiores, tùm anguſtiores terræ venas tranſeuntem in fontes erumpere, atq; inde variis aſcitis & coniunctis augmentis in flumina creſcere atque deuolui, decurrere, & ſuſceptos, cõmixtosq́; ſecum pro ſingulorum tractuum natura, terræ ſuccos, in locũ, vnde prodierant, in maris ſcilicet & abyſſi regnum, atq; in ſuum ipſorum centrum cum fructuum vſura redire: potior autem aquæ marinę pars, quæ per occultos canales in fontes erumpit, deinde in flumina cõiunctus augetur, dulcis, liquidus, pellucidus, omniſq́; & ſaporis, & odoris, & caloris prorſus expers prodit, emanatq́; tùm ad plurimarum plantarum

irroratione͂, & nutritionem, tùm ad animantium sitim extinguendam, & ariditatem, caloremq́; potu temperandum; vnde diuinus Psaltes: *Qui emittit fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ: potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua.* Licet enim Aqua, dum in suo cētro seu mari tenetur, tùm propter crassitiem, tùm propter soli, in quo conseruatur, ingenium, salsa, & penè amara, omnisq́; salis sit fūdamentum, tamen eiusmodi facilitate prædita est, vt per dictos terræ canales excurrens, nō limpida duntaxat, & tenuis euadat, sed omnem & saporem & colorem amittat. Vbi igitur Aqua perpetuam inuenit terræ simplicitatem, omni omnino & sapore, & odore, & colore excolata, tandem immunis prodit, seseq́; & animantium potui, & salubri plantarum humectationi idoneam reddit, atq; hoc pacto nullius aut gustus, aut frigoris, aut caloris compos, nobis purissima aqua dicitur, tantamq́; humoris vim sua sponte præstat, eademq́; facilè in aliā immutatur vim, eò citissimè quo fuerit simplicissima. Quod si dum terras subit, saporem, colorem, odorem, aut aliquid peregrini succi offenderit, eodem pacto, vt de simplicitate dictum eadem sibi adsciscens & cōmiscens, vbi in lucem erumpit, reapse repræsentat, & vi atque efficientia præstat. Hinc est quod nonnulli fontes perpetuis venarum varij ingenij tractibus infecti, varios liquores proferunt, & sufficiunt, hos calidos, illos frigidos, quosdam salsissimos, amaros, nitrosos, vitriolatos, bituminosos, sulphureos alios, nonnullos vltra simplicitatis rationem dulcissimos partim alumen, sulphur, bitumē, calcanthum, gustu referentes, salubres etiam, aut venenatos: varijs præterea colorum generibus & formis conspicuos oleaginosos, vltra modum crassos, & his contrarios: Hosce verò liquores diuersis glebarum succis ita permixtos, ita varios, vbi terris, vbi regionibus, quacunq; tendunt, & voluuntur flumina obiter impertita fuerint, in mare seu abyssū vnde primum profecta fuerant, redeuntia cum fœnore & fructu referunt, illis animantibus vsui futura, quæ plurima, & varia, atq; assiduo & multiplici alimento indigentia, in illo salis regno gignuntur, & viuunt. Ex quo fit, vt frequentissimi & varij pisces in fluuiorum ostijs comperiantur, illam sibi ex Conditoris prouidentia comparatam annonam summa alacritate expectantes & & excipientes, pro singulorum generum natura & indole. Quidquid ergo flumina obuium habent, quod vel trudere, vel tollere valeant, secum in mare deuoluta deferunt; ita vt nulli generi, cui præstare potuerint, parcant, nec non abrasam terræ partem,

quantum

quantum impetu, & virtute valent auferunt; meliores tandem succos secum deferentia, apium instar in alueum redeuntia deponunt; quod vbi reginæ suæ, seu Abysso tradiderint, rursus eandē, quam consueuêre viam, idem factura & expeditura insistunt, *teste Ecclesiast. 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, non autem vt exundent, aut terræ faciem operiant: conclusit enim mare portis Dominus, & dixit: vsq; huc venies, & non transibis, sed in te comminuentur fluctus tui.*

CAPVT XIX.

De Terræ, Montium, Regionum, Locorumque natura, varietate, electione: quid, quantumq; ad vitæ propagationem præstent: de varijs item pro Regionum & locorum varietate, Hominum naturis, temperie, vitæ genere, moribus, indole, & disciplinis.

OMNIA viuentium, nascentium, ac crescentium genera duo tantum loca ac regna, ac veluti theatra esse Deus voluit, Aquam & Terram, in quibus edita & producta suas vnumquodque agere partes, pro constituti sibi temporis portione, proq; naturæ suæ vsu possent: & his peractis, vel in sua principia reciperētur, vel officio & muneribus suis perfunctæ, aliò migrarent. Demenso igitur, pro temporis angustiâ, & ingenij tenuitate, spatioso illo, & pene immenso Aquarum & Abyssi campo; paucis nūc Terræ pulchritudinem, ingentes eiusdem diuitias, ac thesauros, à diuina prouidentia in communē hominum vtilitatem & vsum productos ob oculos ponamus.

Infima ergo mundi pars Terra sic dicta, quod nostris calcata vestigiis quotidie teratur: Græcis γῆ, quod ex fœcundissimo terræ sinu, tanquam benegnissimæ matris vtero, cuncta in vsus humanos orta sint: Ex terra enim creati sumus, ex terra conseruamur, in terra viuimus, ex terra ægrotamus, per terram restauramur, ex hac nostræ conseruationis & restaurationis verissimam petimus medicinam, & tandem in terram resoluemur: ita vt Terra omniū Elementorū sit basis, fundamentum, obiectum, subiectum, & receptaculum omnium radiorum, & influxuum cœlestium: in hanc enim cœlestium corporum radij rectissimè procidūt lapsu, & quicquid diutius Aër sustinere nequit suopte impulsu relabens, vel procumbit in terræ conuexum, vel ipse se insinuat. Vaporum halituumq; est velut penu, ac nutricula: Solis enim cæterorumque fota, sucta, & mulsa, radijs, aut humores ex Aëre demissos combibens, aut sibi insitos, aut infusos, extrinsecus fouens, & extenuans in halitus assiduavicissitudine remittit; vnde omnium rerum semina, seminalesq; virtutes continens, meritò animalis, vegetalis, & mineralis dicitur, cùm ab omnibus

nibus Elementis, & orbibus fæcundata, omnium ex se ipsa sit gignitiua, & omnium fæcunditatum receptiua, & prima omnium parens, centrum, fundamentum, & mater omnium. Ideo *Platoni* γαῖα quasi γεννήτειρα, eorum scilicet parens, quæ ex eius sinu oriuntur. *Terræ igitur vni rerum naturæ partium, eximia propter merita* (ait *Plinius*) *cognomen maternæ venerationis indidimus, sic hominum illa, vt cælum Dei: Nam cæli dicuntur loca supera, & ea deorum: terræ loca infera, & ea hominum,* ait *Varro*; quod diuin⁹ Psaltes pridem cecinerat: *Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Illa nos nascentes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet semper: nouissimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tùm maximè vt mater operiens, nullo magis sacramento, quàm quo nos quoq; sacros facit: etiam monumenta ac titulos gerens, nomenq; propagans nostrum, & memoriam contra æui breuitatem extẽdens,* ait *Plinius lib. 2. cap. 63.* *Locrus* Terram celebrans, ad *Platonis* imitationẽ sic ait: *Terra in medio constituta, fixaq; deorum focus ac sedes, noctes definit atq; moderatur, occasus & exortus gignit pro circorum definientium nostrum aspectum* (*quos Horizontas appellant*) *segmentis: vtpote quæ nostro sunt aspectu, & terræ segmento circumscripta.* Est autem antiquissima inter ea corpora, quæ cœli ambitu concluduntur. Nusquam aqua genita est, quæ terrâ careat: nec verò aër, qui humido: ignisq; humido, & materiâ, quam incendat, vacuus haudquaquam permanere possit. Itaq; radix omnium, & fundamentum terra constabilita est suo ipsius momento.

Est igitur Terra in media Mũdi sede locata, & vndiq; spirabili illa seu aërea natura circumfusa, quem locum iussu Dei obtinet, eundemq; conseruat circa Mundi totius centrum, vnà cum ipso centro, omnis motus ac quietis basi & fundamento, immota perseuerans, vt cecinit diuinus Cytharædus: *Qui fundasti Terram super stabilitatem suam, non commouebitur in seculum seculi.* *Lucretius* quoq; in Terræ laudes & triumphos ita excurrit.

Quare magna Deûm mater, materq; ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare Leones,
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neq; posse in terra, sistere terram. &c.

Omnia profectò nascuntur in medio, & terræ medium antiquis vmbilicus dicebatur, quomodo, & in Microcosmo vmbilicus medius existimatur. Est autem omnis hæc terra solida, globosa intra certum circulum conclusa, & quasi vndiq; in sese suis nutibus conglobata: non tamen exactè deductum gyrum summâ superficie complet, sed asperioris globi instar habens, in quo quædam prominent, aliæ subsidunt, aliæ profundiùs residũt partes: quippe quæ ad alendas plurium animantium

mantium naturas, & præcipuè ad hominum viuentium habitationem comparata fuit. Quare plures eiusmodi situs & asperitate & varietate commoditates præstare potuit, quam si perpetuò, & æquabili filo omnis circumdaretur, cùm varius situs, variam præstet oportunitatem: pulchrè tamen vestitur floribus, herbis, graminib⁹, frugibus, arboribus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur: eadem infinitas ferè succorum vires, quibus abundè prędita est, continuò edendo, augendo, mutando, conuertendo amplificat: eademq́ue remittendo, profluendo & exhalãdo, aut sudando profert: atq; adeò diffundendo extendit. Ex quibus postea succis, non solum lapides, mineralia, metalla, aliјq́ue & varij fluores generantur, coalescunt, & conficiuntur, sed & plãtæ vel iam genitæ, & seminis virtute propagatæ aluntur, vel deficiente semine gignuntur: & animalia quę in terris degunt, nutriuntur, vel aliàs ad sui iuuantur nutritionem & alimentũ. Quid memoremus gelidas fontiũ perennitates? pellucidos amnium liquores? viridissimos riparũ vestitus? concauas & antrorum & speluncarũ profunditates? Quid referamus saxorum asperitates, impendentium montium altitudines? Quid camporum immensitates? Quid reconditas & Auri & Argenti, cæterorumq; metallorum venas, ingentes illos thesauros magno & sudore & labore & periculis parandos? quid denique marmorum, lapidumq́ue pretiosorum vim infinitam producamus? vt nunc varia animalium tùm cicurum, tùm ferarum & syluaticarum genera, & innumeram altilium varietatem silentio inuoluamus. Quæ quidem omnia admiratione dignissima sunt, sed nihil maius, quàm quod ita stabilis sit Mund⁹, & ita cohæreat ad permanẽdum, vt nihil nè excogitari quidem possit aptius: cùm omnes eius partes vndiquę medium locum capescentes, æqualiter nitantur, maximè verò corpora inter se quodam quasi vinculo circundata permaneant & colligantur, hoc scilicet faciente natura, per totum mundum omnia mente & ratione conficiente, & stabiliente, vt SACRAE testantur PAGINAE: *Audiant colles vocem tuam, audiant montes vocẽ Domini, & firmissima fundamenta terræ.* Et, *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis*: Et, *Quia in manu DOMINI sunt fundamenta terræ, & fortitudines montium ipsius sunt.*

Constat igitur omnis terræ facies montibus, collibus, campis, vallibus, & conuallibus, alijs altioribus, mollioribus ac depressioribus alijs, pro maximi opificis

& rerum, atq; totius & partiũ decore, proq; alendarum & nutriendarum plantarum, aliorumq; generum oportunitate, ac demũ pro variarum animantiũ, ac præcipuè hominum vsu, cum hominum causa terram conditam legamus.

Porrò licet Terræ facies ad sphæricam rotunditatem tornata videatur, non tamen omninò teres, & omni ex parte æquabilis constat, vt superius diximus, sed magis humani capitis instar, partim rotunditatem præbet, partim prominentijs, ac depressionibus variatur. Sunt autem variæ in humana facie prominentiæ, nasi, genarum, superciliorum, menti, ac labiorum: sunt cauitates oculorum, atq; antra profundiora oris, narium, aurium: depressiones etiam inter nasum, genas, os, & mentum: planities porrò sub genis in maxillis ad mentum vsque pertinentes, quæ omnia multitudinis numero facies appellantur. Hæc igitur Terræ facies eadem ab initio fuit, quæ nunc spectatur vario & multiplici extantium, depressarum, profundiorum, & planarum partium situ, qualem summi Conditoris sapientia, ad producendarũ rerum vsum commodam, oportunamq; statuere decreuit; atq; eodem iussu, eodem efficacis verbi edicto, infimam hanc, animantium habitationi, hominumque vsibus distinctam mundi faciem, quam nunc tenemus, varijs partibus definitam, in luce videndam exhibuit.

Montes colles & conualles.

Hanc autem varietatem ex locorũ situ & forma distinguimus Montibus, Vallibus, Conuallib⁹, campis, ac lucis vti primam stantis terræ faciem distinxit psaltes regius: *Qui fundas terram super stabilitatem suam, non declinabitur in seculum seculi: Abyssus sicut vestimẽtum amictus eius, super montes stabunt aquæ; de increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis: Terminũ posuisti, quem non trãsgredientur, nec conuertentur operire terram.* Sunt autem montes totius terræ firmitudo & veluti vallũ, & contignatio, ad continendas totius corporis partes, cætera diuersis locis interiecta: aliàs in lõgum procurrens: alias transuersa, interdum concinna, nonnusquã interrupta, sæpe etiam contracta ac reducta: plerumque vero ad Maris littora continenter producuntur. Montes, ipsumq; mare tanquam vas continent, & firmissimis fundamẽtis penetrant: adeo vt marinum solum, iunctis in altum montium cementis duret, idest, saxis, cautibus, ac glareis, sine quibus cænosum aut lutosum prorsus foret: neq; solido cõtentum fundo. Vnde illud *Isaiæ: & librauit in pondere montes & colles in statera.*

Montes plerumq; saxosi sunt, variosq; tenent, creant, & cohibent,

bent, aut etiam producunt lapides pro varia inclusi aut accepti succi lapidescentis natura, quos subeuntis caloris, aut frigoris vicissitudo excoquit, vel indurat: Inter has etiam sunt venæ pinguiore liquore refertæ, ex quib⁹ eiusdem vicissitudinis oportunitate diuersa tùm mineralia, tùm metalla, varijq; fluores cōficiuntur, & efformātur. Sunt præterea salibus, & aquis multis pleni mōtes, partim dulcibus, partim odore, sapore, vi, atq; efficacitate differentibus: vnde & vario latici distincti fontes manant, quorum effluxu & copia, multiplices omni animātiū generi, potissimū verò homini vsus capiuntur: Metallorum autē præcipua materia est liquor sulphureus, quo variè tēperato, atq; liquori mercuriali salso variè mixto & concocto, Aurū, Argentum, Cuprum, Ferrum, Stannum, atque plumbum producitur, pro spiritus Archæi hoc vel illud efformantis efficacitate. Hæc igitur & his affinia multa montes fouent; non omnia omnes, sed alij alia, pro Conditoris iussu & consilio, vt refert *Moyses Deuter. 8: Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam; terram riuorum, aquarumq́;, & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi: cuius lapides ferrū sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur:* Et *Iob. 28. & habet argētum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur: Ferrū de terra tollitur, & lapis solutus in æs vertitur.*

Ex varij etiam & multiplicis succi copia, qua rerum Conditor hanc terræ partem instruxit, innumerabilis & admiranda plantarum, arborum, scilicet arbutorum, & herbarum varietas, montanis & editis locis visitur longè maior & frequētior, quàm in planis. Accedit etiā ad varium succum, diuersus situs & loci, & Cæli, atq; orbis cardinum aspectus, variumq́ue aëris temperamentum, & frequens mutatio. Quamobrem multa melius & commodius in montibus vel sponte nascuntur, producuntur, crescuntq́ue, vel cultu adhibito parantur & aluntur Cęli beneficio, & niuium descensu irrigata: *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra: producens in montibus fænum iumentis, & herbam seruituti hominum*, &c. Comprimis autem vites editiorem locum amant, & montanum solum, modo non tenui aut breui fundo, laudant.

Sunt autē montes certæ cuiusdam naturę generum fertiles, & eo nomine interdum celebres, vel propter plantas & fructus: vel propter lapides, mineralia, & metalla: vel propter pascuorum elegantiam, copiam, fertilitatem atq; vbertatem: vel propter commodas, & oportunas, quæ in mōtibus reperiuntur hominum habitationes,

bitationes,& liberi, ac liberioris, saniq; aëris vsuram, quæ priori respiratione sanitati prodest: Item propter aquarum commoditates, lignorum syluarumq; copiã: item propter natiuum loci munimentum, ab hostium incursionibus magis tutum, & asperitatẽ suspectis temporibus in tutelæ rationibus habitam: atq; adeo propter latibula, quæ vbi cætera iam minus prosunt, in rupibus, cauis, atque speluncis reperiuntur, idq; ex animantibus & feris homines didicisse existimantur; adde quod dies longior toto anni tempore in mõtibus sentiatur, cum vtrumq; crepusculum diutius duret. Ex quibus non iniuriâ cõcludendum, quod sicuti inter Cœlos Empyreum; inter animãtia bruta Leo; inter pisces Balæna; inter volucres Aquila; inter arbores Cedrus aut Palma; inter flores Rosa; inter 4. elementa Ignis; inter planetas Sol; inter metalla Aurum; inter lapides Adamas primatum tenet: ita montes colles, locaq; editiora, non dignitate duntaxat, sed & salubritate, & ad vitam protrahendam efficacitate, fructuum omnis generis vbertate, vinorum præstantiâ, omnis generis animãtium, & volucrum copiâ, mineralium, metallorum, diuersorumq; & salium & succorum, plantarumq; fertilitate, fontium salubrium abundãtiâ cæteros terræ tract⁹ superare; cùm & præpotentis Dei maiestas atq; potentia frequentius, euidẽtiusq; in montibus, quàm planis & campestribus, locis elucescat.

Hinc quoq; videmus Monticolas, seu montosa, & editiora loca incolentes, cæteris saniores, vegetiores, viuatiores, laborum patientissimos, minimè morbis obnoxios, atq; ad quæuis obeunda, perferenda, promptos, alacresq; & esse, & haberi: qui verò in campestribus, aut depressis & cauis vitam agunt, optimis ventis minime perflari, & fere morbosos esse: Quæ enim non difflãtur, breui situm & putredinem contrahunt: At qui duram, & asperam, saxisq; & rupibus aut syluis refertam regionem incolunt, vt duri, solidi, & ad labores expediti, corporibusq; siccis præditi sunt, ita sanè & animo & moribus agrestes, indomiti, feroces, elati, subdoli, solertes, morosi, maximeq; prompti, & ad prælia expediti censentur, vt paulo post docebimus.

Monticolæ.

Cùm igitur non minor Regionum, Locorumq;, quàm Aëris, Ventorum, Aquarumque in vitæ salubris productione habenda sit ratio; nùm scilicet planus sit, an montosus: maritimus & palustris, an aridus & siccus: quibus ventis perfletur, quibusué aquis irrigetur (cùm vnius interdum fluminis discrimen discrepantes faciat hominum naturas, & non rarò ex loci, in quo degimus, naturâ, temperie, & constitutione, nostræ

quoque

quoq; naturæ, & vitę ratio immutetur, nobisque in omni vita perpetuo, necessarioque & Cœlo, & Solo vtendum sit) sub qua mundi plaga vitam degamus, hæc aut illa Regio sita sit? &c, paucis edisserendum, quæ, qualesq; dicantur mundi plagæ, & qua ratione Regiones cognoscendæ, salubresué an insalubres sint?

quatuor mundi plagæ.

Haud secus vt omnis superiorum corporum globus, ita & terra ipsa. Terra in quatuor diuiditur plagas seu regiones, Latinis angulos, seu ventos dictos: Orientalem, Occidētalem, Aquilonarem, & Australem: Orientalis cùm temperatissimo aëre, nullo qualitatum excessu impedito, nullisq; inquinamentis infecto gaudeat, atq; corpora nostra omnium minimè alteret, aut immutet, omnium optima & saluberrima censetur, siue ortum ipsum, occasum, boream, aut meridiem respiciat: omnes enim regiones, prouinciæ, vrbes, quatenus orientales sunt, licet non omnes æqualiter sub orientali plaga degant, sed aliquando multum ab ortu distent, semper tamen vnam partem orientem versus habent, vt & homo ipse, in quamcunque se partem vertat; & hac ratione cæteris regionibus, orientem nō habentibus, selectiores, meliores & salubriores existimantur.

Orientales insulæ.

Ideo qui ad auroram, & æquinoctiales ortus habitant omniū saluberrimi viuunt, moderatior enim illis est caliditas & frigiditas: Aquas insuper & splendidas, & odoriferas, molles, & amænas habent, emergente Sole illas castigante: Homines ibi floridi, & optimis succis prædíti sunt, quadrato & moderato corpore, ob regionis temperiem, & proinde quæ in eodem terrę tractu nascūtur sata, fructus, plantæ, animalia, gemmæ, mineralia, primum bonitatis locū obtinent: pauci omnino morbi, & hi, vt plurimum salubres, indeq; homines longæui, sanissimi, & centesimū supra trigesimum annum sæpe superantes, fæcundissimæ illic fæminæ, vt infra dicemus, virentia omnia, ac salutaria planeq; beata. Saluberrimum quoq; hunc vitæ situm, sic olim descripsit *Cato*: *In bona regione bene omnia nitere oportebit, & vti eo cum introeas, circumspicias vti cœlum obuium habeas, ne calamitosum siet, solo bono, sua virtute valeat: si poteris sub radice montis siet: in meridiem spectet, loco salubri*, &c. Nec iniuria; Nitor enim regionis, & cœli clementiam, & loci bonitatem ostendit, quæ duo si adfuerint, necessarium quidem est, vt eo in terræ tractu, bene, salubriter, diuq; viuatur: Cœlo enim & solo bene, feliciterq; viuitur, præsertim si cœlum clemens, Solum verò nitidum, & amænum fuerit. *Hippocrat. lib. de Aere, Aquis, & locis* scribit Vrbes ad orientem sitas, ijs esse salubriores, quę septentrionem respiciunt, & his, quæ ad

meridiem positæ sunt: tùm quod illæ immodico frigore intemperatæ; hæ verò nimio calore morbosæ, & æstuosæ incolentibus & sint, & habeantur. Situs ergo orientalis ob ventorum salubrium afflatum, & aëris puritatem, omnium saluberrimus est statuendus.

Occidentales incolæ.

Occidentalis plaga in calore & frigore sat quidem est temperata; at in humiditate aliquatenus excedit, & quia cum frigiditate cõspirat, minus noxia censetur: Vnde qui ad occasum degunt Incolæ, morbosissimi sunt, eo quod à ventis saluberrimis ab ortu spirantibus auersi, & calidis ventis expositi sint. Aquas habent crassas, minimeq; splendidas, quod Sol aërem in illo tractu rarissimè illustret, vnde crasso, & impuro aëre fruuntur, sicq; raucosi, & fluxionum morbis, & à putredine ortis obnoxij redduntur.

Aquilonaris seu Borealis plaga, frigida sicca, tenuis & subtilis est, vti eiusdem & aër, & venti; corpora roborat, vegetat, omnesq; sensus firmat & acuit. Vnde qui septentrionem incolunt frigidis, siccis, salutaribusq; ventis perflãtur, ab austro sunt protecti: Aquas frigidas & duras, at dulces habent; vegeto & robusto sunt corpore; natiuo calore plurimũ pollent; audaces sunt, fortes, animosi; colore albi, carnosi, & succi pleni, præsertim si regionis frigiditati, coniuncta sit humiditas, quales sunt Angli, Belgæ, & Germani; edaces sunt & bibaces, lõgiorisque vitæ sunt, ob virium & naturæ robur: Hæmorrhagijs, lippitudinibus, febribusq; acutis, & pleuritide plurimum tentantur.

Aquilonares incolæ.

Omnium pessima, & insaluberrima est meridionalis seu austrina plaga, in caliditate & humiditate modum excedens, omnes sensus hebetans, debilitãs caput, replens, & aggrauans, vti superius dictũ. Inde fit, vt qui in calidis locis degunt, & meridiem respiciũt, à ventorũ Aquilonariũ flatu tuti sunt: aquis subsalsis & crassioribus vtuntur. Illic *teste Hippocr.* debiliores incolæ, & ad edendum & ad bibendum minimè appositi habentur, & valde imbecilles ibi gignũtur homines, pusillanimes breuis vitę, morbis à fluxione natis tentantur diuturnis magis, quàm acutis; alui item profluuijs torminibus, febribusq; lenibus, sed diuturnis magis, & hybernis, quàm acutis, & æstiuis, à bilioso & æstuante humore excitatis.

Meridionales incolæ.

Qui humida & palustria loca incolunt, ob circumfusi humoris copiam, maiores quidem & longiores sunt, vt Belgæ, Batavi &c, ijs qui montes incolunt, at vix sunt salubriores: diuturnis enim morbis corripiuntur, & morbos sæpe à defluxione incurrunt. Cõtra verò qui arida, & sicca loca incolunt: tales enim homines alacres, sani, duriores, sicciores, vegetiores, & bene mobiles sunt, vt in

Palustrium locorum incolæ.

vt in Hispania, Numidia, Perside, Chaldæa, & fertili Arabia.

Maris Incolæ.

Maris verò Incolæ, temperiẽ montanorum mitiorem habent, vincente tamen calore: Sunt enĩ loca maritima mediterraneis calidiora. Deterrimo loco sunt, qui palustria, cænosa, & multo nidore referta loca incolunt: Omnes enim paludes, stantesq; aquę, aut pigro lapsu æstate tepentes, vaporatis hyeme frigidis nebulis caligant, quæ nisi maiore spirantium ventorum salubrium vi sub moueantur, pecudibus, hominibusque pestem conferunt, quòd grauioris halitus is terræ tractus esse soleat, & caloribus noxium virus eructet, & infestis animalcula aculeis gignat, nos densissimis examinibus inuolantia: tùm omnis palus Natrices, Angues, Anguillas, Serpentes, Bufones, ranas, rubettas, & id genus pestes creare plurimum solet, quæ hybernâ per æstatem destitutæ vligine, siccatis æstu paludibus, cæno, & fermentatâ colluuie venenatæ, aërem inficiant, vnde cæci, & sæpe pestilentes morbi nascuntur, hominibus mortem inferentes.

Qui igitur in vitiosis huiusmodi terræ tractibus degunt, palustribus scilicet cænosis, mineralibus, metallicis, venenatis, suffocatis, ac conclusis &c, degunt, de aëre corrigendo, & in meliorem statum conuertendo solliciti esse debent, vt omni studio aërem tenuem, odoratum, difflatum, & perspicuum reddant: Quod fiet, si patentes ad orientem, aquilonemué fenestras habuerint, ventos inde spirantes admiserint, solemq; plurimùm exceperint, multoq; in cubiculis accenso igne, ex odoratis lignis extructo, aërem tetro nidore infectum purgare nitantur: Adhæc sparsis per stratum solum odoratis plãtis ac floribus, hyeme calidis, æstate frigidis aërem salubrem reddemus; æstate scilicet rosis, violis, iasmino, nymphea, sambuci & acatiæ floribus, myrto; aceto item è dictis floribus parato, ædes respergendo: Hyeme verò saluiâ, roremarino, melissâ, citri floribus, folijs, & cortice, lauro, garyophillis styrace, ladano, laserpitio, suffit⁹, & odoramenta præparando.

Incognitæ terræ Indoles vt cognoscatur.

Terræ autem Regionis, prouinciæ, aut loci alicuius nobis incogniti naturam, temperiem, indolem, bonitatem, salubritatemque cognoscemus, ex terrę plaga situ, & loco; virore, virescentia, ariditate, fertilitate, sterilitate, odoris fragrantia, aut fętore vndecunq; suscepti, metallico scilicet minerali, sulphureo, bituminoso &c, è terræ item duritie, mollitie, leuitate, grossitie, asperitate, fertilitate, & cultura: omniũ autem maxime ex vaporibus & exhalationibus, & ex ijs obortis meteoris, cometis, fulguribus, fulminibus, pluuijs, nimbis, pruinis, ventis, terræ indolem significantib⁹: item

item è fontium, fluuiorum, fluminum, aut puteorum vel è certis locis orientium, vel è terra, saxisue erumpentium, inditas Soli vires & facultates prodentium naturâ, qualitatibus, colore, sapore, odoreq; metallico, minerali, bituminoso, sulphureo, &c: aut demum ab ipsamet terra mineralium, metallorum, salium, & succorum diuersorum feracissima, quarum quidem qualitatibus, tàm simplicibus, quàm compositis terra diuersimodè alterari, eiusq; postmodum Incolæ multiuariam immutari possunt.

Hominũ mores vt cognoscendi. Superest modo, vt, antequam huic capiti coronidem imponamus, qua ratione Hominum mores, naturæ, studia, vitæ, viuendiq; genus, ob Regionum, locorum, climatumq; diuersitatem varient explicemus: cùm in eodem orientis vel occidentalis; septentrionalis aut meridiei climate, quæuis modica declinatio magnam sæpe pariat Hominum inter se & naturarum, & temperamenti, & morum, studiorumq; diuersitatẽ: vt & eorum, qui ad aquilonem sedent, ab ijs, qui austrum incolunt licet idem ijs sit circulus meridionalis, corporum tamen & animorum habitu plurimùm distãt: quin & inter eos, qui non solùm sub eodem meridiano, verumetiam sub eodem tractu ab æquatore æque remoto, sub eodem cœli gradu, sub eodemque ferè puncto habitant; vti videm' mõticolas ab ijs differre, qui in conuallibus habitant: sic in locorum naturis, magna elucet differentia cùm locus à loco distet, & eiusdẽ ciuitatis (inæquali situ positæ) habitatores, sæpe non temperie dũtaxat, sed & loci diuersitate plurimum inter se dissideant.

Quæ cùm ita sint, & *teste Galen.* Animi mores & studia, vt plurimum corporis temperamentum sequantur; hoc autem pro varia Regionum, locorum, climatum, tractuumq; cœli varietate & differentia, variatum, hominũ quoque naturas, studia, mores, & indolem variè mutet, operæpreciũ nos facturos speramus, si, in candidi Lectoris gratiam, primum eorum, qui ad aquilonem & austrum positi sunt; mox qui ad ortum & occasum; tandem & eorũ, qui montes, qui valles, qui palustria, qui arentia loca, qui maritimas regiones accolunt, naturas, temperies, studia, mores, vitæq; genus paulo pleniore orationis filo inquiramus, præmissâ prius regionũ sub æquatore ad vtrũq; polum triplici diuisione, & cuiuis regioni 30. cœli partibus adscriptis. Prima regio ab AEquatore propius distans, ab ardoris intẽperiem calidissima dicitur: & ea quæ ad aquilonem spectat, frigiditate rigidissima: inter vtramq; calore ac frigore modicè temperata interjacet. *Virgilius* hasce regiones *Zonas* vocat, quas *1. Georg.* sic graphicè depingit,

Quinq;

Quinque tenent cœlum Zonæ, quarũ vna corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igne.
Quam circum extremæ dextra, læuaq; trahuntur,
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris
Has inter mediamq;, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuûm.

Regio illa, quæ 15. priores cœli partes ab AEquatore capit, tẽperatior est eâ, quæ vtrisq; Tropicis subest. Rursus regio, quæ à trigesima circuli meridiani parte ad 45. porrigitur, multo est mitior eâ, quæ à 45. ad 60. propter vtriusq; poli propinquitatem. Hinc regiones ad 75. multo quidem frigore rigent, coluntur tamen ac populorum multitudine abundant. Tandem regio 15. partiũ cœli à 75. ad 90. etsi omnino deserta non videatur, illic tamen tãta est frigoris, ac niuiũ inclementia, vt non satis commode viui, ac ne viui quidem possit: sed quicquid hominum restat, ferè in antris ac latebris, bestiarum more versatur, aut in syluis versatur. Hisce finibus regiones describũtur.

Aquilonarium & Australiũ naturæ. Qui ergo ad aquilonem positi sunt, robore quidem, magnitudine, formâ & colore australibus præstant; ab his tamenn ingenii præstantiâ superantur: qui quindecim gradibus ab vtroq; polo absunt, exigui sunt, debiles, macilenti, & à frigoribus perinde adusti, vt australes à calore, *teste Hippoc. de Locis.* Sic qui ad aquilonem sunt, *teste Aristotele,* tenui ac flauo sunt capillo:

Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos.

Sunt autem Aquilonarium, vt Scytharum corpora cæteris maiora, & robustiora, quod exterius frigus calorem ad intimos corporum adytus cogat ac tueatur, nisi tanta sit frigoris vis, vt penitus calorem extinguat, vti ijs accidit, qui à 75. latitudinis gradu versus vtrumq; polum solitudines incolunt, qui à frigoribus sic vrgentur, vt plerique intereant. Calent igitur aquilonares intus, frigent australes: at qui plus caloris habent, facilius concoqunt, vnde & corporum & virium maiora incrementa quàm ab australibus, qui ab innati caloris inopiâ debiliores sunt, & leuioribus fouentur alimentis: inde videmus exercitus ab Africa in Europam, & ab Austro Aquilonem versus proficiscentes, fieri robustiores: Sic Carolus V. Imperator, cum 2. Hispanorum Legionibus in Saxoniam profect⁹, bellicosissimorum hominum vim effregit. At quoties ab aquilone austrum versus expeditiones suscipiuntur, languore ac inertiâ fatiscunt milites, vti maximo ac ingenti Cimbiorum exercitui in Italiam proficiscenti accidit, vbi milites robur paulatim amittere, & sudoribus diffluere cæperunt. Sic Hispani ab austro in Italiam pergentes, illustres sæpe victorias retulerunt. Eãdem ferè ab Antarctico polo naturam hominibus ingenerari, & ratio, & corporũ cœlestium vis, & historiæ fide dignis-

ſimæ ab Hiſpanis proditæ fateri cogunt, non procul à freto Magalliano Antarcticæ regionis, genus hominum, quos Patagonas vocant, tantæ proceritatis extitiſſe, vt vix 8. Hiſpani vnum vinculis conſtringere poſſent: homines alioquin ſimplices ac ingenio ſtupidi. Ex quibus intelligimus, corporum vim atq; robur eſſe verſus vtrumq; polum: animorum verò ad auſtralem plagã.

Mediæ regionis homines.

Qui inter vtraſq; regiones interiacent, & ea loca, quæ propter caloris & frigoris temperiem, ad vitam beatius, ſalubriuſq; degendam idonea ſortiuntur, mediocres etiam habent, & corporis & animi dotes: In quo quidem admirabilis Conditoris elucet ſapientia, qui maximam nõ modo ingenij, ſed etiam animi vim ab ingenti corporis robore ſemper diſiunxit, cùm proſpiceret iniuſtitiâ potentibus copijs armatâ, nihil eſſe crudelius. Ergo mediæ regionis homines, plus habent animorũ & ingenij, minus tamen roboris, quàm qui ad ſeptentriones: ſed corporibus validiores ſunt, quàm auſtrales à quibus ingenio quidem, non tamen animorum vi ac fortitudine ſuperãtur: habent artes imperandi maiores, & in rebus agendis ſunt iuſtiores. Conſtat enim ex hiſtorijs exercitus, copias ab aquilone: recõditas verò ſciẽtias, philoſophiam, artes mathematicas, & quæ in veri inueſtigatione verſantur, diſciplinas ab auſtro: imperandi verò artes, oratorias, & theatrales diſciplinas, à mediæ regionis populis inuentas, aduectas, & propagatas fuiſſe; omnia deniq; magna Imperia Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorũ, Romanorum, in medijs temperatiorum regionum ſpatijs, ſedem ac domicilium fixiſſe, at multo magis ad auſtrum, quam ad aquilonem propagata fuiſſe.

Aquilonares multi pota.

Intima quinetiam caloris vis in aquilonijs regionibus & ſicciſſima aëris natura, maiorem hiſce populis ſitim ingenerat, quàm auſtralibus, quibus interiora & frigent, & ob humidam auſtri naturam, hument; flantibus ſiquidẽ auſtris, imbres: Aquilone verò ſpirante, & ſiccitas, & nitidiſſimi cœli puritas ſequitur: quo fit, vt Germani, & Scythæ vberioribus poculis vti cogantur: vnde prouerbium: ἐπισκυθίζειν quæ apud Athenæum potator dipnoſophyſtes puero aquã infundendi, verbo modicè deflexo vſus eſt, cùm diceret ἐπισχύθισον, pro ἐπιχύθισον. Hinc illud etiam *Taciti de Germanis, Diem, noctemq́ʒ continuare potando, nulli probrum: crebræ, vt inter violentos, rixæ.* Id autem regionis, nõ hominum vitium eſſe, argumento eſt, quod qui ab Auſtro ad Aquilonem iter faciunt, eo & bibaciores, & voratiores fiunt, contrà quàm ijs accidit, qui ad Auſtrum proficiſcuntur.

Scytharũ porro cutis mollior eſt,

est, quam australium, propter caloris innati & humorum copiam vnde sudores egeruntur: quo fit, vt Aquilonijs maior insit pilorũ copia, quàm Australibus, quibus densior, siccior, ac durior cutis, aut glabra est, aut nõ nisi crispos, & retorridos capillos gignit. Gaudent igitur Australes calore, ac siccitate: imbres, ac frigora sine salutis periculo ferre nõ possunt: Aquilonij verò tùm maxime bellagerunt, cùm omnia gelu obriguêre; flumina, ac maria gelu cõcreta traijcere, & altissima montium iuga superare non formidantes, qui etiam loca paludosa & aquosa incolunt, nec solùm aquis facile consuescunt, sed & infantulos nuper natos, viuo ac gelido flumine abluunt: licet idipsũ olim Ausonibus in more positũ fuerit, vt canit *Maro:*

--natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq́; gelu duramus, & vndis.

Qui medias regiones occupãt, & æquali temperamento gaudẽt omnes nimios & caloris & frigoris appulsus sentiunt, facilius tamen imbres, ac frigora perferunt quam australes; difficilius, quàm qui ad septentriones, & cum vtrisq; facilius societates iniuntur, propter quandam morum similitudinem: Nunquam enim Australes ob naturæ dissimilitudinẽ cum Scythis societatẽ inire potuissent, nisi per mediæ regionis homines, quibꝰ, ceu cõmuni quodã vinculo ac nexu, Deo sic præuidente, mutua societate vinciuntur, cùm laudatam corporũ temperiem obtineant, & moderatos habeant animorum motus: quales sunt Asiatici, (à qua temperatione Arabes & Germani remotissimi sunt *teste Galen.*) qui non modo inter polum & æquatorem sed & inter ortum, & occasum interiacere videntur, homines naturâ mites, mansueti, tantaq́; vrbanitate præditi, vt ab ijs omnis humanitatis condor in cæteros populos manasse videatur: ita quoq; iam pridem scripsit *Herodotus* AEgyptios cæteras gentes ingenio & vrbanitate superasse: licet AEgyptus magnâ sui parte sub Tropico sita sit, vbi homines ardentius à calore, quam sub AEquatore vrgeri tradũt, quotquot vtramq; regionem peragrarunt, ob diutiorem scilicet Solis stationem, & minorem Tropici, quã AEquatoris amplitudinem. Hispani quorum vniuersa regio est Australis, pacatiores & moderatiores habent animorum motus & ob insitũ atræ bilis humorem, ad quietem & contemplationem nati sunt, & ingenij acumine & sublimitate pollent: Galli verò & mediæ regionis populi, ob flauæ bilis abundantiam ad celeritatem, omnesq́; tùm animi, tùm corporis celeritatem incitantur; qui enim bile abundant, quietẽ oderunt, ac bile vrgente, huc illuc inuiti feruntur, qui si cõtemplationi sese dederint, prudentis-

simi

ſimi euadunt: Aquilonarium verò feritas, & mentis ſtupor, litterarum ſtudio miteſcit; nam aſſiduo labore homines ferociores fiunt *teſte Ariſtotel. 8. Politic.* Ea autem melior eſt natura, quæ nimium inter & parum intereſt, quæ in aurea tùm corporum, tùm ingeniorum mediocritate cõſiſtit, qualis eſt Italorũ: Italia enim nõ modo inter AEquatorem, & Septentriones, verùm etiam inter Ortum & Occaſum ferè media interiacet, modicè ab Aquilone ad meridiẽ deflexa. Quemadmodum autem pituita vexantur, qui ſub vtroque polo poſiti ſunt: & atra bile, qui ſub AEquatore: ita ſanguineam εὐσαρκίαν adepti ſunt, qui poſt 15. à polo tractum vſque ad mediam regionem loca tenẽt, id eſt vſq; ad 40. à polo gradum, qui eſt ab AEquatore quinquageſimus: deinceps ſanguini flaua bilis copioſius miſcetur, & qui propius ab Auſtro abſunt, ob permixtã flauæ & atræ bilis copiam, ſubuirides euadunt: quouſq; à ſolis ardoribus, & ab atrà bile aduſti, penitus atri fiant. Et vt atra bilis difficillimè curatur; ita & animi perturbationes, morbique ab humore melancholico abradente exuſcitati, non facile ſedari poſſunt: quo fit, vt qui ita amentes redduntur, ſi appetitus explere nequeant, furore corripiantur. Et licet frequens vbiuis locorum ſit ſtultorum numerus, Auſtrales tum tenues, ac macilenti, & ſpectra vident, & vaticinantur, nec rarenter à dæmonibus aguntur, & linguâ, quam nunquam didicerant, vtuntur: Quos verò ad Aquilonem furor inuadit, aſſiduè aut rident, aut ſaltant, & morbo D. Viti appellato corripiuntur, non niſi fidibus, ac muſicis cõcentibus reſtituendi. Qui flauæ bilis furore capiuntur, in cædes, ac vulnera ruunt; quod naturâ ſanguineis non accidit: multo minus, qui à putreſcente pituita, Lethargico furore corripiuntur, quos omnium rerum obliuio, ac mẽtis ſtupor inuadit. At quo plus eſt in melancholicis ingenij ac ſapientiæ, eo difficilius à furore correpti ſanantur; contra quam ijs accidit, qui ſanguine abundãt; cum rarius à furore, ſæpius ab inſania vexentur: Cùm *teſte Cicer.* furor in ſapientem cadere poſſit, inſania non poſſit: & furioſis curator legibus detur, non inſanis; licet non minus hi, quam illi curatoribus indigeant. Sed quotuſquiſque domitas habet libidines? quotuſquiſque cupiditates coercere? nemo certè præter ſapientem. Inſania interdum in furorem abit, quod furoris gen⁹, verberibus miteſcit. Auſtrales autem cæteris ingenio præſtare, non modo id inter Germanos & Hiſpanos, maximo interuallo à ſe inuicem ſeiunctos apparet, verũ etiã in vna eademq; regione.

naturarum & humorum diuerſitas humorum ratione.

Hoc etiam ab Auſtralibus Scythæ differunt, quod licet Auſtrales

Immoderatæ libidinis causæ.

les naturam habeant ad contrahendos, sedandosque appetitus præstantiorem, difficillimè tamē domitas libidines ab atra bile excitatas continere possunt: Inde promiscui sexus monstra ab Africa, & potissimum Numidarum gente in Venerem effusâ, & maximè Australi, vt mirum non sit, si Persarum & Africæ principes cōcubinarum greges habuisse legamus: & apud Indiæ occidentalis populos, regem Alcazarem quadringentas; Gnacam verò Peruanorum regem ducentas vxores, & quinquaginta liberos; item Gillo orientalis Indiæ Regem sexcentas habuisse proditum sit. Ab his moribus longissimè absūt Aquilonares, cùm *teste Tacito* seuera apud eos sint matrimonia, & prope soli singulis vxoribus contenti viuant; & pleriq; Scythę ineptitudinis ad Venerem pertæsi, resectis pone aures venis parotidibus, seipsos castrant, quod tamen robustissimorum hominū multitudine abundent Septentrionales, id non ad Venerem imbecillitati, sed continentiæ est adscribendum. At bilis atræ abradentis & spumosæ copia Australes in Venerem incitat; cùm omnes, qui atrâ bile abundant, cæteris sint salaciores, id quod leporis, omnium animalium maximè melancholici exemplo constat, cùm sit animal libidinosissimum, & vnū omnium quod superfœtat, imò tres partus simul ac semel in vtero gestat, & quidē mas æque ac fœmina: licet hoc non in omnibus, at in plerisque accidat. Populorum tamen multitudo à temperata potius, natureque congruenti voluptate manat, ab Aquilonarijs frequentiores & peregrinos congressus abhorrentibus diligenter obseruata: quo factum, vt Historici inferiorem Germaniam hominū officinam appellarint, è qua gentiū examina pene infinita prodierūt: & quod mirum esse possit, ad septentrionem, aut parem, aut maiorem esse marium, quam fæminarum vbiq; copiam; ad Austrum multò pluresesse in omni genere animantium, fæminas, quam mares. Qui medias sedes polum inter & æquatorem occupant, omnia mediocriter consecutividentur, & magnam partem vnius vxoris legitimæ coniugia tuentur.

Populorū multitudo vnde.

Germania hominum officina.

Si quis propius Aquilonios, Australes, & mediæ regionis homines intueatur, nō ineptè cum iuuenibus, senibus, ac maturæ ætatis hominibus cōparabit: Nam qua quisq; re populus plurimum valet, eadem ad Reipublicæ vtilitatem sæpius vti consueuit: qui ad Septentrionem, vi & armis subditos in officio fere cōtinent: qui ad Austrum, religionis, ac numinis metu; cæteri, æquitate, ac rationis imperio. Litium constituendarum ac iudiciorum leges ac formulæ ab Asia minore, à Græcia, ab Italia, à Gallia, & omnino

Vnde leges.

nino à mediæ regionis hominib⁹ fluxerunt. Denique maximos quosq; Oratores, Iurisconsultos, Legum-latores, Historicos, Poëtas, fabularum actores, quiq; hominum mentes, sermonibus, & verborũ illecebris permulcent, à medijs regionibus originem duxisse planum est. Vt autem Aquilonij ad vim facile prorumpunt; medij verò populi leges, & verborum lumina conquirunt: Sic Australes mentis acumine, ingenij sublimitate, & religionis veneratione suos incitare consueuerunt: Videmus enim abditas naturæ scientias, & reconditas disciplinas, artesq; mathematicas, quæ hominum mentes ad assensionem quasi tormentis cogunt, à Chaldæis, ab AEgyptijs, cæterisq; Australibus populis prodiisse. Nec mirum sanè: aptior enĩ ad diuinos afflatus eorum est natura, qui moderatos habent animi motus, & ab atrâ bile quietos, vt liberius, & facilius ad contemplationem ferantur, ad res verò peragendas minus idonei, roboreq; minus præstare videntur; & ea, quæ à Germanorum, Anglorum, Belgarumq; opificibus aduehuntur, tàm multa, tàmq; affabrè facta, cùm imitari vix possint, maximopere admirentur.

Scientiæ Mathematicæ vnde?

Orientales & occidentales.

Iam verò diuersa Orientis & Occidentis ratio, non exiguam quoq; parit ingeniorum diuersitatem: Veteres enim vno pene consensu Asiaticos morum facillitate, & humanitate cæteros superare tradiderunt: Sic Sinarũ populi orientales, cęteras gentes vrbanitate, ingenijque lepore: Brassilianos verò sub eodem æquatoris tractu indomita feritate & crudelitate omnes gentes superare dicuntur. Ventus item Orientalis, & aëris suauitas efficit, vt qui ab Oriente originem traxerunt, oris dignitate ac formâ cæteris præstent. Hoc verò mirabilius, quod populares morbi, qui ab oriente ad occasum, aut ab Austro ad Arcton progrediũtur, longè lateq; grassantur: contra verò si ab Occasu vel Arcto, minus nocent, & facilius curantur, vti diuturnâ experientiâ cognitum est.

Singulorum locorum natura.

Tandem singularis quoq; est differentia eorum qui mõtes accolunt, à vallium incolis: & eorũ, qui sub eodem cœli vertice mõtes obuersos habent ad Austrum, ab his, qui ad Seprentrionem cõuertuntur: item eorum, qui ad orientem Solem montium iuga à tergo habent, ab ijs, quibus à fronte mons ad orientem oppositus est; argumento sunt Incolæ vltrà, citràq; Appeninum, qui totam pene Italiam ab Alpium radicibus ita secat, vt pars altera ad meridiem, altera ad septentriones spectet: Mons idem Adrian⁹ dictus, qui citeriorem Hispaniam ab vlteriore, tùm etiam altissima Pyrenæorum iuga, quæ Galliam ab Hispania diuidunt: idem de

Tauro

Tauro monte in Asia minore, & Atlante in Africa est iudiciũ. Inde tãta ingeniorũ sub eodẽ cœli vertice dissimilitudo: v.g. Hetruscorum à Bononiensibus & Aconitanis; Arragonensiũ à Vasconib⁹; Numidarum ab Africanis maritimas oras incolentibus, quorum alteri sub eodem cœli puncto, parui, atri, sicci, alacres, longæui; alteri fusca facie, corpore robustiores, morbis tamen sæpius obstricti feruntur. Inde etiam obseruamus Florentinos, Neapolitanos, Venetos, Insubres ingenij acumine differre, illos in priuatis hos in publicis negotijs tractandis excellere &c.

Ex hactenus enumeratis abũdè constat Medicum (qui sibi cõmissis vitam propagare conatur) non solum cœli naturam, ac vniuersas regiones, sed etiam singularia, & cuiusq; regionis propria intueri oportere, quid ab aquis, quid ab aëre, quid à montibus, quid à vallibus, quid à ventorum natura, quid à regione, quid ab institutis, quid deniq; à disciplinis, moribus, studijs, tàm ad corporis sanitatem, quàm animorũ serenitatem, cuiuis ingenerari possit: si enim ex eodem cœli tractu, vel eosdem mores, vel naturam, vel temperiem iudicare vellet, eundẽ sæpe labi necesse esset, cùm in eodem ab æquatore interuallo, quadruplex, vt dictum, & quidem insignis hominum differentia obseruetur, etiam in oris ipsius habitu & colore: v.g. Indi, qui ad Occidentem planè lutei sunt (referentibus sic historicis) vt mala cotonea diu cocta, eadẽ polo distantiâ Hispalenses candidi: Ijsdem ab æquatore interuallis, qui promontorium bonę spei occupant, nigerrimi: qui verò eadem latitudine argenteum flumen incolunt castaneum colorem imitantur.

Facit etiam coloniarum migratio magnam hominum diuersitatem, sed paulatim cœli naturã sequuntur. Sic locorum natura non rarenter & linguas, & pronuntiationis tum asperitatem, tũ lenitudinem variat, mutatq; non modo in Aquilonijs, & Australibus, sed etiam in montanis, & ijs, qui loca palustria tenent: nec in ijs duntaxat, verùm etiã ab aquis linguæ vitia sæpe deriuantur. Sed de his hactenus, & per transennã quidem; nunc ad instituti nostri pensum propius accedentes, sequentem quæstionem discutiamus.

CAPVT XX.

Vtrum Homo citra alimentorum vsum viuere possit?

SVMMA quidem est alimentorum ad corporis nutritionem, ad vitæ item tum propagationem, tum cõseruationem necessitas: Cùm enim tota corporis nostri moles assiduo substantiæ fluori, ac dissolutioni, à perenni & continua natiui caloris

actione incitatis obnoxia sit, nisi in eius, quod defluxerit, locum, alia similis specie substantia de integro reponatur, corpus ineuitabili naturæ fato, absumpto scilicet nectaris viuifici pabulo, quã citissimè exiccaretur, interiretq;. Vnde singulis animantibus à natura vires sunt implantatæ, vt pabuli substantifici deficientis & desiderati appetitu teneãtur, quod est alimentum, ad assiduum substantiæ effluxum reparandum: quare oportune quæri potest, num homo citra alimenti, potusque assumptionẽ diu viuere possit? Multi hactenus iam dictæ rationis vim, necessitatisq; efficacitatem ponderantes, negatiuam partem mordicus sustinere sunt ausi; licet minime pernegent quã plurimos Sanctos, Sanctasq; diuinâ potentiâ & fretos, & adiutos, multorum sæpe dierum, mẽsium, & annorũ tùm ieiunia, tùm abstinentias & inædias persistente interim corporis robore sustinuisse: Deus enim qui creauit, eos etiam sua virtute sine corporalis cibi sustentatione conseruare potest. Nec item inficias eunt Dæmonem, Panurgum illum Dauum, eadem industriâ, qua prauas alias corpori immittit affectiones, etiam efficere posse, vt homines longo tempore multisque annis inediam tollerare queant, vti de Arabica puella ex B. Prospero ostendit *Martinus Delrio lib. 6. Disq. Magic. cap. 2. sect. 3. quæst. 3.* Medijs autem seu causis purè naturalibus idem fieri posse negãt.

Nihilominus tamen & nostrâ, & patrum nostrorum memoriâ constat, quam plurimos vtriusq; sex⁹ homines, tùm iuuenes, tùm senio confectos, non solum plures dies, hebdomadas, menses, imo & annos plures citra alimenti vsum vitam transegisse: Nec mirum forsan, cùm videamus ipsum quoque Chameleonta nec cibo, nec potu ali, neq; alio, quã aëre, alimento vti; nec mirũ; cùm ignis seu calor vnà cum aëre sit vitæ principium: Struthio etiam solo aëre viuere perhibetur, eodemq; nutriri, & in tantam corporis molem excrescete, vt sexcentas libras (referẽte *Langio*) põdo nonnunquam excedat. At longè memorabilius, quod *Plinius* tradit. Astomorum gentem, sine ore, & toto corpore hirtam, vestiri in India frondium lanugine, halitu tantùm & odore viuentem, quem naribus trahunt: nullum illis cibum, nullumq; potum tantum varios radicum, florumq; & malorũ syluestriũ odores: quæ in longiori itinere secũ deferunt, ne desit olfactus vt commeatu, nutriri, & ali possit: vitæ nostræ futuræ aliquod præbens rudimẽtum: & vt *Homerus* cecinit, Cœlites neq; edunt, neq; bibunt nigrum vinum, verum nectare & Ambrosiâ cœlesti fruuntur, diuino scilicet illo aspectu, & vnitate, ex qua omnes substantiæ & vnitates

tates fluunt, ac indesinenter cõseruantur; omnium enim viuentium fons & scaturigo extat vnicus, & non solum hîc pane & vino perseuerant, sed in æternum beati, atq; ob bonorum omnium vnitorum, spiritualiumq; musicalium concentum, quę corpora modis infinitis exuperant, excitatur ipsis inextinguibilis risus, ineffabile scilicet & perpetuum gaudium. Et vt ad pensum redeamus, scribit *Plinius lib. 11. cap. 54.* vt potus, ita & cibi abstinentiam 11. dierum spatio homines ferre posse. Idem *Plinius lib. 2.* & post ipsum *Cælius Rhodiginus lib. 24. cap. 21.* scribunt, in extremis Indiæ finibus ab oriente versus fontem & scaturiginem Gangis, quosdã populos reperiri, solis odoribus, & subtilibus quarundam radicũ, florum, & fructuum exhalationibus, narium inspiratione attractis viuere. Sic Olympiodorus Platonicus testatur, quendam fuisse hominem, qui toto ætatis, ac vitæ suę decursu, nihil vnquam mãducauerit, sed in Sole semper versatus, ex eo, spirituale nutrimentum attraxerit. Sic *Hermolaus Barbarus* scriptum reliquit, quendam Romæ annos 40. sola aëris inspiratione vixisse: *Cælius* verò se Neapoli Tomacelliensem vidisse, qui totius vitæ curriculum, absq; potu absoluerit; cùm tamen omnibus constet, famem ipsa siti lõgè tolerabiliorem esse: *Pontanus* vir singularis eruditionis *lib. de reb. cælestibus testatur* fuisse hominem qui nullo vnquam tempore vinum aut aquam biberit. quin cum aliquando Ladislai Regis Neapolitani hortatu, seu mandato, tantillum bibisset, ægrè id tulit, noxiusq; potus illi fuit. *Albertus magnus* sese Coloniæ solertissimè obseruasse tradit, mulierem 30. diebus omni & cibo & potu abstinuisse; virum autem diebus 50. nisi quod alternis diebus paululum aquæ aut vini sumerent. In Gallia Narbonensi, *teste Syluio*, visa puella, quæ tres annos, nullo, preter aërem, cibo, potuque, vitam salubriter traduxit. Refert. quin etiam *Langius 11. Epistola 27.* historiam de triẽnali puellæ incediâ, quæ toto illo tempore absq; vllo cibo & potu vixit: quo factũ vt Romanorum Rex Ferdinandus, eiusque à consilijs proceres, tam diuturni omnis alimoniæ fastidij admiratione commoti, & veriti, ne quid fraudis subesset, puellã, nullius sibi fraudis consciam, spiram accersitam, nouis vestibus indutam, duobus è cubiculis medicis, spectatæ fidei viris nocturno, diurnoq; tempore, in eorum ædibus, asseruandam dedêre. Verùm cùm nihil fraudis in ea deprehenderetur, & cuncta dictis responderent, Rex pro sua genuina clementia & liberalitate puellæ misertus, eã virgineo mũdo decoratam, parentibus reddidit. Nos quoq; dum Patauij Medicinæ operam daremus, & cum

clarissimo viro D. Hercule Saxonia celeberrimo medico, & præceptore nostro candidissimo in ægrotantium visitationibus occuparemur, inter cætera admiratione dignissima, obseruauimus honestissimam Virginem annorum 15. circiter, stupenda Catalepsi laborantem, quæ toto ferè biennio, ab omni cibo potuq; abstinebat, præterquam quod Vindemiarum tempore recentes aliquot vuas comederet, interim singulis ferè dieb⁹, aliquot libras tenacissimæ, & quasi adiposæ materiæ vomitu eijceret, non sine magna adstantium Medicorum admiratione. Sic Laurentius Ioubertus *referente Rondeletio*, quandam obseruauit puellam, quæ eodem victus genere, ad 10. ætatis annum peruenerit, tandem grandior facta, & matrimonio iuncta, felicem prolem ediderit. Sed & nostri temporis memoratu dignissimã historiam paucis perstringamus: Cùm Reuerendissimus & Illustrissimus D. Dominus VVilhelmus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ, in Episcopum Basiliensem electus, Anno scilicet 1608. ad suscipiendum subditorũ suorum & fidelitatis & obedientiæ sacramentum, suas obiret ditiones; eo Neustadij Heluetiorũ moram trahente, factum est, vt multi è nostro comitatu visendæ cuiusdã puellæ Apolloniæ Schreyerin nuncupatę, aliquot iam annos citra vllius cibi assumptionẽ viuentis desiderio tenerentur: vnde scapha consensa vicinum lacum Bielensem traijcientes, in ditionis Bernensis pago Galx, offendimus hanc Apolloniam præ nimio virium languore lecto affixam, fereque immobilem (excepto pedum, brachiorumq; satis libero motu) mediocris staturæ, nigris, spissisque capillis, labijs, genisque subrubentibus, liberâ tum loquela, tùm respiratione, cęterisque corporis partibus sanorum haud absimilibus, exceptis ventriculo, Hypochondrijs, mesenterio, & inferiore abdomine, vsque adeò excauatis, depressis, atq; induratis, nihil vt in illas partes traijci, nihil influere poterit. Hanc etiam puellam describit *Quercetan.* in suo Diætet: quæ ætatis anno 17. & anno salutis 1601. mẽse Aprili sensim primùm panis, mox & aliorum ciborum omnium, fructuumq; appetitum amiserit, ad aliquod tempus iusculis nutrita, paulatim & illorum etiam vsum amisit; tandem aliquot vini cochlearia aquâ diluti ei oblata sunt, donec & illius quoque vsum respuens, non ferente potum stomacho, ex dolore & cruciatu, quem illîc sentiebat, ita vt ad extremum ἄσιτος citra ullius rei ingestionem, 10. vel 12. annos plus minus integra satis valetudine vitam duxerit. Tandẽ matre defuncta, quæ multis veneficij nomine suspecta erat, prædicta puella iterum cibos non sumere

mere solum, sed & canis instar vorare ac deglutire (vt nobis relatũ fuit) visa est.

Hæc & similia exempla, naturales possunt habere causas: Nam & Indos memorant herbæ coca ore gestatæ beneficio, famem repellere, referente *Petro Chieza histor. Peruan.* Et *Matthiol. in Dioscor.* Scribit Scythas Scythicam herbam circa Boëroam crescentem adinuenisse. gustatu quidem prædulcem; cuius magna commendatio, quod ore eam detinentes, nec famem, nec sitim sentiant. Idem præstat apud eosdem Hippice dicta, quod equis eundem quoque effectum præbeat: Traduntq; his herbis Scythas duodenos etiam dies in fame & siti durare. *Cornelius* quoque *Gemma* naturalem agnoscit multorum annorum inediam, licet *Hippoc. lib. de carnibus* neget vltra septimum diem famem naturaliter prorogari posse, præsertim quorum ventriculus, & ieiunium chiloso humore vacat, in quem naturalis calor agere possit; tùm enim fieri solet, vt illo intestino interea concrescente, tandem homines emoriantur. Quod si vel à præuio morbo, vel alia ex causa, residuus humor phlegmaticus, crudus, viscosus, lentus, aut ipsa dulcis pituita in corpore stagnet, illo haud dubiè calor naturalis pro alimento vtetur, donec totus humor fuerit absumptus. Idem futurum, si ex summâ cerebri humiditate, subtilis quædam, & pituitosa materia, à capite in subiectas partes descẽderit, atque interea corpori in alimentum cesserit: tunc enim quicquid à corpore expiraretur, vel difflueret, tunc continuò ab hoc humore in alimentum conuerso restitueretur; nec cibis homini opus foret, donec hic humor penitus cõsumeretur. Hæc quidem naturalis & diuturnæ inediæ, & imbibentiæ causa & esse & dici potest: potest tamen fortè & alia cõuenientior reddi ratio: diximus superiori capite 2. vitam nostram in vitali partium solidarum principio, quod est ἀρχῇ ζωτικῇ seu ipsa viuacitas, & in viuifico nectare, è corde potissimum manante subsistere; victu autem & aëre seu spiritu sustentari: vitales itaque partes cor, cerebrum, pulmones, cùm spirituales sint, non crassi sanguinis alimento indigent, cæterarum ignobilium partium, vẽtriculi, hepatis, lienis, mesenteriiuè ad instar, sed spirituali & merè aëreo, vt ex iam relatis historiis constat; ideo fit, vt vel sanguine defæcatissimo, spirituali, & in aëream substantiam acto, vel huius defectu, ipso aëre, vel spiritu, atque odoribus foueantur: videmus enim aëre per anfractuosos pulmonum sinus ad cor meante, intercepto, cor statim præfocari; & cerebrum odoribus, benignisque exhalationibus sustentari; pectoris demum & cordis partes

aëreo ſpiritu, & ventilationibus refici. Licet ergo in prædicta puella omnes abdominis partes vſque adeo depreſſæ, excauatæ, & extinctæ viderentur, totaq; naturalis œconomia deſtructa, nō tamen mirandum illam tamdiu ſuperſtitem fuiſſe, cùm extinctæ abdominis partes, vel nihil, vel parum ad ſpiritualis & aërei alimēti faciant elaborationem, nec vſque adeo neceſſariæ ſint (niſi de alimento in ventriculo, hepate, & meſenterio præparato ſermo habeatur, quo tamen vitales illæ partes, citra vitæ iacturam, facile carere, & ſolo aëreo alimento, odoramentis, implantatum vitæ igniculum fouere poſſunt.) Adde quod ob vētriculi, hepatis, & meſenterij lapideos infarctus, depreſſionem, atq; duritiem, omnes naturalis œconomiæ functiones ſint extinctæ, ſuoq; natiuo balſamo defraudatę, ita vt nullus fiat, deficientibus ſpiritibus vitriolicis eſurinis, appetitus: at vbi nullus appetitus, ibi nulla attractio: qua deficiente, inanis eſt etiam retentio; qua vitiatâ, vanus quoq; & irritus erit, tùm digeſtionis, tùm excretionis conatus. Quæ cùm ita ſint, in eiuſmodi cauſarum inueſtigatione, non ſemper ad magica incantamenta veneficorum, ſtrygarumuè faſcinamenta recurrendum, cùm hi caſus non rarenter ad maiorem Dei gloriam contingant: quamuis etiam non ſit negandum, dæmonum præſtigijs, artibuſq; magicis effici poſſe, vt quis multorū vel dierum, vel hebdomadarum, menſium, aut etiam annorū inediam citra vitæ notabilem iacturam ferre poſſit.

CAPVT XXI.

De omnium alimentorum natura, qualitatibus & proprietatibus in genere.

CVM ad vitę noſtrę tùm propagationem, tùm ſuſtentationem, non aëre duntaxat, de quo iam egimus, ſed & alimentis, ob continuum ſubſtantiæ noſtræ effluxum, & virium partium corporis noſtri inanitionē, opus habeam⁹, de alimentis iam diſſeremus, prēmiſſis quibuſdā canonib⁹, tàm ad vitæ viuendiq; rationē ritè inſtituendam, quàm ad alimentorum naturā rectè dignoſcendam plurimū facientibus.

Quid alimentum. Eſt autem alimentum, quod corporis ſubſtantię quodammodo ſimile, in eam tandem faceſſit & conuertitur, quā tùm alit, tum interdum auget. Id ſi ita ſimile eſt, vt in corporis ſubſtantiam cōuerſū, nulla interim aliena qualitate illam inſigniter afficiat, ſimpliciter & abſolutè dicitur alimētum, vt Panis, Caro, Ouum, &c. At ſi ſubſtantia quodammodo ſimile, exuperante qualitate corpus immutat, alimentum eſt medicamentoſum, vt lactuca, vinū generoſum.

In vniuerſum autem *Hippocrati* triplex eſt alimentum. I. Id quod iam

iam actu nutrit,& iam corpori assimilatum, eius substantiam auget. II. Quod veluti nutrimentum est, quod nempe iam appositum, & agglutinatum, nondum tamen assimilatum, sed velut nutrimentum est. III. Quod alimentum futurum est, id scilicet omne, quod vel in venis, vel in ventriculo contentum, vbi concoctionem adeptum fuerit, nutrire tandem possit. Et *lib. de Aliment.* scribit *Hippoc. Alimentum, nō alimentum, si nutrire non potest: Nomen est alimentum, non opus; & res est alimentum, non nomen.*

Iam verò cùm corpora nostra & naturâ, & temperamento, ætate, sexu, cœlo, solo, densitate, raritate, &c, differant, haud iniuriâ diuersorum alimentorum tùm naturæ, tùm qualitates, tùm proprietates cognoscendæ, vt singulis singula conuenienter administrentur, & similia similibus conseruentur.

Hinc *Hippoc. lib de veteri Medicina*, illos ridere videtur Medicos, qui in administranda victus ratione, morborūq; curationibus, ad nudas potius qualitates, caliditatem scilicet, frigiditatem, humiditatē, siccitatemq; , quā ad ipsas nutriendi potestates ac *δυνάμεις* respiciunt.

Temperatis corporibus, temperata quidem debetur victus ratio: At alius est temperatus victus iuuenum, senum alius; alius in Vere, quàm Autumno; alius in Aquilonali, quàm in Australi cœlo; alius otiosam & sedentariam vitam ducentium; quàm exercĕtium, & laboribus deditorum; alius sanorum, quàm vel ægrotantium, vel valetudinariorum &c.

Sic corporū diuersitas, diuersam quoq; exigit alimenti rationem: quorum enim rara est, & dissolutioni facile obnoxia textura, cibos & quantitate multos, & qualitate viscosos, crassos, ac lĕtos exigunt, tùm vt multitudine poli infarciantur, tùm vt viscositate dissolutio remoretur. Qui autem denso sunt corporis habitu, nec multum, nec crassum, expetunt alimentum, ne nimia humorū intus latentium saburrâ diuturnorum morborum seminaria prorumpant.

Talis omnino cibus exhibendus, qualis fuit corporis substantia, dissolutione deperdita. Hinc non solum alimentorum, sed & corporū natura sedulo perscrutanda, quę cum inter se differant, magnam etiam alimentorum diuersitatem requirunt.

Alimenta sint tàm in prima, quàm secunda & tertia concoctionis officina probe subacta, concocta, & elaborata, nec non dissolutioni, seu distributioni, agglutinationi, atq; appositioni facile obsequentia, & cuiuis nutriendæ parti conuenientia.

In instituenda victus ratione, non solum diuersa ciborum qualitas, & compositio tàm naturalis

quàm artificialis, seu magyrica spectanda, sed & corporum alendorum diuersitas, diuersus item sumendi modᵒ attẽdendus: cùm quidã unũ cibi laxent, cõstringant alium: vni sint alimentum, alteri verò medicamentum, aut omnino venenum.

Alimentorum autem diuersitas, ex diuersa eorundem natura dependet. Horum autem naturæ ex Dogmaticorum decreto, tùm ex odore, tùm ex sapore &c, inuestigantur, num scilicet sint dulces vnctuosi, nitrosi, salsi, amari, pontici, acetosi, acerbi, an verò insipidi &c, Hermetici verò quique artis Spagyricæ beneficio interiorem naturam recludunt, hisce, ceu minus fidis instrumentis relictis, ad essentiales succos Vulcano duce, rei molem deferunt, *Hippoc.* Exemplo *libr. de veteri medicina* non ad nudas qualitates, sed ad amarum, salsum, austerum, dulce, & id genus respicientis.

Cibi dulces.

Alimentum purè dulce & sapidissimum, omnibus alijs præfertur, cũm & sanguini vicinius sit; & gustus organum mundificet, ventrem moderatè humectet, facile agglutinetur, & apponatur, præsertim si viscositate quadam præditum fuerit, quamuis & putrescat, & corrumpatur, & occultas tàm in hepate, quàm liene, & mesenterio naturâ calidioribus, obstructiones & infarctus furtim moliatur; Inde *Galen.* Hepate & splene nõ rectè habentibus, magnum ex cibo & potu dulci infligitur damnum, præsertim si partium durities, & succorum crassities adfuerit cum osculorum venarum adstrictione.

Cibi vnctuosi.

Vnctuosi cibi, quales sunt amygdalæ, pineæ, pistacia, iuglandes &c, purè dulcibus sapiditate proximæ accedunt, emolliunt, mũdificant, & olei instar reliquis cibis supernatant, propter vnctuositatem, crassitiem, ac viscedinẽ crassos generãt succos, duræ sunt digestionis, ac difficilis distributionis, villisque stomachi sua vnctuositate laxatis, cibos foras præcipitant, & ad venas, in pauca etiam quantitate perducti, statim inflant, & saturant, vnde etiam & parum nutriunt, & appetitum deiiciunt.

Cibi amari.

Omne amarum, salsum, stipticum, acutum, minimum *teste Gal.* dat corpori alimentum; quod si eiusmodi nutriant, non vt talia nutriunt, sed vt occultam in se alicuius dulcoris naturam continent: Nihil enim nutrit, quod omnimoda dulcedine caret. Et ex hoc fonte, prima artis magyricæ fundamenta deducta videntur.

Cibi salsi.

Salsi cibi ægrè ad venas vsque penetrant, & vi incisoria atque vellicante exeundi velocitatem ad intestina stimulant, & saporis ingratitudine parùm admodum nutriunt, retractis intestinis, multa tamen excrementa suggerunt, Idem & de amarijs cibis audiendum,

dum, nisi quod sua ponticitate minus noceant.

Cibi acetosi. Acetosi cibi, si præexistentem in ventriculo & intestinis, crassorum ac viscidorum humorũ copiam offenderint, eam incidunt, & deponunt; sin humoribus destitutum & exuccum inuenerint, fæces & excrementa desiccant, appetitum excitant, tàm ventriculum cõstringendo, sumptosq; cibos compingendo, sicq; naturam ad vacui fugam irritando; quàm vi acescente vitriolica, vẽtriculi spiritum esuriei ciendæ destinatum vellicando, incisosq; humores foras protrudendo.

Pontici Cibi. Pontica alimenta paucissimi sunt nutrimenti, appetitum excitant, ventriculi vacui pylorum constringunt, nec facile cibos ad aluos præcipitant, nisi vltima mẽsa sumantur; tunc enim contractis ventriculi cibo referti villis, torcularis instar præexistentes cibos ad ventriculi ima, & demùm foras detrudunt, sicq; secundariò aluum soluunt. *Galen. Ciborum ponticitas, edendi desiderium stimulat.* Et. *Hippoc. Amara, acuta, acerba, pontica, omnia appetitum irritantia.*

Cibi insipidi. Aquei demum ac insipidi cibi, quales sunt Cucumeres, Cucurbitæ, Citrulli, Melones &c. raptĩ venas penetrant, atque ad aluum vel irritandam, vel constringendam medij sunt, cùm & salsedine, & stipticitate destituantur, sed pro ventriculi tùm dispositione, tùm præparatione, modo hunc, modo illum producunt effectũ. Hos cibos natura abhorret, & quanto minus sapidi fuerint, tanto magis inutiles & noxij erunt.

Cibi fætore graues. Quod si de alimentorũ odore loquamur, certum est quicunq; cibus vel odore grauis, vel sapore abominand⁹ fuerit, is quoque pessimi nutrimenti, maiorisque nocumenti fuerit; si fætore grauis sit, vt sunt pisces, qui etsi recentes fuerint, grauis sunt odoris; fætentes autem pessimi, idq; ob vapores, spiritibus tùm nutritorijs, tùm animalibus minimè conuenientes. Quæcunq; autem aromaticum spirant odorem, calidissima, & subtilissima sunt alimenta, & quo gratiorem fundũt odorem, eò & iocundiora, & naturæ longè familiariora erunt.

Cibi Molles. Alimenta insuper propriæ substantiæ ratione, aut mollia, tenera, & liquida sunt, aut dura, aut medio modo se habent: Molliũ indoles est, vt facilè digerantur, & in sanguinem abeant, membrisq; assimilentur; at corruptioni obnoxij sunt, nec diu in ventriculo morantur, nec multum nutriunt. *Cibi duri.* Dura autem alimenta difficulter & conficiuntur, & in sanguinem conuertuntur, tardius assimulantur, tandemq; subacta, crassos generãt succos; multumque nutriunt. Laudabiliora sunt alimenta, quæ inter durum & molle, inter crassum & tenue, medio modo se habent. Eiusmodi enim

di enim alimenta temperatissima sunt; quod si sapidissima quoque fuerint, vtilissima etiam tam in conseruanda, quàm in reparanda bona valetudine, censebuntur.

Tenuis subst. cibi. Tenuis substantiæ alimenta, vt sunt panes tritici fermentati, in clibano cocti, deinde aqua diluti, aut biscocti, ptisanæ, panes hordeacei, pisces saxatiles, & qui molli carne constant, aceto mulso, aut attenuantibus medicamētis conditi; auiculæ item montanæ, pulli tùm gallinarū tùm colūbarū, turdi, perdices non recens mactatæ, sed vno, aut altero die seruatæ: aromata, olea, radices, & semina attenuādi vi prædita, vt Piper Zingiber, gariophilli, synapi, nasturtiū, allium, cepæ porrū, hysopum, origanum, petroselinū, cappares sale cōditi, & id genus: & si sanitati prosint, citoq; nutriant, cum tamen facile dissoluantur, nullum aut exiguum partib⁹ robur addunt Nam teste *Hippoc. 2. aph. 18* Eorū quæ vniuersim & velociter nutriūt, veloces quoq; fiunt excretiones. Viscerum tamen, vt Lienis, Hepatis. Mesenterij infarctus aperiunt, humorū crassitiem, viscedinem, & lentorē incidunt, & attenuant, vnde pituitosis, ceu alimentum medicamentosum conueniunt, quamuis sanguinē incendant, & frequentiore vsu aquosum ac serosum efficiant, & in bilem, ichoresq; agant, vnde nec sanguineis, nec biliosis tutū alimentum. Quod si substantiæ tenuitati coniuncta sit dulcedo, tunc vim habebunt mundificandi abluendi, & dissoluendi, vt in Oxymellite apparet: si & vis concurat aromatica, tunc aromatum instar, tunc humorum superfluitatem exiccabunt, viscera recludent, ventriculum firmabunt, & appetitum excitabunt; si demum acetosa fuerint refrigerabunt, attenuabūt, incident; si salsa, calfacient, dissoluēt, detergentque.

Crassioris subst. cibi. Crassioris substantiæ alimenta, crassum, viscosumq; sanguinem gignentia, vt sunt panes triticei, aut secalini nō fermentati, aut nō probe cocti, placentulæ ex similaginæ sine fermēto, triticum integrum elixum, aut secale, miliū, panicum, oriza, lentes, fabæ frictæ, caseus, & lac caseosum, oua dura, aut in sartagine fricta, caro bubula, ceruina, porcina, caprina, præcipuè animalium senescentiū, & non castratorum carnes, item fumo & sale induratæ, renes, cor, iecur, lingua, mammæ, tendines, partesq; neruosæ, ac membranosæ; pisces item testacei, crustacei, anguillæ, lamprettæ, teucæ; fungi, rapæ crudæ, castaneæ, dactyli; vina item nigra, rubra, crassa, cereuisiæ, & consimilia: Hæc si frigida fuerint, vt cucurbitæ, melones, concoctionem inpediunt; si pontica, exiceant; si vnctuosa, cibis innatant, digestionemque remorantur; si dura, & sica, ægrè cōcoquuntur: at si à naturali calore superentur, optimi sunt alimenti, cum

cum non facile à naturali partiū calore dissoluantur: Iis tamen vitanda, quibus & debilia sunt viscera, & venæ angustæ, & languid⁹ ventriculi calor, nè in febres putridas, aut difficiles Lienis, Hepatis, venarumq; meseraicarum, & renū obstructiones incurrant.

Mediæ naturæ alimenta inter crassum & tenue. Tutissima sunt mediæ naturæ alimenta inter attennantia & incrassantia, vt panis triticeus fermentatus, probèque subactus & coctus, caro gallinarum, caponū, columbarum, phasianorum, vitulina item, hædina, animalium castratorū iuniorum, quæ carnē nec duram, nec viscosam habēt, pisces item saxatiles, littorales, pelasgici, nullā vel viscositatem, vel graueloentiam representantes; oua recentia, tremula; vina fulua acdulcia: Ex fructibus ficus, vuæ passæ, dulces, pistacia, amygdalæ dulces ac recentes, inglandes lactescentes etiamnum &c.

Multi nutrimenti alimenta. Multi nutrimenti sunt, si probe conficiantur panes siliginei, ex purissima optimi tritici farinæ parte panes item secalini fermētatj, & probæ cocti, animaliū iuuenum & castratorū carnes, boni habitus, primùm porci domestici mediæ ætatis, deinde bubula, & iunioris veruecis, testiculi gallorum gallinaceorum, oua gallinarum recentia, caseus recens & pinguis lac caseosum: Ex piscib⁹ plurimum alunt testacei & crustacei, vt canchri, astaci, limaces itē, conchilia: Ex fructibus castaneæ molles, nuces pinéæ, vina dulcia, crassa, & id genus.

E contra parum nutriunt sorbitiones tenuiores è carne pulli, hordei cremore, seu ptisana non colata, pane loto, panes item tritic ei, hordeacei aut furfuracei loti; olera ferè omnia, & fructus, paucis exceptis; pisces saxatiles, vt & perca, truta, aues montanæ, animalium extimę partes neruosæ, tendines, ventriculi, intestina, aures, &c, vinū tenue, & aquosum, vt & Cereuisia, tenuis aquosa, & hordeata.

Cibi mediocriter nutrientes. Mediocriter nutrinnt, quæ nec crassi, nec tenuis sunt succi, vt panis triticens, cui parum furfuris ademptum, benè tamen fermētatus & coctus, sorbitiones ex auena excorticata, oua recentia, sorbilia, lac animalium boni habitus & mediæ ætatis; ex piscibus lucius, carpio, rhombus &c. carnes gallinarum, columbarū, phasianorum, gallinarum Indicarū, vitulina item hædina, aguina Ex fructib⁹ fic⁹, vuæ passę dulces: Ex leguinib⁹ fabę, pisa, & eiusmodi.

Cibi facilis coctionis. Facilis coctionais alimenta sūt panes triticei, cum iusta fermenti & salis quantitate rite subacti & probe cocti, ac loti, oua tremula, sorbelia, sorbitiones ex hordeaceo pane loto, cū iure pulli: Ex oleris⁹ lactuca, spinaclua, asparagi: pisces petrosi, mollis ac friabilis carnis; caro agnina, vitulina, hædina, anserū alæ, vina dulcia magis, quam austera. &c.

Cibi difficilis coctionis. Difficulter concoquuntur panis nec benè coct⁹, nec benè fermentatus, farina crassior, triticũ elixum, caro hircina, ceruina, arietina, bubula, porcina, præcipuè animalium annosorum & gracilium, anserum, & omnium animalium, quæ duram, & viscosam carnem obtinent, ventres, intestina, iecur, renes, partesq; neruosæ & exangues; pisces cetacei, crustacei, testacei, caseus vetus, lac acidum, oua dura, in sartagine fricta, milicum, panicum, oriza, lupini, lentes, pyra, rapæ crudæ, castaneæ, olera ferè omnia, vinum nouũ, crassum, vel austerum, mustum, cereuisia recens &c.

Cibi boni succi. Boni succi alimẽta sunt panes siliginei, aut similaginei, aut opyri, bene & fermentati & cocti, ptisana hordei; oua recentia, carnes quadrupedum castratorũ augescentium; volucres, & pisces ferè omnes mollem & friabilem carnem habentes (exceptis, qui incimosis & paludosis degunt) præsertim perca, truta, vmbra, lucius, marenulę, passer, lac animaliũ boni habitus, amygdalæ dulces, uuæ passæ, castaneæ molles, & cõsimilia.

Cibi praui succi. Praui deniq; succi alimenta sũt panes è frugibus corruptis, lolio, oriza, panico, milio cocti, panes item subcineritij, lens, cicer: fructus horarij, & quæcumq; cito in ventriculo corrumpuntur, olera ferè omnia, excepta lactuca, endiuia, borragine, malua, spinochia, atriplice, portulaca; carnes animalium nõ castratorum, seniorũ, um, porcina, ouilla, agnina, caprina, hircina, arietina, taurina, leporina, ceruina, vrsina, equina, oua in sartagine fricta. &c. casei veteres, fungi; pisces paludosi: de quibus omnibus & singulis in specie suo loco disseremus.

CAPVT. XXII.

Vnde Alimenta pro Homine sustentando desumantur.

Alimentũ, alimonia, victus seu cibatus, cib⁹, esca, esculenta (quib⁹ adnumerãtur cupediæ, seu ciborum delitiæ, & gulę irritamẽta græcis ἐμβαμματα dicta) sumũtur partim è stirpibus, partim ab Animalibus tum terrestribus, tũ aëreis seu volatilibus, tùm aquatilibus, vel totis, vel eorũ partibus. E stirpibus seu plantis cerealibus ac leguminibus; arborum, suffruticumq; fructibus, oleribus, radicibus, bulbis, seminibus, & succis, de quibus sigillatim nunc dicendum.

Cum autem primus Terræ partus, vt ex Genesi constat, Germẽ fuerit in duo summa diuisũ genera, Herbam scilicet, & Lignum seu arborẽ; Herbę autem tũ virentes tũ sementem facientes, & Naturę serie, & tẽporis anticipatione, arbores præcedant, primo loco de Herbis esculentis, in Hominis vsũ escam, & medicinam venientibus verba feciemus.

Quæstio curiosa. Hoc tamen loci quæri potest. Nùm Alimenta è Terræ thesauris depro-

deprompta, marinis præstent? Quidam terrestria præferũt, ceu omnigena, & innumera tùm generum tum discriminũ varietate abundantia. Alij multo generosiora è profundissimo, fertilissimoq; Neptuni Regno erui volũt: Licet enim multa reperiantur alimenta, piscis tamen obtinuit, vt vel solus, vel precipuè obsonium vocaretur: Appellãtur enim obsoniuori, non qui bubulis delectantur carnibus, vt Hercules; non qui ficubus, vt *Plato*, non qui Vuis, vt *Arcesilaus*, sed qui frequẽter in foro piscatorio versantur. Adde quod omnium alimentorum obsoniorum precium superetur à marino: Hinc *Cato* in vrbis luxũ inuehens, plus vendi piscẽ, quàm bouem dixit. *Androcydes pictor* Scyllam depingens, pisces circa eum ad viuum vsque adeo studiosissimè depinxit, quod obsonijs deditissimus esset. Nec huic opinioni deest ratio: Cum enim Mare salem suppeditet, iocundissimum illud, & suauissimũ obsoniorum condimentum, atq; optimũ fuerit obsonium, quod maximè appetitum in cibo detinere potest, vt sunt pisces marini, qui ob inexstentem salis suauitatem summopere expetuntur quod appetitum irritent.

CAPVT XXIII.

De Herbis Esculentis.

DEus opt. max. ad humanĩ corporis vitam sustentandam ex abditissimis Terræ thesauris, tertio creationis die omnis generis & herbas virentes, sementemq; facientes, & arbores admirabili suauissimorũ fructuũ in vbertate & vbertate cõspicuas gustuj suauissimas, & ad victũ oportunissimas produxit, sic enĩ per *Moysẽ* loquitur Spirit⁹ sanctus: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa lingna, quæ habent in semeipsis sementem sui generis, vt sint vobis in escam, & cunctis animalibus, omniq; volucri cæli, & vniuersis, quæ mouẽtur in terra.*

Ex Herbis igitur, quæ seruituti hominum comparatæ sunt, quædam totæ sunt esculentæ, quædã radicibus duntaxat, nõ nullæ folijs, caulibus, & semine: cæteræ vel ad medicinam, vel ad odoris gratiam, vel ad formæ speciem, vel ad reliquorum animaliũ pabulum productæ videntur. Quarum radices ad cibũ vsurpantur, vel bulbosæ sunt, acriores succos, capitatas, seu tunicatas radices habentes, vt cepæ, allium, porrum: vel sunt tuberosæ, tuberum instar solidam ac teneram naturam continentes, nullis fibris intertexta, sed feuaciore velut corio, corticulà seu libro cõcontecta, vt Asphodelj, castaneæ terrestres, terræ tubera, & dulcioris radicis complura genera peregrina, nostrã nec culturam nec Cœlum abhorentia: vel

vel demū sunt Carnosæ radices, quæ intra mollem, tenacemque pellem, teneriorem velut cohibent carnem fibris non nullis intertextā, quæ quidem initio propter lentorem non bene mandi possunt, multo vero minus cum senescunt, propter fibrariū frequentiam tum fastidiosam tenacitatem, atq; ingratum etiam, ac plerumq; amarum succi gustum, vt sunt radices Apij, petroselini, pastinacæ. &c.

Ergo presenti hoc capite deijs plantis duntaxat seu Herbis agem⁹, quę homini vel in escam, vel alimentū medicamentosum cedūt, vt sunt Olera, quibus Homo recens in Mundum editus vsus est, quibus etiam & radices, & semina, eorumq; flores, & fructus subintelligimus, vt & herbis semē facientes, frugum scilicet, leguminumq; genus: præmittendæ tamen prius regulæ nonnullæ, ad salubrem olerum vsum plurimū facientes.

Herbæ, aut Olera domestica, seu quę in hortis excoluntur, sunt syluaticis & meliores, & concoctu faciliores, at in assimilatione tardiores.

Syluestres & pręsertim quę in altis & siccis montibus efflorescunt, domesticarum herbarum respectu, siicciores sunt, ideoq; & concoctu difficiliores, & ad permeandum tardiores; at propter coagulantem siccitatem facilius assimilantur.

Licet omnia olera esculenta, paucis exceptis, parum alimenti, at multū excrementi progignāt, inter domesticas tamen herbas, quæ satis laudabilem succum generāt, *Lactuca* primas tenet, mox *Endiuia, Spinachia Malua, Beta, Borrago, Bulgossum, atriplex, portulaca, Aeetosa* & *Cichorea. &c.*

Omnes fructus, & herbæ, quæ sanguine ebuliente ac seroso replent, facileq; & acescunt, & corrumpuntur, parca manu sumantur, cum & parū nutriant, & multum excremēti post se relinquāt. Nā test. *Gal. 8. Method, Malue, Caules, Blitum, Lactuca vniuersa Olera,* id quod in eis nutrit, parū admodū est, at quod mutile, & corruptioni obnoxium est, multum admodum & copiosum.

Nulla etiam olera, excepta *Lactuca, Endiuia, Portulaca, borragine teneri &c.* cruda edenda, nam lacte, vt ferè fit, sed pingui iusculo condienda sunt, deinde in prima mensa ante omnes alios cibos primùm ingerenda, caule excepta, quæ etiam vltimo loco assumi potest.

ACETOSA, SEV OXALIS Italicè acetosa, Gallicè Oisill, Germanicè Surampfere

Acetosa omnibus & notissima est, & in frequentissimo vsu habetur, tum ea, quæ syluestris, omnium minima & acidissima, & multo luxu in sabulosis aç macilentis locis nascitur, & quibusdā vineta vocatur: tùm ea quæ in humidis pratis, & hortis multis,

rotundifolij prouenit, grauissimo acore palatum feriens: ob sacros seu magnos effectus, Herba sacra nuncupatur. Est & oxytriphyllum seu tripolium acetosũ, in locis syluosis vere nouo luxurians, & gratissimo acore referta: pusilla hæc herba cor recreat, putredines arcet, refrigerat; aqua ex ea destillata, vel syrupus ex ei⁹ succo depurato factus, febribus continuis & pestilentibus confert. Acetosa carnes quantumuis duras, coriaceas, ac peruetustas, edendo aptas reddit, ac tenellas, si illi concoquantur, ac præmaceratæ elixentur. Radix eius si aquæ, vel hordei decocto incoquatur, rubellum vini colorem ementitur, grata ac salutaris omnibus febrientibus impostura. Ex eiusdem succo expresso sæpe, ac condimenta parantur, ad varias ciborum condituras, inde esse singularem saporis iocunditatem nanciscuntur.

Languētes reserat stomachos, aphthasq́; calēteis,
Frigore clamosam sedat & illa sitim:
Atq; ignes Iecoris, scyrrhosq́; Lienis.
Antidotum succus tempore pestis erit.
Phlegmona maturat pruritum corpore pellit,
Lepram, lumbricos, phlegmata cocta fugat.
Sit scabiem radix, lapidemq́; è renibus effert,
Icterum sanans, menstrua tarda ciens.
Lenit & adstrictam crassis humoribus aluum,
Et Iecoris farctus tollere planta solet.

Ex eadem planta digestionis & fermentationis beneficio, artisq́; spagyricæ ingenio & dexteritate prolicitur spiritus acidus admodum, quo timidiores Medici, qui acetosa minerali, seu acetis montanis vti verentur, audacter vtētur in viscerum obstructionibus reserandis, sanguine emundando, & febribus extinguendis.

ASPARAGUS

Italicè Asparago, Gallicè Asperges, Germanicè
Spargen & Teuffels traubē.

Hortensis holeracei seu altilis, quem & Reginā vocant Asparagi Thyrsus mense maio primùm è grandi radice prosiliens, cacumine in tortulos turbinato etsi parum alimenti subministret, à delicatulis tamen maxima voluptate hodie in cibos expetitur: loquuntur enim Thyrsi aqua, mox oleo vel recēti butyro aceto salis, ac piperis momento cōditi, vel pingui carnium iusculo, concinnati tam primis mensis acetarij loco, quàm secundis, bellariorum instar, auidissimè expetuntur. Stomacho vtiles sunt, vrinam cient, renes abstergunt, viscerumq́; infarctus reserant, semen augent, Venerem excitant; at in fæminis sterilitatem, si plus satis ingerantur afferunt. *Plinius lib. 2. cap. 10. Oculis claritatem procurant, aluum leniter subducunt, pectoris atq; spinæ doloribus medentur.*

Prolicit vrinam, renumq́; doloribus obstat,
Et corpus suaui mansus odore beat.
Vtilis ad dentes luxatos mulcet & artus,
Sed viuis vteri fœtibus herba nocet.
Infarctumq́; iuuat iecur obstructosq́; lienes
Illia, nec mundum tergus, vt ante dolent.
Si Venus excrutiat, super hoc tibi munus abunde est,
Quod potuit salua relligione dedit.

ATRIPLEX.

Italicè Atriplice: Gall. Arroches: Germanicè

Milten.

Domestica & syluestris hæc est planta, culinis vsitatissima, & inter olera vix vnum datur, quod facilius, & efficacius aluuos siccas laxet, refrigerat, humectat, estque omnis qualitatis expers, ceu fatua, & insipida, vliginosa, & aquosa.

Frigidus Atriplicum Choleram cum discutit (humor
Coctarum: crudis virus inesse puta.
Discutiunt frondes, stomachum, ventremq́ relaxant,
Sunt flaua auxilio semina, sume, cuti.

BETA, BLITVM.

Italicè Bietola, & Bieta:

Germ: **Mangolt/**

Gall. Porreè.

Beta tum rubra, tum nigra, candida, & flaua, (tot enim colorum varietates in ea reperiuntur) nitrosæ est facultatis, ideo discutit & absterget, lieni prodest, facilis digestionis: succus naribus attractus, facultate sua nitrosa, starnutamenta mouet, & pituitam è cerebro educit, stomachū lacessit, grauatque, parum nutrit, vnde rusticorum & pauperum mensis tantùm apponitur, nisi quis primâ mensa ad mouendam aluum ea vti velit, maximè verò candida, quæ vt potius ventrem, sic rubra vesicam proritat, & exonerat. Rustici radicibus sale & aceto conditis per hyemem, & potissimum quadragesimæ tempore vescuntur. Testatur *Vvilhelmus Gratarola*, dum is in conuiuio discumberet, oblatis & acceptis omnium conuiuantium poculis se perstreuuè potasse, eò quod folium crudi caulis seu betę rubescētis præsumsisset. Si acetum subitò facere voles, betæ tusæ radicem rubeam in vinum conijcito, post tres horas acre acetum habebis, quod si voles in pristinum statum restitui, brassicæ radicem indito. De Beta sic scribit *Martialis*:

Vt sapiant fatuæ Fabrorum prandia Betæ,
O quàm sæpe petet vina, piperq́ coquus.
Ignauum sine honore Blitū. sine viribus estur,
Pectore tum bliteus, si sapis, esse caue.

Sed cùm stomachum lacessat Beta, & nitrosa sua facultate pituitam è cerebro trahat, cùm se eius succus ad errhina vsurpetur, non ita fatua iucunda erit, vt censuit *Martialis*. *Nam*

Obstructura reserat Iecur, est pergrata Lieni
Ardua tum stomacho fert alimenta tuo.
De succo fiant clysteres, tunc tibi lento
De ventre exibit dira saburra tuo.

BETONICA.

Ital. idem, Gall. Oeillert.

Laudatissima hæc planta, etsi plane syluestris sit & loca opaca expetat, tum ob eximias eius dotes etiam in hortis exculta adolescit, folijs oblongis, quandoq; latis, albis quandoque, & nigris item emergens, flore spicato, rubente, & quibusdam in locis albicante admirandis viribus prędita est, cùm *teste Anthonio Musa, celeberrimo medico*, hominum tùm

corpus,

corpus, tùm mentem sanet, viq; tùm cephalicâ, tùm alexiterica polleat: vnde cephalalgijs, Apoplexiæ, Epilepsiæ, Comati, paralysi, phthysi, tussi, ventriculi doloribus, omnisq; generis vulnerib⁹ medetur, morbis item venenatis, præsertim verò rabidorum canũ morsibus, & serpentum ictibus prodest: & qui hanc præsumpserint, lethale venenum haustum non nocebit. Eiusdem semen nigrum, contusum, vino generoso maceratum, ac destillatum, deploratas quasi oculorum caligines curat. Recentia adhuc & teneriuscula folia, vt & saluiæ hortensis, lacte & farina subacta, & cum butyro in sartagine fricta, cibis vtiliter adhibentur. Ex eiusdem plantæ succo fit balsamus chyrurgis summopere expetendus, vt & ex florum tinctura, præstantissimus ad iam dictos affectus julepus.

Publica Betonicæ, qua nulla operosior herba,
Gloria, siccato grata tepore venit.
Cui dolet aut luxu est corpus, cui vulnera mille
Cui caput infirmum, cui iecur inualidum:
Cui stomachus, gelidusq; lien, cui lumina lãguet
Quiq; lacessitis dentibus inuigilat:
Cui serpens, rabidusq; canis, cui dira venena
Officiunt, podagra qui dolet, aut chyragra:
Deniq; cui tumida est vesica, & venter obesus,
Cui gelida est febris, cui pituita nocet:
Delectam aprico geminorum in colle sub ortu
Carpat, & hanc, sanus, si velit esse, bibat.
Soluit anhelosos, tabem, tussesq; cruentas,
Sumito, si bilem ducet, hydropis aquas.
Subducit ventrem, sabulosis renibus vltro
Subuenit, & stomacho congruit illa tuo.
At radix vomitu pellit de more veratri
Plegmata, sic ventris tormina sæua febreis.

BORRAGO, BVGLOSSVM, *Italicè* Boragine, *Germ.* Borresch.

Borrago, & Buglossum, ex recentiorum medicorum sententia, temperatissimæ, ac saluberrimæ sunt plantæ, viribus & facultatibus cõspirantes, quarum folia carnium iusculis sumpta, peculiarem dant gratiam, & aluum subducunt; in vinum coniecta, potantibus cor exhilarant, animi alacritatem, & voluptatem afferunt, succosq; melancholicos ad salutarem temperiem reducunt, iuxta tritum illud proloquinm: *Ego Borrago, gaudia semper ago.* Mõtaguanæ tamen & alijs quibusdã non ita laudatur, eo quod flatulentæ sint, & eructationes efficiant, plurisq; fieri existimant, quã vel ratione, vel experientia confirmari possit. E floribus Acetaria parantur, ad oculos, faucesq; recreandas, ad animi deliquia, cæterosque cordis affectus, morbosque atrabilares suauissima, & palato gratissima: iidem flores vino macerantur, ad eosdem effectus. E succo paratur syrupus præstantissimus; vt & è florum tinctura proprio suo menstruo per artem spagyricam prolecta, paratur iulepus, & visu iucundissimus, & ad edomanda venena, morbosq; melancholicos euincendos longè præstantissimus.

Si tibi Buglossa est succi, & Borrago tepentis,
Lætus eris, siccum nec tibi pectus erit.
Exhilarant frondes grato permisce Lyæo,
Ingentem iecoris conficiuntq; sitim.

Pressus & hinc succus febris delere rigores
Dicitur, abscessus posse iuuare graues.

BRASSICA HORTENSIS, *Italicè* Cauoli, *German.* Kabiskraut.

BRASSICA, seu caulis, Græcis cramba dicta, vulgaris admodũ est planta, cùm propter esum vbiq; & gentium & locorum seratur, plantetur, colatur, eius tamẽ varietates non omnibus in regionibus lætè virent, sed quædam hanc, aliæ aliam tellurem postulant: vnde quædam Sabauda dicitur, quod Sabaudiæ tractu magis delectetur, quæ multum patula est, parum occlusa, foris virens, intus alba; alia marina, quæ maritimis in locis nascitur: alia cauliflora seu Italica, non nisi in Italia, vel ex semine ex eiusdem solo aduecta proueniens; alia vulgaris, quæ apud omnes vbertim fruticat; alia caulorapa, quæ medio caule turbinata est, seu rapata, capitata, & quasi bulbosa. Præterea à foliorum conglomeratione, explanatione, incisura, planitie, læuitate, asperitate, albedine, virore, rubedine, obscuritate, & capite crispato, racemoso, lasciniosо, vel sessili, caulium seu brassicæ sumuntur differentiæ. Omnium optima est Pompeiana dicta, florescens illa, & Italis cauliflora dicta: Hanc sequitur Sabellica *Plinio*, & sessilis vocata, folia habens crispa, intus alba, subdulcia, & in quandam capitis figuram conglomerata; optima est, & tenerascit, cùm hyemis initio gelu, & pruinis exponitur. Est & Brassica capitata, folia cãdida, lenia, cartilagineaq; exactè contrahens, & in solidiorem orbem concludens.

Huius vsus plurimus est in Germania, qui folijs crudæ Brassicæ minutim incisis, acetoq; & sale, ac recenti oleo conditis, acetarij loco vtuntur, delicatus sanè, & palato gratus cibus, nisi hoc saporis lenocinio, temporis progressu, sanitati plurimum detrimenti adijceretur, introducta in ventriculum & cruditatum & flatuum saburra, atq; sanguinis melancholici copia: eo quod Brassica crassos, melancholicosq; succos gignat. *Catoni* laudata tamen quippe quam esse illum crudam oportet, ex aceto, qui velit in cõuiuio multum bibere, cœnareq; libenter, *teste Varrone*. Perperam igitur à *Renodæo* scribitur, ideo Brassicam à Germanis auidè in cibos recipi, quod caput ebrioso modo tentet; cùm ex dictis constet, illam verius ebrietati resistere. Veteribus latinis dicitur olus priuatũ: Græcis verò κράμβη, quasi κοράμβλη, quod oculis inimica existimetur, oculorum enim pupillas Græcis κόραι dictas, hebetare fertur. Vnde illud: *Crambe bis repetita*, mors est.

Hactenus quoque obseruatũ Brassicam capitatam coctam, sale & aceto conditam, crassos, & melãcholicos generare succos; &

&(cùm sit coctu difficilis, flatus gignat, vomitus cieat, pauci, & praui sit alimenti) Rusticorum duntaxat & laboriosorum hominum mensis apponi Recentis verò Brassicæ & potissimũ rubeç decoctum, & catharcticam, & diareticam vim habere, & facultatem, hepar, splenem, totumque mesenterium aperiẽdi ac deobstruendi, scribunt non pauci, tantamque esse brassicæ laudem & encomium, vt vniuersalis quædã multorum morborum medicina ab illis statuatur: Erasistratus enim nihil putauit neruis vtilius, nihil spleni, podagræ, & paralysi accommodatius, nihil demum febrium ardori conuenientius. *Cato* quin etiam *Romanus* hanc solam in hortis excolendam, & in vsum medicum reponẽdam voluit: quæ tamen omnia cum salis grano, vt fertur, sunt intelligenda.

Clarissimus. Doctissimus Hyppolitus Guarinonius peculiari sui operis capite, Brassicam esculentam, capitatam, seu cõglobatam, maturam, intus & extra candicantẽ, à flaccidis, putrentibusque folijs purgatam, minutim incisam, sale, cumino, baccisque iuniperinis conditam, repositam, & à manãte inde crudo & aqueo liquore repurgatam, coctam demum, & debitis condituris mẽsis appositam, miris extollit laudibus, & post panem, ob singulares naturę proprietates, partium subtilitatem, exiccandi potentiam, saporis-dulco-acidi gratiam, vim alexiteriam &c, cæteris omnibus coctis cibis præfert: Ita enim cũ corpore humano conuenit, vt cum pane, & citra panem, tum cocta, tum iam dicto modo condita citra noxam à plerisque assumi possit. Hoc olus dicto modo paratum Iulio Alexandrino magno illi medico Cæsareo quantumuis ętate iam confecto semper in delitijs fuit, nec iniuria sane: Brassica quippe esculenta & natura, & proprietatibus facultatibusq; aliud non est, quàm caulis: at *Diosc. l. 3.* caulis naturà & proprietates describens, corpus laxare, oculorum imbecilitati- mẽbrorumque debilitati prodesse, crudum eiusdem succum, serpẽtũ ictibus, rabidi canis morsibus mederi, dolores podagricos mitigare, antiqua vlcera mundificare, purgare caput, alopeciam arcere, & ebrietati resistere ait. Hunc secutus *Gal. 7. simplic.* addit caulium succo, omnis generis grauiũ vlcerum sordes, putrelagines, vt & scabiẽ, morpheã mũdari, exiccarique; caulium quinetiam semine, corporis lumbricos, enecari, & vt verbo dicam omnes caules ad stomachi debilitatem, ad rabidi canis morsus, ad serpentum ictus, ad venena, ad lienosos & pulmonicos commendari.

In mẽsarũ & cõuiuiorũ coronis, cauliũ cor, & præsertim caulis sabellici,

bellici, seu interior & candicans illa, ac sapidior pars, primoribus mensæ offerri consueuit: vnde si interior hæc, candicans, sapida, dulcisq; portio cæteris præfertur quid de Brassica nostra esculenta, quæ tota candicat, tota cor, & nucleus est sapidissimus, dicemus? Laudatissima haud dubiè fuerit, præsertim si vel cocta, vel condita, vel alio quouis modo arte magyrica ad humanã escam concinnata fuerit.

Tantum abest, pergit *Guarinonius*, Brassicam ritè conditam, & paratam humores aut defluxiones excitare, vt potius exiccet, & morbis à defluxione ortis opponatur cùm *Gal. 7. Simpl.* scribat, Brassicam esculentam tùm esam tùm impositã, desiccandi vi pollere: Et *libro de cibis boni & mali succi* idem clarius & neruosius repetit: *Neq; enim Brassicam reperias, quæ humectet, sed aliam quidem aliâ minus siccantem; quæ vero humectet, nullam.* Quibus verbis nihil clarius dici potest. Licet enim Brassica ob innatam dulcedinẽ, cæteris caulium speciebus minꝰ exiccet, eius tamen humiditas, præuiâ & salis, & cimini, & baccarum iuniperini conditurâ corrigi & emendari potest.

Tantum insuper abest, conditæ Brassicæ esu, mulieribus menstrua supprimi, vt potius & verius, partim propriâ naturâ, partim subtiliandi, penetrandi, ac reserandi facultate pleniori manu profundantur. Docet enim *Dioscor. lib. 2.* Caulis syluestris succo seu prodio, non solum menses cieri, sed & mortuos fætus expelli: Cui subscribit *Gal. lib. 7. Simpl.* dicens, *Omnes caules vehementer purgare ac mundificare.* Idem confirmat experientia, mulieres enĩ menstruatæ, si probè conditâ & coctâ Brassicâ vescantur, copiosiores effundunt menses iis, quæ ab eius esu malè persuasæ abstinent. Demum Brassicæ conditæ esu, multi graues morbi præcauentur, illius subtilitate, tenuitate, ac aciditate, crassi & viscosi succi in ventriculo stagnantes, inciduntur, attenuantur, & coctioni aptiores redduntur; appetitus eius grato acore ad cibos amplectendos stimulatur, & cibis praui ac corrupti succi ingestis, theriacæ loco ingeritur, cùm *teste Gal. & Dioscor.* Caulis theriacæ compositionem etiam ingrediatur; & quod omnem laudum corollã superat, ebrietatem, omnium malorũ lærnam expellat, cùm *teste Galen. & Dioscor.* calida, & macerata Brassicæ folia capiti circumligata naturaliter ebrietati resistant.

Iam veniat folio chrysippica Brassica crispo,
Vel patulo, & leni; vel glomerata coma.
Prima salutifera, & ventrem lenire parata.
Bullierit modico si tamen Igne, placet.
Brassica ventris onus biscocta, comestaq; sistit,
Sed semel, & modicè cocta resoluit idem.
Omnibus ardor inest, grauior tumet esca secũdis
Ne capiti noceant vina superba, premunt.
Illine, nodosam, norunt mulcere, podagram.
Et firmam affrictu constituisse comam.

Extumi-

Extumidam reserant vesicam, ægrumq; Lienē,
Hepar & obstructum, fæmineumq; femur.
Naribus attractus succus caput arte repurgat,
Gutturis & raucum corrigit ille sonum.
Vlcera, & ad sacros Igneis, œdemata confert,
Et pungens lateris soluitur inde dolor.
Ast ea, quæ niueo sic lacte maritima turget,
Viribus occultis purgat Hydropis aquas.
Arida Socraticam pareret ni braßica bilem,
Iure erat in morbis omnibus illa satis.

CALENDVLA. GALL. SOVLCIE. *Germ:* Ringelkraut.

Etsi nobilis hæc & elegans plāta, cum solari suo flore, tanta virtute poleat; vt etiam vel media Hyeme, cæteris marcescentibus, sola vigeat, & singulis mensium calendis (vnde & nomen traxisse videtur) flores emittat, veterum tamen pauci de tantis viribus vel scripserunt, vel ad vsum medicū reuocarunt; cum tamē insignes, præ cæteris, virtutes balsamicas possideat: ob præclaram enim eius efficaciam in facultatibus tā animali, quam vitali roborādis, & ob vim specificam, qua paralysibus, & contracturis prodest, haud secus ac inter gemmas Hyacinthus; factum est vt Neoterici ex huius plantæ tum succo, tùm floribus non solùm præstantissimas aquas, elegentissimos syrupos, Conseruas, ac Tincturas &c. herbæ primulæ veris, siue paralysis longè prestantiores concinnarint, sed & ad vsum culinarium, (vti in Italia, Hispania, Gallijs, & quibusdam Germaniæ locis, quibus huius plantæ vires innotuerunt, videre est) magno cum fructu introduxerunt: Non desunt, qui sumpto huius herbæ, & florum succo se aliquod diebus à pestis contagio tutos asserant, easdem vires Acetum calendulatū obtinet, cum & cor firmet, & sudorem potenter cieat.

Roborat infirmum decoctio sumpta cerebrum,
Et vires cordi sufficit ipsa nouas.
Inq; venenosos factum cataplasma tumores
Apponitur mira commoditate potens.
Sub mamma quoties cor palpitat, hunc tibi succum
Sumito, vulneribus quo medeare tuis.
Quo menses ducas, fætus Iunone fauente
Quo videat fatis astra benigna suis.

CARDVVS CARCIOFFVS, *Altilis, Gall.* Artichaut, *Italicè* Carciofo.

Cardui Carioffi, Cinaræ, seu Strobili (quem etiā Artichiocū vocant) nondum florescentis palpa seu orbiculus è pingui carnium iure decoctꝰ & piperis momento conditus, delicatulis bellariorum loco vsurpatur, addito recenti butyro & sale. Itali ad eūdem finem non coquunt, sed echinata capita cruda vorant, quæ cùm flatulenta sint, flatulentos & turgidos reddūt spiritus; & ad venereos amplexus stimulos addunt. *Gal: 2. de Aliment.* prauum generare sanguinem bile & melancholia scatentem scribit.

Carduus hortensis cui spina est mollior arte
Cui calor est modicus, cui tumidusq; liquor.
Et stomacho, & lumbis sapidus, si duxit olentē
Vrinam, os redolet, nec sapit ala caprum.
Hūc tibi ius præpingue coquat, præstatior inde,
Ibit & in numeros sic venus apta suos.

CARDVVS BENEDICTVS *Italicè* Acanthio, Cardo Benedetto *Gall.* Chardonbenit.

Quamuis hæc planta esculen-

ta non sit, nec ad culinarios vsus referatur, ob insignes tum & benedictas facultates, quas aduersus pestem, pestilentesq; & putres affectus, contra serpentum ictus, scorpionum morsus, vehementissimos capitis dolores, vertigines, Epilepsias, & id genus alios morbos, vt pleurisin &c. à conditore accepit, & ad propagandã in multos annos vitam plurimum valeat, merito hoc loci etiam inserere, & quænam potissimũ medicamenta ex ea parari possint, afferre voluimus.

Temperamento calida & sicca est, amarore id docente; Exiccat, modicè digerit, & partes vitales roborat, sudorẽ mouet, venenis resistit, pestilentes morbos arcet, renum ac laterum dolores mitigat, lumbricos enecat, serpẽtum morsibus medetur; potu assumpta, immensos capitis dolores circa oculos grassantes propellit, vertiginem tollit, amissam tum memoriam tum auditũ restituit; puluis vino haustus cõtentam in stomacho pituitam consumit, expellitque; pectus item, & sanguinem purgat, & plurimum phthysicis confert; folia vino cocta & epota, colicam & ventris tormina sedant, sudores prouocant, calculum frangunt, remorãtes menses promouent: puluis ad ℨj cum vino sumptus, pestem præsentaneo auxilio arcet, si intra 24. à pestis inuasione horas, sumatur: Eodem modo vinum cum hac planta decoctũ, putridis ventriculi febribus & quartanæ medetur: & omnibus venenis huius plantæ vel puluis, vel succus, vel decoctum potenter resistit. Quæ tum omnia lõgè feliciore successu præstabit, si arte chymica vel succus, vel extractum, tinctura, & ex his pillulæ, syrupi, aut essentiæ, salesque parentur.

Pillulas ad pestem de Carduo benedicto sic parabat Crato:

Recipe succi Card. bened. inspissati ℥j.
Rhabarbar. aqua Cinamo. inspersi.
Agarici recent. trochisc. a. ℨiij.
Myrrhæ elect. ℈iiij.
Mastich. ℨj.
Croci. ℈ij.
Camphoræ ℈j.
Cum syrup. acetosit. Citr. & de Limonibus fiat massa.

Syrupus ad Epilepsiam eiusdem:

Recipe Succi Card. bened. depurati & ad mellitam consistentiam cocti ℥iiij succi millefolij eodem modo parati ℥ij. Salis absynth. ℨij. Saccari finiss. ℥iiij. Decoquantur s. a. in syrupum. Dos. quauis septimana vel per se, vel cum Theriaca in proprio liquore dissoluta.

Extractum cardui benedicti, more superius à nobis edocto paratum, præstantissimum est, ad omnes iam dictos affectus remedium.

Sumito, confortat caput, infestatq; catharros
Curat, & è gelido pectore phlegma trahit.
Dißipat & flatus ventis, renumq; lapillos,
Et lateris pungens discutit herba malum.

Tum

Tum valet à sæuo cor præseruare veneno
Et cœli fœdâ corpora sana lue.

CEREFOLIVM.

Italice Cerefolio: *German.* Körbelnkraut/ Körffel. *Gall.* Cerfoil.

Et hæc holitorij generis planta censetur, calefacit, exiccat, aperit, attenuat, discutit, incidit, penetrat, flatus pellit, & venenis mirifice aduersatur, vnde ad arcendos pestiferos ignes à pestilenti constitutione excitatos exhibetur. Carnium iusculis incocta, gratum inducit saporem, stomachumq; firmat, & ad cibos sumendos aptiorem reddit. Aqua eius destillata ad dictos affectus, & ad cordis Epithemata vtiliter adhibetur.

Appositum cancris, tritum cum melle medetur,
Cum vino potum, lateris ictus abit.
Sæpe solet vomitum, ventremq; tenere solutũ,
Contere, nam gratum sic cataplasma dabit.
Vtilis est stomacho, grumos è corpore ducit
Sanguinis, & tandem menstrua tarda ciet.
Cõpescit vomitũ, ventris quoq; tormina mulcet
Et quosuis vermes corporis herba necat.

CICHOREA: Italic. Radicchio & Cicoria vulgarius: Gall. Cichoree: Germanic. Wegwart.

Cichoreæ omnes circa Solstitium æstiuum florent, secundum itinera & vias, & sole occidente dehiscunt, & comprimuntur: Seritur & in hortis, quæ cæteris & caule, & flore, & seminibus elegantior habetur. Vtilissima est hoc tempore planta, & radix præsertim, quæ dum adhuc tenerascit, elixa, & cum oleo, aceto, salis, & piperis momento condita, inter præcipua acetaria numeratur; vti & flores ipsi, qui etiam vini poculis infunduntur. Condiuntur etiam radices saccaro, & ad vsus reponuntur: Fit & ex succo depurato syrupus ad multos vsus præstantissimus. Refrigerat hęc planta, & ex aduerso tum lienis, tùm hepatis, & mesenterij infarctus reserat, & expurgat, ideoque tùm ad febrifugas causas euertendas, tùm ad æstus reprimendos oportunissimnm est remedium: Nam præterquã quod moderatè refrigerat, visceribus etiam vi adstrictoriâ robur addit, commissuras osculorum venarũ in imâ hepatis parte, vt & eas, quę in gibba sunt, exterget, interim tamen frigidis naturis, & ventriculi debilitate laborantibus non magnopere nocet. Quicumque igitur dies prolongare, & vitam sanam ducere conantur, hanc sibi plantam familiarem & domesticam reddant.

Mitigat ardores stomachi, fæcundaq; reddit
Vbera, serpentum vulnera dira domat.
Ceßat & exhausto demum stranguria succo
Phlegmonis interni subsidet inde calor.

INTYBVS, ENDIVIA.

Italic. Indiuia; *Gall.* Endiuie; *Germ.* Zam Endiuien/oder Geißzungen.

Endiuia tùm domestica, tùm syluestris, olus est subamarum, & præsertim campestris, ob id etiã picridam seu amaram vocant. Refrigerat, maximè verò satiua, moderatè adstringit. Vtimur Endiuia, & potissimnm alba, quæ

hyemali tempore, & in acetarijs cum oleo, aceto, & sale adhiberi potest, non tamen citra noxam, præsertim quorum ventriculi frigiditate laborant, & viscosis succis abundant. Delicatuli tamen, & quorum Deus, venter est, hyemali tempore in cellis tepidioribus arenæ insertam reseruant, & ex repullulātibus tenellis & albicantibus folijs, oleo, sale, & aceto conditis suauissima, & palato gratissima parant acetaria. In quauis ardente febre hac plantâ vtimur citra periculum: Huius aquam stillatitiam ad sitim, & restringendas pulmonum & hepatis inflammationes, ad sedandos immodicos sudores feliciter adhibemus. E succo Chymice depurato & digesto, additâ debitâ saccari quantitate paratur in lōgos vsus syrupus, ad iam dictos effectus comprimis idoneus.

Frigida campestris minus est, & amarior, hepar
Intyba demulcens, bilis vtramq; timet.
Aluū cocta premit, stomachoq; perutilis esca est,
Temperat exustum, sumpta, subacta iecur.
Quæq; fluunt sistit genitalia semina succus,
Obstructas reserat corporis herba vias.
Illinc cardiacis, pedibusq; dolentibus igne
Mitior hinc febris, phlegmonis ira redit.

ERVCA.

Italice Rucheta, & Rucola: Gall: petite Roquette: Germ. Weisser Senff.

Frequens est huius plantę tùm apud Italos, tùm apud Gallos vsus, qua in acetarijs vtuntur ad suscitādos sopitos veneris ignes; Cum *teste Dioscor. libr. 2. capit. 134.* cruda Eruca Venerem largiore cibo concitet, vt & semen eiusdem. Excalefacit, extenuat, siccat, aperit, incidit, extrahit, extergit, prouocat, genitale semē auget, sola tamen comesta, capitis dolores promouet, concoctioni tamen prodest, & aluo valde accommodata; semine ad condimenta, & confectiones saccaratas ad eosdem vsus vtuntur: quæ omnia magis in syluestri, quam satiua elucescunt.

Ignitam Venerem, lentos Eruca priapos
Excitat, & tremulis optima poplitibus.

Et *Ouid. 2. de remed. Amoris.*

Nec minus Erucas aptum est vitare salaces,
Et quicquid Veneri corpora nostra parat.
Vtilius sumes acuentes lumina rutas,
Et quicquid Veneri corpora nostra negat.

GARYOPHILLATA, seu Sana munda: Gall. Galliot. *Germ.* Benedicten würtz.

Garyophillatam à Garyophilli odore, quem radix subruffa sēper fundit, vocant, alij Sanamundam, & Benedictā dicunt, cuius radix fragrans admodum & odora ineunte vere vino infunditur, à qua aromaticum trahit odorē; epotum iecur obstructum & lienem reserat, sanguinem à bile & pituita liberat, ventriculi debilitatem restaurat; radix assumpta veneno potenter resistit: vino cocta, & epota ventris tormina sedat, Icterum, & Hydropem arcet, capitis defluxiones exiccat.

Concoquit imbellis stomachi, siccatq; liquores
Indeq; consurgens flatus inanis abit.
Pungentes lateris mulcet, sedatq; dolores
Vulnera persanat, sæua venena fugat.

LACTVCA:

Italicè etiam Scaruola, Gallicè Laictue, Germ. Lattich.

A lacteo, quem fundit, ſucco ſic dicta *Plinio, & Varroni*, Græcis verò ϑρίδαξ, tàm domeſtica, quam campeſtris, ſiue ea Cyprea fuerit, quæ apud nos maxima eſt; ſiue Cappadoca, folijs albicantibus prædita; ſiue ea criſpa, plana, ſeſſilis, capitata, ceciliana, intybacea, ſeu querna extiterit, præſertim tamen domeſtica in frequentem & fere quotidianum acetariorũ vſum cedit, & cætera aliarũ herbarum acetaria bonitate facile ſuperat, maximè ſi (quo minus oculis officiat, & caliginem inferat) eruca, naſturcium, tùm quæ ptarmicę prorſus affinis, Dragon vulgo dicitur, admiſceatur; nam & palato gratiſſima ſunt, & copioſum, eumq́ue laudabilem, tùm ſanguinem, tùm lac generant, bilis ardorem compeſcunt, & Venerem: atq; hæc eſt μυθολογία, quòd apud *Callimachum* Adonis in lactucæ folijs occultatur à Venere: Ideo enim lactucæ mediũ à mulieribus non editur, *teſte Plutarcho 10. probl. lib. 4. Sympoſ.* & ſomnum conciliant. Sit tamen moderatus vſus, alioquin oculis nocent, natiuumq́; calorem nimiâ refrigeratione minuunt, ideoq́; ſenibus, & debili ventriculo præditis interdicendus lactucæ vſus: incraſſat enim denſatq́; ſpiritus viſorios (hinc oculis officere diximus) humoremq́; cryſtallinum turbidum efficit, niſi vino, eius vis retunderetur. Veteres hanc non initio cœnæ, nec primis mẽſis inferebant, ſed poſtremò, *teſte Martial.*

Claudere quæ cænas lactuca ſolebat auorum.
Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapeis?

An quia à cæna aſſumpta ob frigidam humentemq́ue naturam, vini feruorem reprimat, & inducta cerebro humiditate ebrietati reſiſtat, atq; efficacius ſomnum conciliet? Hinc enĩ lactuca Græcis etiam ὑπνῶδης dicitur ſeu ſoporifera: inde Tacitus Imperator, *referente Flauio Vopiſco*, in conuiuio præ omnibus oleribus affatĩ miniſtratis, lactucis impatienter indulſit; ſomnũ enim ſe illâ mercari ſumptus effuſione dicebat, amariores cibos appetiuit. *Inde Virgilius:*

Grataq́ nobilium requies lactuca ciborum.

Lactucas tamen Ariſtoxenes ſub auroram comedere fuit ſolitus, eas placentas virides appellans, *teſte Atheneo.* Auguſtus olim priſtinam valetudinem lactucâ recuperauit, Muſæ medici prudentia: cui idcirco populus Romanus ſtatuam iuxta ædem AEſculapii erexit, *referente Suetonio. Columell. lib. 11. de re Ruſtic.*

Iamq́ ſalutari properet lactuca ſapore,
Triſtia quæ releuet longi faſtidia morbi.

Noſtra ætas ſalubrius exiſtimat ab eius eſu cænã auſpicari, quod ex prolixiore prandio, exigua ferè eſſe ſoleat ad cibum auiditas; inde mos inoleuit, vt in ipſo ſtatim accubitu, faſtidienti ſtoma-

cho lactucis oleo, acetoq; conditis appetentia excitetur: Quin & illum vsum lactuca præbet, vt ante omnem cibum in venas delata, sãguinis feruorem reprimat, atq; calidam hepatis, cordisque intemperiem mitiget, adeo vt immodicus eius vsus, Venerem, diximus, coërceat, & concumbendi desideriũ extinguat: quare affluentius illis prescribenda, qui cælibatui addicti sunt, ac pudicitiam illæsi tueri conantur, quo prurire, vriq; desinant: ijs verò, qui matrimonij capistris sunt alligati, non prorsus respuendus est lactucæ vsus, cùm cerebrum illorum aliquando, ex immoderata Venere siccescere cõtingat. Verùm calorificis herbis, vt Nasturcio, Eruca, Dragonide &c, retundi debet eius frigiditas, ne semen genitale plus satis diluatur, atq; ad progignendos liberos inefficax, & minus idoneum reddatur.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo,
Sæpe leues somnos conciliare solet.
Eneruat Venerem, placidosq; Cupidinis igneis,
Est quoq; febriferis grata medela malis.
Mitigat ardorem choleræ, fastidia pellit,
Viuificoq; tuum sanguine corpus alit.

LVPVLVS.

Ital. Lupuli: *Gall.* Houblon: *Germ.* Hopffen.

Lupulus à lupo rapaci, graui hominis hoste; cuius nidorosi flosculi hominum cerebro infesti sunt, capitiq; grauedinem, àc temulentiam inducunt. Huius flores, folliculi, radices, excalefaciunt, siccant, aperiunt, attenuant, abstargunt, & expurgant, sanguinem mundificant. Horum turiones, vt & Asparagorum, quibus primo vere pullulantibus & elixis, acetariorum vice vtimur, parum quidem calefaciunt, & exiccant, sunt tamen sumentibus, tùm alimentum, tùm medicamẽtum; nam aceto, sale, oleo, vel recenti butyro conditi, non minorem cum palato ineunt gratiam, quam asparagorum turiones; seu thyrsi; sanguinem purificant, vẽtrem soluunt, vrinam cient, iecoris, lienis, atq; mesenterij infarctus bellè reserant. Ex Lupuli tenerioris succo depurato parantur etiam syrupi, ad iam dictos effectus præstantes; paratur & ex eadem planta Cereuisia, de qua suo loco abundantius agemus.

Si Lupulũ oblectant antra, & nemorosa salicta,
Hoc facit ingrato sit satis vt medico.
Frigidus hinc bilem, calidumq; arcere cruorem
Est potis, hunc calida & febris anhela timet.
Sanguinis & bilem, & pituitam terget aquosã,
Et iecoris clausas scit reserare vias.
Cũ Cerere hunc coquito, si nec tibi copia Bacchi:
Nec multo penis semine farctus erit.
Tũ bibe, quo Paphiæ numeros explere proterua,
Quo generis possis spem reparare tui.
Gratia si magna est illi, tua noxia maior:
Est medice: hoc sanctum, qui malè noris olus.

MAIORANA,

seu Amaracus: Italicè Maiorana; *Gall.* Margiolaine; *Germ.* Maiorann.

Maiorana, seu Amaracus, gratissimi odoris est plãta, plerumq; in iusculis vtiliter offertur; debili enim confert ventriculo; & cum calida

calida sicca, tenuiumq; partium sit, liquor inde destillatus, vt & oleum arte spagyrica prolectum omnibus cerebri frigidis affectibus, vt apoplexiæ, conuulsionib9 spasmo, epilepsiæ, paralysi, catalepsi &c, maximo cum fructu adhibetur; in quem etiam vsum ex eodem oleo Balsamum paramus amaracinum.

Corrigit inceptum Sampsuci succus Hydropem:
Adiuuat Vrinæ quos via stricta premit.
Per nares tractus purgat, cerebrumq; caputq;
Illitus in proprio firmat & ossa sinu.
Cogitur in pessum, quo menses planta reducat
Quod laxus Vuluæ concidat inde tumor.
Nec non obstructis reserat spiracula Venis,
Hinc cui sit matrix ægra, puella colat.

MALVA.

Italicè Malua: *Gall.* Malue: *Germ.* Papeln.

Iure *Hesiodus* in hominum inscitiam & negligentiam inuehitur, qui neglectâ cõmunium rerum, quæ passim ad manus sunt, vt omnium maluarum species, vtilitate, ad externarum plantarũ vires pernoscẽdas stultè animos aduertunt, nec quantum sit adiumenti vel in solis Maluis curent: Destillata siquidem Maluæ aqua, continuoq; vsu adhibita, ad omnes internos febrium ardores facit: refrigerat enim humectat, emollit, omnia tùm pulmonis, tũ lateris mala demulcet, aluumq; pigrescentem educit. Decoctum ex lacte aut vino, tàm foliorum, quàm radicum, & seminum, mirè facit ad calidam tussim, & phthysin. *Horatius* Maluas & Betas, cibos sine sanguine vocabat, quod scilicet minus nutriant. Veteres etiam tenuissimum inferorũ victum Maluam, Betam, & Porrum finxerunt.

Ante cibos coctam semper sorbere suescas,
Nullus sic toto corpore morbus erit.
Maluarum Ventrem decoctio soluit, & aufert
Vuluæ duritiem sæpe subacta tuæ.
Ignibus auxilio est sacris, inimica veneno,
Et lapidi renum, Vulneribusq; tuis.

MELISSOPHYLLON,
seu Melissa.

Melissophyllon, quasi folium melleum, quod mellis materiam apes hinc exugant: seu Melissa, quod apes eius floribus & folijs delectentur: Latinis Apiastrum, quod apes plurimum hæreant, adeo vt si aluearia ea confricentur, apes non fugiant: Dicitur & Citrago, à mali citrij odere: *Germ.* Melissen kraut.

Calefacit, exiccat, digerit, sanat, & agglutinat. Tenera & recentia folia, lacte & farina subacta, & fricta, mensis salubriter apponuntur: Vinococta, & aliquot diebus pota, pectus purgat, dyspnœam tollit, cor firmat, melancholiam pellit, comitialibus, & omnibus pene internis affectib9 medetur; Matricis strangulationes, tormina, affectionesq; cardiacas, destillata Melissæ aqua efficaciter sanat: spiritus ex malis cibis exurgentes reprimit; tonsillas sanat; oculorum claritatem acuit; lumborũ, membrorumq; dolores compescit; menses remorantes ciet. Idem stillatitius

liquor omnia cutis vitia, aranearum, ac scorpionum, & rabidi canis morsus sanat; vino turbido infusus, pristinum nitorem & formam restituit: carnib⁹ inspersus, à muscis & putredine aliquandiu liberat. Erecentis plantæ succo depurato, addita debita saccari quantitate, paratur syrupus Alexitericus præstantissimus.

Cor mihi triste, gelu pectus, cerebrumq; rigescit,
Singultit stomachus, grata Melissa veni.
Per te hilaris, redolens, & mundi pectoris, aucto
Sumq; calore potens, gratia magna tibi.

MENTHA:

Gall. Ment: *Germ.* Müntz/ oder Beymenten kraut.

Mentha sic dicta, quod grato suo odore mentem excitet, siue satiua, & hortensis ea fuerit, siue syluatica, & campestris: Senibus quoq; quibus olfactus vel vitiatus, vel abolitus est, nihil præsentaneum magis adhiberi potest, quam Mentham identidem naribus admouere; cuius fragrantiã manifestè percipiunt, quibus is sensus ad teterrima quæq; occaluit, omnisq; odorandi facultas est adempta siue ea rubea, crispa, acuminata, & quã Balsamkraut vocant, fuerit. Mentha in re cibaria vtilis est, peculiaremq; gratiã tenella habet in acetarijs, in placentulis, folia etiam lacte & farina subacta friguntur, & mensis apponuntur: Naturâ est calida, & stomachum eximiè firmat; proprietate enim ventriculi calorẽ auget, roborat, concoctionem iuuat, flatus discutit, & ventris tormina sedat. Folia, & stillatitius eius liquor plurimum dyspepsiæ conferunt, nauseam, singultus, vomitionesq; & cholerã sedant: efficacius autem hoc præstant, de eadem confecta medicamenta, syrupus, succus condensatus, Extractum, Sal, & Oleum &c.

Dißipat absceßus, lumbricos pota rotundos
Enecat & Paphiæ est herba cupita Deæ.
Succus singultum, vomitum, choleramq; coërcet,
Quæ lacte & mammas vberiore tument.
Digerit, & colicas sedat, laterisq; dolores
Et mixto exhilarat tristia corda mero.

MERCVRIALIS:

Ital. Marcorolla; *Gall.* Mercuriale; *Germanicè* Bengel: oder Springkraut.

Mercurialis sic dicta, quod à Mercurio sit inuenta: vtraque, mas, scilicet & fæmina, calida & sicca est ordine primo, in aqua cocta, & calide pota cum saccari modico vtramq; bilem, pituitam & aquã per ventrem leniter purgat sine vlla vi aut molestia. Quod si cum aniso & saccari modico coquatur, facile Senæ Alexandrinæ vices supplebit: sic etiam Clysteribus lenientibus & discussorijs magno fructu admiscetur. Succus depuratus pondere ℥iij. cum saccaro sumptus, aluum blande soluit, haud secus, vt succus Parietariæ seu Helxines succus depuratus etiam ad ℥iij. cum saccaro sumptus, remorantem & supressam vrinam mirum in modum prouocat. Paratur etiam mense maio ex succo Mercurialis depurato Iulepus præstãtissimus

tissimus ad paralysin, hoc modo:

Recipe succi depurati lib. j. Iulep. Alexandrin. ℥viij. spiritus vini rectificat. ℥vj. Ol. vitriol. ʒij. Mosci oriental. ℈ss. Misc. circulẽtur ad solem. Dos. ℥iij. trib. horis ante prandium per integrum mensem.

Subducit bilem sterili mandenda puellæ
Aut cui post partum nulla secunda fluit.
Aut cui prætumida natat & pituita sub aluo
Cui febris nimio viscera sicca foco.
Maxima Mercurio laus est, fœmella puellam,
Mas puerum, Venus est cum sociata dabit.

NASTVRTIVM:

Ital. Nastorci: *Gall.* Cresson: *German.* Kressich.

Nasturtium à naribus torquẽdis dictis dictum, quod odore, & seminis acrimimonia sternutamenta prouocet. Tria eius sunt genera: Hortense, quod æstatis tempore; Aquaticum, alias Sisymbrium, quod Hyeme acetarijs adhibetur; & Campestre, seu Lepidium syluestre. Omnes Nasturtij species excalefaciunt, attenuant, mundant, vrunt, extrahunt, resoluunt, & incidunt, vescentium animos exacuunt, torpores fugant; vrinam, menses, & abortum cient, aluum, renes, & vesicam purgant; Icoris, Lienis & mesenterij obstructiones reserant, interna corporis vulnera sanant, & apostemata aperiunt, venenum cum oleo sumpta educunt: cum mulso coctum, mane & vesperi potum, viscosos humores educit, tussim & dispnœã discutit: cum lacte caprino coctum, pectoris dolores tollit: semen ex aqua potum, bilem subducit, capitis pituitam expurgat, visum acuit, & Venerem stimulat. Succus ore detentus prauos succos è dolentibus dentibus educit: Succus illitus, vt & folia imposita, omnibus corporis maculis, pustulis, & scabiei remedio sunt, & lumborum, coxendicũq; doloribus medentur; tumores discutiunt, sentes, & infixos corpori aculeos extrahunt, capitis squãmas lotione auferunt: omnia denique corporis exedentia mala succus purgat, sanatq;. Sed & hoc magni secreti loco notari velim: Nasturtij scilicet tum hortensis, tum aquatici succum depuratum, & pari quantitati aceti fortissimi mixtum, addita & olei oliuarum, & salis debitâ conditurâ, in omnibus internis apostematibus & pleuritide persanãdis, vt & in ipsa febre pestilenti, peste ipsa, & omni febrium genere maximum esse experimẽtum; in febribus dantur 3. cochlearia in paroxismi initio, & febris vix tertiã sustinebit accessionem.

Prouocat hæc menses, Venerem, bilemq; calentẽ
Illine, & Ischiadem planta leuare solet.
Suppurat, rumpit tùm magna mole lienem
Liberat & valido concremat ore cutem.
Infixumq; trahit læso de corpore telum
Phlegmaq; pulmonis, pectoris asthma tui.
Auxilio est multis, vesicam, & menstrua soluit
Saxaq; de lumbis puluerulenta trahit.
Miraris? pluuio tantum hoc depascitur imbre
Quidquid ab æthereis est potis hausit aquis.

PORTVLACA, ANTRACHne: Gall. Pourpier; *German.*
Bürgell/oder Portzelkraut.

E Portulaca tùm acetaria, tùm iuscula parantur, ad internos vẽtriculi, Iecoris, Renumq; ardores & inflammationes longè vtilissima, quæ item dysentericos, lientericos, aliosq; alui fluxus compescunt. Portulacæ folia, & semẽ pota, aut comesta, vermes enecant, venenis resistunt, renũ inflammationes refrigerant & cõfortant, vrinę ardorem mitigant; sanguinis in matrice profluuium ficus, hæmopthysin, tussim aridã, & dyspnœam pellunt; Gonorrhæam, & Veneris insomnia sistunt, & impudititiæ stimulos refrænant; In acetario sumpta, stomachum roboranr; Ad eadem omnia aqua eius stillatitia prodest. Folia & semen trita, cum farina hordei subacta, & fronti ac temporibus illita, phrenesin cõpescunt; eodem modo aurium, oculorum, aliarumq; partium inflammationi, erysipelati &c, auxiliatur. Succus vi quadam specifica dentium stupori medetur, ob lentorem morsus expertem; cum oleo irino aut rosaceo temperatus, & illitus, quietem & somnum inducit; pueris præ nimio æstu non quiescentibus, cũ stuppa capiti imponitur. Linguæ inflammationibus cytoniorum nuclei in aqua portulacæ mollefacti, commodissimè illinuntur: folia hyppochondrijs imposita, febrium hecticarũ æstus demulcent: Portulaca enim *teste Galen. 6. Simpl.* frigido & aqueo temperamento prædita est, modicæ cuiusdã austeritatis particeps, proinde fluxiones reprimit, maximè biliosas & calidas, cum eo, quod illas mutet, & in qualitate alteret, magnopere refrigerans &c. Et 2. *de alimentis*, portulaca quidam vt cibo vtuntur, sed imbelle præbet alimentum humidum, frigidum, glutinosum.

E succo tale parabis calculifragum.

Recipe succi portulac. depurati ac despumati, fæniculi marini eodem modo depurati a. ℥iss. succi Senelor. seu paliuri, Halicacabi a. ℥j. Asari, Ocræ a. ʒiij. Succi parietar. millefolij a. vnc. ss. Cinamo. seseleos, Dauci, milij solis a. ʒj. cum syrupo de portulac. vel de 5. radicib. q. s. fiat Electuariũ.

Cui rubor est ardens, dysenteriaue laborat,
Purpureus curæ cui cruor est fluidus:
Cui nocuere ignes, frigentem hic Peplidis herbã
Deligat, hæc pluuio rore probanda venit.
Si sapis, illa tuas norit rarissima mensas
Lumina cum stomacho contemerasse potest.

SALVIA:
Ital. Saluia: *Call.* Saulge;
German. **Salbey.**

Saluia quoq; non rarenter in culinis vtimur, ad cibos tamen potius cõdiendos, quàm vt simpliciter in alimenti vsum cedat, vti & Maiorana, Rosmarin⁹, Serpillum, Ocymum, Origanum &c. Vulgus tamen Saluiæ hortensis folia lacte & farina subacta, butyroque fricta comedit. Præstat mirum in modum ad frigidos & pituosos capitis affectus, ad arti-

culorum

culorum dolores; nam comitiales veternosos, stupidosq́; & resolutos iuuat, vti & pituitosas defluxiones, pectorisq́; vitia; venenis quinetiam potenter resistit, vnde illud:

Saluia cũ ruta faciũt tibi pocula tuta

Vulgus quinetiam sibi persuasum habet, tria acuminata saluiæ folia cum sale mane deuorata, quemlibet eo die à veneno tutũ fore. Sic vinum saluiatum, *teste Dioscor.* renum, vesicæ, laterumq́; doloribus, sanguinis reiectioni, tussi, suppressisq́; mensibus medetur, dysenteriæ prodest, eo quod intestina expurget, & toti corpori vtilissima existit; inde illud tritum:

Cur moritur homo, cui saluia crescit in horto?

Arida Saluiæ folia in puluerẽ acta, magno sæpe fructu in ciborum cõdimentis, aromatũ vices agunt trita etiam & suffita, vteri profluuium sistunt; cõmodè etiã ab vtero-gerentibus saluia deuoratur, quæ leui de causa abortire consueuerunt, cõceptum enim continet & viuificat partũ, inde:

Saluia saluatrix, Naturæ conciliatrix.

Ad iam prædicta omnia, vt & ad expurganda vulnera, venenatos morsus compescendos, vrinam ciendam &c valet eiusdem aqua stillatitia è floribus, & tota planta. E floribus cum saccaro simul tusis, paratur cõserua ad iam dicta valde vtilis & iocũda. Sic ex tota plãta arte chymica paratur & oleum, Spiritus, Tinctura, & Sal præstantissimus.

Spiritus vitæ saluiatus ad vitam propagandam.

Recipe Spiritus vini rectificati, & spirit. vitrioli, vti decet acuati lib. ijss. Florum saluiæ elector. lib. i. fol. salu. minor. exiccat. vnc. iiij. Cinomo. Cubebar. Garyoph. Galang. Nucist a. vnc. iij. imponantur vasi vitreo, digerantur suo tempore, & tandem per Balneum destillentur. Hac aqua M. Gallus Caroli V. Imperatoris medicus vsus est, vixitq́; annis 129.

Aqua Epileptica saluiata Rubei.

Recipe Flor. & folior. Saluiæ minor. lib. j. flor. lauend. vnc. ij. Rutæ vnc. j. Nucist. Garyoph. Zingib. Cinamo. a. vnc. j. Spicæ Nard. Castorij a. ʒj. Granat. paradis. ol lauri a. vnc. j. Cortic. citri ʒiij. Omnia contundantur, vinoq́; albo generoso macerentur aliquot diebus, tandem lento igne per Balneum destillentur.

Saluia confortat neruos, manuumq́; tremorem
Tollit, & eius ope febris acuta fugit.
Saluia cit menses, fætus deducit in auras,
Interni fluxum sanguinis esa premit.
Illius ex succo libram si fæmina sumat,
Mox est post ternos fæta futura dies.
Pro tußi lateris, renumq́; doloribus, & pro
Flatibus, occulta pestiferaq́; fera.

SPINACHIA:

Italicè Spinaci: *Gall:* Espinars, *German.* Binetsch

Culinis notissima planta, & acetarijs frequens, quadragesimæ tempore potissimum (ni fortè asperiore Hyemis frigore obruatur) elixa & frixa salubris est, thoracis partes optimè nutrit, tussim sedat, primâ ebullitione laxandi vim acquirit.

Emollit ventrem, vomitum tamen ipsa laceßit,
In duplici cocta ni comedatur aqua.

Si leuioris edas brumæ spinachia, primum.
Eijce ius, succo dilue amygdaleo.
Sic stomacho minus inuisa, & præcordia, & aluum
Mulcet, clamosis commoda pleuriticis.

CAPVT XXIV.

De seminibus in Alimenti vsum venientibus.

ANISVM.

Italicè Aniso; *Gallicè* Anis; *German.* **Anis saamen.**

ANISVM à *Pythagora* laudatur, quod appetitum excitet, aluum moueat, post cibos sumptum, ventriculi exhalationes impediat, anhelitum concilìet, & morantem vrinam vrgeat, capitis dolores mitiget, infarctus reseret, lac, & semen augeat, licet à frequentiore vsu facies ingrato pallore fuscetur. Mulieres Anisi naturã optimè norunt, cùm eius semine saccaro incrustato sæpius vtuntur; vt & illæ, quæ inter eas opere pistorio delectantur, panificii quoddam genus conficiunt biscoctum appellantes) cui semẽ Anisi permiscent, quod odorem saporemq́; pergratum conciliat: Idipsum multis adhuc condimẽtis ad maiorem gratiã adijciunt: Oris enim halitum commendat, vrinam ciet, Hydropicis prodest, & nullum ex oleraceis seminibus, ventriculo magis amicum; vrinã prouocat semen, sitim sedat, eius decoctum potum, & semen decoctum sacculo superpositum, alui inflationes sedat; iecori, pulmoni, ventriculo, & matrici prodest, confortat enim calefacit, & concoctionem iuuat; singultus, tormina, dysenteriam, & omnis generis inflationes, & tumores cõpescit; venenis resistit, tussim sedat, oculorum aciem acuit. Idem lõgè efficacius præstat eiusdem Oleum arte chymica sequẽti modo prolectum:

Olei Anisi destillatio.

Recipe Anisor. mundator. & grosso modo tusor. lib. j. affunde aq. terpentis lib. 8. putrefiant in digestorio 8. diebus, mox per vesicam cum refrigeratorio primum lento, mox paulo fortiore igne destilletur oleum, quod ab aqua cum cochleari cremoris instar tollatur. Habebis è libra j. olei circiter ℥ij. Eodem modo parabis oleum fæniculi, Coriandri, Cumini, Synapis, & aliorum.

Mirabiles sunt huius olei virtutes ad varios corporis affectus pro virium & ætatis ratione, dãtur 5. 6. 9. 10. 12. guttæ vel in aquis specificis, vel in vino, aut brodio, aut syrupo aliquo ad morbũ destinatis. Datur ad vertiginem, thoracis angustiã, tussim, dispnæam, præfocationes, capitis defluxiones, stomachi inflationes, debilitates, vomitiones, cruditates, Hydropas, aliosq́; affectus ex frigore, & flatibus oboriẽtes: cõfert præsertim exanguibus membris, & neruosis, vt stomacho, intestinis, vesicæ, vtero cuius albos fluores exiccat, & omnes in totũ actiones, quæ de aniso prædicantur efficaciter obit.

Sic vinum anisatum internas viscerum obstructiones aperit, colicam flatulentam compescit,

concoctionem iuuat, vèntris ructus reſoluit, & nutricibus calefaciendo, aperiendo, ſanguinēꝗ; & lac augendo maximopere cōducit.

Cōfectio Aniſi laxat: Confectio Aniſi laxatiua paratur hoc modo: Recipe ſemin, Aniſ. dulc. elect. ℥vj. Specier. de Gemmis, lætificant. Diamargarit. frig. conſeruæ citri a. ʒjſſ. ſpec. cord. temp. Benedict. laxat Diaturb. cum rabarb. De ſucco Roſar. a. ʒiijſſ. catharct. Imperial. Diagrid. a. ʒij. Sacc. albiſſ. lib. ij. miſc. & ſecundum artem fiat confectio.

Verùm lōgè elegantiore modo fiet Reſina Scammonij cum ſaccaro mixta: vel maceratione Aniſorum in aqua, ſeu potius vini ſpiritu, in quo Scammonij reſina fuerit diſſoluta.

Si ſtomachus, lumbi, gelidumꝗ; increuerit hepar
Veſica intumeat, vulua, lien, femora:
Illa ede, & antiquo vel cor ſi caumate languet,
Præſenti, dices, auxiliantur ope.
Præcipit hæc menſas Cythereia ſubire ſecundas
Sic plures noctis ſufficit illa iocos.
Lac generant, menſes ſiſtunt, tußimꝗ; repellunt
Toxica, ſingultus, corpore phlegma fugant.
Laus numeroſa quidem hæc, minimi nec formula fallit.
Pectus, & hoc torpens guttur, & aluus amāt.

CORIANDRVM:

Ital. Coriandri: *Gallicè* Coriandre: *German.* Coriander.

Coriandrum Græcis Corion, ita dictū, à cimicibus, quos Græci κόρυς vocant, quod & folia, & caulis adhuc virens, cimices oleant. Planta quidem etſi viroſum & tetrum ſpiret odorem, hortenſis tamen eſt, & ſtudioſè ſeritur: eius enim grana exiccata, præparata, & ſaccaro incruſtata, non ſolum ingratum illum odorem deponunt, ſed & gratum reddunt anhelitum. Præparatur autem ſemen ſola aceti infuſione, ad inimicæ qualitatis caſtigationem, quam itidem ſola exiccatione amittit, vt ſine præuia alia præparatione tutò etiam ſumi queat. Saccaro itaꝗ; incruſtatum, & parcâ manu ſumptū, ſtomacho confert, eundem roborans, calefaciens, & exiccans, cibumque in eo cōtinet, quoad ritè concoctus & elaboratus fuerit, vaporum in caput aſcenſum prohibens.

Ne craßo noceant oculis Coriandra liquore
Siccata huc veniant igne referta leui.
Hæc caput inuiſa preßum caligine, menſis
Optat ſummotis, hæc fluida aluus edat.
Dura parū, ſtomacho tamen optatißima noſtro
Hinc redolens ſicca eſt, nec putret aßa caro.
Niliacis præſtant ſi ſint delecta ſub hortis,
Plura odi, parca ſint mihi grata manu.
Sic mea demulcent ardentia corda, nec omnes
Noſtra venus numeros perdet inepta ſuos.

CVMINVM, ſeu CYMINVM:

Ital. Comino: *Gall.* Commin: *Ger.* Kümmich / oder Kümmell.

Duo potiſſima ſunt Cumini genera: Satiuum ſeu Hortenſe, *Hippocrati* regium dictum, & ſylueſtre. Cuminum calefacit, exiccat, attenuat, digerit, reſoluit; eo frequenter in culinis vtimur, pani etiā dum pinſitur, imponitur à multis; fit & ex eo vinum ad multos vſus, vt & confectio Diacumina dicta; Cuminum tùm aſsūptum, tùm adhibitum, flatus, colicos, dolores, & tympanitidem diſcutit, reſoluitque, frigidos humores, pituitoſoſꝗ; tumores diſ-

 ſipat

ſipat, venenis reſiſtit; ictericis vrinæ ardoribus, & calculo laborantibus exhibetur, licet ob frequentiorem vſum, in facie pallorem excitet. *Gal. 7. Simpl.* Cumini ſemine vtitur, vt & aniſi, liguſtici, carui, & petroſelini, cum & flat⁹ diſcutere, & vrinas ciere animus eſt. Oleum Cymini deſtillatum, vt & eius eſſentia extracta ſi ad aliquot guttas cum aquis, ſyrupis, liquoribus, aut debitis vehiculis ſumatur, multò efficatius flatus & colicos, ac tympanitidas diſcutit, vrinam ciet, calculos pellit, ſtranguriam iuuat, ſanguinis in corpore grumos reſoluit, ventriculum roborat, ac concoctionē promouet, quam ſi vel Diaciminum ipſum, vel ſemen ipſum aſſumatur.

Vilis & iniuſſi campeſtria grana Cumini:
Vſta nimis, cultu mitia facta placent.
Hæc ede, ventoſi clamas ſi tormina ventris,
Et ſtomachū, & lumbos igne minore iuuant.
Pallida cui grata effigies, & buxea cordi:
Hæc voret; inde petent ſumpta venena fugā
Illa remolitum ſubducere docta lapillum,
Vrinæ norunt rumpere manſa fores.

FOENICVLVM.

Ital. Finochio: *Gall.* Fœnoil: *Germ.* Fenchel.

Fœniculum ad varios vſus totum celebratur: Coma enim tenella, *teſte Columella*, acetarijs mixta, ſuauitatem addit: ſemen cum Sena decoctum, ab ea flatus, & tormina excitari ſolita diſcutit, aliaq; innumera, vel per ſe, vel alijs permixtum, beneficia pręſtat; radices obſtructionibus expediendis vnicè commendātur, licet Hippomarathrum fœniculo ad omnia efficacius exiſtat. Fœniculi ſemen vel per ſe, vel ſaccaro incruſtatum, fructibus, pyris ſcilicet & pomis, tùm aſſis, tùm elixis, etiam ſecūdâ mensâ, ſeu bellariorum loco aſſumendis aſperſum, gratum conciliat anhelitus odorem, anheloſis prodeſt, vrinā & calculum pellit, viſum acuit, iecori & pulmonibus cōfert. Seminis tamen præcipuus eſt vſus; vino decoctum, ſerpentum morſib⁹ medetur, venena pellit, mēſes mouet, vrinam, & calculos expedit, viſcoſos humores educit, lac nutricibus auget: In aqua decoctum, nimium ventriculi æſtum ſedat, ſingultum, vomitūq; reprimit, calidæ & ſiccæ tuſſi prodeſt: Vtiliſſimus eſt ſeminis vſus oculorum hebetudini, vti & ſtillatitius fœniculi liquor, vti eiuſdem & ſuccus, & gummi, & liquor ille præſertim, qui veris tēporis ex aperta fœniculi canna, & ſaccaro cando referta liqueſcente colligitur, ſi mane & veſperi guttatim oculis infūdatur.

Incruſtatur ſaccaro ſemen ad varios etiā purgantes vſus; deſtillatur item fœniculum in aquam, ſpiritū, & oleum; paratur & ex eo vinum, aqua mulſa, ſuccus, extractum, ſyrupus tàm ex ſemine, quàm ex aqua, vt & ſal. Radices quinetiam condiuntur, & variè cum ſuis appropriatis adhibentur; corriguntur eo, & acuuntur purgan-

purgantia, cæteraque medicamenta.

Vinum fœniculatum ex ſemine fit autumni temporibus, dum cum muſto digeritur, & fermentatur; valet ad oculorum caliginem, Venerem excitat, Hydropē excutit, venenis, & vermibus reſiſtit. Idem, at longè efficacius præſtat oleum, quod modo aliorum ſeminum chymice elicitur: Quidam tamen oleum ex ſicco ſemine ſine alterius rei additamento extrahunt perquam odoratum & ſuaue, albi coloris, quod primo deſtillat: condunt oculis, capiti, ſurditati, pectoris anguſtiæ, ſtomacho, renibus, veſicæ, calculo, vrinæ ſuppreſſioni, colicis doloribus, ventris torminibus, menſibus ſuppreſſis, ſi mane & veſperi aliquot guttæ vel cum vino, vel iuſculo, vel ſyrupo aut tabulis manus Chriſti ſumantur.

Herba valet ſtomachi, iecoris, renumq́ dolori,
Infringit febris circuitus varios.
Sumitur ad gelidi decoctio damna veneni
Ad menſes tardos, ad croceamq́ cutim.
Obſiſtit maculis oculos vitiantibus, vnde
Illius è ſucco ſæpe rigato tuos.

SYNAPI.

Italicè Senape: *Gallicè* Seneue *ſeu* Mouſtarde: *Germ.* Senff.

Synapi calidum & ſiccum eſt quarto receſſu, incidit, attenuat, extrahit, pituitam in ore detentā elicit; tritum & naribus admotum, ſternutamentum, & lachrymas mouet, luminibus obeſt, vnde illud *Columellæ:*

Seq́ laceſcenti fletum factura Synapis.

Fœminis hyſterico pathemate ſuffocatas excitat: ſed qui caliginoſos, & imbecillos habent oculos, eius vſum prorſus vitare debent.

Vix Synapi alimentum eſt, nōnunquam medicamentum, ſæpe verò condimentum. Dapibus enim viſcidis & glutinoſis, Hyemis præſertim tempore commodiſſimè admiſcetur, vt eorū lentor incidatur, & corrigatur, ventriculusq́; roboretur. Nam quibus palatum torpeſcit, aut cibi ingruit faſtidium, mirum in modum prodeſt id condimentum, ſed quia acerrimū eſt, guſtumq́; importunè ferit, non modo teritur cum aceto ad eius feruorem mitigandum, ſed ſæpe ad dulcedinem, maioremq́ue ſuauitatem muſtum comiſcetur, nec muſtū duntaxat, ſed & cortices citri cōditi, & Myua Cytoniorū, & cōſimilia aromata, ſic enī gratiſſimū cōdimentū, vulgo Muſtardā nominatum, quaſi muſto, & ardore paratum habetur, cui nobilitatē non paruam inter condimenta multi tribuunt: de quibus conuiuiorum & ſalgamorum condimentis, vide *Columell. lib. 12. cap. 5.* & *Varron. de re ruſtica lib. 1. cap. 59.*

Eſt modicū granum ſiccum, calidumq́ ſynapi,
Dat lachrymas, purgatq́ caput, tollitq́ venenū.
Phlegmata, mucoſum, vel ſi attenuata lienem,
In caput, & febres ingenioſa poteſt.
Sternutare facit puluis, duroſq́ tumores
Digerit, ad coxæ ſufficit ipſa cruces.
Excitat in vitam pallentes morte veternos
In calido lapidem ſumito rene terit.

Inq; venenatos fungos victura feratur,
Dira prius lacrymis vult maduisse tuis.

CAPVT XXV.

De Esculentis quarundam Herbarum oleracearum Fructibus, vt sunt Cucumeres, Cucurbitæ, Melones, Anguriæ &c.

E PLANTARVM esculentarum seminibus, annuatim fructus producuntur, quibus nõ rarò vtimur, licet adeò salubres non sint, præsertim si copiosè & plena manu ingerantur, cum nimiũ & refrigerent, & humectẽt, viscososq; & lentos succos vbertim progignant.

CVCVRBITA:
Ital. Zucca: *Gall.* Courge:
Germ. Kürbß.

Multæ sunt Cucurbitarum varietates, culturâ præsertim & mãgonio sic affictę, vt apud *Columell.* videre est. Nam Cucurbitarum differentiæ quatuor notantur: Maior, Cameraria *Plinio* dicta; minor Plebeia, seu Lagenaria, anguina, seu oblõga, & Indica: præter colocynthida, quæ Cucurbita syluestris nuncupatur. Vt autẽ effigie planè sunt affines, ita & viribus ac qualitatibus conueniũt: refrigerat enim Cucurbita & humectat secundo ordine, & *teste Galen. 2. de Aliment. Cruda cibus est insuauis, stomacho perniciosa, ac concoctu planè inexpugnabilis, qua si quis alterius cibi inopia ventriculũ oneret, euertet ipsum, & ad vomitum concitabit.* Tenera tamen & mollis, sublato prius exteriore cortice, concisâ, in sartagine cum butyro, vel oleo, sale, & cæpis elixa, vel fricta, vel etiam assa, nullam euidentem saporis qualitatem obtinet, vnde & varios apparandi modos admittit; plerumque elixa cum pipere, origano, cæpis, oleo, butyroue, ac salsamentis ponticis & acerbis conditur, nec infeliciter concoquitur, modo non anteuertat corruptio, vel ob nimiam in ventriculo morã, vel ob prauos humores in ventriculo stagnantes, vel quod debitè præculta non sit. Si cum salsamẽto paretur pontico, quæ μυλλα, cibus fit suauissimus: ex eodem cum modica Omphacij copia, iuscula parantur ventrem laxantia, quę facile tamen & in pituitã vertuntur, & colicam excitant. Vinum ex recenti cucurbita excauata noctis tempore relictum, ieiuno stomacho potum, ventrẽ laxat. Aqua stillatitia ex immaturis cucurbitis prolecta, ardentib⁹ febribus, quarum calor nullis alijs remedijs extingui potest, epota mire prodest: extrinsecus etiam cordi cum linteis madefactis ad calorem reprimendũ applicatur, vti & ad vehementes capitis æstus & ardores; idem & succus præstat, qui haud secus vt ipsa aqua, aurium & oculorum inflammationibus medetur.

Ardentem mulcet febrem, Veneremq; coercet,
Sumito de succo mollior aluus erit.
Succi aquei, cursus rapidiq; cucurbita bilem
Vincit, & Iliacum non bene cocta ciet.
Quam bene grata tamẽ, circũq; admixta secũdat
Huic externa magis, quam sua forma placet.

CVCV-

CVCVMERES.
Germ. Cucumern.

Etsi Cucumis communis sit appellatio ad Citrullos, Melones & Pepones, eo quod Cucumis in hos facile degeneret: Pepones enim dicuntur, quod vel natiuam magnitudinem excedant, vel in longitudinem protrahantur: Melopepones verò quod mali effigiem referant, humique repentes rotundentur, ita vt sola figura & magnitudine differre videatur, de singulis tamen pauca sigillatim proponemus.

Tria statuuntur Cucumerum satiuorum genera: I. simplici nomine dicitur Cucumer citrinus. II. Pepon. III. Melon. Cucumer citrinus, fructum ferens cartilagineum, subinde & maculosum, coloris vel herbacei, vel nigri, vel citrini, plures habet species sola forma & quantitate differentes: I. Cucumer vulgaris fructum ferens maculosum, & oblongum; *Aetius* Anguriam vocat. II. Turcicus, priore & folijs, & flore, & fructu maior, sed absque maculis; à quibusdam Citreolus à citrino seu flauo fructus colore nominatur. III. Cucumer marinus, Turcico per omnia similis nisi quod & folijs & flore, & fructu paulo sit minor. IIII. Species officinis Citrullus vocatur, fructu rotundo, herbacei coloris qui prædictos fructus omnes magnitudine exuperat, rusticorūq; hortos locupletat. Et hæ sunt potissimæ Cucumerum primi generis differentiæ: reperiuntur enim & lōgi, recti, & flauescentes; alij breuiores, virides, & incurui; nōnulli compressi, lati, rotundi; alij clypeiformes.

Nulli Cucumeres salubrem præbent cibum, cùm nimium & refrigerent, & viscosa humiditate plus satis abundent: vnde infarctus augent, tardè concoquūtur, & facile corrumpuntur, variasq; febres excitant. Recens quidem Cucumis in tenues sectus orbiculos, affuso sale, & aceto, inter duas patinas iactatur, quoad maior viscositatis pars abscedat, qua per inclinationem abiectâ, de integro nouo aceto, & sale, & oleo, piperisque momento infusis, acetarij locum subit (satius tamen & salubrius foret, si modo iam dicto paratum acetarium & iam iam mensis apponendum, apertis fenestris foras proijceretur) quo tamen non nisi æstiuo tempore, ante alios cibos, ventriculoq; ab humoribus defæcato, parcâ admodum manu vtendum: Immaturi autem & adhuc parui, virentesq;, cum aceto, sale & fœniculi teneribus apicibus vere prorumpentibus condiuntur, vsui reponuntur, & hyemali tempore cum assis carnibus apponuntur, vbi, oliuarum, & capparum instar, à delicatulis auidè expetuntur. Quocunque tamen modo Cucumeres præparentur, valdè nocent, & senibus præser-

tim

tim quiq; ventriculi, & natiui caloris debilitate laborant Biliosis autem & calidis naturis, & quorũ ventriculi calent, feruent, & bile abundant, est salutare edulium, bilis impetũ & feruorem refringens, licet eo & cautè, & moderate sit vtendum, eo quod facilè corrumpatur.

Grandior exoritur cucumis sitientibus ægris
Humidior, paruo vix tepet iste gelu.
Sordibus hic patulos reddit quoscunq; meatus:
Sæpe venenatæ sed dapis esse solet.
Sic nocet humescens cucumis, gelidusq; citrullus
Vt tremuli ardores cordis odore leuet.
Excitat vrinam, vomitum, fastidia, ventrem,
Sed Venerem multi non sinit esse thori.
Ne diuturna tamen sit concomitata, caueto,
Febris in aßiduos si detur esca cibos.
Hic bilem, subigitq; sitim, stomachoq; calenti
Gratus erit, medici si sapit arte coqui.

PEPONES:
German. Pfeben.

Alterum Cucumerum satiuorum genus est Pepon, à maturascendo nomen habens; tenere enim & mitis maturitate flaccescit, fructu cartilagineo orbiculatim strato, carne intus suaui, seminibus in vtero litatim digestis. Noxium Pepon in corpore humorem gignit, præsertim si non probè cõcoquatur. Pituitosi quidem vt superpotent; sed qui flauâ bile tentantur, acetosum, & acre bibunt, ne bilem augeant. Omnes autem post Peponem probi succi cibos comedant, hi enim eius malignitatem auertũt. est autem facilis nutritionis Pepon; nam si phlegma in corpore offendat, seu bilem flauam, in eas statim mutatur. Dulcis verò biliosis maximè est noxius, vt & maturus pituitosis: difficilius tamen qui dulcis est concoquitur. Quicunq; autem calidũ habent ventriculum, & flauâ bile infestãtur, si vinum superpotent, læduntur; cùm suapte naturâ facile reddatur, & vinum mox amplius eã augeat facilitatem, acrioremque efficiat humorem in eiusmodi corporibus, & nauseæ idoneum: extenuat quoq; crassos & biliosos humores. Conuenit verò vt pituitosi de Pepone id sumant, quod in eo substantiâ molle est, & laxum, quod scilicet semini est proximũ, id enim non facile corrumpitur. Qui verò hos sumpserunt, non statim alia cibaria assũmant, nam ea corrumperentur, immutarenturq;. Tradunt quoque calculosos, nõ oportere panem confestim esse, ne scilicet eius glutinositas, in renes rapiatur nisi optimè sit fermentatus. Aiũt nonnulli Pepones longiores esse rotundis meliores, vt qui magis vrinam cieant, & abstergant. Omnes autem ventrem ducunt: quibus autem venter subducitur iis minus nocent. Veneris stimulos, & genitale semen minuit. Pepon, qui Saracenicus dicitur, frigidus & humidus est, & ad æstuantes febres vtilis, & stomachos calidos iuuat: frigidis verò & humidis maximè noxius. Hactenus *Simeon Sethi*, de Peponum naturâ, qui tamen Pepones cum

melonibus & melopeponibus confundere videtur.

MELONES seu MELOPEPONES

Tertium Cucumerum satiuorum genus complent Melones seu Melopepones, pepone rotũdiores, mali Cotonei effigie; mitiores item ac suauiores, in cæteris autem vna conueniunt, quãuis non pendeant, sed humi rotundentur, & sessiles procũbant. Galli melones vocant, quos Itali Peponas, *Dioscorides* Melopepones, & antiquorum nonnulli. Cucumeres domesticos dicunt, vt vt sit, præstat eos fructus è Sicya satiua (planta scilicet ex qua melones leguntur.) prouenientes, & instar mali Cytonij, aut pomorum redolentium fragrantes melones, quasi fructus pomosos nominare, quorum multæ varietates notantur: alij enim propter odoris & saporis suauitatem dicuntur Moscatellini, alij saccarini; alij à solo & regione vbi nascuntur, aliam habent denominationem.

Melones inter suauissimos herbarũ oleracearũ fructus censentur, præsertim qui in calidioribus regionibus & pingui solo excolũtur, quales in Italia, & Gallia Narbonensi habentur, vt & in Prouincia, Delphinatu, & quibusdã Germaniæ locis: Cæteri enim & saporis suauitate, & succi bonitate longe ab hisce superantur: optimi censentur ponderosiores, flaccidiores, & crassiorem pediculum habentes, quiq; duro teguntur cortice, intus verò carnẽ seu pulpam solidam, rubicũdam aurei vel omnino viridis coloris saporem verò dulcem & iocundum obtinentes. Qui nouum orbem perlustrarunt, scribunt in Hispaniola Insula in tantam amplitudinem augmentari Melopeponas, vt singuli homines sentiant se vnico nimis onustos, vixq; vnicũ humeris ferri. *Ouet. summ. Ind. cap. 81.* Et quod iocundius est toto ibi anni tempore maturescunt (cùm vigesima à satione die legantur) semperq; sapidi, & ad vescendum grati habeantur. Testatur *Plinius* vidisse se vnicam 40. librarum. Refrigerant, humectãt sitim sedant, appetitũ stimulant, vrinam cient, renes ab arenulis expurgant. Lacteus etiam seminum & Melonum, & Cucumerũ omnium cremor febrientibus vtiliter exhibetur ex hordeacea, vt & ipsa simplex emulsio per se. Ptisana quinetiam Iecoris & viscerum inflammationes demulcet, infarctus expedit; ita vt hic fructus & sanitati vtilis sit, & palato gratissim⁹, modo nimia eius dulcedine & iocunditate pellecti homines, largiore non sumãt manu, & inde horrenda, atq; perniciosa symptomata inde exorta experiantur. Nam ægrè concoquuntur (ideo & saccaro, & pipere modico ante vsum corrigũtur) facile & corrumpuntur, & febres excitant. Primâ igitur mẽsâ su-

s[illegible]mendi, ne vna secum assum-pto, & nondum subactos cibos extra ventriculum rapiant. Superbibendum vinũ generosum, (modo temperamentum biliosum non sit, nec bilis in ventriculo restagnet) at modicum, ne citius, quam par sit, cum vino expellantur.

Quarta tua est sedes, poteras sed primus haberi,
Cum tepeas dulci, grate, liquore, Pepo:
Vesicam & ventrem reseras, sed præuius ito,
Ne tumidus noceas posteriore cibo.
Quæ grauior tibi noxa tamen, vel perdita sedes
Vel tibi quod Medici plurima vina negant.

CAPVT. XXVI.

De Radicibus, Bulbis, Terræ tuberibus & Fungis esculentis.

RADIX est certum, verumq; plantæ caput, principe, seu ingenuo, efficacissimoque Igne præditum, in quo natiua spiritus spermatici vis, præcipuã sedem, efficientiãq; obtinet. Huius op9 est, intra seminis corticem contentum succũ temperato simul tepore, & salso humore colliquare, & in lactis formam redigere; eâdemq; operâ terrę quoq;, qua obrutum semẽ fuerit, cognatos afficere, & affectos exugere succos, & cum seminis succis permiscere, ita vt seminis succi, terrenos sibi immixtos, ac caloris, & spiritus virtute fotos, sibi persimiles, reddant, & ex vtrisq; liquatis, coniunctis, & in eandem naturam redactis, quam vocamus terræ fæcunditatem, efficiatur: qua in re seminales succi masculinam, terreni verò fæmininam, vim, efficientiamque sortiuntur. Ex vtrorum itaq; complexu, cõiunctione, amore, & conformatione plãta gignitur, initio breuis, quæ tamen ab ipso genitali aruo, membrorum, artuumq; omnium virtutem, quamuis exiguo admodum corpore, tamen contineat: radicis scilicet omnes fibras, ramorum, cauliumq; distinctiones foliorum ornamẽta, spicarumq; siue loculorum, & vasorum ad semen capiendum formas, & futuræ etiam sobolis, seu seminis tenuissima elementa, quæ per totam plantæ ætatem, nisi aliàs externo impediantur incommodo augentur, & prouehuntur, suggerente perpetuò seminali spiritu, & è succis illis natiuis cognatæ, & è terræ succis exuctæ, & oportunè temperatæ materiæ pabulũ; quãtum pro seminis virtute, ac modo, proque terræ & soli copia, ad incertum quidem, sine tamẽ catrentem propagandæ sobolis numerum sufficere possit. In quo naturæ opificio, oportunus quoq; cœli fauor, & terræ commoda comparatio, aut his cõtrariæ affectiones vel prodesse, vel obesse non vno, sed pluribus nominib9 possunt.

Seminibus igitur & spiritus vis præcipuam in radice sedem habet, efficacitatemq; exerit suam, indeq; totius plantæ rationes & gubernat, & oportunos mẽbris omnib9 suppeditat succos. Quare

re quicquid plantę vel commendationis, laudiſq́;, vel infamiæ, & nocumenti arrogatur, id omne radici, tanquam capiti, & perpetuò vtriuſué facultatis fonti adſcribendum cenſetur. Et licet cęteras plantarum partes quoquomodo intercidi accidat, quamdiu viua, & integra perſeuerat radix, reſtituendæ bonæ, vel malæ plantæ minimè abijcienda expectatio eſt, quoad radicitus omnes radices euulſæ, aut exiccatæ funditus tollantur.

Quatuor autem etſi ſint omnium radicum in herbis differētiæ. I. Quædam enim bulbi naturam ſortitæ, ſiue in caput denſum & ſolidum ea compacta fuerit, ſiue in tunicas aut ſcamas, vel radios diſtincta ſit, tenui, aridiore & facile ſeparabili tunica veſtita: II. Quædam ſolidâ etiam conſtant materiâ, ac ipſa carne terræ tubera imitantur, cortice inductâ craſſiore, ac tenacius adhærente, interdum etiam duriore, vt ſunt Aſphodelorū, Cyclaminis, & peregrinarum plantarū, quas Batatas vocant, fabæ etiam Ægyptiacæ, & Eryoniæ vtriuſq́; & Ari radices, & Satyri formæ omnes, viſuntur. III. Quædam carnoſam radicem ſortitæ ſunt, nonnullis filamentis ac veluti neruis ac tendonibus intertextā, cortice lentiore, facile, quamdiu tenerior eſt planta, ſeparabili, vt in raphanis, rapis, betis, & Dauci genere omni, atq; in cicuta, ferula, & paſtinacis experiri licet. IIII. Præter hæc tria genera, cæteræ herbæ omnes liquoſam habent radicem, duriore cortice, & interno corpore filamentis, fibris, neruis ac tendonibus, ſparti, aut funiculorū in modum apprimè tenacib⁹, quæ vbi euulſæ fuerint, ſalſo euaneſcunt ſucco, citò areſcunt, quamuis quædam magis, aliæ minus hoc ipſum habeant, & potiantur. Atq; in has quadrifariam inſtructas claſſes, omniū herbarum radices (exceptis quibuſdam geminatis radicib⁹ præditis, quas bulbo tuberoſas vel tuberobulboſas vocant, vt liliorum & Narcyſſi formæ quædam) à Conditore concedere iuſſæ paruerunt, è quibus tamen omnib⁹ illas duntaxat radices ac bulbos, & tubera in medium proponemus, quæ hactenus in alimenti vſum venire conſueuerunt.

ALLIVM:

Italicè Aglio: *Gall.* Aux, Ail:
Germ. Knoblauch.

Allium, quaſi aliud, quā ipſum edendum: cùm Allium, & cæpæ vtilia quidem ſint, at non vt alimentum, ſed vt medicamentum: Veteribus tamen militiæ fuit hieroglyphicum, quod inter militares cibos merito referebant (eo quod bellatorum vires exacuet, & animos exuſcitet) vt & laridū, caſeus, poſca, buccellatū, atque acetum, & ſalgama, cæpa &c, vt refert *Aelius Spartianus, in vita Hadriani. Galen. 12. method. cap. 8.* Alli-

 um

um rusticorum theriacam vocat: Et *Plin. lib. 17. cap. 6.* ad multa ruris præcipuè medicamenta prodesse scribit: Rustici enim vt & nautæ, milites ijs non solum in omnibus ferè ciborum condimentis, & obsonijs, vt & non rarenter cum pane, & sale, sed & ad aërem pestiferis vaporibus infectum feliciter vtuntur, quibus non solū deiectam restaurat appetentiam, sed & vires prostratas reficiunt: Sunt autem Allia tam domestica quàm campestria cuiuis infectioni & corruptioni infensissima, & antidotos contra quæuis venena singulares præstant, & vermes ventriculo expellunt.

Sed *Dioscoridem* Alliorum præconem & encomiastem audiamus: *Allium*, inquit, *comestum ventriculi vermiculos expellit, vrinas ciet, contra viperarum morsus, & in primis serpentis Hæmorrhoidis, si quicquam aliud, præualet; si cum vino sæpe contritum, & maceratū hauriatur, vel comedatur, aut saltē applicetur, præsens atque obuium contra morsum canis rabidi est remedium.* *Aetius, Dioscoridi* eo præsertim nomine suffragatus, quod latos vētriculi vermiculos abigat, quod sanguisugis, quas forsan incautiores cum aqua mixtas absorbuerunt, quæq; mille modis corpus humanum afficiunt nocumentis aduersetur, easdemq; curet. *Celsus* quinetiam *lib. de re medica cap. 12.* Allia ante molestos febrium intermittentium & quartanarum paroxysmos, ad illarum rigorem & malignitatem edomandā præscribit. Vascones quoq; tantopere allijs delectantur, vt nullum magis assiduum & quotidianum cibū agnoscant, ijsdemq; in omnibus pene cōdimentis vtantur. Nec mirum; cùm allia ipsi quoq; medicinæ plurimum inseruiant, & plurimis proprietatib⁹, eximiâ quadam naturæ benignitate prædita sint. Allia enim obstructiones viscerum aperiunt, vrinas, mensesq; suppressos cient, flatusque *teste AEgineta lib. 1. cap. 76.* discutiunt. Quotidiana item loquitur experientia, Allia tātâ virtute dissoluendi ac discutiendi pollere, vt vasis figulini fragmētum, modo reliquis eiusdem partibus aptè leuiterq; adiungatur, & Allij succo confricetur, ipsi vasi tàm firmiter adhæreat, vt continendis etiam, qui destillantur spiritibus, inseruire possit: vsque adeo partes confractas inuicem Allium consolidat & compingit: quo experimento satis apparet, Allium ad resoluendum, cōminuendum, atterendumq; calculum, non parum iuuare.

Allia præterea mirum in modum, vires, vt iam diximus, reficiunt, & collapsas restaurant; rustici quippe terram multo labore & sudore subigentes, vt & ipsi nautæ, milites, illis non rarenter vtuntur, quando vel arduus subeundus labor vel classis è magno aliquo periculo eximenda. Vsus

tamen

tamen Alliorum frigidis regionibus magis eſt familiaris, ideo iurè ſcripſit *Galen.* Gallos, Thraces, & alias nationes ad ſeptentrionem degentes, Alliorum vſu minimè priuandos eſſe.

Antiquiores Græci ex Allijs vna cum oliua nigra permixtis obſonium quoddam parabant Mytroton nũcupatum, cuius nõ ſemel meminit *Hippocr.* vt & *Dioſcor. lib. 2. cap. 14. Plinius.* Allij tùm ſalutares, tùm noxias proprietates referens, inter alia recenſet, frequentem Alliorum comeſtionem oculis & viſui eſſe infeſtã: *Hippoc.* tamen longè *Plinio* anteferendus, aliter de Allijs ſentit in fine *ſectionis* 5. *libr.* 2. *Epidem.* vbi Allia cum maza ad oculorũ curationem edenda præbet. Tanto ſolus Alliorum odor priuilegio gaudet, vt ſylueſtriores feræ, quales ſunt Pantheræ & Leopardi, eum ſuſtinere nequeant.

Si igitur Allium vt dictum, Veneris, & cuiuis corruptioni reſiſtat, & venenatis animalium & ſerpentum morſibus medeatur, non mirum, ſi antiquorum nonnulli ſingulis matutinis ter illud deguſtarint, vt huius libationis tricies repetitæ beneficio, ab omnibus liberentur periculis, licet ſuperſtitione quadam inueterata, eiuſdem diei curriculo vindicarentur, vt hiſce verſibus meminit *Perſius.*

Incuſſere Deos inflantes pectora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaueris Allij.

Ad peſtis præſeruationem è mcoquuntur Allia in aqua, vel ſub cineribus decocta, ſalubriter comeduntur. Graue olentia tamen Allii inſuetis moleſta eſt, præſertim peſte laborantibus, ad quos hoc antidoto muniti, accedere non debent. Paratur elyxir Alliatum ad peſtem hoc modo: Recipe Allia probè tuſa, affundatur ſpiritus vini rectificatus, macerẽtur aliquot diebus, mox è B. M. per cohobia deſtillẽtur. *Didymus* tamen author eſt, ſi Allium vna ſub terra poſita ſeratur, & idem ſub terris lunâ latente vellatur, odoris fæditate cariturum. Halitus quoq; tædium edentibus aboleri fertur, ſi crudã fabam poſt Allij eſum comederint: Betæ radicem in prunis toſtam, odoris Allij fæditatem amoueri, ſi ſumpto Allio edatur, referente *Menandro*: Apium ſeu Petroſilinum, vt & recentis rutæ folia idem præſtare dicunt.

Sumito, nil melius flatus conſumit inanes,
Nil melius vermes, quod necet æger habet.
Vindicat à lepra, ſimul & lentigine corpus
Peſtiferas ſumpto hoc tutus adito domos.
Suffitu potis eſt partus reuocare ſecundos
Vtilis anginæ, ſæpe remande, tuæ.
Sic dentes gelidos tollas, ventrisq́; tumorem,
Vrinæ obſtructas ſic reſerato vias.
Si tamen ad choleram vergit natura præuſtam,
Si doleant oculi, his parcito quæſo cibis.
Luminibus, ſtomachoq́; nocent, arentia torquent
Ora ſiti, fætens inde Mephitis olet.

CAEPA:

Ital. Cipolla: *Gallicè* Oignon: *Germ.* Zwybell.

Cæpa *teſte Columella*, plantarũ

sola monstruosa contra lunæ incrementa, & decrementa, augẽdi ac minuendi se contrarias obtinet vires, non esu duntaxat, sed & flatu humanis visubus inimica ideo Græcis κρόμυον dicta, quasi pupillam comprimens. Cæpas tamen sanitati cõducere, *Asclepiad.* docuit; inde prouerbium: *Sanus eris, si Cæpe tantùm sumpseris.*

Plura ac diuersa reperiuntur Cæparum genera atq; differentiæ, vt quæ à locis nomina accepêre, *teste Theoph. lib. 7. de plantis c. 4.* vt sunt Cæpæ Gardiæ, Gnidiæ, Samothraciæ, Setamiæ item, Fissiles, & Ascaloniæ, Sectiles &c, Nascuntur Cæpæ in vniuersa Italia frequentissimæ, quæ etiam inibi multiplici genere, vti & in Gallijs, & Germania signantur. Sed & in earum bulbosis radicibus variæ obseruantur differentiæ, cùm aliæ maiores, minores aliæ; quædam lõgæ, quædam rotundæ, ac capitatæ, quædam verò sessiles proueniant: Sic coloris ratione, quædam rubentes, quædam subrubentes, aliæ virides, candidæ nonnullæ, quin & sapore vel acrimonia, vel mediocri acrimonia præditæ sunt, aut nihil penitus acres reperiuntur, idcoq; in cibis cęteris pręferuntur. Cæpæ Sectilis tota germinatio in folijs existit, ob idq; sæpius retundetur, vt porrum, & carnium iusculis, seu offis inspergitur, & in hortis ad obsonia, & condimenta paranda seritur; ijsdemq; pollet facultatibus, quibus vulgaris Cæpa doratur. Cępæ Ascaloniæ (quibus Cępa Fissilis ferè similis est) ab Ascalone Iudææ oppido nomen habent, radice donantur paulo nucis auellanę maioribus, sapore admodum acri, nõ tamen ingrato, & in hortis ad ciborum condimenta seruntur: excalfaciunt enim siccant, incidunt, aperiunt, prouocant, deijciunt, & nõ solum ea omnia præstant, quæ cæteris Cæparum generibus adscribuntur, sed etiam cibi appetentiam excitant, vermes enecãt intestinorum, nec interim caput adeo lædunt.

Datur Cæpa vtiliter tùm elixa, tùm sub prunis tosta cum saccaro anhelosis, asthmaticis, & tussientibus addito butyri recentis momento. Excauatur alba, ea parte, qua sunt radices, & præstãti replentur Theriaca, citrei mali succo subacta, & deinde occluso foramine sub calidis cineribus coquitur, donec probè fuerit macerata, premitur mox, & cremor excipitur, & peste laborantibus tuto ac vtiliter cum sudore exhibetur. Excauata item cumini puluere impleta coquitur, & eodem modo exprimitur, & succus vtiliter ad aurium surditatem instillatur. Crassior Cæpæ squamma sub cineribus tosta, antiquum capitis dolorem sedat, vbi frustulũ eius calidum, in dolentis lateris aurẽ indatur, superasperso rosaceo aut laurino oleo, succidâq; addi-

dâ

talana totam aurem operiente. Cæpæ succus acerrimo aceto mistus, manantem è naribus sanguinem, si immitatur, sistit.

Cæpa *teste Gal. 7. simpl.* calefacit ordine quarto; æstuosa est, parum nutrit, cholericis plurimum nocet, sitim excitat, & aurium, oculorumq; inflammationes; caput, cerebrumq; ferit, lethargum & terribilia insomnia efficit. Cæpæ rubræ sunt albis acriores, vt & virentibus aridæ. Qui operas exercent, Cępas cum pane, sale, & aceto esitant, & sic viribus robur addunt, aduersus pestem aliquid theriacę admiscent. Vulgus cum butyro, sale & aqua, vel carnis iusculo coquit, & hoc modo gratissimum iusculum efficit; quod & saluberrimum, & ad vrinam ciendam vtilissimum prędicatur. Otiosis tamen comestę Cępæ caput grauant, visum offuscāt, memoriam impediunt, mentis inquierem & abalienationem excitant; & ęgre concoquuntur, inde continenter eructant, præsertim flaccido ac languido ventriculo existente; sopitam tamen & pigrescentem Venerem suscitant. Quidam minutim incisis orbiculis salem & oleum cum aceto affundunt, & acetarij loco vtuntur, mirâ enim efficacitate viscerum obstructiones & infarctus reserāt, crassos, ac mucilaginosas tùm renū, tùm vesicę materias attenuant, & expellunt: In quem finem è succo Cæparum, Porri, Raphani, Limonum, Parietariæ, & Auriculæ muris aqua destillatur prę stantissima, quę tū per os sumpta, tum in vesicam iniecta, non solum calculos cōminuit ac conterit, sed & tartaream substantiam, calculi vtpote materiam, renibus, aut vesicæ infixam, absq; vlla molestia incidit, resoluitq; & dissipat.

Concitat vrinam, genitalia semina gignit,
Frigidus & dentis tollitur inde dolor.
Vlcera, si forti viridis miscetur aceto,
Sanabit rabidi, crede, subacta canis.
Funditur in nares, oculosq;, caputq; repurgat.
Succus & hoc sumpto pestis inermis erit.
Inde quoq; & crassus tenuatur corporis humor,
Sed capiti vapor est noxius inde tuo.
Cæna mihi scitè est actum, Ascalonia tardè
Ieiunis veniunt destituenda coquis.
Illos calfaciant; hebeti repleantq; liquore,
Vtq; minus noceant, illa recocta uorent.

PORRVM, ΠΡΑΣΟΝ,
Italicè Porro; *Gallicè* Porreau; *German.* Lauch.

Galenus 2. de Alimentis scribit, homines porrò tùm sectiuo, tùm capitato, & Cæpis, & Allijs frequenter in cibis vti. Ideo studiosissimè in hortis culinarijs seritur cum planta potius sit esculenta, quam medicata, vt olitores & coqui satis norunt; licet illius succus pharmacarijs interdū remedijs adhibeatur, vt empyreumati educendo, extinguendoué; licet enim calidus sit succus, mira tamen vi, impressum caloris vestigium ad se alliciens aufert.

Porrum omne calefacit insigniter & exiccat, crassos succos incidit, extenuat, resoluit, aperit,

serpentum

serpentum morsibus, & vstioni-bus medetur. Bis in aqua coctū, acrimoniam exuit, inde obscurissimam corporis alendi facultatem acquirit. Gallis tamen & Italis nihil frequentius, quam ex porrorum albo, & capone simul tritis iuscula parare, quæ & grati sunt saporis, & festiuè admodum vrinam proliciunt. Crudum si edatur, crapulam quidem, & ebrietatem discutit, at flatus excitat, ventriculum offendit, visum obscurat, & caput doloribus & grauedine tentat.

Eius semen tritum, & ex passo, aut vino albo bibitum, vrinæ difficultates soluit, & vrinarios meatus diducit. Scribunt nonnulli porrum comestum ventrem stimulare, frequens tamen eius esus, tumultuosos somnos parit, & eruginosam bilem gignit, licet in cibis gratissimū sit condimentum, pulmonis vitia sanat cum melle, pectus purgat, & lassos recreat. De quo *Baptist. Fiera*:

Tabida cui curæ pulmonis membra, & anhelū
Pectus, eum porri torrida cæna vocat.
Cura mihi est stomachus, placidissima somnia, dentes,
Bis licet elixum, non tamen illud edam.
Hoc colat ingratæ cui fœmina cura colendæ,
Quiq; nec adstrictis renibus esse velit.
Munera non tanti Veneris pensantur, vt aluo
Postposita, irati tormina ventris amem.

PASTINACA, Staphylinus, Carota.

Tria sunt Pastinacæ, seu Staphylini domestici ac hortensis genera. I. Staphylinus luteus, seu Carotis & Pastinaca lutea seu crocea; *Italicè* Pastinaca gialla; *Gallicè* Pastinades iaulnes; *Germ.* Pastenach. II. Pastinaca alba, Staphylinus & Carotis alba; *Italicè* Pastinaca bianca; *Gallicè* Pastenades blanc; *German.* Weiß Pastenach. III. Pastinaca nigra, purpurea, gallica, carotta rubea; *Ital.* Pastinaqua rossa; *Gallicè* Pastinades & Carotes rouges; *German.* Rote Rüben.

Serūtur ab Hortulanis passim in ciborum vsum, quibus vulgus communiter vescitur tùm elixis in pinguiorib⁹ iusculis cum carne porcina, hædina, & agnina, tùm frictis quandoq; recentibus adhuc & teneris cum butyro, tū aliquo quouis modo paratis, & conditis: Excalfaciunt enim mediocriter & humectant radices: flores verò ac semina cum herba sunt calida in tertio, & sicca in secundo ordine. Solum Pastinacæ domesticę semen puluerizatum, & ad ℥ß. vini modico, aut aq. hystericæ momento exhibitum, peculiare, & specificum est ad vteri suffocationes remedium.

Carotarum purpurearum radices prius elixæ, mox cum aceto & fœniculi seminibus conditæ, nec acetariorum hybernorum vsum reponuntur, ad appetitum stimulandum, & sanguinis corruptiones emendandas: Elixæ item & siccatæ, saccaro condiuntur. At subflauę ac croceæ, raparum more, pingui carnium iuscu-

lo coquuntur, & rusticorũ mensis apponuntur, rapis tamen minus nutriunt, nec ita facile concoquuntur, vnde flatus cùm in ventriculo, tùm intestinis generant, pauci sunt succi, & prauum gignunt sanguinem, si pleno ore vorentur.

Si venit humescens culto Staphylinus ab horto
Fermenti & sapido plena rubore sapit.
Ista licet stomachum, vel bis decocta, lacessant,
Et coitum inflato rore superba ciet,
Si coquus & pipere, & melliti munere mulsi
Condiat, & stomacho grata erit, & Veneri.
Candida nec mōtana placet, cui lumbus & arctũ
Est femur, errantem cum magis vrat, edat.
Ad renum lapidem radix, tumidumq́; Lienem,
Ad tussim, pestem, phlegma venena valet.

PETROSILINI RADICES;

Italicè Petroselino: *Gallicè* persil: *Germanicè* Petersilg.

Apij hortensis, seu Petroselini eximius olim in Græcia fuit honos: Nemeæ enim certaminis victores in Græcia eo coronabãtur. Solebat antiquitus extremus hortorum ambitus Apio cõseri. Calidum est in primo, & siccum in secundo gradu. Rami Apij *teste Plinio* largis potionibus per iura innatant, & in cõdimentis peculiarem gratiam habent. Crudũ & coctum comestum vrinã ciet, efficacius tamen ipsum semen. Succus epotus, lethiferis medicamentis aduersatur, vomitus & aluum cohibet, venenatorũ morsibus medetur, inflationes discutit, antidotis anodynis vtiliter miscetur. Veteribus tamen *referente Plinio* in cibis eo vesci, omnino erat nefas, cùm id fuerit feralibus defunctorum cibis destinatum. Frequens apud nos est & radicis & foliorum vsus, cum carnium, pullorum, gallinarumque iusculis incoquantur, minutim incisa ferculis inspergantur; at quia difficilius concoquuntur, ideo in ciborum medio sumãtur. Menses vrinamq́; potenter cient renes ab arenulis expediunt, flatus & colicam flatulentam discutiunt, viscerum farct⁹ recludunt, stomachi inflationibus, & ventris torminibus medentur, vt & laterum, renum, vesicæq́; doloribus. Interim tamen Apium comitiales maximè lædit: Sic & lactantibus mulieribus ab eo abstinendum, cùm lac minuat. Semen Apii præsumptũ, ebrietatem arcet, & ad fragrantem corporis odorem facit.

Torrentis plures Apij seris inscie plantas
Villice, Petrosum vix mea mensa capit.
Est nocuum capiti, stomacho minus vtile tardo
Lactucæ extremo, si placet, adde cibo.
Cura caput nobis prior est, quẽ phlegmata vexãt
Splen, femur, aut renes, aut iecur, illud edat.

RAPVM;

Italicè Rapo; *Gallicè* Raue; *German.* Rüben.

Rapum vulgo notissimum est, & bis anno, mensibus scilicet Iunio & Octobri radice ad summũ extuberãte eruuntur, radice valde crassa, carnosa, ac tuberosa. Tria dantur Raporum seu Naporum discrimina: sessile, longum, & rotundum, à radicum figuris desumpta, quæ vt à Soli, & Cœli conditione magnitudinem, ita & bonitatem

bonitatem accipiunt. Mirum ſanè quod ex tam exiguo ſemine, trium duntaxat menſium ſpatio in tantam molem excreſcat radix vt ea quibuſdam in locis, *referente Matthiolo*, vltra centum libras pendat: addit ſe plura in agro Anouienſi vidiſſe, quæ triginta libras pondere attigerint. Refert *Leander* in Vmbria, Interamno Vmbriæ vrbe, rapa in tantam molem excreſcere, vt 33. libras excedant, & ab aſino vix ſeptem humeris deferri. Sic *teſtatur Plinius* ſe rapum vidiſſe 40. librarum. *lib. 18. cap. 13.*

Quantum ad vires ſcribit *Gal. 6. ſimpl.* Rapi ſemina Venerē excitare, vtpote, quæ ſpiritus flatulentos procreant: radicem verò concoctu eſſe difficilem, inflare & ſemen generare. *Idem 2. de Alimentis*, radicem & duram eſſe ante elixationem, & à cibis alienā: in aqua verò decoctum, mirum eſſe, ſi aliquid ex congeneribus plantis, minus nutriat. Hæc quidem *Galenus*, rapomaſtiges dicitur rapum, quaſi vitam rapiens, æſtuoſum, flatulentum, concoctu difficillimum, perturbans, nō mouens, à Dæmone in hominū perniciem donatum &c. Homines tamen Conditoris bonitatē vel in Rapi conditione animaduertentes, illud multiuariā, multiſq; modis præparare, & ad culinarios etiam vſus reuocare ſtuduerunt (cùm bene & valenter nutriant, modo bene digerātur) nam & in muria, & in aceto reponuntur vt totius anni decurſu, vſui eſſe poſſint. Succus naturâ craſſior eſt, vnde ſi quis vltra modum rapis vtatur, nec perfectè conficere poſſit, crudum in venis ſuccum congeret. Ad aluum emolliendam aliquid conferunt, potiſſimum bene percocta; nam & longam, & perfectam, atq; repetitam requirunt elixationem, priori aquâ, ceu flatulenta abiectâ (quod in omnibus eſculentis radicibus & bulbis ſtudioſè obſeruandum) ſi enim crudiora ingerantur, concoctu difficilliora erunt, & ventrem flatibus diſtendent, & ſtomachum eneruabunt; viſum tamen acuunt, vrinā cient, ventrem molliunt. Tuſſim tùm recentem, tùm antiquam, vt & catharros ſuffocatiuos mirificè iuuant ſecundum raporum dulcium (priore abiecto) decoctum cum ſaccaro cando violato, vel cum oleo amygdalino dulci; verum exterior cortex rapis demēdus, & prima decoctionis aqua, ante ſaccari additionem prius proijcienda, ſumpto duntaxat ſecundę decoctionis expreſſo ſucco. Idem remedium Nephriticis mirè prodeſt. Experientia quinetiam conſtat, latentes tùm variolas, tùm morbillos, Rapi ſemine expelli, ſi ad ℥ß. cum aq. fragorum hauriatur.

Inflat, alit, diræ confert coctura podagræ,
Flaccida ſed tantum naſcitur inde caro.
Obſtruit, & Veneris torpentes excitat igneis,
Semina, ſi metuas ſæua Venena, cape.

Rapun-

Rapunculus in agris nõ cultis, amœnis collibus, & in hortis etiã, & circa ſepimenta naſcitur, radice craſſâ, extuberãte, mediâ parte albâ, fragili, tenerâ, & ſubdulci ſucco præditâ, quarũ, etiam crudarum eſu in acetarijs homines plurimùm delectantur, maximè enim & guſtui placent, & appetitum excitant, licet craſſos ſuccos generent, inflent, & cruditatum prouentus faciant; quare parcâ admodum manu & potiſſimum cœnæ tempore, aſſumantur.

RAPHANVS:

Italicè Rauanello: *Gallicè* Raifort: Rafen: *Germ.* Rhettich.

Magna eſt inter Raphanum & Rupum affinitas; Raphanus etiã infimæ plebeculæ notiſſimus eſt, cùm eo valde delectetur, & ſeſe cum pane & ſalis momento ſuſtineat, atq; omnibus ferè gentibus non parum in cibatu placere videatur. Triplici autem diſcrimine notatur raphanus: alius enim dicitur maior, vitibus valdè inimicus: alius minor, qui aliquando & radicula ſatiua vocatur: tertius eſt raphanus niger, quem & raphanidem; Hortulani verò Reforum vocant. Quo autem maior fuerit raphanus, eo melior excalfacit quidem in tertio, & exiccat in ſecundo gradu, *teſte Gal. 8. ſimpl.* Agreſtis verò in vtroq; efficatior eſt: at ſemen lõge efficacius. Ineſt ei facultas digerendi, aperiendi, prouocandi, incidendi, extenuandi, rarefaciendiq;. Et *2. de aliment.* Radiculã ſolam, crudamque vrbani homines vt plurimum primâ manſâ ex garo ſumunt, alui ducendæ gratia, pauci autem acetũ admiſcẽt: Ruſtici verò frequenter cum pane & ſale eſitant, non ſecus ac allia, quæ nobis natura, non ars parauit obſonia, in quibus eſt origanum viride, noſturtium, thymum, ſatureia, pulegium, ſerpillũ mentha, calaminthum, pyrethrũ, eruca: Quippe hęc omnia viridia eduliorum ſunt obſonia, vna cũ illis ſumpta, ſuntq; herbacei generis plantæ. Radiculæ caulis quoq;, & folia nonnunquam eduntur, ſed neceſſitate magis, quam ſpõte. Radix in eorum eſt numero, quibus obſonij potius, quam nutrimenti nomine aſſiduè veſcimur; ante alios tamen cibos aſſumpta, eructationes nidoroſas excitat, dentibus & oculis nocentiſſima, poſt cibũ ſumpta, concoctionem iuuare quidam ſcribunt, nullus tamen illos hactenus citra damnum imitari potuit. Hodie à quibuſdã radix in taleolos ſecta, carnium iuſculis incoquitur, vbi & fætorem illum graueolentem deponit, & iuſculo gratiſſimũ addit ſaporem & vim diureticam ſubminiſtrat: vim enim extenuatoriam gerit radix, cum qua conſpicuè vna calefacit, acris enim in ea qualitas exuperat. Caulis verno tempore in altum exurgens & excauleſcens, elixus, eſtur ex oleo, garo

& aceto, vt & raporum caulis, betæ, ſynapi, & lactucæ, magisq́; nutrit caulis ipsâ radice, vt qui acrimoniam in aqua deponat, licet minimam & ipſe alendi poteſtatem habeat. Radix recens minutim inciſa, & vino albo meraco inſperſa, ac recenti cum butyro in ſartagine fricta, & pubi admota, remorantem vrinam potenter ciet: Idem & ſuccus, & deſtillatus eiuſdem liquor hauſtus præſtat, cùm ſit præſentaneum ad calculum expellendū remedium. Sequenti etiam modo paratur liquor ſtillatitius ad Nephrytidem vrinamq́; ciendam præſtantiſſimus. Recipe Radicem raphani in tenuas lāmellas diſſecti, aff. q. ſ. affunde ſtillatitiam de raphano aquam, digere aliquot diebus deſtilla, deſtillatum nouæ radicis affunde, digere vt prius, deſtilla: hoc opus 3. repete, habebis tandem præſtantiſſimam aquam ad 2. cochlearia exhibendā. Eadem radix contuſa, acetoque roſaceo reſperſa, & pedum plantis impoſita, calidas febrium in caput exhalationes potenter reuocat, & ad ima reducit. Raphano ruſtico quem & marinum vocant, guſtu acerrimo, ſynapis haud abſimili prædito, vniuerſa paſſim vtitur Germania ad varios carnium intinctus, qui licet appetitum mirè excitet, caput tamen & oculos grauiter lędit, nidoroſasque mouet eructationes, excalfacit, exiccatq́; ordine tertio, aperit, incidit pellit, prouocat, attenuat, & abſterget. Radix trita, vinoq́; albo, & recenti butyro, & ſcorpionum oleo perfuſa, calefacta, atq; pubi admota, feſtiuiſſimè quoq; vrinā ciet, ſiue dolor ſit ex renum calculo, ſiue ex craſſa, lentaq́; pituita, veſicæ ceruicem obſtruente. Idem facit vinum Raphanite.

Ille replet vacuam ventoſis flatibus aluum,
Ante cibos noli ſumere, crimen habet.
Attamen & laudem, ſenſus quia reddit acutos.
Et ſunt ante cibum qui magis eſſe probent.
Hinc eat, aut Raphanus poſtremo accumbat in orbe,
Menſa magis ſapida ſi ſit onuſta dape:
In caput & dentes, limoſoq; igne in ocellos
Sæuit, & hunc ſtomachus nauſeat aſsiduè.
Morchio eum colat, & fungi cui cura Nicander
Quæq; amat æternas fæmina pulchra comas.

SISER.

Italicè Siſaro; *Gall.* Giroles; *Germ.* Gierlin: Garten Rapuntzell. *alijs etiam* Zuckerwurtzell.

Siſer, quibuſdam Carota alba, gratiſſima quoq; eſt, & iocundiſſimi ſaporis radicula. Huius enim præſtantia allectus Tiberius Imperator *teſte Plinio lib. 19. cap. 5.* ſingulis annis è Germania, in Italiā, vbi non ſeritur aduehi curauit: nam & ſtomacho vtilis eſt, & palato, ob dulcorem, acceptiſſima: Ineſt autem longitudini neruulus, factâ decoctione eximēdus. Vires collapſas in conualeſcentibus ſupramodum reficit, renū calculos, & arenulas pellit, morantes menſes ciet, genitale ſemen mire auget, impotentes & frigidos ad venereos amplexus ſtimulat. Cocta ſeu elixa radix cū pingui

pingui iusculo, piperis, & recentis butyri momento, à Magnatibus comeditur; quandoq; fricta etiam mensis apponitur.

Si lautus quaeris stomacho indulgere tenello
Et cupis ex horti vescier ipse cibis.
Nulla tibi radix sapido arridere palato
Nec poterit succo gratior esse tuo.
Sedat singultus, lentamq; inuitat orexin,
Et sedat ventris tormina quaeq; tui.

TVBERA:

Italicè Tartufole; *Gallicè* Truffles; *Germ.* **Grübling/Hirtzbrunst.**

Truffae, seu Terrae tubera, quae scilicet Terra occulta quadam facultate in se parit, conglobat, & sponte seu superuacanea excremẽta foras proijcit; *Plin. lib. 16. c. 2.* existimat tubera nasci cũ fuerint imbres autũnales, & crebra tonitrua, & maximè à tonitribus. Effodiuntur à rusticis certis & sibi peculiari studio cognitis locis, quod à Magnatib⁹ maximè in caenis expetãtur: Et mirũ sane: Nam ob inexistentis terrestris & crassi humoris copiã, nullũ nec saporem, nec acuminis, aut morsus qualitatem obtinent, sed ob malignitatem, & humorum, quibus nutriuntur corruptelam, sępe venenis adscribuntur, pręsertim viscosiora, & exterius rubeo colore tincta: Nam aegrè concoquuntur, atrabilares, & crassos gignũt humores, magis quam caetera ciborum genera. Hinc fit, vt frequẽter deuorata, ventriculo summè noceant (nisi optime aromatibus condiantur) apoplexiam & paralysin, colicam, ischuriã, syncopem & ipsam saepe mortem excitent, vt multorum testatur experientia.

Terra ferte, aqueoq; madentia Tubera rore
Alba, famescentes sint nigra vestra coqui.
Vltima sint nostrae post pulmentaria caenae
Mixta sit in nostris vt Venus ipsa iocis.
Si turgent, aequum est, ventosa tonitrua & imbres
Haec generere, piper, chiaq; vina bibam.
Sic faciles stomacho, sunt adducentia chymos,
Nec vesica tumet, nec dolet Iliacus.
Cui caput obtusum, & triste est, mollesq; lacerti
Exeat, his tantum Tubera caena negat.

Boleti autem (quos Ceruinos vocant) paulò sunt salubriores, & sicciores prae caeteris; omnium maximè Venerem stimulant, eo quod flatus copiosè excitent. *De Boletis sic olim Martialis.*

Dum cauet Astrologus perituris sydera amicis,
Dum sibi Boletos non cauet, ipse perit.

FVNGI:

Italicè Fonghi; *Gall.* Campignon, & Mouceron; *Germanicè* **Pfifferling.**

Fungi, vti & Tubera plantae non sunt, cùm nec radices, nec folia, nec flores, nec semina alãt, sed nihil aliud quam terrae, arborum, lignorum putridorum, rerumq; putrescentium excrementa, superfluaeq; humiditates dici merentur, eo quod omnes & fũgi, & tubera (maximè quae edendo sunt) è tonitribus, & pluuioso coeli statu oriantur: vnde *Poeta*

Et facient lautas optata tonitrua caenas.

Plura ac diuersa eorum, quae in cibis expetuntur sunt discrimina: (de fungis enim maleficis ac venenatis nihil nobis hoc loci dicendum) Primum est quod fin-

gulis annis primis Aprilis imbribus erumpit, quod nō solùm eximium spirat odorem, gustuique gratissimum est, sed etiam omnino innocuum habetur, Italis dicuntur Prignioli: Gallis Truffla: Germ. Morrauchen. Secundum locum obtinent, qui Porcini vocantur, prius enim elixi, ac demū farina circunditi, & oleo, aut butyro fricti, magnam quidem cum palato ineunt gratiam, at cum in suo genere cæteris plus malignitatis obtineant, rarior illorum vsus, & cautior sit oportet: Hi fungi asseruantur Muria, hoc enim modo parati innocentiores euadunt.

His succedūt Fungi, quos Boletos, & Amanitas vocant: Germanis Heiderling/& Drüschling: Gallis Campiniones dicuntur, quod in campis, locis aridiorib⁹, & iumentorum pascuis, primis Iunij imbribus rotundi, latique erumpant. His antequam in cibos veniant, superior liuescens detrahenda pellicula, mox facta in aqua leui ebullitione, extrahuntur, & butyro, aromatibusq; condiuntur. Quidam auulsa tantum superiore membrana, super prunas addito sale & butyro ac pipere conditos, & assatos vorāt.

Huc pertinent exigui illi fungi qui Maij initio in colliculis aridioribus, & pratis siccis reperiuntur, nostratibus Moucherones dicti albidi, & duriusculi, vino infusi, iocundo, & grato illud perfundunt & sapore, & odore, condiuntur etiam & coquuntur pingui carnium iusculo, pipere, & sale.

Aliud Fungorum genus in cibis expetitur, quod in altissimis & tenebrosis syluis reperitur rotundum, candidi prorsus coloris; reperiuntur quandoq; disco etiam latius, lacteum feruentissimi ac piperis instar linguam ferientis saporis humorem profudentes. Hos fungos orbiculatos Germani Pfeferling, ab acri & piperino gustu vocant, quos paupercula plebs sale respersos carbonibus ignitis assare, & obsonij loco adhibere consueuit.

Nascuntur & alij Fungi in vliginosis syluis, quandoq; cincinnati, splendidi ac lutei coloris, quos Germ. Rhöling vocāt, *Galen.* forte Amanitæ dicti. Et hi culinis inseruiunt, & post leuem ebullitionem butyro, zingibere, aceto, & cæpis minutim incisis condiuntur, quamuis humidi sint, & prauæ digestionis.

Reperiuntur & alij huius generis fungi in humidis, & vliginosis syluis, in digitorum quasi formam dissecti, vnde & digitelli vocantur, musco antiquis arboribus adhærenti similes, coloris partim prorsus lutei, partim ex albo pallidi, & rosei; Germ. Hendelschwam. Succosi sunt, frigidi, improbæ, difficilisq; digestionis, & omnino insalubres.

Insuper in altissimis quibusdā

montibus

montibus & ſyluis proueniunt fungi punicei coloris, pratenſiū fungorum, quos Boletos vocant magnitudinem haudquaquā excedentes, lacteum & dulcem manantes ſuccum, Germanis Brötling dicuntur, & quandoq; crudi vorantur.

Menſis quoque Auguſti initio circa Quercuum antiquiſſimarū radices reperitur Fungus magnꝰ interaneorum vituli formam referens incani, & plumbei coloris qui aliorum fungorum more paratus, editur.

Et hęc potiora ſunt Fungorum eſculentorum diſcrimina, quæ etſi non lædant, quod venenatâ careant qualitate, lædunt tamen quod plerumq; pleniore manu ſumātur, quam ventriculi robur ferre poſſit. Fungi enim naturâ frigidi ac humidi pleriq;, ſiue tubera, Amarantas, Boletos, orbiculatos &c, elegeris, nec modico lentore ſcatent, vnde niſi probè coquātur, aromatizentur, & alio quouis modo optimè condiantur, ſua qualitate, natiuo corporis calore deuicto, ſuffocant, ſtrāgulant, & niſi maturè adſit Medicus, antidotis inſtructus, interimunt. Proinde caueant ſibi, qui eiuſmodi mortis delitijs, ac lenocinijs delectantur. Læthales ſunt multicolores, virides, cæſij. Tantam tamen cum palato iniēre gratiam, tanta hodie interceſſit gratia fungis cum Magnatum menſis, tanta hominibus inſeritur gulæ libido, luxus, & incontinentia, vt licet fungi plerumque necis ſint hoſpicium, inconſulto tamen, & magno apparatu in delicatiſſimorum ciborum cenſum & vſum venire conſueuerūt. Nunquam tamen ſumantur, niſi prius cum pyris aut ſyluaticis, aut domeſticis acerbis coxerint, cū pyra ſint fungorum antidota.

Biſſenos poteras irritamenta malorum
Ferre liber fungos: cura ſit iſta Coquo.
Vndenos ſatis eſt ſubire putredinis vdos,
Dicere frigentes eſſe, grauesq; nimis.
Hi tamen inter ſe cum diſtent, Claudius edit
Coniuge Boletos dante magis nocuos.
Si placeant, tabidi caueas contagia ferri,
Cumq; venenatis, putrida quæq; locis.
Quisq; nocet capiti, ſtomacho, caligine ſenſus
Velat, & eſt cordi pernicioſa lues.
Niq; ſalutiferi medicamina pura falerni
Hauſeris, vrinæ vix erit apta via,
Fange vale, genium nil miror, nocte ſub vna
Sic properant tabido noxia quæq; pede.

FVNGVS LYNCVRIVS.

Vltimus expoſcit primos ſibi Lyncis honores
Fungus, honoratas dignus adire dapes.
Igneus eſt, iecori, & renum medicina lapillo
Veſicæq; datur, prandia grata gulæ.
Quod lapide eſt ortus forſan mirabere? mirum
Grandius eſt, lapidem mox alit ille ſuum.

Solanum Eſculentum.

Huic capiti coronidem impoſituri, in mentem venit Solanum illud tuberoſum eſculentum, & potiſſimum quod nunc in hortis colitur, & Hiſpanicum vocatur, cuius radices bulboſæ hodie in eſcam venire, & menſis apponi conſueuerunt, & à multis in delitijs habentur, licet duræ digeſtionis, & craſſi ſucci videantur, flatusq; excitent, ideo & Veneris

irritandæ

irritandę, & seminis augendi causa potissimum exhibentur; elixantur autem mox illâ decoctione ablatâ, pingui carnium iusculo, pipere, & sale &c, condiuntur: nō rarenter etiam carnibus pinguioribus, vt & gallinis incoquūtur; assantur subinde ad prunas, tuberum instar, & sale, ac pipere inspersis à plebeis vorantur.

CAPVT XXVII.

De Frugibus & Granis in alimentorum vsum venientibus.

DVOBVS potissimum ex generibus, præcipua ad humanam vitam alendam, annonæ ratio comparatur, & comparata asseruatur: Herbarum seminibus, ex quibus panis cōfici potest; ad quæ legumina velut subsidia referuntur (de quibus præsenti, & subsequente capite agemus) & arboribus, at ijs duntaxat, quarū fructus vel calcati, vel aliàs prælo compressi vel potui aptum liquorem, vel pinguem omnino olei succum remittunt, & diutius duraturum præstant, modo tempestiue & parentur, & asseruentur (vti de singulis suo loco disseremus) ita vt hisce tribus generib⁹ omnem oportunissimi, & maximè communis victus hominibus comparandi vim inesse videamus.

Frugum autem ex quibus panes conficiuntur, duo sūma sunt genera: Frumenta, & his, vt diximus subsidiaria legumina; Illa à fruendo Varroni dicta omnia, quæ spicas habent; Legumina verò quæ siliquis seu thecis includuntur. Frumenta propriè sunt, quæ aristas habent; fruges, reliqua; vtraq; à fruendo dicta; nam frumen dicitur summa gulæ pars, quod aliàs rumen, inde, rumino.

Granorum delectus.

Grana in genere solida, grauia multum farinosa, & parum furfuracea, optimi & multi sunt alimēti, nec facilis dissolutionis, & talia optimè roborant. Ab ijs autē abstinendum, quæ grandiora & teneriora sunt, quam natiua ferat temperies, multis enim superfluis humoribus scatent, qualia sunt grana adhuc recētia, quæ ante 7. menses in alimentum venire haud solent, aut debent eo quod viscedine etiamnum abundent, sintq; cruda, & flatulenta. Antiquiora verò nondū mucida, aut corrupta, minoris quidem sunt nutrimenti, at facilioris tùm digestionis, tùm dissolutionis, ideoq; ad vitam producendam, valetudinemq; conseruandam oportunissima.

Quæcunq; grana pessimi odoris, & ingrati saporis sunt, eo scilicet quod diutius nō studiosè vel mutata, vel ventillata fuerint, naturamq; suam exuerint, omittenda, tùm quod natura eo offendatur odore, & sapore, ea respuat, inde corruptio & putredo; tùm quod sāguis inde genit⁹, pessim⁹ sit, melancholic⁹ & venenatus.

Grana

Grana quæ naturâ vel magna, vel parua ſunt, grauia tamen, & tardioris maturationis, magis ſunt farinoſa, magisq; nutriunt, & roborant, quamuis durioris digeſtionis, & tardioris diſtributionis. Rara verò tenera, leuia, multisq́; furfuribus abundantia, parum quidem nutriunt, at tuendæ valetudini vtiliora ſunt, cum facilius digerantur, citiusq́ue à membris diſſoluãtur: Media demum inter vtraq;, & confortandis membris, & ſanitati tuendæ optima ſunt. Sed de his, iam ſigillatim.

HORDEVM:
Italicè Orzo; *Gallicè* Orge;
German. Gerſten.

Hordeum in cibis antiquiſſimum fuit, *Iſidoro* ſic dictum, quod præ cæteris frumenti generibus aridum fiat (nam inter primas fruges demetitur) vel quod ſpica eius ordines habeat. Quid ſi dicatur Hordeum, quaſi manſuetioris cibi exordium? Hordeum licet inter frigus & calorem temperatum videatur, paulo tamen magis ad quandam frigiditatem accedit. Etſi Medicorum quidam tradiderint. Hordeum probe coctum eſſe ſemiſanguinem, conſtat tamen illud, aliorũ granorum reſpectu minoris eſſe, & imbecillioris nutrimenti, ideo Seruator noſter Chriſtus, ingentem hominum multitudinem re fecturus, quinq; panes hordeaceos, & paucos piſciculos accepit, vt inde maior illius potentia eluceret.

Fit ex Hordeo Ptiſana, Hordeatum, Cremor, Mulſa, Polenta, & conſimilia eduliorum genera, in morbis acutis oportuniſſima, vt paſſim videre eſt apud *Hippoc. lib. de victu acutorum*: Præſertim verò Ptiſana, quæ febricitantibus omnibus eſt & medicamentum & alimentum; Nutrit enim & medetur, & nutriendo vicem potus præſtat, & cibi, ac ſuauiter operatur, inſtar ſucci halicæ, vel orizæ.

Hoc tamen ſemper ſtudioſe obſeruandum, vt in culinis probè, debiteq́; coquatur hordeum, quo minus in languidiore ventriculo, vel areſcat, vel corrumpatur, vel (quod ferè fit) in flatus abeat.

Hippocrates autem Ptiſanam hordeaceam miris laudib⁹ effert, quod febriles calores extinguat, quocunq; enim modo paretur, nunquam calefacit, at ſemper frigida manet; humectandi autẽ & exiccandi vis, variè, pro variâ præparandi ratione augetur.

Ptiſanæ præparatio.

Vt autem optima paretur Ptiſana, ſumitur Hordeum vel integrum, vel à ſua gluma caſtratum, carnoſũ, nullius aduentitiæ qualitatis particeps, nõ nimis recens nec vetuſtum aut corrugatũ nimis; Hoc modo ſelectum, in vas conijcitur amplum, eiq́; affunditur aquæ ſimplicis puræ, vel fontanæ quantum ſatis, ne aliqua ſuperfuſione ſit opus, id eſt, ſint 20.

partes aquæ, ad 1. partem hordei; deinde lēto igne coquatur, quoad tumescat hordeum quàm maximè, & cremari incipiat. Mox omnib9 ab igne remotis, in mortario hordeum tunditur (si antea integrum sumptum fuerit) vt extremo cortice, & quicquid glumosum fuerit, excutiatur; tum manibus fricatur, à furfurib9 purgatur. (quod si prius deglumatū fuerit, hac operâ supersedendū.) Tandem adhibitâ aquâ probatissimâ diutissimè coquitur, vt flatus omnes deponat, & in succum leuem, continuum, æqualem, & lubricum, quem cremorem vocamus abeat; qui modo colatus, modo non colatus exhibetur.

Hodie sic commodissimè paratur: Recipe Hordei optimè decorticati vnc. iij. Coquatur lento igne in aqua limpidissima, quæ tamen post leuem ebullitionem proijciatur, ceu cruda, & flatulēta; nouâ aquâ affusâ vel caponis, aut gallinę iusculo coquatur blādo igne per 4. vel 5. horas, mox glutinosus succus per colum agatur; colaturæ affundatur sacchari optimi vnc. j. iterum leniter coquatur, vt crassior habeatur succus, & magis nutritorius. Hic succus hordeatus mirificos adfert sanitatis fructus: Est enim victus humidus, & qualitate & consistentiâ omnibus febricitantibus conueniens; humorum item putrium vim infringens, cùm mitis sit, leuis, ęqualis, & moderatè humidus, causæ morbificæ partem pepasmi participem, leuitate ad coctionem iuuans; partem verò pepasmi expertem, lubricitate excludens, & fluiditate obstructiones aperiens: Stomacho item gratum est istud hordeatum, omnibus & qualitatibus & tota substantia; præterea succi familiaritate cum nostra conuenit natura: omnis molestiæ expers, nā sitim inducere nequit, nec in bilē vertitur, nec calfacit, nec obstruit, nec stomacho tumultum infert, quia omnis flatus expers, vt merito concludere possimus, ptisanam, seu hordeatum nostrū, esse omnium cerealium cibariorum præstantissimum, & ad vitam propagādam maximè idoneum. Ex hordeo quinetiam quibusdam in locis præstans paratur cereuisia, & ex eius fæcibus destillatur spiritus ardens, spiritus vini adinstar, multi & vsus, & magnarum virium.

Sicca gelu parui, modicæ sunt Hordea cœnæ,
Febribus in calidis, pectoribusq; pares.
Inflant, occlusæ vesicæ claustra relaxant:
Discutiunt flatus Hordea cocta tuos.

Z E A.

Italicè Spelta: *Gallicè* Espeautre: *Germ.* Dinckel & Kinkorn/ Speltz.

Ad hordei familiam refertur vtraque Zea, vulgo Scourgeon, quasi succurrens genti dictum, ex qua apud veteres fiebat Attica potio, sic dicta, quod aleret corpus. E Spelta leues efficiuntur

Malic laus Vires

tur panés, concoctu faciles, nec ingrati gustus, & optimi nutrimẽti. *Galen. 6. simpl.* Scribit Zeam suâ facultate quodammodo in medio Tritici esse & Hordei.

Spelta venit melior, minimo tepefacta liquore
Cui tribuunt primos Hordea, farq; gradus
Mira sed hinc res est, Speltâ minus Hordea prosunt,
Et tamen hæc auidis primi vorantur equis.

Halicæ laus & vires.

Ex Zea quoq; fit Halica, quæ ipsâ Orizâ plus alit, quæ aluum magis cohibet, & stomacho longè gratior existit. Halicam *Galen. 1. de Aliment. facult.* maximè laudat, cùm scribit: *Halica etiam ex genere Tritici est, quæ valenter nutrit, lentumq; succum habet, siue in aquam duntaxat coctam cum mulso, aut dulci vino, aut etiam astringente sumas, siue ex ol[illegible], saleq; conditam. Qui autem per [illegible]nitatem, ob vehementem ventris mordicationem, siue à biliosi humoris copia, siue aliunde profectam, sorbitione egent, ij Halicã affatim coctam, quoad teneram flacciditatem adepta colliquescat, deinde colatam, & conditam, vt colato ptisanæ cremori persimilis sit, sorbẽdam sibi exhibent.* Ita constat Halicam non ex Zea duntaxat, sed & ex Tritico, & alijs frumentaceis fieri.

ORYZA:
Italicè Riso: *Gallicè* Ris:
Germ. Reiß.

Oryzam quoq; nonnulli Hordeum distichum, & galaticũ nominant. In cibis admodum est familiaris, concoctu facilior, & origratior euadit, vbi ex optimo lacte, saccaro, aut amygdalarũ cremore, aut pingui carniũ, vel gallinarum iusculo decocta fuerit. Mediocriter nutrit quidem, at obstructiones parit & aluum supprimit: Ideo antequã coquatur, per noctem aquâ maceratur, sicq; minus obstruet. Dysentericis, Lientericis, Cæliacis, atq; dyarrhæâ affectis vtile alimentũ, præsertim vbi pri⁹ torrefacta, in lacte, in quo candentes lapides fuerint extincti decoquatur: In caponis iusculo decocta, addito saccaro, & cinamomi modico, semen augere creditur, difficilius tamen quàm Halica concoquitur,

Cum tepeat ventrẽ retinens, & amygdala iungi
Lacte vel exposcat, siccat Oriza magis.
Sic pulmenta feret tibi plurima, si tamen infles
Nequitiæ poterit promptior esse tuæ.
Sed moneo, patinas vexat diuturna calentes
Siste parum, stomacho fiet & apta tuo.

TRITICVM:
Italicè Formento: *Gall.* Forment:
Germ. Korn/Weitzen.

Triticum quod principem inter fruges seu frumentacea locũ obtinet, *Varroni* dicitur, quod spicis tritum sit. *Isidoro* verò à tritura quod purissimum horreo condatur: è cuius farina, præsertim Siligine (quam Tritici florem: *Plin. libr. 18. cap. 8.* Tritici delicias: *Homerus* ὀλιραμ vocat) præstantissimus conficitur panis. Sit autem Triticum densum, solidum, graue, fractu difficile, exterius cerei seu flaui, interius verò albissimi coloris, in superficie lucidum, & lene, è pingui & crasso solo natũ,

 in plaga

in plaga ſeptentrionali ortũ, nec recens, nec vet⁹ nimis. E tali tritico laudatiſſimus paratur panis, cremores, pulmenta, placẽtulæ.

Huc referendum Frumentum Indicum, non Turcicum, vt perperam vocant, cùm non è Turcia ſed ab occidentalibus Indijs ad nos fuerit delatum: farinam mittit candidam, è qua panes quidã dulces pinſunt, at craſſioris ac viſcoſioris ſubſtantiæ, adeo vt craſſius etiam reddat alimentum, & facile obſtruat, caputque tentet. Qui nouum orbem, & Hiſpaniolam perluſtrarunt, tradunt frumenti ſpicas adeo ingentes reperiri, vt humano brachio æquentur, & ſingulas ſpicas duo granorum millia continere, illudq; frumentum Februario ſatum, Martij menſis exitu exactè maturum demeti. Scribunt etiam Hiſtorici Africam in re frumentaria, omnes regiones ſuperare, & ibi frumentum in tantam altitudinem augeri, & adoleſcere, vt ad quinque cubitorum proceritatem aſcendat, eiusq; calamos humano digito non eſſe minores; reddere autem fructũm ad 200. quin & ad 400. grana, & bis in anno meti: ac poſt prima ſata, vlterius nõ ſeri, quod ſponte exurgant grana, quæ, *teſte Strabone lib. 17.* à maturis ſpicis excidere conſueuerunt &c.

E tritici, vt & ex aliorum frumentaceorum granis inter ferri laminas igne calefactas compreſſis oleum fit, quo ad vlcerum ſinus, ad pedum, manuumq; fiſſuras à frigore excitatas vtuntur. Fit etiam ex tritico vt & ex alijs tũ granis, tum ſeminibus ſpiritus ardens, præuia debita fermentatione, ad reparandas collapſas vires, aliosq; plures vſus.

Prima tibi aerea occurrunt frumenta, maniplos
Excute ſubruſſa, & grandia grana teras.
Plenius hæc repleant, fomẽtaq; plura miniſtrẽt,
Nulla magis Cereri grata corona datur.
Frumenti furfur acri decoctus aceto
Mollia quæ turgent vbera, lacte facit.
Diſſoluit colicos, ſtomachi, vrinæq; dolores,
Et tumidum tollit ſæpe Lienis onus.
Fermentum tenuat callos, tubercula quæq;
Concoquit, & duro robore cuncta trahit.
Emollit panis tùm phlegmone concita mulcet,
Hoc, poſitâ paſcit corpora glande Ceres.

Huc FAR pertinere videtur, proprium frumenti, vel Tritici genus, antiquis Adoreum vocatum, è quo Far ipſum paratur, à Zea longè diuerſum, cùm *teſte Plinio*, ij qui Zea vtuntur, farre careant. E farre autem variæ quoq; parantur ſorbitiones, & pulmentaria, plebeorum vſui deſtinata.

Far.

Farra calent nimium ſiccata, his eſca tenacis
Sumpta cibi eſt, mollem ſaccara conficiunt.
Si ſtomachum & pectus refouebunt, quàm bene dictum eſt,
Saccara non vllis poſſe nocere cibis.

FAR quinetiam de omnibus fructibus apud veteres dici eſt ſolitum, quod id terra ferat. Vnde farcio, quod proprie eſt, ſaturo, quaſi farre impleo. Et farrum cibi genus, quod *teſte Plinio* Dijs in ſacrificiis offerebatur. Vult & *Iſidorus* Far ab edendo dictum, quoniam

niam primò eo vſi ſint Romani, (vnde & farina à farre dicta) ſiue quia in ſacrificio panis è farre ad aras offerebatur, vnde adorea ſacrificia dicta; ſicut etiam adorea laus, quod glorioſum putabatur farre abundare. Dictum etiam *Iſidoro* Far, quod initio frãgeretur, cùm apud antiquos molarum vſus nondum extiterit, ſed frumẽtum in pila miſſum, frangebatur, quod erat molendi genus.

SECALE, ſeu FERRAGO:

Ital. Segala: *Gall.* Seigle blanche: *Germ.* Korn oder Roggen.

Secale refrigerat, & humectat ordine primo, abſterſione non vacat, mollificat, lenit, digerit, eiuſq; decoctio enematibus adaptata, ad colicam edomandam adhibetur. Sordidos efficit panes, agreſtibus hominibus idoneos, amarulentos, & lentos, atque facile permeabiles: minus alit, quã vel triticum, vel hordeũ. Farina cùm glutinoſa & emplaſtica ſit, vtiliter emplaſtris pus mouentibus adhibetur.

AVENA: ΒΡΩΜΟΣ.

Ital. Vena, *ſiue* Gena: *Gall.* Auoine *Germ.* Habern.

Auena, etſi apud pleroſque in iumentorum alimentum cedat, quædam tamen nationes ex Auena ab aceribus prius repurgata polentam auenaceam conficiunt, qua multùm delectantur; non rarenter carnium iuſculis incocta, in cibũ ſalubrem cedit. Ex eiuſdem farina annonæ tempore panis paratur, licet parùm nutriat. Puls item auenacea, Germanis militibus hodie admodũ eſt vſitata, quæ ex denſa Auena, butyro ſufficienti, & ſale condita, in magna Ahena ſuper ignem cocta, in vaſis reponitur, ac cum reliquo commeatu in bellũ conuehitur; poſtea cùm quis particulam, ad pugni muliebris magnitudinem inde deſumit, aquâ ſuperfusâ ad ignem coquit, mediocris magnitudinis paropſydẽ complere, tres vel etiam quatuor ad ſatietatem vſq;, famem exinde ſedare poſſunt. Cibos enim ſalubres præbet Auena *teſte & Galen.* & experientia. Pro hordeacea farina, hac vti licebit, cataplaſmatis vice, contra inflammationes; refrigerat enim vt medicamentum, licet vt alimentũ, calfacere queat.

Pabula Cornipedi dat Equo cerealis auena:
Si ſapis, hinc pultes, qui malè viuis, ede.
Siſtitur ex vſu venter laxatus Auenæ,
Decocti tuſſis ſorbitione grauis.
Hic Equus impulſus ſtimulis generoſior ibit,
Cùm tuba clangiſonâ prælia voce canet.

MILIVM:

Italicè Miglio: *Gallicè* Milet: *German.* Hirß.

Milium à granorum multitudine dictum; è quo deglumato pultes, ſeu pulmenta, modo cum aqua, modo cum carnium iuſculo, aut lacte parant ruſticani, pulmentum miliaceum dictũ, quod cũm refrixerit, in partes ſecant, & in ſartagine cum butyro frixant, vorantque, quo alimento toto

ferè anni tempore victitant. Ex eiusdem farina panis paratur, qui adhuc calens è clybano solùm exceptus comeditur, suaq; dulcedine placet; at cùm obduruit, admodum est ingratus. Refrigerat, exiccat, paululumq; tenuitatis obtinet, & inter omnia frumētacea edulia, minimum nutrimēti confert, ventremq; desiccat.

PANICVM.

Ital. Panico; *Gall.* Paniz: *Germ.* Remich/Heidelfemich.

Panicum à paniculis dictum, quibus semen inest; siue quod in multis regionibus homines eo panis vice vtantur, quasi panis vicium. Eiusdem ferè facultatis est panicum, *teste Galen. 6. simpl.* cum Milio; adstringit enim siccat, refrigerat, & pauci est alimenti, vētrisq; fluores, milij instar sistit. E granis deglumatis pultes etiam parantur, cum lacte, iusculis, & simplici aqua, ac butyro. Paratur & ex eiusdem farina panis, polētæ, pulmenta, cum lacte, & recenti butyro, at crassos & melancholicos succos, multosque flatus generat.

Sunt ieiuna, aluum durantia, grata dolori
Si Milia ignitis sint prius vsta focis.
Lacte incocta fouent, molli vel inusta liquore
Milium *Plenius, at cœnæ tarda tenacis erunt.*
Solis. *Alterius granum cum vino sæpius haustum*
In pueris lapidem comminuisse solet.
Panici vberior, leuioris mensa superbit,
Sæpius exiguis cedere magna solet.

CAPVT XXIIX.
De Leguminibus esculentis

LEGVMINA, seu Legumenta, siue etiam Legaria, voce Gallicâ, *teste Varrone*, à legendo dicta sunt, quod nō secentur, sed vellendo legantur: omniū enim ferè Leguminum semen in siliquis nascitur, vt Cicer, Eruum, seu Orobus, Aphaca, Fabæ, Pisa, Lentes, Lupini, & Phaseolorum varij at multiplices colores, & quæ plurima alia, generis huius amplissimi reperiuntur, partim regionibus omnibus communia partim exotica, & certis terris familiaria. Legumina in genere crassos, viscidos, lentos, concoctu difficiles, oculis & stomacho graues, & flatulentos generant succos, pisis exceptis, quæ *teste Galeno* inflatione carent, modo rite parata ingerantur.

FABA, ΚΥΑΜΟΣ.

Italicè Faua: *Gallicè* Febue: *Germ.* Bonen.

Faba, quasi plaga ἀπὸ τὸ φαγεῖν à comedēdo dicta, quòd primùm Homines hoc legumine vsi sunt; quæ secundum *Galen.* fæcunditatem, *teste Mercurial. lib. variar. lect.* secundum Pythagoricos autem sterilitatem affert, ideoq; Pythagorei à fabis abstinebant, licet olim fabam viridem post carnes, bellariorum loco esitatam fuisse legamus. Inde illud Prouerb. *De Fabis victitare*; quod de homine sordido, & nimis tenaci auditur, qui

qui etiam fabarũ furfuribus ſeu recrementis veſcitur.

Fabæ in AEgyptio ſolo, *referẽte Strabone lib. 17.* non procul ab Alexandria vrbe in arborem ferè ſurgunt: nam ſub vna conuiuantur, tametſi noſtris fabis conueniant; illarum tamen foliorum tanta eſt amplitudo, atq; durities vt cùm ſuapte natura concaua ſint, poculi miniſterium, nullo prorſus adhibito artificio, catinorum, atq; paropſydum vicem reddant: quin & in vrbe ipſa Alexandria, ad hos ipſos vſus folia publicè venditantur. Atq; ita fit, vt Faba vna tegumentum, vmbraculumque multis conuiuis præbeat, pocula, paropſydes, ſimul quoq; eſculenta, panem ſcilicet & obſonium; & quod vtiliꝰ eſt, plurimos durare ſolet annos is fructus: Pyrrhi enim Regis ætate, *teſte Plinio lib. 18. cap. 30.* quodã ſpecu Ambraciæ vſq; ad Pyraticum Pompei magni bellum, duraſſe annos circiter 120. faba cõperta eſt. Ineſt tamen fabæ ſuum malum, quod miremur: Fabarũ enim ſiliquæ, vt refert *Clemens Alexander Strom. libr. 3.* ſi ad arborũ nuper plantatarũ radices ponantur, plantæ ipſæ exiccãtur: quin etiam gallinæ domeſticę fabis aſſidue victitantes, ſteriles efficiũtur, quod & mulieribus accidiſſe obſeruatum eſt, vt non immerito Pythagorici, fabas ſterilitatem afferre, dixerint.

Cæterum fabæ caro nonnihil abſterſoriæ, cortex verò aliquid adſtringentis facultatis obtinet. inflant etiam *teſte Galen. 1. de Alim.* quocunque modo parentur, & quantuncunq; coquantur. Recentioribus & adhuc lacteſcentibus, multi modo crudis, modo reiectis thecis aut ſiliquis, lactis capitè, recentiué butyro, addito & petroſelini minutiſſimè diſſecti, & piperis momento, inter duas patinas coctis voluptuoſe vtuntur; ſiccis fabis vulgus Quadrageſimæ potiſſimũ tempore vtitur, è quibus pulmenta, & varia edulia, multo tamẽ butyro cõdita parat, quibꝰ tamẽ & modicè & ſobriè vtendum: Nam fabæ vaporibus caput, oculosq; tentant, parum nutriunt, difficulter & cõcoquũtur, & diſtribuuntur, craſſos, viſcidos, lentos, flatulentosque ſuccos & ſanguinem gignũt; ſuperiorem ventrem inflando, ſpirandi difficultatem augent, aluum reſtringunt; Hepar, Lienem venasq; meſeraicas obſtruunt, & ſurgentibus in cerebrum vaporibus mentem perturbant.

Vda prius, faba mox fit terrea, turgida ſemper
Eſt tamen, & poterit ſomnia ferre mala.
Freſa minus nocua eſt, craſſos parit illa liquores
Albentem intactam gurgulione legas.
Pectoribus, fluidæq; aluo vix commoda, ventri,
Et capiti eſt morbus, dedita teſticulis.
Hanc pipere, & celebri poteram condire culina,
Vendicat hanc vilis ſed ſibi ruſticitas.

PISVM.

Italicè Piſello: *Gallicè* Poix: *Germ.* Erbiß.

Piſa à Piſa loco, vbi olim copiſe naſce-

o se nascebantur; quæ diuersorū sunt generum: Alia enim maiora quæ hortensia, quorum fructus virides ac rotundi, si resiccentur, angulosi fiunt, colore candido, aliàs sordido: hæcq; duplicia; vel enim præcotia sunt, vel serotina: eaq; vel sine folliculis comeduntur, vel simul cum folliculis, & leptoloba dicūtur: sunt quadrata, sunt minuta, quæ vel hortensia, & ramis affixis in altum scandunt, & ramulare pisum dicitur: vel in agris seruntur, & humi serpunt; & sunt vel alba (eaq; maiora, & minora) vel viridia, vel cærulea quæ maiora, vel ruffa, quæ & cinerea dicuntur; Sunt etiam nigra, est & pisum proliferum, vbi plures siliquæ simul iungūtur: Sunt pisa Americana rubra: sunt & syluestria.

Exiccant pisa fabarum more, paulo tamen remissius *teste Galen. 1. de facult. aliment.* non tamen æque flatulenta sunt, nec abstergendi vi pollent, vnde & segnius per aluum secedunt. E rubellis & virentibus ac cæruleis pisis, optima parantur iuscula, præsertim si per setaceum acta à cortice liberentur. Pisa etiam tenera, & dum adhuc in thecis virent, sæpe cruda voramus, & tunc maximè flatus & cruditates generant; cocta verò & sale, pipere, butyroq; cōdita, præsertim leptoloba, delicatulis gratum præbent edulium.

Hinc tibi subduces ventrem si iuscula sumas,
Addito, nec flatu sunt nocitura, piper.

CICER:

Italicè Ceci: *Gallicè* Cices: *Germ.* Kücher oder Ziser Erbs.

Ciceres non minus quam Fabæ inflant *teste Galen. 1. de aliment.* at valentius nutriunt; maiorq; ijs quam fabis abstergendi vis inest, vnde ad calculos menses, partusque pellendos multum præstant: imo & cicerum rubeorum decocto vtimur post vnam vel alterā ab hausto medicamento laxante horam, quo felicius & assumpti medicamenti, & materiæ peccantis reliquiæ egerantur. Ciceribus adhuc virentibus, vt & fabis vescimur, cùm *teste & Dioscor. & Aetio* non solum vrinam mensesq; cieant, aluumq; moueant, sed etiam, cùm sit legumen valde alimentosum, lac & semen generant, vnde & equis admissarijs exhibentur. Cicerum farina ex stillatitia intubi aq. decocta, & hepati illita, illius tumores resoluit, Hyperici decocto mixta, serpentum morsibus medetur.

Feruet, & arescit Cicer omne, sed ignea vincunt
Subnigra, pulmoni prima alimenta tuo.
Hæc reduci formæ, & vocum concentibus apta
Si data sint mensas inter vtrasq; tibi.
Cortice non posito, renes, iecur, atq; lienem,
Vesicamq; fouet, lac parit vberibus.
Hæc bona sunt, turgent, sed aquosa virentia.
Tusci
Cur tamen in primis ortibus ista vocant?

LENS:

Ital. Lenticchia: *Gallicè* Lentille: *German.* Linsen.

Lens, Lenticula, Græcis quondam philosophis olim maxime in cibo

bo placuit, & apud Græcos magno in pretio fuit, vt passim ex antiquorum monumentis constat. Inde Stoicorum dogma erat, *teste Athæn. lib. 4. Sapientem omnia rectè agere, & Lentem diligenter condire:* & *Martial. in Xenijs:*

Accipe Niliacam, Pelusia munera, Lentem,
Vilior est Halica, carior illa faba.

Duo sunt Lentium genera: album, & cinereum; illud in cibo gratius est, valenter adstringit, *teste Galen. 8: simpl.* in calore & frigore modum tenet, desiccat, vẽtris fluores sistit, si non detracto cortice coquatur, & prima aqua abijciatur, *teste Dioscor.* Qui modum in hoc edulio non seruant, Elephantiasim & Cancrũ incurrunt, ob succi melancholici, ab hoc alimento prognati copiam. Cachecticis tamen, & aqua intercute laborantibus vtiliter exhibentur, sed visum integrum & inculpatum offendunt, & hebetãt; immodicè desiccant, vnde instãtibus, vel iam fluentibus menstruis, ineptus est cibus, sanguinẽ enim crassum, & tardifluum reddit, licet muliebri profluuio vtilissimum sit alimentum.

Deterrima sanè est Lentis cõditio, quam diuitum coqui sapa inficiunt (iecoris enim lienisque infarctus, inflationesq; parit) cũ liquida potius & incidentia exposcat. Magis semper nocet cùm salsis & fumo induratis carnibus incoquitur. Lentium tamen decoctum iusculum cum fragorũ & raparum seminibus infantulis variolis & morbillis laborantib⁹ ad faciliorem exclusionem propinatur. Esau cum pane & lentiũ ferculo primigenituræ dignitatẽ commutauit, cuius imitatione multi gulæ illecebris illecti, & sanitatem, & libertatem diuendũt.

Aluus ab igne leui lentis siccata tumescit
Ordea si reddant, dic Medice innocuam.
Illa melancholicos, neruis inimica, & ocellis,
Nec satis est morbos, somnia dura mouet.
Exterius strumas, & sedis phlegmata soluit,
Aut quibus in mammis lac coijsse putas.
Scilicet extollat Pelusia munera Nilus,
Dulcia si addideris, Toxica dira satis.

ERVVM: Græc. ΟΡΟΒΟΣ: *Italicè* Aruo: *Gallicè* Ers: *German.* Wicken/ oder Eruen.

Orobi seu Eruui multæ sunt species, equis tamen saginandis, & columbis aptius alimentum, quam hominibus. *Galen. 8. simpl.* Orobi facultates describens, vi exiccante, calfaciente, incidente extergente, atq; infarctus expediente pollere dixit: copiosè sumptum, sanguinem per vrinas euocat; ideoque cùm & praui sit succi, & insuauissimum, vix in humanum alimentum, nisi, *teste Hippocr.* magna vrgente fame, licet montium incolæ frequenter cæteris frugibus mixtum, ex eo panes conficiant, cum melle probè subactum crassos pulmonum humores expurgat.

Eruum cum melle elinctum tua viscera purgat,
Elicitur venis sed tamen inde cruor.
Emundat faciem, mammas emollit, & atra
Vlcera floridulo margine pulchra facit.

PHASEOLI:

Italicè Fagiuoli: *Gall.* Fasiolis: *German.* Fasiolen.

Phasioli excalfaciunt & humectant, ordine primo: in cibum sumpti, inflant, ventriculoq; laborem faciunt, crassos, pituitososq; succos gignunt, tumultuaria somnia, & vertigines efficiũt; semen tamen generant, venerẽque stimulant, (signatura id aperte edocente) idq; valentius præstant, vbi longo pipere, galanga, & saccaro asperguntur teneræ adhuc siliquæ, aut pingui lacte bubulo ad crepaturam vsq; decoquantur: innocentiores redduntur, si cum synapi, aut cari semine edantur. Cornicula dum teneriora sunt, elixantur, & pipere ac sale additis acetariorum vice vorantur: eadem prius elixa & farina circumlita, deinde recẽti butyro fricta, pipere, & vuæ acerbæ succo additis à dilicatulis valde expetuntur. Præstant peculiariter propria sua facultate ad sanandos equorum morsus, si dentibus attriti, crudo vulneri illinantur.

Dum calet arenti, & tibi manditur ore phaselus
Mox facit infirmo turgida membra cibo.
Si rubet, est melior, muliebria fortius effert.
Hanc fuge, si placidæ somnia noctis amas.
Si pipere & mulso faciat coquus arte salubrem,
Dic mihi naturæ seruit, an iste gulæ.

LVPINVS: ΘΕΡΜΟΣ:

Italicè Lupini: *Gallicè* Lupin: *Germ.* Feigbonen & Wolffsbonen.

Lupinus quandoq; vnicaulis euadit, ita vt viri proceritatẽ attingat. Elixus lupinus *teste Galen. 1. de aliment.* deinde aqua dulci, donec omnem sibi innatam insuauitatem exuat, cõmadefactus cum garo, vel oxygaro, vel sine his, solo sale modico conditus editur, concoctioni tamen repugnat, & crassos succos gignit, ex quibus non probè in venis confectis, crudus propriè appellatus succus aceruatur. E lupinis emplastica fiunt remedia, extergendi, digerendiq; vi prædita. Tùm illitus, tùm melle addito linctus, tùm ex posca potus, vermes enecat, vti & eiusdem decoctum. Aqua decoctionis lupinorum omnis generis scabiem, vitiligines, achoras, pustulas, exanthemata, psoras, grangrænas, vlcera maligna seu cacoethæa iuuat, partim extergendo, partim citra mordicationem digerendo, siccãdoq;. Cum melle & pipere sumptum, iecur, & lienem expurgat; cum myrrha & melle impositũ, menses, fætumq; elicit.

Siccior arescit, rudis incultusq; Lupinus
Hic conuiua tibi rustice durus eat.
Lumbricis mors est, pleno iecori, atq; lieni,
Et præsentis opis renibus esse solet.
Gratia sit Natura tibi, si Villicus illum
Non colit, ipse sua est tutus amaritie.

CAPVT XXIX.

De Esculentis Arborum fructibus, vt Malis, Pyris, Persicis, Cotoneis, malis Medicis, Aurantijs, Citriis, Limonibus &c.

ARBOREOS fructus primũ & antiquissimum fuisse Hominum victum, tam Sacræ quam prophanæ testantur litteræ: Legimus

mus ēnim primis nostris parentibus, in delitiarum horto existentibus omnis generis arboreos fructus edendi potestatem factā, vnicâ boni & mali arbore excepta. Sic inter arboreos fructus è glandibus primum fuisse mortalibus victum, credidit vetustas: Pelasgus enim *teste Pausania, Volaterano*, primus Arcades glandium vsum docuit; hinc βαλανοφάγοι dicti fuêre à Pythiæ oraculo. Refert quin etiam *Plutarchus*, eos qui glandem gustassent, ac comedissent, præ voluptate choros circa quercum, aut fagum duxisse, eam vitæ datricem, matrem, & ductricem appellitantes *Tibull. 2. Eleg.*

Glans alat, & prisco more bibantur aquæ,
Glans aluit veteres.

Et Iuuenal. Satyr. 6.

Et sæpe horridior glandem ructante marito.

Quatuor arboreorum fructuum esculentorum classes.

Verùm antequā vlterius progrediamur, facilioris doctrinæ gratia, omnes arboreos fructus esculentos, ad quatuor summas classes, ceu ad amplissima omnibus fructibus reseruandis penuria, in quocunq; genere, vnaquęque arbor siue fugaces, & horarios, siue permanentes proferat fructus, referemus, in Malum scilicet, Baccam, Nucem, & Siliquā.

1. Malum verò dicimus quemcunque arborum fructum, qui pelle tenaciore, carne densiore, minus fluida constat, circa cuius medium siue centrum, semen gignitur, & conseruatur, siue vno, siue pluribus id constet granis, vt sunt omnis generis pyra, poma, citria &c.

2. Baccam eam vocamus quæ molliore & humidâ magis prædita est carne, teneriq; pelliculâ contegitur, semenq; cohibet ligneo conclusum cortice, vt sunt oliuæ, palmæ fructus, vuæ, ficus, atq; prunorum, & cerasorum omnes formæ.

3. Nucis autem nomen fructibus omnibus conuenit, quicunq; sub duro, siue nudo siue tunicis vestito cortice semē continet, & propagando generi idoneū, & animantiū victui opportunū, vt sunt glādes iuglādes omnes, auellanæ, castaneæ, amygdalæ, pineæ, pistacia &c.

4. Siliquam demum, quæ longiore, sicciore, nec nimium crasso cortice succū, magis etiam quā Bacca tenuem certis internodijs distinctum fouet, quo semen apprimè durum & contumax concrescit, durescit & asseruatur, vt est cassia fistularis, carabe, tamarindi, & alia nostro cœlo crescentia, aut aliunde nauibus asportata.

Præcoces arborum fructus.

Ex arborum autem fructibus quidam breues, fugaces, ac præcoces sunt, quos Græci ὡραίυς vocant, Vere scilicet, aut AEstate maturescentes, ad caloris & æstꝰ fastidium temperandum, dati, idq; efficiunt, modo oportunè & parca manu vsurpentur, alioquin ferè omnes, paucis exceptis, vitiosos generant succos, si crudi esitentur. Inter hos præstantissimi censentur vuę pensiles, ficus maturæ. Cæteri parum quidem nu-

triunt, serosum sanguinem generant, & multas pariunt obstructiones: vbi tamen oportunè, vt diximus, & parcâ manu sumantur, plurimũ iuuant, ad sitĩ extinguẽdã, ad æstus mitigandos, vrinas ciendas, & aluum præcipitandã, atq; appetitum irritandum: ante quam verò edantur, si ęstu calentibus sint exhibendi, aqua frigidissima perfundantur; sic enim citius & melius æstuantem, tùm hepatis, tùm ventriculi calorem retundent. Alij tamen alijs diutius durant, vel integri saccaro, melle, alioue modo conditi in vsus asseruantur; de quibus omnibus suo loco.

Permanentes verò arborum fructus, quiq; longiori tempore durant, vel integri quoq;, vel arte conditi & comparati asseruãtur. Hi & natura potiores habentur, & ad vitam alendam magis idonei, vtpote quibus, is qui præstat succus, concoctior & aptior contingit, siue is pinguis sit, vt in baccis & nucibus, siue salsus, vt in malis; de quib' iã sigillatim pro instituti nostri ratione, agendù.

MALA, seu POMA.

Tanta est Pomorum tam domesticorum, quàm syluestrium varietas & differentia à figura, magnitudine, sapore, colore, odore, ac loco seu patria in quibus nascuntur, desumpta, vt succincto orationis filo vix, ac ne vix quidem comprehendi possint; quo fit, vt variæ quoq; eorũ sint functiones. Alia namq; *teste Galen. 2. de Aliment.* austerum, alia acidum, dulcemué saporem gerunt: Sunt etiam quæ ex ijs mistũ obtineant, ita vt appareant simul dulc-acida, dulce-austera: Quædam præterea cum dulcedine manifeste acida sentiuntur: adhæc alia cum acore acerba. Inuenias autem nonnunquam quæ tres simul sapores planè referant dulcem scilicet, & acidum, & acerbi nonnihil. Cæterum Mala quidem, quæ adstringunt, succũ habent frigidũ, ac terreum: quæ verò acida apparent, frigidum succum habent, at tenuium partium. Mediæ autem temperaturæ sunt dulcia, quæ ad calidius vergunt. Sic & quæ omnis qualitatis sunt expertia, insipidaué, ac velut aquosa, ad frigidum inclinant. Malis igitur vteris, pro vincentium saporum qualitatibus ac facultatibus austeris quidem cùm ventriculus ob caloris intemperiẽ, vel ob humoris copiam fuerit imbecillus: Acerbis autem cùm hęc aucta admodum fuerint: Acidis, cùm crassum succum, qui non magnopere frigid' sit, suspicaberis in ipso esse collectum: siquidem succus frigidus non acida, sed acria postulat: Vtraq; certè & acida, & acria, crassos succos incidunt, in eo tamen differunt, quod hęc quidem cum refrigeratione, illa autem cum calefactione præstent. Dulcis malorum succus cùm sine acrimonia,

monia, & crassitie, hoc est, cùm solùm exquisitè fuerit, celerius, quantum in ipso est, distribuitur: quod si actimoniam, aut crassitiem habuerint, citius subducitur.

Cęterum optima etiam genere mala vitanda sunt, antequam in arboribus maturuerint, quippe quoniam concoctu sunt difficilia, frigida, flatulenta, tardeque permeant, & praui sunt succi: adhæc succum habent frigidum, & leuiter crassum. Quæ vero bellè matura in Hyemem & Ver proximum asseruantur (quod fit vbi post maturam electionem dolijs includuntur, & ab omni aëris incursione præseruantur, sic enim integro anno imputria & nullis oppleta rugis asseruãtur) ea morbis sæpenumero perquam vtilia sunt; aut farina aquâ lacteué subacta circumlita, aut calidis cineribus mediocriter assata, aut pulchrè in aquæ bullientis vaporibꝰ percocta; dare autem ipsa conueniet statim post sumptum cibum; aliquando etiam cum pane ad ventrem, stomachumq; roborandum, ijs qui cibum fastidiunt, tradeq; concoquunt; quiq; vomitu, diarrhæa, ac dysenteria infestantur. In hunc quoque vsum apta sunt acerba: nam parata, vt modo dictum, mediocrem retinent adstrictionem. Apud nostrates Principatũ obtinent mala Apia, item poma Courtipendula dicta, quandoquidem cùm suauiter oleant, gustuiq; arrideant, cum naribus & palato maximam ineunt gratiam; quę autem adeò rubent, vt cruore perfusa videantur, & acido gustu prædita sunt, non alia de causa ita rubescunt, si rei agrariæ authoribus credimus, nisi quod ex mali & mori nigræ insitione suam traxerint originem. Sic etiam optima iocundissima, & suaue fragrantia habentur, quæ vulgo Paradisiaca, Passipoma, Cauillea, Courtipendula, Rubeliana, Renetera, vocantur, & alia pene innumera, quæ ob salubritatem, odoris suauitatem, & saporis iocunditatem passim in delitijs habentur.

Non absq; causa autem diximus poma cruda, nec dum ritè matura vitanda esse; *Rhasis* enim *4. contin.* satius esse scribit, pro sanitatis conseruatione, vitæq; in multos annos propagatione, vt vel omnino ab omnium recentium fructuum esu abstineamus, vel parca saltẽ manu ingeramus: cùm omnia viridia tàm fructus, quàm olera, calidæ sint licet naturę, flatus, cruditatesq; excitent, qui ventriculum & lædunt, & perturbant, & varijs obstructionibus vias aperiunt. Hinc factum vt *Galenus*, quantumuis in iuuentute valetudinarius extiterit, tamen parentis suasu, fructuum crudorum abstinentia, inculpatam valetudinem, ad extremos vsq; canos feliciter perduxerit.

Plurima sunt, minimèq; madentia mala caloris
Dulcia, sed stomacho commodiora tuo.

 Conda

Conda iuuant flammis agitata, at noxia ventri,
Turgebunt, neruis & nocuisse volent.
His caueas, mala sunt, dirasq; mouentia febreis
Forma placet nitidi corticis, esca nocet.

Pomaceum. E maturis & optimis pomis, saluberrimum potionis genus, pomaceum vocant pararur, sapore, suauitate, & præstantia vix generoso vino cedens: eo etiam ritè depurato vtimur, menstrui loco, ad extrahendas vegetabilium essentias, & tincturas. Ex eodem arte spagyrica spiritum ardentem elicimus, ad eosdem vsus præstātissimum. E succo pomorum redolentium fit decantatus ille syrupus Regis Sabor additis succis Borrag. Buglosſ. folijs item Senæ & Croco. Nos sequentem syrupum de pomis in frequenti vsu habemus, qui & iocunditate, & suauitate atque vtilitate quosuis purgantes syrupos exuperat.

Syrupus de pomis laxatiuus. Recipe Succi pomorum courtipēdulorum debitis digestionibus hermeticis depurati lib, iij. Acuetur aceto montano, vel saltem succo depurato Limonum q. s. ad gratum acorem: vitreo matracio indito, addendo folior. seu. selector. ℥iij. Mechoac. albiss. grosso modo tus. ℥j Galliæ Muscat. ʒij. Cinam. acutiss. ʒj. Flor. violar. borrag. cichor. rosar a. p. iij. Digerantur in calente B. M. triduum, Succum purpurea tinctura imprægnatū cola, colaturæ adde recentis succi pomorum cum ouorum albedine depurati lib. ss. saccari candi violati lib. j. coquantur in vase vitreo ad rectam syrupi consistentiam. Purgat absque omni molestia.

Electuarium de pomis præstantissimum ad varios vsus sic parato.

[Electu- rium ... pomi...] Recipe pulpæ mundatiss. pomorum redolentium lib. 6. saccar. fini lib. v. aq. rosar. lib. 2. ligni Aloes ʒv. Santal. citrin. ʒv. cinamo. Garyophyl. a. ʒiij. Ambr. grys. ʒij. Mosci ℈j. Coquantur lege artis spagyricæ, ne quid expiret ad formam Electuarij. Salubre remedium ad cordis & ventriculi imbecillitatem, ad coctionem iuuandam.

[Gelati- næ è p... mi...] Fiunt etiam Gelatinæ è succo pomorum redolentium purè colato, saccaroque condito, addito etiam succo extracto, varijsque, prout lubet coloribus tincto, & in debitas & ad id paratas formas effuso, sic iocundam visu, palatoque gratissimam cōcinnabis gelatinam.

PYRA.

Pyra à Pyramidis ferè effigie sic dicuntur, fructus vbiuis notissimus, quo & horti, & vireta, & vineta passim luxuriant: In mensis auidissimè expetuntur: quædam enim adeo esui grata sunt, vt illis alia quæuis edulia à multis postponantur; priuatim tamē pyra sunt stomacho pomis longè gratiora, quorum facultates, vt & pomorum, è sapore & gustu eruendæ sunt.

Pyrorum autem in colore, sapore, odore magnitudine & forma, tot quoq; sunt varietates, vt enumerare nemo queat. Veteres quædam superba nominarūt, parua, & ocyssima, quæ fortè hodie nostri Muscatula, à gratioso sapore moschum referente nominant, quæ omnium minima sunt, quina, senauē, sæpe plura ab vno

vno ortu, prolixis pediculis de-
pendentia, quæ ferè primùm om
nium maturescunt. Commen-
dantur & Rosea, à succo sic nun-
cupata, bicipitia, magnitudine
satis conspicua: Callotia item,
Sertelia, Regia, Fusca, Bergamo-
tia, Bonchristiana omnium gra-
tissima, & laudatissima. Laudan-
tur quædam & à magnitudine, vt
quæ Libralia dicuntur, atq; alia
nonnulla crassiora, vt Rhodensia
dicta, ab Insula Rhodo aduecta,
qualia forsan antiquis cucurbi-
tana, aut Pompeiana cognomi-
ne Mammosa. In vrbe Quinsai,
referente Mart. Polono lib. 2. cap. 68.
Pyra sapidissima, albissimiq; suc-
ci, ponderis reperiuntur singula
librarum decem, quod haud du-
biè cœli vi & climatis rationi ad-
scribendum.

Pyrorum genera vt & pomo-
rum, aut magis, aut min⁹ adstrin-
gentia, pro saporis vel asperitate,
vel dulcedine suas gustui pro-
munt facultates. Decocta, vt gra-
ta, sic & salubria habentur, cruda
verò stomacho grauia; quod si
lapidescant, calculosis quoq; ini-
mica sunt. Ad prunas assata, & in
secunda mensa cum saccaro &
fœniculo dulci assumpta, ventri-
culum roborant, claudunt, & fla-
tus discutiunt. Exiccantur etiam
pyra in clibano, & ad Quadrage-
simale tempus, seu Ictyophagiã
asseruantur. Decoquuntur ali-
quando in defricto; sæpe garyo-
phillis configuntur, saccaro con-
diuntur; succus in gelatinas cõ-
gelatur, varijsq; figuris induitur,
& secundis mensis pro bellarijs,
aut obsonijs apponitur.

Ex pyris item non magnope-
re maturis fit vinum Apites no-
mine, seu potio vini albi in colo-
re & calore sæpius æmula: In sa-
pore non multum varia, quam
vulgò pyraceum vocant, quo nõ
minus, quam mero, aut vino ge-
neroso sese inebriant, licet non
paruam ad lepram, & elephanti-
asin, psoram, & morpheum ansã
præbeat; ex eadem hac potione
arte chymica elicitur spiritus ar-
dens, ad multa vtilissimus. Pla-
cet hoc loci adscribere verã, se-
cretam, & elegantem vini mal-
uatici artificialis præparationem
olim mihi à Sereniss. Ducis Sa-
baudiæ Medico cõmunicatam;
quæ hoc modo paratur.

Vinum Maluaticum artificiale.

Recipe v.g. Succi pyrorum recẽ-
tis omam vnam, indatur dolio, in
quo nuper vinum maluaticum, fue-
rit, adde cinamo. acutiss. Garyoph.
pinguium a. ℥iij. Nucistæ ℥j. Saccar. fi-
niss. lib. j. Radic. Irid. flor. ℥jss. Florum
sambuci in vmbra exiccator. M. iij.
Passular. minor. Hord. excortic. a. lib.
j. Semin. synap. albi ℥j. sine digerere
& fermentare in Cella vinaria, & bre-
ui temporis spatio vinum maluaticũ
naturale superabit. Quod si breuiori
temporis spatio habere velis, ante-
quam dolio vinario indantur, bulli-
ant prius omnia simul in ahena len-
to igne ad tertiæ partis casum, tan-
dem dolio infunde, addendo vini
maluatici naturalis mensurá semis;
& finita fermentatione, vinum habe-
bis

bis maluaticum optimum.

Ex pyris item Cōditum facies optimum, quod appetitum excitat, flauā bilem è ventriculo deturbat, & calidam eiusdem temperiem corrigit.

Conditū è pyris. Recipe Carnium pyrorum Austerorum, cytoniorum, pomorum acidorum a.lib.j.coquantur forti aceto, in quo plus 24. horis maceratum fuerit, deinde adde omphacij ex acinis immaturis expressi lib.j. Carnis Sorbor.immaturor. vnc. v. Coquantur omnia in saccari lib.4. ad mellis crassitiem: Mox adde succi berber. vnc.ij. Spodij semin. acetos.a. vnc. j. percoctum, vasis vitreis recōde. Datur à ℥ij. ad ℈iij. cum aq. frigida, aut succo Citri, vel Ribes.

Param⁹ etiam subinde in gratiam delicatorum, à purgantibus abhorrentium, Diatartarum solutiuum è pyris, sequenti fere modo:

Diatartarum solutiuū è pyris.

RecipeTartari vini albi ad albedinem calcinati, vel etiā cremoris Tartari q.s. Soluatur in aqua fontana calente, solutum filtra, filtratam post clarificationem vitro per inclinationem excipe: postea recipe pulpam pyrorum dulcium, vel pomorum redolentium, vel persicorum, cerasorum, aut etiam prunorum, & saccari fini a.q.s. Coquantur Hermeticè ad debitam consistentiam; sub finem ad huius consistentiæ lib.j. adde prædictæ solutionis vnc.j. Resinæ nostræ scammo vnc.ß. Aromatizetur vel oleis stillatitijs cinamo. vel cortic. citri, vel addatur pulu.aromatici rosat. aut Galliæ moscatæ. Dos. à vnc.ß. ad vnc.j. Antiquos corporis, vteri, lienis hepatis, & ventriculi dolores sedat, aluumq; blandè stimulat.

MALA PERSICA.

Italicè Persiche: *Gallicè* Persches: *German.* Pfersich.

Persica mala *teste Dioscor.* cui etiam adstipulatur *Galenus lib. de caus. symptom.* in proprio, natiuoque solo, Perside scilicet exitiosa & lætifera sunt, in AEgyptum verò aliasq; prouincias transplantata, mutatâ naturâ, innoxia sunt, & in cibos recipiuntur.

Vilia maternis fueramus præcoquia ramis,
Nunc in adoptiuis persica mala sumus.

Plurimæ sunt horum pomorū species; alia enim candida sunt, alia lutea, & duracina dicuntur, alia rubent, & tota sanguinea, quæ Sabina vocantur: alia virescunt: alia minima quidem sunt, at tota aureo colore flauent, Germanis Möllulin, Latinis Trecanacina, *Dioscoridi* verò Armeniaca dicta. Adhæc quædā dulcia sunt, quædam acida, vinosa alia, quædam amariuscula, & austera. Prima laus in cibis Duracinis debetur, duriore enim sunt pulpâ, caroq; tam pertinaciter nucleo affixa hæret, ægrè vt ab ea auellatur. Præcipua autem in hoc genere ijs debetur, quæ ab aurei coloris nitore, & odore perquam iocūdo Cotonea seu Trecacina vocantur: secundas sibi partes vendicant, quæ cortice detracto, sanguineum succū fundunt; proxima sunt, quæ à nucis similitudine Nucipersica, quod iuglādium faciem repræsentent, vocantur, cùm nec colore, nec sapore

ſapore perſicis cotoneis refragē-tur, accedente non ingrata duritie, & guſtum mirâ afficiant voluptate.

Perſica tamen mala in genere *teſte Gal.* praui ſunt ſucci, peſſimi alimenti, & facilis admodum, ob humoris copiam, & frigiditatis exceſſum, corruptionis, vnde etſi ex ſucco iocundus admodū paretur ſyrupus, extinguendis febribus ardentibus oportuniſſimus, in alijs tamē affectibꝰ ob facilem corruptionem, non ita tutò adhibetur. Rarus igitur & parcus ſit perſicorum vſus, & prima duntaxat menſa apponantur; cū enim ſuccū exhibeant cito corruptibilem, peſſimè ſecunda mēſa ſumūtur; cruda ſubinde in orbiculos ſecta, è vino generoſo ſumuntur; melius tamē cōuenient, ſi cum meracis vini, ſaccari, & cinamomi momento, cocta exhibeantur prima menſa. Hinc illud:

Noxius eſt fructus, ſi poſt tua prandia ſumas,
Nam facile in ſuccum vertitur ille malum
Phlegmata ſubducit, febres, & corpore vermes
Et renum lapidem nucleus inde terit.

Armeniaca mala. Plures quoq; ſunt Armeniacorum ſeu Armeniorum malorū differentiæ, Græcis chryſomela, vulgo **Molleten oder S. Johans Pherſing** dicta, magnitudine potius, quā genere differētia, quod vel cœli clementiæ, vel terræ frugiferæ dotibus, vel etiā inſitionis māgonio accidit: omnia tamen cū maturuerunt aureo ſplēdore nitent, vnde & chryſomela nuncupata, parūm naturæ dotibus à perſicis differunt, niſi quod non ita citò ob duriorem pulpæ conſiſtentjam in ventriculo corrū-pantur.

Perſicorum nuclei tuſi tormina ſedant: tuſi, & cum aceto roſaceo applicati, vehementes capitis dolores ab æſtuantis bilis anadrome excitatos, mirè ſedāt. Oleum è nucleis expreſſum, mirificè confert ad Hæmorrhoidū inflammationes, aurium dolores vlcerum tumores, & linguæ impedimenta. E floribus factâ ſcilicet in rore maiali crebriore infuſione, paratur ſyrupus Hydragogus, & vermibus enecandis conuenientiſſimus. Iidem flores ſaccaro conditi, æſtuanti ſtomacho, eiuſdemque encauſi egregiè cōferunt. Nuclei calefaciunt, exiccant, aperiunt, incidunt, attenuant, extergunt, aduerſus iecoris & lienis infarctus faciunt: Idem & folia præſtant, quinetiam aluū ſubducunt, & bilem mouent. Arboris gummi in vino diſſolutum & potum, mire ſanguinem excreantibꝰ prodeſt, obſtructos enim pectoris & pulmonum meatus, & venulas expurgat, calculos quoq; veſicæ pellit, arteriā enim lenit, & colli exulcerationem diſcutit: In aceto diſſolutum, & illitum, lichenas & pabulas ſanat. Condiuntur etiam perſica, cytoneorum inſtar, ad ſitim extinguē-dam, oris fætorem tollendum, & ſtomachum roborandum: Fit &

Conditū Persicorum. conditum cum aromatibus hoc modo: Recipe persicor. maturior. intus & extra purgator. Succi persicor. a. lib. iij. Tere in medullæ consistentia, coque cum succo, finita coctione, adde lign. Aloes, Santal. citr. a. ℥ij. cinamo. cubebar. Macis. a. vnc. ß. mosci ℈ß. F. conditum.

Persica laxatiua. Pharmacopæus quidam Patauinus nostro tempore magni secreti loco parabat persica laxatiua: Hic sumebat rorem Syriacum, & iam rore maiali optimè dissolutū & repurgatum, cum saccaro finissimo ad debitam coquebat consistentiam, huic demum poma persica non exactè matura, detracto prius & cortice, & nucleo indebat, & ad Solem exiccabat, idq; repetitis vicibus, quoad probe saccaro illo incrustarentur. Dos. Persicum vnum ita paratum.

CYDONEA MALA.

Italicè Cotogno: *Gall.* Poume de Coing: *Germ.* Quittenapffel.

Cydonea mala, à Cydone Cretæ oppido vnde primum fuêre aduecta, nomen accepêre. *Plinius* pomum lanatum vocat, à lanugine, qua vestitur cortex tomentosus, & bombaceus, quam vulgo Cotonem vocant. *Dioscorid.* & *Galen* duo faciunt ex pomorum magnitudine genera: Alia enim minora, rotunda, breuia, & vulgarium pomorum figuram magis referentia, odoratiora, quæ verè & absolutè Cydonea seu Cotonea appellantur: Alia maiora, dulciora, crassiora, longiora, turbinata pyri instar, & minus acerba, vulgo Coignacea, *Galen.* verò Struthea dicta, quæ cæteris bonitate postponuntur: Palmam cæteris præripiunt pressa, incisuris melopeponum more intersecta, colore ad aureum vergente, lanuginosa, minimè tamen lapidosa, & cæteris longè odoratiora; proximum locū sortiuntur Struthea, seu Pyra Cotonea, quæ maiore corporis mole proueniunt, pulpa, ac succo cæteris præualēt, at sapore, colore, viribus que cedunt: postrema *Plinius* Miluiatur, nonnullis Xotha vocantur. Frigidam & adstringentem habent facultatem, ventriculi orificium adstringunt, hepar roborant, ciborum vapores, ne sursum ferantur cohibent.

Crudorum Cydoniorum vix vllus est esus: cocta palato gratiora & naturæ amiciora sunt: ventriculum enim roborant, vomitū sedant, alui fluores reprimūt, vnde & dysentericis & cæliacis conferunt, vt & his qui vel sanguinem spuunt, vel mensium aut hæmorrhoidum fluorem immoderatiorem patiuntur.

Sicca leuis brumæ quod poma Cydonia mellæ
Cocta iuuent stomachū, mensa secunda rogat:
Frenant vina, tument, fluxus remorata, lateris.
Sunt nocua, & nimio cursibus apta cibo.

Cydonia igitur sub prunis, aut calidis cineribus cocta, & saccaro respersa, si præsumantur, fluentem aluum sistunt, contra verò, citant; Cordi vires addunt, stomachum

machum venenis infectum restituunt, vomitiones & ventriculi subuersiones cohibent.

Varia è Cydonijs parãtur medicamenta eustomachica, Vina, Myuæ, Gelatinę, Cydoniat, Syrupi &c. quorum in mensis tàm sanorum, quàm ægrorum frequẽs est vsus. Ad edomandas alui fluxiones, ad ventriculum roborãdum, è simplici cydoniorum succo Hermetis digestionibus depurato, potentissimus paratur syrupus in hunc modum:

Syrupus cydoniorum.

Recipe succi Cydoniorum debito modo depurati lib. j. saccari fini vnc. iiij. indantur vasi vitreo, in B. M. coquantur in syrupum excellentissimũ ventriculum roborantem, vrinã prouocantem & sudorem atque aluum blandè laxantem.

Miua cydoniorum.

Miua Cydoniorum simplex: Recipe succi Cydoniorum depurati lib. 12. coque ad medias semper despumando, mox affunde vini albi generosi, in quo prius cortices flaui Cydoniorum abunde coxerint, lib. 5. saccari lib. 3. coque ad tertias, semper despumando, tandem cùm resederint, cola, iterum adde lib. 2. sacc. pulverizati, & ad iustam consistentiam coque, cùm refrixerit, idoneis vasculis excipiendam.

Gelatinam Cytoniorum rubicundissimam, pellucidam, & transparentem sic parabis:

gelatina cydoniorum pellucida.

Sumito Cytonia minutim incisa, nec cortice, nec seminibus abiectis (illo enim odorem, his tenacitatem comparabis) minutim autem incisis omnibus statim affundatur magna aq. copia, antequam nigrum contrahant colorem, & in capaci lebete, claro & luculento ignẽ coquantur, donec omnia in pastam abeant, postea colentur, & fortiter prælo exprimãtur, vt pars glutinosa vna etiam secedat. Colaturam more Hermeticorũ digere, debito vase & igne idoneo, vt purum ab impuro separetur. Succo huic probe defæcato adde tertiã saccari fini partem, & lento igne coquatur, lignea spatula semper agitãdo ac despumando. Perfectæ coctionis signũ est, si guttula frigido marmori, aut vitro infusa, digitis non adhærescat. Expeditè tamen coctio fieri debet, sic enim & pulchrior & cãdidior, euadet. Quod si hanc laxatiuam reddere cogites, huic adde, sub coctionis finem, debitam extracti alicuius purgantis portionem, vt Resin. Scammon. vel veratri; quidam studiose admodum, & secreto addũt Antimonij per inferiota tantum purgantis essentiam, sed sacra sacris.

Diacytonite splendidum cum cortice citri, sic etiam parabis:

Cõfectio cydonio-citratũ.

Recipe prædictæ Gelatinæ transparentis lib. j. Resinæ scammon. nostro modo parat. ℥ij. vel ℥ essent. per inferiora tantum purgantis ʒij. Fiat extractio tincturæ menstruo minor vegetabilis q. s. mox lento igne coquantur ad spiritus exhalationem, tandem adde spiritus rosarum ℥vi. digere ad debitam cõsistentiam, addendo sub finem cortic. citri cõditor. ℥iiij. cremor tart. ℥j. spiritus cinamo. q. s. Misc. f. confectio cytonio-citrata.

Sequenti etiam modo è cytonijs, pyris, pomis, prunis, cerasis, succum condensare, & varijs formis mutare poteris: Cytonia matura tere, succum exprime, sæpius cola, donec pellucidꝰ euadat; coque in ahena, versa, despuma,

& coquendo, noua fragmenta incoque, donec ſuccum reddãt, cola diligenter, & additis, ſi placet, aromatibus inſpiſſa. Sed qui pellucidos ſuccos optant, frequenti opus habent colatura, atque adiectione fere paris ſaccari diſſoluti, & per albumina deſpumati. Matresfamilias pomatia ſua & pyracia, maxime verò cytoniata, vt & prunorũ, ceraſorum, vuarumq; ſuccos inſpiſſandos pingunt, & permutatis coloribus, & mirâ varietate flores, inſignia, imagines humanas, & alia reddũt atq; ita hoſpites ſpectaculi iocũditate afficiunt. Oportet autem ſuccum purè colatum, & ſaccaro conditum eſſe, posteaque ſucco extracto tinctum: prius vnicolores formæ funduntur, ita vt omnes eiuſdem ſint moduli. Deinde mẽbra craſſa transferuntur, & permutãtur: Cùm adaptata ſunt omnia, ita vt in hominis figura, collum ſit albũ, pileus niger, aut ruber, pallium flauũ, calcei nigri, tibialia cærulea, & ſic deinceps, puriſſimo ſucco veluti glutinantur. Quod ſi velis conuiuarum alicui (prout magnates oblectamenta ex aliorũ vexatione quærunt) aluum aut vomitum mouere, in aliquas capſulas potes ſuccum infuſionis vitri antimonij, aut diagridij (ſicut ſolet parari cytonites catharcticum) infundere & ex coagulato trãſferre brachium aut pedem, in aliam capſulã ſucci non purgantis, ſed appoſitâ notâ, qua vis eius agnoſcatur, ne obliuio tibi ipſi noceat, v.g. ſi tota figura viri ſit rubra, tum purgãtem ſuccum viridem aſſume, & brachia hinc exciſa transfer in locum brachiorum non purgantis: tunc ſecurè corpus, vel pedẽ poteris tibi auellere, ei verò, quẽ vexatum cupis, purgantia brachia porrigere, eumq; ad comedendum inuitare. Iocus iſte aulicus nulli forte nocuerit, vti nec vini potus, infuſionis mechoacanæ, cubitum ituro propinatus, qui inter dormiendum cogitur lectum alui profluuie fœdare. De eſculento tamen cydoniorũ ſucco notandum, quod vt facilius conſiſtat, lentorem, ſeu purã mucaginem cum cydoniorum vino è ſeminibus extractam, adijciendam eſſe. Aliqui in nodo iuri immittunt ſemina, vt vna coquantur. Cùm pictæ ſunt in capſulis figuræ, inducitur etiam glacies ex ſaccaro, vt quaſi per vitrum transpareant. Aliquando ouorũ putamina implent ſucco candido pro albumine, & flauo, pro vitello, atq; ita in menſas afferunt. Vel ſuccum luteum in ouorum ſegmentis conſiſtere ſine; deinde diſpone in patina ſex, octo, aut plura, vt ſpeciem præbeant, vitellorum gallinaceorum, poſtea affunde ſaccarum cryſtallinum, & glaciare ſinas: ita perinde fit, ac ſi oua frixa in ſartagine paraſſes.

Vinum cytonites fit, malis co-

Vinum cytonites.

toneis, raporum instar, in taleolos, abiectis seminibus, frustatim scissis, & 12. minarum pondo, in mustim metretam, 30. dierũ spatio maceratis: tandem defæcatũ vinum ad vsus reponitur. Hoc vinũ cùm adstringat, stomacho, dysenteriæ, hepaticis, renum vitijs, & vrinæ difficultatibus prodest, ambustionibus è pyrio puluere excitatis mirificè medetur, si sæpius eo irrigentur. Cytonia mala sic condire poteris.

Cytonia condita.

Recipe Cydonea maiora, nulla putredine infecta, depellata, intusq; purgata, & in idonea frusta secta: coquantur in iulepo multum aquoso: postridie in alio iulepo propemodũ perfectè cocto, percoque, aromatiza moscho, vase vitreo repone, eo iulepo cui vltimo incocta sunt, superdato. Alui fluxum, ventriculiq; subuersiones & vomitus sistunt, ventriculumque roborant.

Diacytonite purgans.

Diacytonite purgans catholicum: Recipe succi cytonior. depurati lib. 4. saccari fini lib. 3. coque & despuma, tandem adde Resinæ nostræ scãmonij ℥jß. Garyophillo. Zingiberis, Mastich. piperis longi. cinamomi Nucistæ a. ʒij. misce omnia. Colicos dolores, vti alias partes nutritioni dicatas egregiè iuuat.

Paratur & oleum cytoniorum ad stringendum & roborandum ventriculum, cùm scilicet oleo oliuarum incoquuntur succus cytonir. Ladan. Hypocist. Acat. Garyophill. Nucist. Miratolan. Citrin. &c.

MALA MEDICA seu CITRIA

Ital. Cedri, & Cidroni: *Gall*, Citrõ: *German.* Citronaten oder Citrinapffel.

Malum Citrium non tàm dicitur Pomum Medicum à Medo solo, quàm à medicis dotib⁹, quibus multis pollet. Eius enim odor, cortex, caro, pulpa, succus, grana, vires habens medicas, easq; eximias. Dicũtur autem Citria mala, quod & pomum, & arboris folium, Cedri odorem referant.

I. Pomum Limonium.

Ipsius autem tria potissimum traduntur discrimina: Primum est Limo, seu Limonium, quod oblonga effigie turbinatur, & ex herbaceo colore viret, succoque acidiore, acerbiore, frigidioreq; turget, & cortice admodum tenui, nec vt arantiorum amaro: licet Limonia & Aurantia, seu Aurea mala parùm à citriorum naturâ & viribus differant. Limoniorum cortex sulphureus planè & oleaginosus, saccaro conditus, ventriculum roborat, flatus pellit, venenis resistit: Omnium verò maximè succus acidus, cùm spiritus vitrioli naturam sapiat, clamosam sitim extinguit, febrilesq; calores demulcet, vermes enecat. Ex quo succo addito saccaro etiam gratissimus, & iocundissimus ad prædictá paratur syrupus. Limonio pomo, præterquam quod tineas, vestibus interpositum enecat, præstans etiã est aduersus venena: Integrum

enim Limonium in aqua rosacea & saccaro tandiu coctum, donec tabescat, & resolutum, immunē ab omni veneno & peste reddet eum, qui mane talis iusculi cochlear vnum, vel alterum hauserit, quæ res in pestilentibus contagijs felicissimo sæpe successu comperta est. Præstantissimum quinetiam exinde magonium inde conficitur pro mulieribus, quæ virorū amorem captare student: Magnum Limonium parte superiore aperitur, vt carnes & pulpę interiores, instar paruę nucis educi possint, tùm demū cauitas saccaro rosato, vel potius saccaro crystallato, cum aliquot auri folijs impletur, mox suo operculo clausum, calidis cineribus imponitur, & dum ebullit, omnia remiscentur, moxque ab igne remouentur. Vsus erit ex panno lineo hisce miscellaneis intincto, & per faciem blandè circumducto, habebit faciem Ioue dignam. Hæc in mulierum gratiam.

Aßyrij pariunt etiam Limonia campi,
Crediderim succo hæc vincere prima malo.
Cætera subducunt, nec prima vigoribus æquāt
Sic nullo varijs ordine dantur opes.
Compescunt stomachi vomitum, ventrisq; fluores.
Atq; sitim; cortex vlcera sicca facit.

2. *Citrum.* Secundum vulgarius est Citrum, Limonio multum simile, sed colore magis luteo nitet, cortice crassiore, rugosiore, & magis caperato, estq; crassius, odoratius, medicatius, & antidotis conuenientius.

3. *Poncerium.* Tertium Poncerium, Citrionatum, pomum Assyrium, & pomum Adami vocitatur, quod ex eodem genere prægrande est, & sæpe in tantam molem excrescit, vt melopepones magnitudine adæquet; quædam etiam paulo minora, Limonij magnitudinem imitantia, vel etiam paulo maiora, qualia sunt; quæ à lacu Benaco afferuntur, & principem in cibis locum obtinent, maiorem quippe reliquis in ore gratiam ineūt, Poncerium tamen malū, vt plurimum prægrande est, orbiculatū, cortice calloso, carnoso, pollice interdum crasso, & superficie concolore. Quæ omnia vulgata specierum nomina à Citro deflexa videntur, & vt affinem habent idæam, sic & qualitates.

Omnia Citria refrigerant, putredinem arcent, cor recreant, & (semen præsertim) venenis potenter resistunt: Quod mirabili probat historiâ *Athæneus* de duobus reis, qui cùm regis AEgyptiorum iussu, aspidibus essent exponendi in prædam, iuxta leges AEgyptias, in itinere singuli à caupone quadam obuia, illorum vicem dolente, Citrium oblatū comederunt, moxq; ab istis ferocissimis serpentibus demorsi, nihil molestiæ senserunt: Quod admiratus iudex, causamq; quæritans, audiuit singulos singula Citria in via esitasse, postridie iussit vni dari, alteri denegari Citrum, ac denuo vtrumq; ad supplicium duci:

duci: quo facto, qui comederat Citrum, nihil mali passus est, alter illato aspidis morsu vndiq; liuidus factus, confestim interijt.

Medica mala sumus, pelli vis ignea nostræ,
Humentis brumæ, nec bene cocta caro.
Terreus est humor, sectantur semina pellem,
Flos calet, & folium: sic voluêre Dij.
Tarda caro est, succus choleram, fluxumq; moratur,
Cor tepet hinc ardens, hinc tua mēbra nitent
Semen, flos, folium, & cortex frigentia mulcent
Corpora, & epurant aera pestiferum.
Citria Tyrio contundunt poma veneno:
Ardua concoctu, sed tamen esse puta.
Febribus obsistunt, pestis quoq; tempore prosūt,
Ex succo, cordis mitior ignis erit.
Sola tamen voli mus mandi, sic gratus, arescens,
Nos bona dic veneri, non mala, nec medica.

Ex acido Citriorum & Limonum succo artis spagyricæ ingenio nobile menstruum paratur, quo corallia, margaritæ, cæteriq; lapides preciosi in limpidissimū liquorem aguntur, è quo demū addito saccaro præstantissimi syrupi parantur.

Citriorum caro difficilis est coctionis, præsertim si cruda, addito etiam saccaro edatur; efficacissimè tamen vorantur à mulieribus prægnantibus malacia laborantibus; Cortex, & præsertim conditus, ciborum concoctionē iuuat. Semen omnibus venenis, potissimum verò serpentū morsibus medetur, menses ciet, & abortus elidit. Succus pestiferæ lui resistit, & oculis summè conuenit.

Conseruam, vel etiam conditum è Citro, Limonibus, vel Arantijs sic eleganter parabis:

Conditū citri.

Sume vnum vel alterum Citrum summè flauum, de cuius cortice sulphureo odorato, & maximè cordiali omnem flauedinem abrade scalpello; Huius rasæ flauedinis sume q. s. seu ℥j. & in mortario marmoreo tandiu tere, vt per setaceum agi possit: mox saccari in aq; rosacea dissoluti, & ad debitam consistentiam cocti libra vna addatur, parum simul coquantur misceantur & in debita vascula recipiantur.

Reliqua & carnosior Corticū pars demptâ prius interiore & succosâ medullâ, coquatur in aqua vino albo permixta ad debitam & perfectam mollitiem; mox cortices cocti, demptâ prius aquâ, separatoq; omni humore, in mortario contundantur, & per setaceum agantur; ad huius pastę vnc. iiij adde saccari ad perfectionem cocti lib. j. omnibus probè mixtis, tandiu lento igne coque, quoad vasi pasta amplius non adhæreat, tandem ad formandas rotulas effunde. Et vt eiusmodi conseruæ palato gratiores magis cordiales, magisq; medicamentosæ reddantur, ad quamlibet pastæ vnciam, adde puluo cinamo. acutiss. ʒj. Mosci gra. 6. ambr. gr. 3. ol. cortic. citri vel cinam. gut. 10. Sic habebis Conseruam palato gratissimam, & ad Cor, aliasque principes partes roborandas præstantissimā, & contra pestem magnum præseruatiuum.

Aurātia mala.

Aurentia, vulgo Aurengia, & aurea mala, ab aureo colore dicta: horum nonnulla dulcia, & ingrata, vel saltem gustui non satis amica: alia verò acida, iocunda, cardiaca, & palato gratissima. Omnia verò rotunda, & aureo

colore

colore fulgentia, seu multum fla-
uescentia. Quæ dulcia, tempera-
ta: quæ acida, refrigerantia, pu-
tredinem arcentia, veneno resi-
stentia, & cor roborantia. Cortex
verò acer, amarus & calidus, &
propter gratiosum odorem in-
tinctibus gratiosus, & expetitus:
saccaro conditus, oris conciliat
halitum. E floribus toto anno
florentibus albidis, suauecolenti-
bus & elegantibus addito sacca-
ro præstantes admodum conser-
uæ parantur: Ex ijsdem aqua Na-
phæ vulgo dicta destillatur, mira
suauitate & fragrantia commen-
dabilis, qua matronæ, & delica-
tuli aulici vultum, & comam as-
pergunt, & manus abluunt.

MALVM PVNICVM:
Italicè Malo granato: *Gall.* Pomes
de Grenades: *Germanic.*
Granatöpffell.

Malum Punicum seu Grana-
tum, à regione forsan Granata,
vbi vberrimè fruticat; vel à gra-
norum quibus farctum est innu-
merâ multitudine, quamuis in
vrbe Mechnase Africæ, omnes
Mali Punici acinis absq; nucleo
crescere scribat *Ioseph Barbatus c.
20.* & prope Euphratem in Baby-
lone Syrie mala punica nullo à
nostris diuerso sapore esse inter
acrem & dulcem, sed Cortice le-
ni, vt apud nos reliqua poma, &
acinos absq; nucleis, atq; pellicu-
lis, vnico cortice obducta, nulla-
que parte distincta, adeo vt mor-
dicus mandi possint, vti reliqua
poma: nec aliquid ex eis esse ex-
puendum. Duæ autem sunt ma-
li punici differentiæ: Syluestris,
quæ florem quidem, at nullum
fructum gerit: Domestica, cuius
tres sunt species, vna poma fert
acida; sedam acida; tertia vinosa,
seu dulc-acida, è quorum matu-
ris granis vinũ exprimitur, quod
phialis, seu lagenis vitreis probe
inclusum diu asseruatur, ex quo
etiam cum saccaro syrupi rubini
instar rubentes, ad ęstus febriles
mitigandos, corq; roborandum
præstantes parantur: Totum po-
mum qualitatẽ habet adstrictoriam
riam & refrigeratoriam: præstan-
tiores verò succus qualitates ob-
tinet: Acidus enim refrigerat, ad-
stringit, ardentissimumq; putri-
darum febrium calorem mitigat
clamosam sitim extinguit, bilem
fluxusq; dysentericos, cholerãq;
morbum coercet, ventriculi atq;
hepatis ardores cõpescit: at cùm
rarenter ad nos deferantur eius-
modi poma, & succus eorum vi-
ces supplent grana matura Ber-
berum, quæ cùm inere vitriolica
sint, ex ijsdem & lapidum precio-
sorum soluentia menstrua, & io-
cundissimi syrupi parãtur. E pul-
cherrimis floribus, seu internis,
puniceis ac tenuibus cytriorum
folijs *Plinio* Balaustia dictis, addi-
to saccaro, admirabilis paratur
conserua, ad vtrasq; vteri fluxio-
nes, si semiunciæ pondere su-
matur ex vino rubello auste-
riusculo, aut ex punicorũ acido

succo

ſucco aut ex aqua chalybeata: valet & ad inucteratas gonorrhæas maximè. Cortex vocatur mali-coriũ,cuius color ex viridi flaueſcit inſtar vitrioli, cuius cortex vti&cortices virides Nucũ iuglandium,participes ſunt, & arte ſpagyrica inde vitriolum parari poteſt. Huius corticis præcipua vis eſt aduerſus pudendorum vlcera, ſi cum alumine vſto,aloe,& ſpongia marina ſimul tritis applicetur: breui enim ſanat.

CAPVT XXX.

De Eſculentis Bacciferarum arborum fructibus vt Vuis, Paſſulis, Vuis acerbis, Ficubus, Dactylis, Tamarindis, Rubo Idæo Frago, Moris, Cornis, Sorbis, Iuiubis, Myxis, Myrtillis, Ribes, Berberibus, prunis, Ceraſis, Meſpilis, Oliuis, Capparibus, &c.

VVA:

Ital. Vue: *Gall.* Raiſin: *Germ.* Winntrauben.

INTER Autumnales fructus,alimenti præſtantia Vuæ recentes maturæ,& penſiles,& ſole ſiccatæ,principem locum obtinent & vbi iam maturuerint, minimo cum periculo ad ſaturitatem ferè vſq; eduntur. Hinc legimus in Sacris: *Ingreſſus proximi tui vineã, comede vuas quãtum tibi placuerit.* Magis profectò Vuæ cæteris fructibus impinguant & nutriunt, minimũ praui ſucci habent, præſertim ſi exactã maturitatem fuerint adeptæ. Quæ tamen dulces ſunt,cæteris ſuccum habent calidiorem,ob id ſiticuloſæ ſunt, aluum perturbant, præſertim ſi ieiuno ſtomacho vorentur, ventriculum inflant,& facile concoquuntur: Contrarium auſteræ efficiunt,parum nutriunt, ventrẽ cohibent,& ægrè cõcoquuntur. Vitandæ prorſus vuæ acerbæ; nã vt omnes racemi maturi dulces ſunt,ſic immaturi, agreſtes, acerbi,& inſuaues, vnde ex qualibet vua immatura, & expreſſa, omphanciũ habetur,& ex ea præſertim, quę etiã matura, expreſſa vinum tamen acidũ, auſterũ, acerbum,& inſuaue fundit;è quarum etiam ſucco, ſyrupus de Agreſta concinnatur. Vuæ autem quo carnoſiores fuerint, eo laudabiliores,præſertim cùm probè maturæ à vite decerpuntur. Vuæ penſiles dulces,& maturæ, cæteris minus ventriculum inflant, aluum conuenienter emolliunt, cibi appetentiam excitant, ventriculo tamen frigido,&imbecilliori parùm conferunt, vnde abvſus non multum prodeſt. In prima menſa offerri ſolent vuæ, ieiuno enim ſtomacho ſumptæ aluum laxant, & hepatis calorem contemperant.

Vua recens ventrem purgat, ſoluitq́; ſuauis.
Nucleus adſtringit, cæliacosq́; iuuat.
Excipe de nigris, quæ ſit tibi gratior, albam,
Neuè inflet, ſoles ſit remorata duos.
Bacche quid hoc maius potuiſti munere? nutrit
Hæc bene, veſicæ ſed maleſana nocet.

Vuæ ſapâ aut muſto conditæ, magis ſtomacho nocent; quin & aquâ cœleſti prius paſſæ factæ reponuntur,ſicq́; minus vinoſæ, ſiticuloſis,& ardentibus, longisq́;

 febribus

febribus vtiles redduntur. Parãtur & ex vuis varia condita, gelatinæ vasculis excipiendæ, & secūdis mensis bellariorum loco apponendæ: v.g. Cape vuas maturas, succum exprime, sępius cola donec pellucidus euadat. Hunc affunde vuis carnosis rubellis, vel etiam Moscatellinis, aut Corynthiacis musteis: Coque in aheno, preme, & versa: deinde per colum, aut angustum cribrū fricando traijce, vt grana & pelliculæ secedant. Cōmista iterum, cola & additis, si placet, aromatibus, inspissa. Idem cum prunis, cerasis &c, facere poteris.

Conditū vuarū.

Porro Vinaceorum decoctum infusum dysentericis, Cæliacis, & muliebri fluxui confert: ad insessus etiam, clysteres assumitur. Vinaceis item, post musti expressionem, seorsim, quoad spontè incalescant, reseruatis, si crura, femora, manus, pedesq; œdematosa, inflata, madentia, vlcerosa, vel etiam podagricis tophis repleta, imponantur ad aliquot dies, vt sudoribus diffluant omnia, exiccantur, & perfectè sanantur. Acinorum nucleus adstringit, stomachoq́, est acceptissimus. Nucleorum oleum per expressionem factum, magni secreti loco habetur in omnibus affectibus, vulneribus, & vlceribus persanandis: intus etiam assumptum magnū est in peste præseruatorium.

Passulæ sunt maturi vitis viniferæ fructus, sic dicti, vel quod aridæ, exiccatæ, & rugosæ, caloris vim sint expertæ, vnde & Passæ vocantur; vel à dulcedine, quam calore adipiscuntur (sunt enim omnes vuæ passæ, & à Solis ardore exiccatæ, dulces) id nominis obtinuêre. Sunt autem passarum quæ tùm ad popinā, tùm ad pharmaciam trahuntur, tres differentiæ: Damascenæ, Minores seu Coryntiacæ, & quæ in clybanis exiccantur, dulc-acidæ. Passæ autem vinaceisque carentes ac dulces, mirificè leniunt, quales sunt, Damascenæ, Cypriæ, & Creticæ: optimè nutriunt, visum acuunt, pectoris angustiæ, tussi, faucibus exasperatis, vt & renum, vesicæque vitijs maxime conueniunt. *Galen.* etiam iecinorosis maximè commendat. Inter duas patinas, exutis prius nucleis, cum saccaro, aqua tùm rosacea, tùm cinamomea ad prunas coquuntur, & debilitatis & fractis virib⁹ ægris magno successu exhibentur. Quod si nucleos adhuc habuerint, stomachū roborant, aluum restringunt. Alimentum ex vuis passis, *teste Galen. 2. de alim.* tali qualitate in corpore distribuitur, qualis ipsarum fuit natura, dulce scilicet ex dulcibus, austerum ex austeris; ex pinguibus & dulcibus copiosius eruitur alimentum, quàm ex macris: caricis magis stomachum roborant.

Passa iecur, stomachumq; iuuant, mihi prima Corynthi est,
Iliacum tepido grata liquore leuat.

Paſſulas laxatiuas ſic parabis, vt & pruna dulcia, ſebeſtem &c.

Paſſulæ laxatiuæ.

Paſſulæ Corynthiacæ prius aquâ calente bene mundatæ, & in ea maceratæ ſint, donec intumeſcant, mox transferantur in ollam & cochleari frangantur, vel in pila marmorea, detractis nucleis, tundantur: deinde affuſo vino punico coquantur. Decoctum coletur. Huic adde Extractum Mechoacæ, Turbith. foliorum Senæ, diagridij, per ſuccum roſarum factã item mannam & ſaccarum, omnia debita qnantitate; digere ad debitam ſpiſsitudinem, & capſulis inditas vſui repone. Vel Recipe ſucci roſarum depurati lib. 2. folior. ſenæ ℥iij. Rhabar. Turbeth. Mechoac. a. ʒij. Zingib. cinamo. Macis a. ℈ij. Macerentur 24. horis in B. M. factâ forti expreſsione & clarificatione adde ſaccari lib. j. coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam, tãdem adde paſſular. minorum, vel cibebar. purgatar. vncias 10. aq. cinam. ℥j. miſc.

Extractum item paſſularum ſuauiſſimum ſic concinnabis.

Extractum paſſularum.

Recipe Roris ſyriaci Quadrat. caſſ. nuper extract. ſextant. ſucci roſar. depurati ℥iij. pulp. paſſul. extract. vnc. vj. Decoctionis fol. ſen. vnc. iiij. ſaccari candi violati, penidiati a. vnc. ij. Coquantur lento igne ad mellis cõſiſtentiam, addendo Reſinæ noſtræ ſcammonij ʒij. Medul. ſemin. carthã. vnc. v. Olei cortic. Citri. Nuciſt. a. ℈ſſ. miſc.

Vinum paſſulatum.

Vinum paſſulatum iocundiſſimum ac ſuauiſſimum, quo in vini penuria vti quis poterit:

Sumantur paſſularum circiter libræ 30. indantur in vini dolium, affunde bullientis aquæ caldarium vnum, aceti etiam fortiſsimi menſurã vnam, ſtent in cella vinaria 24. horis, mox iterum affunde tria aq. bullientis caldaria, ſtent ita, & digerantur o-ctidui ſpatio.

Habebis vinum bonum, palato, & ſtomacho gratiſſimum, magni ſecreti loco habendum: & vt diutius perduret, quoties menſura vna extrahitur, toties aq. menſura ſuperfundatur: & diu bonitatis notam ſeruabit.

FICVS.

Italicè Fico: *Gallicè* Figue: *Germ.* Feigen.

Inter oporinos & æſtiuos fructus Ficus numerantur, cùm in calidis regionibus vberrimè, biſque fruticent, verna ſcilicet & autumnali fæturâ, monſtroſa tamẽ, eo quod prægreſſis Iulis, nullo præuio flore fructificet; Ficus enĩ *teſte Abacuc propheta*, nõ florebit. Ficus vt aliæ alijs præcociores ſunt & ſuaiores, ſic vel albidiores, vel magis rubeſcentes, aut nigricantes: omnes verò molles ſunt, medulloſæ, granulis interius grauidatæ. Omniũ laudatiſſimæ fic⁹ ſunt Maſſilienſes, quę dactylorũ inopia ſubſtitui poſſunt: mediodiocriter calefaciunt, nutriunt, & aluum leniunt, ſed ſanguinem valde laudabilem non gignunt. Attenuant, leniũt, concoquunt, maturant, aſperæ arteriæ, pulmonibus, renibus, veſicæ conueniunt. Recentes ficus, & modo ex arbore decerptæ, eſui quidem aptæ ſunt, non tamen adeo liberaliter atque vuæ, quia plus mel-

lis, quàm illæ habent, & scriptum est prouerb. 25 *Inuenisti mel? comede quod sufficiat tibi, ne fortè satiatus euomas illud:* Et, *Qui seruat ficũ, comedet fructus eius*. Eduntur autem horis matutinis, & potissimũ cum pane & salis modico, quibus superbibitur merũ, pectori conducunt, calidum natiuum, humidumque radicale reparant. *Iulianus Imperator* missus ad amicum *Sèrapionem* 100. ficubus, valde & ficus, & numerum centenarium laudat: docet enim ficus non solùm sensu dulces esse, sed & odore antecellere, hominique adeo esse vtiles, vt ad quæuis venena singulare præsidium videantur, mensisque tum primis tum secũdis adhiberi, tanquam hoc vnũ præ omnibus sacrum aduersus omnes ciborum iniurias remedium: Addit & Dijs consecrari, omnibus aris adhiberi, vt quouis thure odoratiores: ficus item regales ornare mensas, atq; ad omnium conuiuiorum ornatum addi, & neque intritum, neque scriblita, neqne panis dulcioris, neq; aliud condimenti genus, pari vnquam suauitate reperiri, adeo esse nobilem præ alijs omnibus cibum &c.

Ficus resiccata, carica dicitur, è quibus cum ruta, & nucibus fit Mithridatis antidotus illa tantopere decantata, quę constabat 20 rutæ folijs, ficubus duabus, iuglandibus siccis duabus, cum salis grano simul tritis: cuius vsus ad pestem & venena mirè prædicatur Caricas tamen si quis largius esitauerit, ab eis offendetur, non enim admodũ probum sanguinem generant, ideo pediculorum agmen comitatur: Hinc *Gal, 2. de cibis boni & mali succi, prauum dant corpori alimentum, nec fortè, nec multùm, sed spongiosam carnem generant, ventrem flatibus distendunt, spleni, hepatiq́; noxia, crassos succos gignunt.* Vt verbo dicamus, ex trib⁹ est compacta substantijs, carne parùm nutriente, cortice, cutis instar, ad coquendum durissimo & semine, arenæ aut lapidis instar, nullo alimento prædito.

Est matura tuo ficus satis apta palato,
Soluitur hoc ventris dura saburra cibo.
Siccarum natura calens humore remoto
Præ viridis maius munere munus habet
Incedit, tum phlegma tuo de pectore pellit,
Pulmoni medicas præbet & illa manus.
Cum ruta & nucibus pellit de corde venenum,
Abceßus mollit, phlegmata quæq; coquit.
Vlcera costarum, quæ vel Cachectica dicas,
Sanat, pruritum qui tua menbra quatit.
Attamen è crasso generat quem sanguine, lendes
In calido reparat, monstra molesta; thoro.

PALMVLAE, SEV DACTYLI;
Ital: Dattoli: *Gall:* Dattes; *German.* Dattlen.

Palmarum fructus, siue candidus, flauus, aut niger fuerit, nonnullis palmulæ, alijs caryotæ, molles scilicet humidæ, & dulces; quibusdam verò dactyli nũcupantur. Valde probantur è Iudæa, Syria, Palastina, & Hiericho allati, magni, flauescentes, parùm rugosi, molliusculi, & multa carne ple-

ne pleni, sapore vinoso, & qui cõcussi, parum aut nihil sonant. Hic fructus, & præsertim dulcis, non paucam obtinet caliditatem, stomacho, & thoraci prodest, & cùm laudabile nutrimentum suggerat, multis populis pro cibo assumitur; si recens arbore decerpatur, præloque exprimatur, succũ præbet, quo multi vini loco vtũtur. Sic scribit *Aloys. Cadam*, aliud quoque palmæ genus in Africa reperiri, è cuius perterebrato caudice, aqueus manat succus, quo in potu vtuntur incolæ, quo perinde ac ipso vino inebriantur si in aqua permisceatur; prior pars quæ emanat dulcior est, mox paulò asperior fluit, ideoq; & potui longè suauior

Fructus si iusto plus sumpseris, ecce Lyæi
Attonitus rabiem senseris ipse Dei.

Calefacit & humectat hic fructus, paucique est alimenti, pulmonis, thoracis, ac vesicę ardoribus prodest, aluumque emollit: liberalior tamen vsus, etsi renib⁹ opituletur, vrinam cieat, venerẽ stimulet, fætum in vtero alat, capitis tamen & stomachi dolores excitat, hæmorrhoidum tumorem creat, lienem, hepàrque grata saporis inescatione, plurimo quam conficere pessint, assumpto, attractoque succo superfluo non concocto, aut euacuato, claudit, & obstruit; ventris tum torsiones, tum rugitus, & flatus ob succi crassioris abundantiam mouet, appetitumq; prosternit.

Ardua dat dulci pomum tibi palma tepore
Cui dedit apta nimis, nomina forma teres.
Hos caueas, corpus tumidum torpedine replet,
Sic cedet vinci nescia palma tibi.

Huc Tamarindos referre lubet, qui, *referente Mesue*, refrigerant, desiccant, aluum cient, bilemq; facile soluunt, præassatos humores leniunt, vt & insaniam, melancholicumq; furorem, propter eorũ aciditatem, cuius gratia etiam græcè Oxyphænica, & palmulæ acidæ, vel etiam palmulæ Indicæ vocantur, quarum aciditas suauitate non caret. Dantur viscerum obstructione laborantibus, Hydropicis, atq; Lienosis: faciunt item ad scabiem, lepram, vitiligines, lichenas, atque contra omnes cutis exulcerationes à præassato sanguine excitatas, parũ alimenti subministrant. Et cùm hic fructus vix recens, nisi conditus haberi possit, non videmus cur tantopere in officinis expetantur sicci, rancidi, ac verminulosi, cùm in horum locum, longè præstantiora è nostrâ patriâ in medicum vsum possint reponi, vt sunt iuglandes immaturæ viridi cortice cum saccaro cõditæ &c.

Tamarindi.

M O R A.

Italicè Mori: *Gallicè* Meure: *Germanic.* Maulbert.

Mora matura *teste Galen. 8. simplic.* & *6. de alim. facult.* sæpe mensis apponuntur, eorumque succus (quo & syrupi, & Roob conficiuntur) aluum deijcit, ideo prima

matim mensâ apponi debent mora. Immatura verò vbi exaruerint, admodum restringunt, vnde ad quoscunque alui fluores adhibentur. E probè maturis succus paratur, Diamorō dictus, ad oris collutiones aptissimus. Prima mensa vt dictum, & ante aliorum ciborum ingestionem sumuntur, ne scilicet in ventriculo alijs cibis permixta, facilè corrūpantur. *Nicephorus Caliss. lib. 15.* Vrbis Constantinopolitanę Incolas sæpe podagra laborare scribit: Et *Hegesander ex Pythermo apud Athæn.* tradit, illius temporibus per viginti annos Moros nullum fructum protulisse, ideoque tantam podagræ contagionem omnes inuasisse, vt non homines solum, sed & pueri, & puellæ, Eunuchi, & mulieres, contra *Hippoc.* oraculum, eo morbo tentarentur. quæ item Caprarium gregem ita grauiter sollicitarit, vt vix tertia earum pars libera esset. An verò id euenerit, quòd mororum fructus podagram arceat, controuersum est, nisi forsan horum esu aluos lubricari dicere velimus, quæ alui lubricitas non podagrā duntaxat, sed & alios plures morbos arcere consueuit. Apud *Hippoc.* enim & *Galen.* legim' mora probè cocta aluum laxare, squalidum ac æstuosum ventriculum consolari, præsertim si frigida, & paulò ante alios cibos assumantur, mox per pauimentum deambulatio fiat. *Horatius:*

ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem qui legerit arbore Solem.

Moros autem priuatâ aliquâ potestate podagricos iuuare, quo minus ea excarnificentur, nullus medicorum obseruauit, nisi quatenus ex liberaliore vsu, aluis liquatis, humorum podagricorum prouentus intercipitur. Cur autem capræ ab illa non fuêre immunes? non quòd nullos produxerint fructus mori, mororum enim fructus non attingunt caprę, sed quia magna adfuerit aëris inclementia, moris etiam inimica, quæ pedum morbos produxit, vti & hoc anno 1623. eundem morbum in plerisq; animalibus obseruauimus ex varia, & non nisi extrema tentante æëris constitutione, varios etiam & insolitos morbos excitante.

Rubus syluestris.

In dumetis, agrorum marginibus, & locis incultis feracissimo prouentu nascitur Rubus syluester, fructu, cùm maturuerit, nigro, quem morabatum, & batinā vocant, è cuius succo, in locis præsertim verum morum non producētibus, Diamorum quoque & syrupi, ad oris affectus parantur.

Rubus Idæus.

Rubus Idæus, quod scilicet in Ida monte fæcundius luxuriet; Idæus vocatus, fructum fert vel rubeum, vel pallescentem, acinosum, esui, atque olfactui pergratum, cùm mandendo pergratum

tum spiret odorem, vnde & ad esum aptiores sunt, hi fructus, quã ad vsum medicum: oris tamen & tonsillarum inflammationes reprimunt, aluique fluores cohibent. E succo depurato paratur syrupus addito saccaro, rubini instar rubeus, qui ob miram fragrantiam, cordis palpitationi, syncopi &c, aptissimus est; vti & acetum Rubi Idæi, cuius vsum, pestis temporibus magnopere commendamus.

Fragã.

Fragaria cum maturitatis tẽpore fructum, parui mori ad instar exhibeat, aliquando rubeum candidum quandoque, mollem, medullosum, vinosum, humidũ, minutulis granis refertũ, & gustu suauem, &c, eius quoq; vires huc adscribere placuit, cum potissima plantæ vis in solo fructu cõmendetur, ipsa tamen planta vt & eiusdẽ expressus succus ad restinguendum synouiæ fluxum, mirificè commendatur. Refrigerat hic fructus sitim sedat, ventriculi & Hepatis æstus compescit; ideoq; & ex succo depurato cum saccaro fragrans ad eosdem vsus paratur syrup9, qui tamen diuturnus ob nimiam humiditatem, nõ est: paratur & ex fructu aqua stillatitia, non tantum ad producendũ viuidiorem faciei colorẽ, sed ad internos ardores extinguendos, renumq; sabulum proliciẽdum ad eundem finẽ quidã fructum maturum, vinispiritu macerant, cum saccari momento, & vsui reponit. Parum tamen nutrit hic fructus, & fugacem corpori alimoniam præbet. Ante alios cibos inprima mensa, saccaro, vino generoso, & cinamomi modico conditi assumi debent, quo minus in ventriculo corrumpantur vnde perparũ & magna sanitatis iactura à quibusdam quauis diei hora sicuti & sub prandij aut cænæ finem cum lactis capite vorantur.

Corna.

Huc etiam referemus Cornorum fructus oblongos, phaseolorum instar, rotundos, rubellos osseo intus nucleo prægnãtes, & austero sapore cum quadam aciditate preditos. Refrigerãt Corna, desiccant, adstringunt, ob id non rarenter in alimenti vsum vocantur contra alui profluuia, & immoderatos tum hæmorroidum, tùm mensium fluxus. E baccis quoq; fit pulpa, & obsoniorum genus Dyacitonio non absimile: fit ex decocto gelatina non solũ gustui acceptissima, sed & dysenterijs, & alijs sanguinis profluuijs maximè oportuna.

Corna nocent stomacho, brumâ malè grata rigenti
Si tuus illa voret venter, auarus eris.

Sebestẽ.

Sebesten seu Myxa fructus sunt in Syria & AEgypto nascentes paruis prunis similes, ex atro virescentes; fructus olim peregrinus, at nunc in Italorum hortis vbertim prouenit: ventrem, prunorum more emollit, vtiliter & febrientibus, & tussientibus, & linguæ ariditati exhibe-

exhibetur, vti & vrinæ tùm difficultatibus, tùm ardoribus, sitim cōpescit, & ventris tineas enecat pulpa ex hisce recenter extracta.

Iuiubæ. Iuiubæ seu Zizipha fruct⁹ sunt è luteo purpurascentes, oliuarū magnitudine, dulces, carne multa, vinosa, & duro nucleo præditi. Scribit quidem *Galenus* hos fructus parum nutrire, difficulter concoqui, & ventriculo infestos: plerique tamen Arabum salutares eorum effectus commendāt, & ad tussim, spirandi difficultatē, arteriæ asperitatem, humorum tum cōcoctionem, tum elisionē, & ad pulmonum, thoracisque vitia renumq; ardores summis laudibus efferunt.

Ribes. Ribes seu Ribesius fructus, quem & grossulam, alij vuam crispam, fortè à virium & effectus similitudine, vocant, licet effigie, colore, sapore & magnitudine non parum inter se differant: refrigerat, siccat, moderatè stringit & roborat, febrium æstus extinguit, bilē reprimit, sanguinis feruorem compescit, sitim contemperat, putredines arcet, malignis febribus resistit, vt & ventriculi subuersionibus, & dysentericis affectibus à calida causa natis. Ex succo depurato ad eosdem effectus syrupus paratur efficacissim⁹ & vsitatissimus: Cōdiuntur item saccaro & vsui reponuntur: fit & ex succo per se condensato Sapa ad eosdem vsus.

Berberis. Berberis, planta hæc, vt & fructus, etiam Oxyacantha vocatur, licet in officinis Berberis, nomine ab Amyrberis *Auicennæ* deducto, nunc vocitetur. Refrigerat hic succus, moderate siccat, validius astringit, sanguinis & aliorū humorum fluores compescit, viscerum calores mitigat, vomitū sedat, viscera recreat. Conditur fructus maturus saccaro, vsui reponitur, & secundis mensis appetitus stimulandi causa, apponitur exhibetur & febricitantibus, siticulosis. E succo depurato, vel per se, vel cum saccaro fit Roob, vel Sapa ad eosdem vsus. Fit & ex eodem succo per chymicam digestionem purificato elegantissimus & rubentissimus liquor, in quo adhibito igne naturæ, rubearia corallia dissoluuntur, & addito postmodum saccaro, ingeniosâ tamen manus administratione, in pulcherrimum & efficacissimum syrupum concinnatur. Fiunt & ex eodem succo depurato tabulæ Berberizatæ, quibus febricitantes sitim extingunt, & internorum viscerū æstus, & bilis ebullitiones frangūt; fit demum ex eodem succo vitreis doliolis reseruato, vinum Berberizatum, vini granati adinstar, & temporis progressu ad vasis fundum rubeum tartarum fundit, ex quo varia & præclara postmodum remedia proliciuntur.

Myrtus. Myrtus syluestris, quæ locis siluosis, siccis, macilentis, & aëri expositis, delectatur, baccas refert cæ-

fert cæruleo-nigras, esculentas, & suaues, vltimâ duntaxat mensâ sumendas, stomachũ enim claudunt, stringunt, roborantque; E succo paratur syrupus ad dysenteriam, & alui profluuia.

MESPILA:

Italicè Nespolo: *Gallicè* Nesplier: *Germanis* Nespell.

Mespila exiguũ alimenti præbent, cùm tamen & acerba, & adstringentia sint, præsertim immatura, ad compescendos alui fluores adhibentur: Deuorata enim iuuant cæliacos, dysentericos, & diarrhæâ affectos; faucium, dentium, gutturis; & gingiuarum fluxiones sistunt, ore, illorum decocto detẽto, balneum ex ijs paratũ immodicos menses cohibet: horum puluere rosarum succo excepto, additis aliquot garyophillis, nuce myristicâ, & corallij puluere, fit cataplasma ad vomitiones sedandas. Mespillorum puluis, *teste Antonio Musa*, lapides in renibus comminuit, & excludit. Maximè autem id præstare creduntur eorum ossicula trita, & cum idoneo liquore hausta, sic enim potenter & vrinam & calculum pellunt, alui fluores compescunt, & partes roborant. Eadem vis tribuitur lapillis seu ossiculis, quæ autumni tempore in rubeis ac maturis rosarum calicibus reperiuntur. Porro Mespilla etiam melle cõdiuntur, & hyemis tempore bellariorũ loco mensis apponuntur, licet vix edibiles sint eiusmodi fructus.

Multiplicant mictum, ventrem dant mespila strictum.
Mespila dura placent, sed mollia sunt meliora.

Eiusdem ferè cum Mespilis naturæ sunt Sorba parua poma, Speirling dicta, nam *teste Galen. 8. simplic. & 2. de aliment. facult.* eandem vim habent astrictoriam, at paulò imbecilliorem, magis tamen in medico vsu, quam in alimentis expetuntur, hinc *Martial.*

Sorba Sorba *sumus molles nimium durantia ventrem*
Aptius hæc puero, quam tibi poma dabunt.

Et alius

Arbuta, Sorba tenẽt fluidos & Mespila ventres,
Paruo̅ siccescunt hæc tibi poma gelu.
Hæc fugias niti locum poma nitore rubescunt,
Vix simul eueniunt & decor, & bonitas.

Ergo Sorba ob acerbitatem & adstrictionem, dysenteriæ, & omnib⁹ alui fluoribus conueniunt, vomitiones reprimunt, sanguinis eruptiones compescunt, ex maturis torculari commissis, & expressis, vinum quoddam pallidulum paratur, pyraceo vicinum quo vulg⁹ multis in locis vtitur.

PRVNA:

Italicè Prune, Susine: *Gall.* Prune: *German.* Pflaumen.

Tot, tamq; variæ reperiuntur prunorum differentiæ, vt eas referre tædiosum foret, quæ tùm insitione, tùm mangonio, & arte tùm ipsâ sic ludente naturâ sic redduntur: Nam si colorem spectemus, alia herbaceo, alia viridi, luteo alia, cæruleo, albo, eburneo, aut ex albo flauescente, aut nigro, violaceo, rubeo ac purpureo

colore perfunduntur. Differunt item inter se magnitudine, figurâ sapore & loco: quædam enim vel magna, vel parua, vel mediocria sunt: alia rotunda, ouata, oblonga: Nonnulla acida, austera, dulcia, vel dulc-acida, aut alterius mixtæ qualitatis: à loco cōmendantur Damascena, Brignolensia &c, quibus prima palma tribuitur, mox & ijs, quæ ex Pannonia & Transyluania aduehuntur, quæ omnia & officinas locupletant, & lautiores mensas nobilitant; in quorum tamen genere minuscula maiorem cum palato ineunt gratiam, in vino decocta, & saccaro aspersa, hoc enim modo præparata, & primis mensis assumpta, præter id, quod palato placent, etiam commodissimè aluum citant: humectāt item pruna, refrigerant, emolliunt, & ventrem lubricum reddunt, præsertim si per noctē tepida aqua macerentur, mox ieiuno stomacho vorentur, sic enim pigrescentes, & ab interno viscerum calore exsuccas aluos sollicitant. Siccantur in furno, ad Ictyophagiam & medicinam; saccaro item variè condiuntur. Ex Damascenorum pulpa fit confectio Diaprunis tū simplex, tùm composita. Nos in frequenti vsu habemus sequens Electuarium suauissimè aluum leniens:

Elect. solutiuum è prunis.

Recipe pulpæ prunor. Damasc. lib. j.
Succi Rosar. Moscatellin. ʒx.
Mann. granat. selectiss. ʒviij.
Cassiæ recenter extract. vnc. iiij.
Pulp granor. Sebest. vnc. vj.
Cremores Tartari vnc. iij.
Saccari cand. finiss.
Pulu. Cinamo. acutiss.
Gall. moscat. a. ʒj.
Misce & ad lentum ignem fiat Elect.

Pruna solutiua.

Pruna laxatiua si expetas, Extractum Scammonij solue aq. Cinamo: vel si odore & sapore sumenti displiceat, rosacea, aut stillatitia decocti cytoniorum: Pruna dulcia abluta, & nonnihil vino macerata, perfossa, & iterum aliquantulum resiccata, dictæ solutioni ad saturitatem imbibe.

Cruda pruna qualiacunq; sint, & quomodocunque vel saporis dulcedine, vel odoris fragrantia commendentur, non nisi calidis, siccis naturis, biliosis ac æstuosis tùm hepate, tùm ventriculo præditis conueniunt, idq; parcâ satis manu, & primâ duntaxat mensâ ante alios cibos voranda. Qui verò frigidum humidum habent ventriculum, multâ humorū viscedine & lentore refertum, ijs penitus abstineant, facile enim præsertim si liberaliore manu ingerantur, in lienterias, diarrhęas, ac dysenterias incidunt, & affectus cæliacos &c, vt singulis ferè annis autumnali ferè tempore videre licet, ita vt eos mirari licet, qui ad curandas dysenterias, nullâ habitâ vel naturę, vel temperamēti, vel humoris ratione, ægris indifferēter pruna, cerasa, poma persica, cucumeres, ipsam aquā largâ manu sumendam præscribunt.

CERA-

CERASA:

Italicè Ciregie: *Gallicè* Cerises: *German.* Kirsen.

Multæ quoq; sunt Cerasorum varietates, alia enim sunt syluestria, eaq́; parua, longi pendula; colore vel rubra, vel nigra, vel alba; sapore modo dulci, modo insipido, modo subamaro, austero, acido. Alia domestica sunt, cæteris multô crassiora ac pinguiora, rotunda, turbinata, & vario insitionis mangonio inter se differentia, quorum quædam nigra, quędam rubra, alia alba, nonnulla alborubea, alia ossiculis carentia &c. In dulcedine primatū obtinent Duratina, quibusdam Pliniana, Francis Bigarella dicta, natura omnium durissima, etiā dulcissima, & palato iocundissima, vt quæ adhuc formam cordis, vel parui cuiusdam scroti veruecini referant. In salubritate reliqua superant Aproniana, quæ valde & rubra sunt, acidula, Wiegslin dicta, & esui, vbi probè maturuerint valde grata: Quædam adhuc suauiter & salubriter eduntur perfecte matura, crassissima, rotūda, obscurè rubentia, Agriota nominata: Sunt quædam acidula, alia austera, illa Amarena, hæc Merona cognominantur. Omnia Cerasa Bigrellis exceptis, multo succo prægnantia videmus, inter quæ nigra, aut obscurè rubra, tenera sunt, & suo cruore cōtrectātium manus inficiunt. Cerasa corpori laudabilem succum suppeditant; æstuanti ventriculo & bilioso hepati conducunt, vētrem subducunt, febricitantibus vtiliter exhibentur, biliosos humores contemperant, iecoris infarctus tollunt; quædam tamen hos effectus insignius, quædam segnius pollicentur. Ante alios cibos tamen, & semper prima mensa sumi debent. In Germania pediculis repurgantur, vuisq́; maturis admiscentur, dein ex his vinum paratur gustui gratissimū, quod in alui fluxionibus vtiliter vsurpatur: Ex Apronianis etiam perfectè maturis, contusis, doliolo inclusis, & vino generoso affuso, vinum etiam palato suauissimum quidem paratur, quod egregiè æstuantem bilem, & sitim compescit, at in corporibus frigido ac debili ventriculo præditis, facile ventris tormina, & colicos dolores excitat. Insolantur etiam, & in clybano exiccantur, ad hyemales vsus. Nostræ mulieres saccaro condiunt, & ad vsus reponunt; faciunt ex ijsdem pellucidas gelatinas, è succo scilicet probe despumato, & cum saccaro inspissato, vt in superioribus docuimus. Cōmendantur item ad varios intinctus, quibus & sani & ægri bile vexati commodissime vtuntur. E Cerasis nigris probè maturis sic ardentem spiritum elicere poteris:

Spiritus cerasorum nigrorū.

Cerasa nigra, matura, & in clybano parum exiccata, vna cum nucleis contunde, cótusis affunde aq. calidæ fermen-

fermentatæ,& vini fæcibus permixtæ, quantum sufficit ad crassum pulmentum, mox doliolo, in quo prius vinum fuerit, indito, non tamen totum adimple, sed aliquã partem vacuam relinque, quo melius fermentatio fiat, vase clauso, cellæ vinariæ impone,& ad 1. vel 2. menses fermẽtari sinas, mox cũ omnia exactè fermentare & bullire cæperint, tunc per vesicam cum refrigeratorio destillare incipe.& semper qui destillauerit liquor. nouæ materiæ destillãdæ affunde,& destilla, idq; tantisper donec omnia fuerint destillata; tandem totum illum liquorem destillatum multo spiritu fæcundum, lenissimo Bal. calore, ab aqueo liquore separa,& aliquoties rectifica:

Sic habebis aquam optimam, & spiritum ardentem, qui in Aphonia, Paralysi, Apoplexia, Epilepsia, Calculo, vrinæ difficultatibus mira præstabit.

Cerasa laxatiua. Cerasa laxatiua sic parabis:

Cerasa condita ex suo succo exime,& nonnihil in vmbra resicca; mox aliquot foraminibus pertunde, & aliquoties Aquilæ cœlestis, vel croci metallorum infuso enutrito. Vel purgans Cerasiatum efficies, si purgato cerasiorum succo & pomorum dulcium addideris essentiam Mercuriatam: Vel Ceraso condito incluseris grana aliquot pulueris chymici catharctici, sic enim præter ægrotantis expectationem corpus lenissime euacuabis.

Est calido tantum ceraso sua gratia ventri,
Quem fructu soluit, mulcet & illa suo,
Si cerasum comedas, tibi confert grandia dona;
Expurgat stomachum; nucleus lapidem tibi tollit.
Et melior toto corpore sanguis inest.

Arboris at gummi veterem subducere tussim
Et lapidem renum comminuisse potest.

OLIVAE seu OLEAE FRVCTVS.

Oliuas, vti & pinguem earum succum, Oleum scilicet, ad rem escariam pertinere nemo nescit. Magnatum enim mensas oliuæ ad appetitum excitandum opulentant; Oleum verò vt 2. lib. dicemus, non tantum ad acetaria conficienda, pisces frigendos, aliaq; multa edulia præparanda, sed etiam ad vnguentorum & emplastrorum cõfectiones vsurpatur. Oliuæ *teste Galen. 6. simplic.* si probè maturuerint, qualitatem obtinent temperatam: Immaturæ, vim habent tùm adstrictoriã, tùm refrigerantem: Conditæ delectabili suauitate palatum recreant, appetitum excitant, ideoque cæteris cibis,& carnibus præsertim interseruntur; humentem nimis ventriculum resiccant & roborant, sed parum nutriunt, nec sanguinem laudabilem gignunt. Hispanicæ oliuæ cæteris sunt carnosiores, crassiores, & concoctu difficiliores: Lucenses minores quidem, at sapidiores, & appetitui excitando aptiores.

Torpescens Olea exacuit, sed auara palatum
Vix alit, arentem mollior aluus amat.
Igne leui, nisi salsa, tepens, imitata Saphyros
Fæniculo, atq; acido rore respersa sapit.
Arduus est stomacho fructus, sed pellit amurca
Illita tum podagram, tum quoq; Hydropis aquas.
Ast Oleum vitæ producit stamina sumptum
Sic Lachesi longus suppetet inde labor.

CAPPA-

CAPPARES:

Italicè Capari: *Gallicè* Capers: *German.* Cappern.

Capparis in multis regionib⁹ naſcitur, nullo aut exiguo cultu, atq; vberiore prouentu in locis ſiccis & deſertis agris. Senticoſus hic frutex folia circinata protrudit, è quorum alis pediculi erumpunt longi, vmbones ſeu capitula rotunda proferentes, quibus dehiſcentibus, flores candidi panduntur, quibus ſuccedunt fructus oblongi. Hæc florum rudimenta, ſeu capitula, priuſquam ſeſe explicent & adhuc nodoſa, euelli, muria condiri, & pro Capparibus in vſus referuari hecten⁹ conſueuerunt: tali enim conditurâ & ſuauiores, & ſalubriores redduntur, tùm ad eſum, tùm ad medicum vſum. Qualis condituræ ratio etiam in virentibus adhuc Geniſtæ vmbonibus, & florum capitulis ad eoſdem vſus obſeruatur. Cappares parùm alimenti veſcentibus promittunt, cùm partium potius tenuitate polleant, & medicinæ magis, quā cibo naſcantur; à muria tamen quendam mutuantur ſaporem ſtomacho pergratum, qui faſtidientes ſæpe inuitant ad epulas, & languentem appetitum reuocāt. Quantum ad vim, medicam, cappares, vti & radix, & cortex, calfaciunt, extergunt, purgant, incidunt, digerunt craſſos, lentos, ac viſcoſos humores, lienem roborant, iuuant, minuunt, obſtructa reſerant, & morbis à lienis infarctu & imbecillitate ortis reſiſtunt ſanguinem melancholicum per vrinæ vias educunt, & mēſes prouocant, quæ omnia hactenus in praxi medica non ſine fructu obſeruata fuêre: *Iacobus* tamen *Schallingus* in ſua Oculiſtica, Capparū vſum ridere viſus eſt, ſic enim ſcribit: *Cappares verò ſicut Abſynthium in Cæmiterijs & ſolitudinibus cùm germinaſſent, in hortos deinde ſunt tralatæ, triſtium & ſellatarum è genere ſtirpium magis, quam hilarium & vegetarum. Vt ſi humanæ craſi conferas, excrementitiæ naturæ potius, quàm cibis aſcribas Cappares, & deflorare ſanguinem potius, quàm ſubleuare limoſo fermento ſenſeris. At quæ lienem corrigant remedia, lætitiæ ſunt vegetabiles, & quæ genethla ſtipēt, nutricia periſeumata* &c. Eo tamen loco *Schallingus* aliud non quærere videtur, quàm & cibos & remedia vitam noſtram cōſeruatura, Idioſyncrata, æquabiliter, & catholicè maturata, vinoſos ſpiritus, & balſamicam vitę dulcedinem imitantia, pura, & ab omnibus ſordibus defæcata eſſe debere, quas tamen conditiones vix ac ne vix quidē vel in capparibus, vel aliquo ex iam prædictis inuenias niſi manu ſpagyrica admoueris.

Obſtructas reſerat venas, farctoſq; lienes
Et caput expurgat, menſtrua cæca ciet.
Digerit, incidit, ſtomachoq; perutilis eſca,
Et pulchra radix vlcera carne replet.

CAPVT XXXI.

De Nucibus esculentis, & Siliquis.

AD tertiam fructiferarum arborum classem, omnis generis Nuces, quæ in alimenti vsũ venire possunt, reponimus; & primum de iuglande agemus, cùm iam superius dictum sit, glandem primum, & antiquissimum fuisse hominis alimentum, ante frugũ inuentionem. Hinc illud *Poetæ.*

Et discant querna pellere glande famem.

AEgrè tamẽ cõcoquuntur, aluum constipant, vertiginem excitant, vrinam cient, & sopitos Veneris ignes suscitant, venenis potenter resistunt, ideoque & Electuarijs alexicacis meritò adhibentur; glandium cupulæ virides in puluerem actæ, qualescunque aluinos fluores sistunt, vt & aqua ipsa è tenellis adhuc foliolis destillatione prolecta.

Fagi etiam glande multi victitant homines frugum inopia laborantes: Nucleus enim & dulcis est, & valde impinguat, & gratissimi saporis, quo & mures, & glires, & sciuri, sues, merulæ, aliæq; volucres plurimùm delectantur. E nucleis siccis, cõtusis, & expressis elicitur oleum & ad culinarios & alios vsus satis conueniens, & aptum.

CASTANEAE:

Italicè Castagne: *Gall.* Castaignes: *German.* Kesten.

Castaneæ, quas aliqui Sardanias, alij Iouis glandes vocant, tam syluestres, quã simpliciter castaneas, tùm satiuas seu domesticas quas maronas nuncupant, tum alui, tum ventriculi fluxiones vehementer exiccant, & sanguinẽ excreantibus prosunt. Largius in cibis sumptæ, capitis dolores excitant, aluum adstringunt, maximè inflant, obstructiones viscerũ pariunt, vrinæ difficultatem excitant, optimè quidem nutriunt, at cùm difficulter concoquantur ventriculi robur requirunt, semẽ generant, Veneremq; stimulant. Quibusdam in locis ex earum farina panes, & polenta parantur, cùm musto coctæ, per cribrum aguntur, & additis saccaro & aromatibus in Electuarij formã rediguntur. Vulgus aqua simplici incoquit, & vorat: quandoq; cineribꝰ calidis obrutæ torrentur, mox cum sale & piperis modico eduntur. Eiusdem ferè naturæ & proprietatis sunt castaneæ aquaticæ passim in stagnis exorientes: Wassernußen dictæ.

In caput & ventres inflata asperrima sæuit,
Ni spolia apportet, mellis arundinei.

AVELLANA:

Italicè Nuciuole: *Gallic.* Noysette: *German.* Haselnuß.

Auellanis nihil notius, quas Nuculos, alij Nuces ponticas, alij Abellinas ab oppido Abellino vocant, vbi earum prouentus est vberrimus. Sunt autem vel domesticæ, vel syluestres. Ex illis aliæ oblongæ sunt, in longis & callosis calycibus latentes: aliæ rotunditate

tunditate insignes, è calycib' magis patescunt, præstantiores habentur, quæ rubente membranâ obuelātur, & quia sanguinis profluuia curare dicuntur, sanguineæ vocātur. Ad Eclegmatis de Pino confectionem accedunt auellanæ, & bechicam quandam vim obtinent, ob dulcissimum earum saporem, & rectè medicamentis thoracicis adhibentur. Interdum saccaro incrustantur, vt bellariorum vices impleant, & suauius edantur. Subinde cum ficubus vuis, passis hyemali, & Quadragesimæ tempore mensis apponuntnr: difficulter tamen concoquuntur, ob terrestrem & solidam, qua constans substantiā; Bilem & cruditates augent, aluinos fluxus, dysenterias, diarrhæas ac flatus excitant, præsertim si adhuc virides, & minus maturæ plenâ manu vorentur. Tritæ tamen & ex mulso haustæ, veteri tussi medentur: cum piperis modico sumptæ, destillationes concoquunt. Cruda putamina in puluerem acta, & vino austero hausta aluinos & mensium fluores cohibent. E nucleis per expressionem paratur oleum, quo in alterius defectu culinas rusticorū instruunt.

Primus Abellinam Campano à nomine cultor
Dixerat, aridula est, sed minus illa tepet.
Inuisa est capiti, stomacho, tardissima lapsu,
Intumet, vmbrosis nascitur in corylis.

Et Macer:

Ex minimis nucibus nulli datur esca salubris.

AMYGDALAE:

Italicè Mandole: *Gallic.* Amendes: *German.* Mandeln.

Amygdalarum, quas *Cato* Nuces græcas, alij Thasias nuncupant, aliæ amaræ sunt, cæteris calidiores & minus esculentæ; aliæ dulces tàm culinis quàm officinis expetitæ. Ex omnibus oleum exprimitur, dulce è dulcibus, ex amaris, amarum; hoc auribus cōfert; illud temperatum, & naturæ amicissimum; feliciter enim omni ætati, & sexui exhibetur, vt & tussientibus infantulis securissimum est medicamentū, humores in thoracem prolapsos optimè coquit, & ad expectorationē ducit, præsertim si cum saccaro penidiato exhibeatur: Hoc idem oleum dulce ieiuno stomacho haustū, addito syrupo ros. solut. colicos dolores subito sedat, alui stipticitatem soluit.

Amygdalarum amararum esu, & vulpes interfici, & ebrietatem arceri scribitur: testatur enim *Plutarchus* fuisse apud Drusū Tyberij Cæsaris filium, Medicum quendā, amaras amygdalas comessari solitum, qui hoc modo omnes potando superabat, nec vnquam temulentiâ tentabatur.

Amygdalę dulces, quia suaues bellariorum vices multis modis implent: Nam & virides adhuc, & siccæ decorticatæ mensis apponuntur, aut saccaro incrustantur, aut ex his tritis, saccaro & aquâ rosaceâ panes martij seu dulciarij

ciarij fiunt. Amygdalatũ quoque paratur, potus forma, lac amygdalinum vocant, & puerperis, & conualescentibus, & febriculosis atque dysentericis &c, familiarissimum. Sunt item amygdalæ & somniferę, & lactiferę, atq; seminiferæ, & aluum constringunt. Si tamē paulò pleniore manu, prę sertim ventriculo iam cibis infarcto, ingerantur, ægrè concoquuntur, flatus generant, cruditates pariunt, prassinæ bili alas subministrant. Recentes tamen aridis minus noxiæ sunt, vt & maceratæ atque excorticatæ minus ijs, quæ nullum expertæ sunt humorem.

Conciliant somnos fructus, & pectore crassos
Humores multâ vi reuocare solent.
Hos age præsumas, qui curis liber Iaccho
Exhausto seruis. nocte, dieq; mero,
Quò neq; vaniloquâ turbes conuiuia linguâ,
Ebrius, egesto, dedecorere cibo.
Feruet, & emollit si dulcis amygdala, amara est
Asperior, mensas nesciat ista tuas.
Iliacum dulcis, tabemq; à pectore delet,
Quam bene distat: alit dulcis, amara necat.

PISTACEA:

Italicè Pistacchi: *Gallicè* Pistaches: *German.* Weltsch Bimbernuß.

Pistaciorum fructus seu nuclei calidi & humidi, seu temperati sunt, & optimè corpus nutriunt, bonosque generant succos, at crassos & ægrè concoctiles, *Teste Auic.* leniunt, resoluunt, digerũt, concoquunt, & impinquant, ideoque phthisicis & tabidis valde prosunt, cùm materiam in pulmonibus contentã concoquãt, & expurgant, sicque purulenta spuentibus & tussi molestatis cõueniunt, antequam verò edantur, aqua calente macerẽtur, quo minus stomachũ offendant. Semen item augent, Venerem stimulant, renes, & vesicam nõ modo expurgant, sed etiã roborant, eorumq; vlcerationes prohibẽt, & vrinæ stillicidio mirificã opem præstant.

Igne Nuces superat, renes iuuat, & iecur humens
Pistaceum, hæc stomachi cæna senilis amat.

Pini Nuces.

Huc spectant nuclei è Pino oblongi, rotundi, tenui ac nigricante membranula inclusi, qui modo Pini nuces, modo strobili, modo cocali, & sæpius Pinei, ac Pineoli vocãtur. Nucleus hic temperatus, ad calorem tamen magis accedens, vnde rebus venereis inseruire creditur, cùm & lac & semen augeat, multum nutriat, exasperata leniat, nec non veteri tussi, phthysicis atq; tabescẽtibus prosit, & magno corporis humani emolumento maturet, agglutinet, resoluat, impinguet, & leui quadam acrimonia mordicet: & licet crassiusculum potius, quàm tenue alimentum suggerat, non tamen improbatur, cùm putrescentes intestinorum humores emendet, licet ęgre cõcoquatur, ideoq; naturâ frigidis cum melle; calidis verò cum saccaro dari debent Pinei nuclei: frequenter exhibiti, neruorum, atque dorsi dolores sanant, & vtiliter Ischiaticis exhibentur, vt & paralyticis, stupidis, ac tremore

affectis

affectis: pulmones ſanant, ſaniē, lentosq́; humores inde expurgātes; Saccaro incruſtati, languentem Venerem excitāt, vrinæ ſtillicidijs, & ardoribus, renumq́; & veſicæ vlceribus medentur, macilentos impinguant, & humidū radicale ad vitam propagandam augent, reſtaurantq́ue.

Elect. Regium. Recipe Pinear. mūdat. ℥viij. Amygd. mundat. ℥vj. cinamo. vnc. viiij. Gariophil. Santal. citrin. ʒiij. Lig. Agaloch. vnc. ſſ. Ambr. ʒj. Moſc. ℈ſſ. Saccari lib. 4. aq. roſ. lib. j. miſce f. Elect. Cor, cerebrum, pulmones, & ventriculum roborat.

Ebullit, nimiumq́; ſitit, pulmonibus imis
Debita, vix coquitur pinea, ſed bene alit.
Inteſtina fouet, neruis, rigidoq́; lapillo
Subuenit, & Veneri grata, fugit Cybelem.

NVX BASILICA, ſeu REGIA: *Italicè* Noci: *Gallicè* Noix: *Germ.* Welſche Nüß.

Nuces à nocendo dictæ, tùm quod vmbrâ, vel ſtillicidio proximis arboribus & ſatis noceant:

Me, ſata, ne lædam, ſegetes nam lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

Tùm quod linguæ pareſin, raucedinem, & aphoniam excitent, appetitui, ac digeſtioni obſint, (niſi lacteſcentes adhuc fuerint) tùm quod relioſæ ac flatulentæ, & oculos turbent, & vertigines, capitisq́; dolores citant, & diuerſis morbis viam aperiant, vt meritò ſchola dicat:

Vnica Nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt. *de Myriſtica, Iuglande, & nuce vomica loquens:* Dicuntur autem Iuglandes, quaſi cæteras glandes iuxta ſe poſitas iugulent. Alij volunt Iuglandes, quaſi Iouis glandes, ac iuuantes dici, quod ſcilicet fabri lignarij earum truncum quæritent; corticem infectores; fructū pueri tùm ad luſum, tùm ad eſum; pharmacopæi ad medicum vſum, ad Regis Mithridati imitationem, qui famoſam & decantatam illam contra omnia venena, & peſtem ipſam, Antidotū, hoc modo paratā in ſecretis ſcrinijs, theſauri inſtar reſeruabat.

Recipe Nuces excorticatas & ſiccas N. 2. Caricas pingues N. 2. foliorum rutæ N. 20. Salis mica, & ſyrup. aceroſit. citri q. ſ. omnibus tritis fiat Electuarium.

De hoc qui quotidie ſumpſerit, nullum illi eo die venenum, nulla peſtis nocebit.

Virides & adhuc tenellæ circa Solſtitium æſtiuum ab extremo cortice liberantur & tamdiu in aqua ſubinde mutata infunduntur, vt amaritudinem deponant; deinde coquūtur vt molleſcant, exiccantur parùm, poſtea cinamomo, garyophillis, & citri corticibus configuntur, tandem ſaccaro aut melle ad conſiſtentiam coctis induntur, & vſui reponuntur, ad ventriculum imbecillum roborandum, & coctionem iuuandam. Siccæ nuces calefaciūt & exſiccant; Ex his item tuſis, & expreſſis oleū elicitur, quod vim habet calefaciendi, digerendi, reſoluendi, neruos roborandi, & flatus diſcutiendi, vnde ad colicos dolores, clyſteres è Nucum

oleo, & vino genoroso parati, magni secreti loco adhibentur. E putaminibus viridibus destillatur aqua, tàm ad pestem, quàm ad calculum minuendum prȩstātissima: Ex ijsdem putaminibus merè vitriolicis laudatissimum paratur vitriolum. E Iuglandium Iulis mense Martio collectis, prȩstantissimum paratur ad affectus hystericos remedium. Inest quin etiam ipsis nucibus aquâ maceratis, & tenui pelliculâ denudatis mox præstanti vini spiritu maceratis, dein quotidie vna vel alterâ assumptâ maxima vis, ad remoratos menses ciendos. Aliàs nuces per noctem aquâ maceratæ, & cum salis & piperis momēto sumptæ tutius sumuntur; omnium autem tutissimæ sunt lactescentes.

Mille mihi poteras dixisse, sed vnica Iuglans
Nux dicta est, linguæ iam nocitura tuæ.
Siccior arescit, stomachum, & caput improba vexat
Mirum, si nocuæ sit bene iuncta viæ.
Suscitat ad vomitum, tußim, capitisq; dolores,
Sed viridis stomacho est nux mage grata tuo
Cum ruta, & caricis obsistit sumpta venenis
Soluit & abscessus inguinis ista tui.
Igneq; spagyrico, & sophicis fornacibus auream
Si poßis dextrè ducere doctus aquam:
Illa tibi prauos ducet de corpore succos,
Purior vt redeat sanguinis vnda tui:
Immedicabilibus poteris succurrere morbis
Et tumidi putidas soluere ventris aquas.
Iline, sic sordes, fædum, miraberis, vlcus
Criniti dextram sic subiisse Dei:
Sic fædam capitis scabiem purgarier, & sic
Commoda de vili tanta venire nuce.

SILIQVAE;
Ital. Carobe; *Gall.* Carouge; *Germ.* S. Johans Brodt.

Ad quartam deniq; fructiferarum arborum classem Siliquas referimus, vulgo Carabe, Carouge, & Johans Brodt dictas: Hæ *referente Dioscor.* si recentes fuerint, stomacho aduersantur, & aluum soluunt: eædem siccatæ sistunt aluum, stomachoq; vtiliores redduntur, atq; suauiores, ob mellitum quem profundunt succum, quo Orientales & Mirobalanos & Myristicas nuces, Zingiberis radices, & consimilia condire consueuerunt. *Galen. 2. de aliment. facultatib.* scribit esse praui succi edulium; ac lignosum, concoctu difficile, nec celeriter deijci, vnde satius fuerit ab ijs abstinere, licet vinaceis conditæ vrinam prouocent; plebeis tamen in Italia commune, & frequens edulium.

CAPVT XXXII.

De Animalibus in alimenti vsum venientibus, in genere.

ALIMENTA ab Animalib⁹ petita, aut sunt Quadrupedum, aut Volatilium, tùm syluaticorum, tùm domesticorum carnes: Vnde hoc loci quæri potest, quæ Num syluestrium animaliū carnes, Cicuratorum carnibus præstent? Ambæ quidem suas habēt dotes, nec suis itidem carent vitijs. Syluaticorum animalium carnes quatuor insignes habent propri-

1. proprietates: Nam ob aëris, quę
continenter recentem hauriunt,
calorem & temperamenti sicci-
tatem, sanguinem leuem, & sub-
2. tilem generant; ob aquarum, &
pabulorum paupertatem & pe-
nuriam, parum & edunt, & bibũt,
inde macrescunt, & superfluis
3. humoribus destituuntur; ob ali-
menti siccitatem, carnis contra-
hunt duritiem, & siccitatem; de-
4. niqueob continuum motum, ra-
refit corpus, plurimumq́; de sub-
stantifico humore amittit, inde
carnes duræ, siccæ, exuccæ, pau-
ci alimenti, duræ, tardæq́; tùm di-
gestionis, tùm penetrationis red-
dũtur; quæ tamen si probè in vẽ-
triculo elaborentur, laudabile
præbent alimentum, à prauis hu-
moribus defæcatum, quod & ci-
tò assimilatur, & serius dissolui-
tur. Hinc *Hippocr. Animalia in cali-
dis locis degentia, solidiora, & siccio-
ra sunt, ad aßimilandum velociora,
ad digerendum verò & penetrandũ
tardiora, quorum carnes cùm siccæ &
exuccæ sint, siccum quoque & minus
laudabile generant alimentum: Gal.*
quoq; syluatica domesticis mi-
nus sapida, minusq́; alimentosa
esse dixit, capreolis exceptis, qui
syluestres licet sint, cæteris tamẽ
sunt sapidiores, & laudabilioris
alimenti, quorum sanguis motu
subtiliatur, corpus rarefit, & aper-
tis poris, grauis humorum odor
exhalat.

Domestica verò animalia sunt
sapidissima, & syluaticis plenius
nutriunt, capreolis exceptis, mi-
nus tamen & caloris, & plus hu-
miditatis substantificæ obtinent,
vnde etiam laudabiliora: Nam
propter aëris, quem hauriunt, de-
1. fectum. & humiditatis abundan-
tiam, illorum minuitur calor, au-
getur humiditas, inde caro cras-
sa, viscosa; nec ita naturæ obedi-
2. ens, ob nimiam quietem claudũ-
tur pori, non dissolutâ crassiore
humiditate, inde carnes molle-
scunt, facile attenuantur, venas-
3. q́ue penetrant; ob alimenti copi-
am pinguescunt, inde superfluæ
4. humiditatis incrementum; ob a-
limenti demum humiditatem,
mollescunt carnes &c.

Cicuratorum anim. proprietates.

Quibus omnibus ad rationis
incudem reuocatis, conuincitur
domesticorum animalium car-
nes, esse quidem sapidiores, ma-
ioris nutrimenti, & celerioris per
totum corpus distributionis; at
viscedinis & lentoris redundan-
tiâ, superfluos gignere succos, es-
se duræ digestionis, tardioris assi-
milationis, facilioris corruptio-
nis, & per consequens parùm nu-
trire, ex accidenti, & syluaticorũ
multum; hęc verò naturaliter pa-
rum, illa multum. Domestica enĩ
animalia licet naturaliter multũ
nutriant, cùm tamẽ citò à mem-
bris dissoluatur alimentum, sem-
per fit exhaustus, & noui alimen-
ti appetentia, sicq́; parum nutri-
catus accedit: Syluestrium verò
carnes licet naturaliter parũ nu-
triant, cùm tamen durę sint dige-
stionis,

ſtionis, & tardioris diſſolutionis, diu ſubſiſtunt, inde non ita cito membra ſuo pabulo defraudantur. Ergo ſylueſtrium carnes ad membrorum robur, domeſticorum, ad valetudinem in longum tempus protrahendam, plurimũ faciunt.

Horum autem quædam in humidis & vdoſis locis degunt, & talia multum nutriunt, facile in ventriculo & hepate digeruntur, citoq; diſſoluuntur: Quædã verò in ſyluoſis & montoſis locis viuunt, & contrario modo ſe habent: Quædam denique in domibus nutriuntur, ſaginanturq;, & hæc craſſiores, viſcoſioresque carnes habent, atq; ob ciborum abundantiam, craſſitiem, & corruptionem, durioris & tardioris ſunt digeſtionis, at probè in ventriculo ſubacta, multùm & nutriunt, roborant.

Vnde ſumatur carniũ vel bonarum vel malarũ diuerſitas

Porro nutrientium animaliũ in bonitate vel malitia diuerſitas à ſexu, ætate, temperamento, paſcuis, pinguedine vel macredine anni temporibus, & parandi artificio deſumitur. Primùm quidẽ ſexus ratione, omnis maſcula caro, & laudabilior, & concoctu facilior eſt (ſolâ caprinâ exceptâ, quæ in femellis melior & concoctu facilior creditur) inde vaccina caro durior & ad concoquendum tardior eſt bouinâ. Caſtratorum carnes medio modo ſe habent, inter vtrumque ſexum, ſed tantum in ſua ſpecie, ideoq; proximè ad fœmininas accedunt, amiſſo ſcilicet nobiliſſimo membro, ceu viuifici caloris fulcro.

A ſexu.

A temperamento.

Temperamenti ratione, omnium Quadrupedum carnes, quę homini vt plurimum in alimentum cedunt, porcinis ſunt frigidiores: quæ autem inter frigidũ, & ſiccum, medium obtinent, & digerendi facilitate, & ſucci bonitate, cæteris palmam præripiunt, modo nec vetera ſint, ob nimiam maciem, & ſiccitatem: nec lactantia, ob nimiam humiditatem, coctioni non ita facile obſequentem, ſed iuuencula. Si tamen animalia naturâ ſicciſſima, vt Bos, & Capra, in lactis ſiccitatem contemperantis vicinitate, vel ipſo in lacte fuerint, ea veteribus laudabiliora erunt, vt ſunt vituli, capræ lactantes: Quæ autem naturâ humida ſunt, tenera, & mollia, earum carnes cito deſcendunt, pituitoſos ac lentos generant ſuccos, ſunt duræ digeſtionis, & tardæ diſtributionis, & niſi ventriculi Archeus validus fuerit, ægrè ſuperantur, ægrèque in laudabilem ſuccum conuertuntur.

Ab ætate.

Sic ætatis ratione, lactantium carnes humidiores ſunt, & ob lubricitatem facile deſcendunt, albuum præcipitãt, ſanguinem multâ pituitâ redundantẽ generant, exceptis vitulinis probè maturis, caprinis, & præſertim hædinis lactantibus, quæ quo diutius laudabili lacte nutriuntur, eo ſapiditate, &

tate, & digestione fiunt laudabiliores, subtilemq; gignunt sanguinem, omnibus hominibus, vt & conualescentibus conuenientem, quib9 tamen vitulinæ, quod paulo crassiorem gignant succũ, non ita sunt salubres. Hic obiter Italos & Hispanos mirari subit, qui nondum maturos vitulos & hinnulos, sed nuper è matris vtero excisos maximis in delicijs habent. ijsq; suos phthysicos & hecticos nutrire & reficere consueuerunt, cùm tamen naturâ & humidissimæ & pessimæ eiusmodi sint carnes: Naturalis enim & ætatis humiditas collectis in vnũ viribus, crassos generant succos coctioni rebelles, fumosos & corruptos, quales sunt etiam agninæ, & porcinę lactantes, ideoque ex veterum, & potissimùm *Hippocr.* præscripto, ob natiui caloris paupertatem, & viscedinis copiam, lactantes porcelli, è bonorum alimentorũ albo excludũtur: habent enim eiusmodi animalia strictissimas venas naturâ, sanguinem paucissimũ, & multam pinguedinem, ideoque non nisi calidis, siccis, robustis, assuetis, & ventriculi robur habentibus conceduntur: At si ad prouectiorem ætatem contingant, paulo magis siccescunt, minusq; superfluitatis obtinent, temperatè nutriunt, cito digeruntur, & serius dissoluuntur, ideoq; iuuenibus, otioq; deditis quadrãt, modo dicta animalia naturæ siccæ non fuerint, sic enim non probarentur, vt sunt bouinæ, & caprinę carnes, quæ hoc ætatis decursu improbantur. Decrepita autem animalia omnia pessima sunt, tũ quod proximè ad natiui caloris extinctionẽ accedant, tùm quod exhausto natiuo & radicali balsamo, siccissima, & ad digerendũ durissima sint, vt Bos, Vacca, Capra &c,

A pabulo & pascuis.

Nec minus pabuli consideratio, in animalium alendorum delectu negligenda: Quæ enim fæno, siccisq; herbis nutriuntur, ob alimenti corruptionem, minus laudabiles carnes habent: Quæ verò in pratis, campisq; virentibus pascuntur, carnem nutriunt leuiorem, digerendo faciliorem; Quod si paruis & minutulis vescantur herbis à veris initio, ad æstatis medium, vt in alpibus videre est, sapidis & bonis cõstant carnibus, optimiq; sunt alimenti: sin tenellis ramusculorum & virgultorum sumitatibus vescantur ab æstatis initio, quo arborũ ramusculi tenerascunt, ad hyemis medium, magis laudantur, quàm quæ domi fructibus eorum vtũtur.

A pinguedine

Ipsa quinetiã animalium pinguedo, & macies perpendenda: Crassissima enim animalia pessima sunt: pinguedo enim & stomacho, & coctioni inimicissima est, cùm cibis innatet, inflet, & appetitum prosternat (ideo ijs primâ mensâ conuiuis exhibetur,

quos primo statim mensę ingressu saturos esse optamus) alijs cibis permixta, concoctiones retardet, ventriculi fibras, & villos emolliat, laxetq;, viscedine & lubricitate obducat, vim denique retentricem eneruet, & in ventriculo calente, in nidorosos ac biliosos vapores abeat. Cùm itaq; pingues assantur carnes, coqui perperam alienâ pinguedine (quod tamen Coquis passim familiare) aut lardo oblinunt, sic enim carnis poris ac spiraculis pĩguedine obductis, nõ solùm excrementitiæ humiditati exitum præcludunt, sed & natiuum carnium saporem, introducto sæpe rancidi laridi aut butyri odore, expungunt, vt in altilium assatione sæpius videre est.

Macerrima animalia contrario ferè se modo habent, neruosa sunt, pauci alimenti, citius tamen digeruntur, & in venas rapiuntur, nulla excitata lubricitate; media inter hęc cæteris pręstant; cuiuslibet enim animalis caro, in pinguedine temperata melior est, quàm vel pinguissima, vel macerrima.

Ab anni tempore. Quantum ad anni tempora, carnes calidæ, siccæ, æstate minꝰ, hyeme magis laudantur; ideo *Hippocrati* caro porcina æstate, nõ autem vel vere, vel autumno, vel hyeme probatur; licet nostrâ hac ætate, maximè sub autumni finẽ & hyemis initium, recens mactatâ porcinâ omnes vescãtur, cùm enim ventres hyeme & calidissimi sint, multo & magno opus habent alimento, quale huius carnis vsu facile dictis temporibus haberi potest.

A coquendi artificio. Quantum demùm ad coquẽdi artificium, assatæ & frictæ animalium carnes in nutriendo sunt grossiores, digestu duriores, & siccitate accidentariâ siccissimæ. boni succi carnes, quales sunt mediocrium animalium, & nulla aut exiguâ pinguedine obsitæ, lento, at non diutiore igne assandæ nec laudabiles, & substantifica humiditas igne consumatur. Macilentorum animalium caro saluberrima est, elixa magis; quã assa. Antiqui macilentã carnem non nisi elixam mensis apponebant, quo melius tenerascerent, faciliusq́; digererentur. Hoc seculo cauendũ (qui error in Principum Aulis vulgatissimus est) ne diuersorũ animalium carnes simul aut elixentur, aut assentur, v.g. porcina cum agnina, vel caprina, quæ simul elixari, aut assari nolunt, cùm hæc, ob siccitatem, elixationem; illa ob humiditatẽ assationem requirat. Tosta ad carbones caro optimè quidem nutrit, & corpori robur addit, at ægrè tota concoquitur, vnde cõsultum foret nihil superaddere:

Lixa magis quã frixa placet caro, tosta, vel assa:
Quã crocus, aut piper, aut ius facit esse bonã.

Fricta autem caro vt sunt pedes vitulini & agnellorum & capreorum capita, nauseã pariunt, appetitum

appetitum tollunt, & ægrius aſſa concoquuntur. Carnes aromatibus conditæ & coctæ, vtiliter hyeme vſurpantur, vti & carnes ſale conditæ, aut fumo induratæ, ægrè enim digerūtur, parùm nutriunt:

Salſa minus dulci paſcit caro carne, maloſq́;
Procreat humores ſæpe facitq́; ſitim.
Quam durat fumus, melius ſe Ruſtice paſcit,
Sicca caro, ſanguis naſcitur inde niger.

Carnes aceto conditæ refrigerant, & neruos lædunt. Carnes recèns è macello ablatę, minime ſunt ſalubres, ſi ſtatim coquātur, & præſertim ſi (vt perperam Coqui in vſu habent, aliquot horis aquâ calidâ præmacerentur, ſic enim omnem ſaporem amittūt. Minime quoq; ſalubres ſunt carnes gelatinis acetoſis conditæ, præſertim ſi frigidæ, & ſecundâ menſâ apponantur, vt ſunt pedes, auriculæ, ora &c.

CAPVT XXXIII.

De Animalibus eſui deſtinatis in ſpecie.

P*Lutarchus* inſtructiſſimâ argumentorum acie conuincere conatur, carnium eſum eſſe omnino præter naturam: tùm quod id non ferat corporis noſtri conſtitutio, cùm nec oris vncus, nec vnguis acumen, nec dentium aſperitas, rapacium animalium inſtar, adſit, vt nec caloris natiui, nec ſpiritus, nec ventriculi robur, ad carneam molem ſubigēdam, tùm quod ſatietatem & craſſitiem adipoſam ingerat, animos hebętet, ingeniję; lumen & ſplēdorem retundat &c. Nihilominus tamen cùm tantâ alendi virtute polleant animalium carnes, perfectiuſq́; in ijs, quàm alijs cibis alimentum conſiſtat, factum eſt, vt homines ex ijs, artis magyricæ beneficio, varia edulia tùm gulæ, tùm ſanitatis cauſa conficere didicerint. Nos itaq; aliorū exemplo, quorundam animaliū carnes, earumq́; virtutes, vtilitates, & noxas in ſpecie deſcribemus, & quid, quantumq́; ad vitæ in multos annos propagationē præſtent, in medium adducemus facto à Suilla carne, proximè ad carnem humanam accędente, initio.

CARO PORCINA.

E quadrupedum animantium genere Suilla caro (quæ præter cęteras carnes, cum humanâ maximam habet ſimilitudinem) & ſuauiſſima eſt, & ad bonos ſuccos gignendos aptiſſima; quam (modo probè in ventriculo concoquatur) etiam *Galen.* & probatiſſimum eſſe cibum, & probatiſſimos gignere ſuccos affirmat: robuſtum tamen & vegetum requirit ventriculi calorem, qualis eſt Ruſticanorum, Operariorum atq; Athletarum, quorum naturæ ab incunabilis craſſis alimentis ſunt aſſuetæ. Multum nutrit hæc caro, bonumq́; chylum generat, aſſa tamen ſalubrior eſt quàm elixa, præſertim porcellorum; & ſale indurata melior quā recens: recens enim & inſulſa ob

excre-

excrementitiæ humiditatis copiam, alui profluuia, & dysenterias parit, præsertim si præpinguis fuerit, & calidis, æstiuisq; temporibus, vt multis Germaniæ locis vsuvenit, voretur. Ex nullo animali numerosiores ganeæ dapes parantur, quam ex Sue, vnde *Cicero 2. de Nat. Deor. Sus*, inquit, *quid habet præter escam? cuius quidem caro, ne viuenti putresceret, animam ipse pro sale datam esse Chrysippus dicit: qua pecude quòd erat ad vescendum Hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.* Et *M. Varro, Suillum*, ait, *pecus, à natura ad epulandum datum esse dicunt. Hinc illud Iuuenal*:

Quanta est gula? quæ sibi totos
Ponit Apros, animal propter conuiuia natum!

Et mox:

Semesum leporem, atq; aliquid de clunibus Apri.

Ab *Homero* quoq; in epulis celebratur Suilla caro, Agnina, Ouina, & Caprina, quas veteres dixerunt maximam habere nutriendi potestatem, ἀδιαπόνιτοι Sic *Gal. 7. Method.* & *1. ad Glaucon.* Exquisitâ febre tertianâ affectis, præter testiculos & alas gallorum. & sorbilia ouorum vitella, porcorum etiam pedes & cerebra, & porcellorum carnes in iure albo liquefactas præbuit, & effœtas à morbo conualescentium vires illius vsu reficit. Lactantium verò porcellorum carnes, cùm cæteris humidiores, & in debili vẽtriculo prauis succis referto, facile corrumpantur, minime salubres habentur. Horum esum *Hippoc.* ob viscidos ac crudos succos etiã improbauit: Et *Gal. 3. de Aliment.* & *2. de temper.* tanto magis nobis excrementitiam præbere alimoniam scripsit, quantò sunt suibus humidiores; ideo non nisi assi mensis apponantur, assatione enim magnam humiditatis partẽ amittunt: Nuper enim editi, quouis animali terrestri, quo Homo vescitur, carnem habent humidiorem, sanguinis à phlegmate viscosi fomitem, ideoq; rarus sit porcellorum esus, & primâ duntaxat mensa. Teterrima vtique Porci veteris caro, quæ & ægrè concoquitur, & cõcocta sanguinem atrâ bile conspurcat: optima verò ad gulæ illecebras, & corporis alimoniã, est caro porcina mediæ ætatis, nec nimis vel obesa, vel macra nimis; hęc enim facile coquitur, & probum generat sanguinem. Iuuenes porci castrati, cæteris præferuntur; habẽt enim carnem dulcem, sapidam, iocundam, optimi succi, & facilis digestionis: ad quam proximè accedit caro Aprugna, modò sit mediæ ętatis, pinguis, & idoneo tempore capta. Laridum mediocriter pingue, non vetus, nec rancidum, ritè & salitum, & fumo duratum, cæteris præstat, eò quòd conditura maior humditatis pars amittatur, est tamen duræ digestionis, dignum rusticorum edulium. E suillo tum sanguine, tum carnibus, hepate, pulmonibus minutim

minutim tritis, & vario mangonio conditis fiunt farcimina, lucanige, & id genus cupediarum, quibus homines & æstatis, & hyemis temporibus cum voluptate vtuntur. Et quoniam Suillam tùm carnem, tùm sanguinē magnam cum humana carne & sanguine esse similitudinem dixerimus, poterunt quoq; ex iis, vti & ex sanguine humano arte spagyricâ ad varios morbos euerruncandos, vitamq́; propagandam educi & parari remedia, liquores stillatitij, spiritus ardentes, olea, salia, balsama, Murinæ, quintæ essentiæ, elyxiria &c. Nec enim dūtaxat Culinis notissimum & acceptissimum est immundum hoc animal, sed & ipsi quoq; Medicinæ innotuit; Huius enim pulmones cataplasmatis calidi instar vlceribus ex calceamentorum attritu factis imposita, mirificè prosunt: talus combustus, & cum vino haustus, ventriculi flatus discutit: Dentis apri puluis in colica & pleuritide, specifici remedij loco habetur: Fel apri exiccatus strumas delet, hæmorrhagiæ, & splenis inflammationi medetur: Adeps emollit, lenit, mitigat, calefacit, & purgat. Sal sanguinis porcini, insigne ad phthysin est remedium.

In cæno porcus viuit, quod sordidus inde
Dicitur, & fœdus, lubricus, atq; vagus,
Quem deuorat victum pro sexta parte venire
Narrant in setas, sanguinis atq; alimen.
Parcam bis denos iunctim progignere partus
Posse quidem fama est, spermatis ob copiam.
Sus tibi cænoso sit cœna domesticus ore,
Grata ferat nobis mensa hyemalis aprum.
Rusticus ecce facit bona Saturnalia porco,
Inter spumantes qui bene pastus apros.
Quis neget, atq; negat? nemo: sic prima suillis
Carnibus, & merita gloria laude datur.

BVBVLA CARO.

In carnium genere salubris quoq; iuniorum Boum, & Vaccarum caro habetur: Bubulæ enim carnis esum, Homeri etiam temporibus vsitatum fuisse, testatur *Athenæus lib. 1. cap. 4.* Imo verò lōgè ante Homerum, *Propheta Amos cap. 6.* Hierosolimitanis & Samaritanis exprobrat, quod ederent agnos de grege, id est, egregie pingues & boues de toto grege pinguissimos, & vitulos altiles atq; saginatos. Porrò carnes bubulæ præ alijs nationibus apud Polonos, & Pannonios & optimæ, & plurimæ sunt: Inter crassissimas tamen carnes, bubulæ numerantur; licet enim multi & magni sint alimenti, copiosum quidem, at crassum generant sanguinem, & viscerum infarctus pariunt, præsertim si sale conditæ, aut fumo induratæ fuerint: Si tamen tridui spatio sale & aceto condiantur, sapidiores, delicatiores, ac suaúiores, teneriores q; euadunt. Mensis duntaxat matutinis est apponenda, & elixa duntaxat, nō vel fricta, vel assa, ne noctu ventriculum ob coctionis difficultatem aggrauent. Eligatur autem nec macra, nec pinguis & adiposa nimis, nec decrepitorum animalium, sed iuuenculorū, quæq;

in optimis pratis, aut alpium viretis nutrita fuerit. Quod si bubulæ carnes ægrè in olla coquãtur, addantur caules caprifici inter coquendum, magno lignorũ compendio percoquentur. Hac carne (vt scribunt multi) si naturâ melancholici multum & sæpè vtantur, facile in lienis obstructiones Quartanas, Hipposarcas, Lepras, Lichenas, Impetigines, Scabiem, Elephantiasin, Serpigines, & Cancros incidunt: *Celsus* tamẽ carnes bubulas magnifacit, laudat, & meritò cæteris domesticis carnibus præfert, ceu stomacho gratas, salubres, sapidas, nec ita facile corruptioni, putredini, cruditatibus aut flatibus obnoxias: Nec enim hactenus, vel rarissimè obseruatum, eos, qui has carnes in frequenti vsu habent, prædictis morbis affici, sed cæteris longe & viuaciores, saniores, robustioresq́; euadere. *Galen. 3. de alim. facult.* scribit Castratorum animalium carnes, non castratorũ carnibus & sapidiores, & salubriores meliorisq́; alimenti, & facilioris concoctionis esse: quæ cùm ita sint, facile concludemus taurorum carnes, bouinis quoque in omnibus iam dictis conditionibus esse deteriores.

De boue semper edat, bilem qui despicit atram:
Quo senior bos est, hæc caro peior erit.
Viscera si quis edat vetulæ præraneida vaccæ,
Implicitus duris febribus esse volet.
Bubalus hic abeat, neue intret prædia nostra:
Non colat hunc quisquã, sub iuga semper eat

Fel Tauri melli mistum, colli stranguriam tollit: Aqua è felle bouino Iunio mense destillata, & vesperi illita, pterygia, & oculorum maculas pellere dicitur. Fel vaccæ omnium aliorum quadrupedum felle præstat. Decoctum splenis bouis, splenis & duritiei & obstructioni medetur, & vi specifica obstructos menses prouocat; idem facit Extractum splenis bouis castrati. Destillata mense Maio vaccæ recentia excrementa, mane & vesperi pota, præsentissimo sunt colicis, & febricitantibus remedio; prauus autem liquoris destillati odor, repetitâ per alembicum destillatione, & nucleorum persicorum additione tollitur.

VITVLINA CARO.

Lactantium, & pinguium, probeq́; maturorum vitulorum carnes tàm assæ, quàm elixæ, optimi sunt alimenti, bonũq́; generant sanguinem, ideoq́; & sanis, & ægris corporibus tutò exhibentur modo à ventriculi calore concoqui possint; aliàs flatus, cruditates, viscososq́; & tartareos humores generant. Coqui antequam vitulinas ferubus affigant, eas prius aliquantisper in aqua feruente bullire faciunt, quò in assatione pleniores, & succulentiores appareãt, sed stultè & perperã id faciunt, hac enim ratione vitulinas iam per se humidas, adhuc humidiores reddunt, & natiuum huius carnis saporem, & gustum è medio tollunt. Varia è dictâ

carne

carne conficiuntur edulia & iocunda & salubria; Condiuntur enim vino & iusculis, additis pipere, zingibere, & amaraco; fiunt & ex ijsdem probè tusis, ouis & amygdalis permixtis, additis aromatib' Noduli valde nutrientes; parantur & ex ijsdem restaurantia, destillata, gelatinæ &c.

Assiduos habeant vitulos tua prandia in vsus,
Cui madida & sapido iuncta tepore caro est.
Laudetur vitulina magis, sed ab vbere matris
Rapta modo; veteris gratia nempe minor.

CARO CAPRINA, HIRCINA.

Caprina caro, *teste Galen.* praui est succi, duræ, ac difficilis digestionis, suaq; acrimonia, præsertim verò iecur, cerebrum ferit, & epilepticos insultus excitat, qui ad hunc affectum sunt propensi, præsertim si masculina caro fuerit, ideo olim & ob dictam hanc causam, & ob saporis insuauitatẽ, sacerdotibus vetita fuit. AEgrè concoctionem admittit, nisi vel castrata, vel lactans fuerit, vel syluestris. Lactantium verò & bene nutritarum carnes, sat boni sunt succi, veris potissimùm tempore, & æstatis initio, cum tenellorum adhuc ramusculorum esu pinguescant. Hanc carnem Hircina malitia, & odoris fætore longè superat, nisi adhuc lactãs sit, tunc enim melior & tenerior euadit. *Galenus* Hircos reijcit, non solùm ob fætoris grauitatem, sed etiam quod sanguinem generent melãcholicum; quorum etiam sanguis adamantem frangere scribitur, ideoq; à multis ad remedia lythontriptica adhibetur.

Semper ouilla caro succo peccante redundat:
Hircus olens itidem, capraq; crimen habet.

HOEDINA CARO.

Hœdina caro, vt Agnina siccior, ita & delicatior, & concoctu facilior, atq; laudabilioris est alimenti, ideoque & sanis, & ægris corporibus vtilis & conueniens est, autumno præsertim, quo tempore & Hœdi, & Agni, atq; Oues pinguiore ac sapidiore carne abundant, maximè in Gallia, Anglia, Bohemia, & Belgio, quibus in locis prædictę carnes sapidissimę & optimi nutrimenti habentur.

Erepti pauidis lactantes matribus Hœdi,
Et quæ sit nuper nata capella placet.

VERVECINA CARO.

Verucecina frequẽtissima quidem, at tandem ventriculo grauis euadit, & nauseam mouet: optimi, & saluberrimi est alimenti, nam confertim vires reficit, contractamque ex morbis diuturnis maciem breui restaurat, præsertim si è coxis, caponisq; pectore iuscula (consumata, seu restaurantia dicta) parentur, addito Cinamomi, Corticum arantiorum, vel Citriorum momento, & succo modico. Exprimitur etiam è coxis semiassis, & tusis succus, ad eundem finem pæstantissimus. Huc etiam spectant tenellorum Agnellorum carnes, quæ mense Maio potissimùm à delicatulis expetuntur.

Caput, pedes, intestina, & pulmones, tùm Veruecis, tùm Arie-

tis, Agnorum, & Ouium coquũtur, & magno fructu tabidorum ac hecticorum balneis adhibentur, tùm ex eodem decocto clysteres ad colicos dolores compescendos parantur. Ex ouillo item stercore medicamentũ mirabile ad pleuritides illico curãdas hoc modo paratur.

Recipe stercoris Ouilli pillulas recentes N. 7. vel 9. Dissoluantur in aq. stillatit. vel rosar. vel florum Acetiæ, vel cardui Mariæ, vel maximè flor. papaueris Rhæados, adde aliquid syrupi eiusdem exhibeatur, & mira videbis.

Hisce iam enumeratis domesticorum animalium tùm elixis, tùm frictis, tostis, seu assis, aut quouis alio modo, conditis carnibus fere vtimur, quibus tamen Itali & Hispani, in quasuis ineptas escas plus satis profusi (nùm famis sedandæ, an verò cupediarũ explendarum causa) addunt cattorum seu felium tùm domesticorum, tùm syluaticorum carnes, quibus passim, at potissimũ brumæ temporibus vescuntur, à quibus tamen merito nostri Germani ob saporis insuauitatem, & insolitum vsum abhorrent.

CARNES FERINAE,
CERVINA.

Ferinas, seu syluaticorum Animalium carnes, & Nobiles, & Magnates, quique Principum aulas frequentant, & sequuntur, magni faciunt, inter quas ceruinę, mensæ potissimùm Augusto, quo tempore Cerui pinguedine luxuriant, quantumuis venenatos natribus hauriant serpentes, & intoxicatis sæpe telis (vt magis tenerascant, scilicet) prosternantur, & magnis in delicijs habentur, & magno sæpe supercilio Principũ mensis apponuntur, cùm tamen tùm sapiditate, tùm alendi facultate parum, aut nihil à bubula distent, ita vt non rarenter Caupones delicatulis Aulicis imponãt, dum illis bubulas carnes sale, aceto, granisq; iuniperinis maceratas, elixas, assas, aut quouis alio modo conditas, pro Ceruinis offerunt; tantum in multis valet hæc opinio! Sanguinem gignunt carnes, crassum, melancholicum, ægrè concoquuntur, parùm nutriunt, membris tamen insigne robur addunt, obstructiones pariunt, ita vt eas delibare, quam ijs satiari, satius, & magis oportunũ fuerit: assæ tamẽ, & frigidæ mensis appositæ, magis appetitum recreant, quàm calidæ.

Ceruolorum seu Hinnulorum caro delicata quidem est, & ex omnium tenellarum carnium natura, excrementosis succis vel maximè abundat, vti & Hinnuli nuper ex vtero excisi caro, licet in summis multorum delitijs habeatur; ideo omnino è culinis releganda. E tenellis & adhuc lanuginosis cornubus, insigne paratur edulium ad venenatos corporis affect⁹, & febres malignas,

Concoctu nimium dura est ceruina: sed illam
Conditam calidis sumere sæpe licet.

Multa & insignia è Ceruorum sanguine, medulla, adipe, ossibus & cornibus parantur ad multos, & graues affectus remedia, longæuitati quoq; plurimùm inseruientia imo ex solis cornibus tot tamq; præclara parari possunt, vt ea sola, integram instruere pharmacopœam possent. E sanguine debito tempore collecto, exiccato, puluerizato, fit prę̃stãs remedium ad quosuis sanguinis fluores; Ex eodem fit quinta essentia, oleum, extractum, spiritus, & sal, ad quæuis venena. Os de corde Cerui, vt & destillatus è tenellis cornubus liquor, in pestilentib⁹ & malignis febribus, Theriacæ loco habentur; vt & extremi cornuum cuspides, qui magnorum Medicorum testimonio, plus cõtra venena, malignasq́ue febres valent, quam aut Vnicornu, aut lapis bezoar, quem etiam virtutibus æquare Cerui lachrymæ dicuntur. Cornuum Cerui puluere rite parato ad enecandos vermes vtimur. Testiculi ceruini, vt & penis ipse, exiccati, & puluerisati valent ad dysenterias, diarrhæas, lienterias & pleuritides.

Oleum cornuũ Cerui.

Oleum cornuum cerui fit mense Augusto collectis cornibus, limatis, & ex aqua quod satis est coctis: deinde per Balneum aquâ detractâ: postea illis exemptis & in retortum inditis, adiectisq; laterum frustulis, oleum clarum, & singulare elicitur. Ex aq. deinde ita destillata, & per Baln. rectificata, addito saccaro, fit præstãs syrupus ad necandos infantium vermes.

Syrup. cornuũ Cerui.

Sic ex osse Cordis ceruini, cornubus, cæterisué ossib⁹, cum debitis vehiculis, decoctis, elicitur tandem purior ipsorum essentia cum vini spiritu alcolisato cum chelidonia: Sic enim parata, syncopas, cardialgias, cardiacas, lũbricosq́; tollendos: tuetur cor, & omnem veneni vim elidit, & pestilentibus morbis cõfert. Sic paratur essentia cornu Monocerotis, cuius proprium menstruũ est Alcool Melissæ. Ad vermes enecandos & è corpore ad vnũ omnes pellendos, sequens facit puluis, secreti loco habendus:

Pul. mirabil. de cornu Cerui. ad vermes.

Recipe pul. flor. Hyperic. centaur. minor. a. ℥ij. corn. ceru. præp. Corall. rub. senin. portulac. Citri. a. ℥ß. Corallinæ, Gentian. diptamni, a. ℈j. Radic. rabarb. Asari. a. ℈iiij. Myrrh. croc. Resin. scammon. Trochisc. alhano. a. ℈j. Cinamo. Coriandr. a. ℥i. saccari parum. Dos. ℈j.

CARO CAPREOLINA *& Rupi Capræ.*

Capreolina caro inter alias ferinas, & tenera, & delicatissima, & gratissima est, & quouis anni tempore à venatoribus expetitur cum omnium minimè noxia sit, frigidis, pituitosis, colicis torminibus, morbòque caduco obnoxijs, idoneum alimentum; suâ tamen siccitate, si frequenti sit in vsu, alui stipticitatem procurat. Ad huius carnis bonitatem proximè accedere videntur carnes tum Damæ, seu Rupicapræ, tum etiam Ibicis, quarum esu Alpicolæ plurimùm delectantur.

CARO APRVGNA.

Vt Caro Aprugna & bonitate & gustus suauitate Suillas domesticas superat, si tempore, loco, & mediæ ætatis sumatur, sic Aprugnas succulus adhuc lactans bonitate, sapore, & nutriendi potestate, à domestico superatur.

Valle moretur Aper licet alta, semper aquosæ
Carnis erit, pluri sed tamen apta cibo.

VRSINA CARO.

Etsi *Galenus, Rhasis*, & alij vrsinas carnes, viscosas, frigidas, pituitosas, concoctu difficiles, praui succi, hepati quoq; & lieni inimicas esse scribant, & *teste Platina* multas in corpore cruditates & corruptiones generent, ciborũque appetentiam tollant: Non desunt tamen, qui hisce carnibus tùm elixis, tùm assis, aut quouis alio modo conditis, hyemis præsertim tempore vtãtur, imo quidam anterioribus pedibus, ceu regali quadam esca cum voluptate fruuntur, tùm quod ob cõtinuos motus laboris tenerascant, tùm quod dulcis saporis quid contineant, quo illecti vrsi, toto ferè brumæ tempore, anteriores vngulas sugant. Hasce tamen carnes, vt & vulpinas, ceu concoctu duras, & prauo succo præditas rusticanis relinquamus quas impunè venantur, & ijs cupediarum vice fruuntur.

LEPORINA, & CVNIlorum Caro.

Leporina caro olim quoq; in delitijs habita: vnde Nero leporem marinum epulis miscuit; & *teste Aristophane*, leporinis carnibus viuere dicebantur, qui lautè, atq; in delitijs vitã agebant. Hinc etiam prouerbia *Tute lepus es, & pulmenta quæris?* Item, *Leporem comedit:* Sic pulmentaria ex lumbis leporinis confecta, dicta sunt à pulte. *Horat. ad Lollium*:

Cœnes vt pariter pulmenta loboribus empta.

Alexander Seuerus Imperator Rom. *teste Aelio Lampridio* in epulis quotidie leporem habuit: vnde poëta quidam sic in illum iocatur:

Pulchrum quod vides nostrum esse Regem
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit, & Lepus comestus
Ex quo continuum capit lepôrem.

Hos versus cùm ad eum quidam ex amicis detulisset, in hanc sententiam græcis versibus respondit:

Pulchrum quod putas vestrum esse Regem
Vulgari miserande de fabella
Si verum putas esse, non irascor.
Tantum tu comedas velim lepusculos
Vt fias animi malis epulsis
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

Lepus Grammaticis videtur dictus, quasi leuipes, à pedum celeritate. Cæterum leporina caro sat boni est nutrimenti, at crassũ & siccum generat sanguinem, obstructionibus introducendis idoneum, difficulter concoctionem subit, licet iuuenibus tùm hircis, tùm capris sit præstantior: inde delicatulus *Martialis*:

Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Ex leporino siquidem sanguine omnium suauissimo, & intestinis

ſtinis olim farcimen conficiebatur, quo Magnates auidiſſimè veſcebantur. Sic leporis armos, quaſi cæteris partibus gratiores palato, hoc verſ. teſtatur *Horat.*

Fæcundi leporis ſapiens ſectabitur armos:

Sic etiam *1. Regum. cap. 9.* Samuel Saulum conuiuio excipiens, dextrum animalis armum de induſtria ſeruatum, & repoſitum Saulo apponi curauit. Lepuſculorum caro æſtate, Cunilorũ hyeme ſapidiſſima eſt, tàm ſanis, quàm ægris appetitu deſtitutis, cùm & facilis ſit digeſtionis, & optimi nutrimenti ventriculum roboret, ſuperfluos humores abſumat: naturâ tamen melancholicis rarius exhibenda.

Auriti leporis mihi pulpamenta reponas
His meus abradi iam didicit ſtomachus.
Ignei ſunt, aluum durant, ſed renibus arctos
Et femori norunt hæc reſerare vias.
Iuppiter alme, datur lepori ſi ſexus vterq;
Nec fera, nec malus eſt, omnibus eſca placet.

CVNILVS.

Credideram leporem, ſic forma ſimillima fallit
Ambo ſuperfætant, dentibus, aure pares:
Ambo timent, diſtant tamen, vda Cuniculus affert
Fercula, ſeminitata gluten.
Hunc torre igne tamen, ſuffoßa euertere caſtra
Bethydis audebit, ſi modo credis, aquas.

Ex lepore quoq; multa & egregia parantur medicamenta, nam tota leporis ſubſtantia, demptis duntaxat capite & inteſtinis, facta prius in Martio menſe præda, minutim cõciditur, ollæ imponitur, mox olla clauſa & lutata, in clibano in cineres ſeu calcẽ agitur: Huius pulueris ʒj. in conuenienti vehiculo exhibita, renũ calculos pellit, omnes ſanguinis fluores, ipſamq; dyſenteriam, & hæmorrhagiam potenter ſiſtit, tàm internas, quàm externas. Coagulum leporis vino, aceto, aut limonum ſucco exhibitum, concreti intrinſecus ſãguinis grumos diſſoluit: Cum oui vitello ſumptũ, dyſenteriam potenter ſanat, ſi aliquoties iteretur. Renes, teſticuli, pedum tali, renum, & veſicæ calculum pellunt: Matricis leporinæ extractum, cum aquis ſpecificis exhibitum, vteri ſtrangulationem curat, & mulieribus fæcunditatem inducit.

Sanguis leporinus calidus & illitus, omnes faciei maculas, næuos, lentigines, & ſcabies ſanat. Pilorum ſuffitus, expectorationes iuuat; pili tenues prope clunes reperti, ſanguinem ſiſtunt. Fel leporinum viſum acuit, oculorum maculas delet, auditumque reparat, cum melle illitum.

Aſſatum leporis firmat, ſumptumq; cerebrum
Ex morbis tremulas conditione manus.
Tum ſuaui affrictu dentes producit in auras.
Spargitur in faciem, ſic rubet illa, cruor
At cinis exuſtæ pellis, lapidem inde potenter
Renibus educit, tormina ventre fugat.

CARO HERYNACINA.

Antiquitus hæc caro vix in culinarios vſus adhibebatur: Iam verò herynacij porcini, nõ canini pelle exuuntur, caro vino, & aceto feruente maceratur, tandem larido & cinamomo transfixa aſſatur, & menſis apponitur, ſapore dulcis eſt, diſſoluendi atq; ſiccan-

di vi pollet, stomachum roborat, aluum soluit, & vrinam ciet, rusticis familiare alimentum: Cineres Herynacij cum aq. foliorũ quercus ijs exhibetur, qui noctu lectos permingunt.

Si tibi Echinus adest, stomachum fouet, Ilia mulcet
Humet, & Vrinæ membra relaxa tenet.
Febris in antiquæ cana optatißimus, ægris
Antidotum neruis nobile salsus erit.
Scilicet hic mos est, naturæ excelsa recondit
Munera, dumosum tot bona tergus habet.

Sunt & adhuc quorundam animalium carnes, quæ à multis expetuntur, & in vsum alimentorum venire consueuerunt, quas tamen, quod magno in vsu non sint; breuitatis amore silentio præteribimus.

CAPVT XXXIV.

De Alimentis ex Animalium partibus desumptis.

ALIMENTA ex animalium partibus desumpta, temperato, motu, loco, quiete differũt: vnde quæ membranacea, cartilaginosa, tẽdinosa, & neruosa sunt, duræ quoq; sunt digestionis, stomacho laboriosa, & serius in sanguinem conuertuntur, nisi è iunioribus, paruis, & humidioribus natura animalibus desumantur.

PINGVEDO, ADEPS.

Pinguedines tàm liquidæ & vnctuosæ carni intertextæ, quàm coagulatæ & concretæ renibus, dorso, suminibus &c, tùm inter has mediæ, vt medullæ, alimento differunt: Liquidæ enim inter subtile & crassum; concretæ verò ex coagulatione & crassitie, suum demonstrant alimentum. Parùm nutriunt pinguedines, ideo non cibi, sed condimenti loco adhibendæ; nam vt iam ante diximus stomachum inflant, cibis supernatant, chylum corrumpunt, innuiscant, & digestioni ineptũ reddunt, appetitum prosternunt, lubricitatem excitant, ructus, flat⁹, nidores, & infarctus inferunt, vnde paucissimum & pessimum præbent alimentum. Porcina pinguedo cæteris magis humectat, vt & Anserina: Est enim Anser, Sus inter aues: Leporina pinguedo, pulueri cancrorum fluuiatilium mixta, & vulneribus applicata, quicquid intus latet, felicissimè extrahit.

MEDVLLAE.

Ossium medullæ, & pinguedine, & vnctuositate tùm sapidiores tùm & meliores habentur, eo quod inter pinguedinem & vnctuosam substantiam mediũ obtineant.

Spinarum similis cerebro solet esse medulla,
Dulcia gustanti plus tamen ille sapit.

CEREBRVM, OCVLI.

Cerebrum, licet natiuo suo temperamento calidum humidum iure cẽsendum sit, eo quod in viuenti animali, quouis calidissimo aëre calidius reperiatur, tùm etiam quod pinguedinum & medullarum familiæ adscribatur à multis; per accidens tamen frigidum dicitur, tùm ob externum aëra, caput circum circa ambientem

tem, tùm ob carnis & pinguedinis caput inuestientis paucitatẽ. *Aristot.* existimabat cerebrũ merum esse excrementum frigidum pituitosum, multarumq; defluxionũ fontem & scaturiginem &c. Verùm etsi concoctu difficile sit, vomitumq; facile cieat, & appetitum prosternat, id tamen non frigiditati, sed humiditati & viscedini imputandum. Cùm enim cerebrum Anatomicorum testimonio, sit facultatis animalis, sẽsus scilicet & motus principium, hæc autem agente calore incitentur, quis cerebrum suâ naturâ frigidum dixerit? Torpor enim stupor, memoriæ defectus, & cõsimiles frigidi affectus, quãdoq; cerebrum occupantes, contrarium edocent. Conuenit autem cerebrum cholericis, calidis, siccis naturis, & primâ mensâ cum aromatibus, aut iusculis acetatis sumendum; aluum laxat, semen auget. Bouinum crassi est succi: Vitulinum multis in delicijs habetur, vt & porcinum: Leporino infantum gingiuæ fricantur ad dentitionem facilitandam.

Animantium oculi diuersis cõstant partibus, vt musculis, pinguedine, pelliculis, & humorib⁹, ita vt ex ijs temperamenti diuersitas facile colligi possit, vt plurimum tamen, humidissimi, crassi, ac viscosi censentur, præsertim si præpinguia fuerint animalia. Vt sunt Vitulorum pinguium oculi qui valde humidi, viscosi, & duræ digestionis sunt, & grossos generant succos; vnde licet à quibusdam auidè expetantur, nõ tamen nisi vel aceto, vel zingibere, pipere, aut nuce myristicâ conditi, in prima mensa offerendi.

Quadrupedum præstant oculi, cerebella volucrũ
Vda nimis, calidum ni piper addis, erunt.
Sæpe auidis cerebellorum, pituita molesta est,
Aptè cocta tamen conuenienter alunt.

LINGVA, AVRES, ROSTRA.

Lingua sola comesta, mediocre præbet alimentum; quod si iuncto musculo edatur, laudabilius & coctu facilius affert nutrimentum: durioris autem & viscosioris digestionis erit, si adhærenti teneræ carni iuncta voretur. Vitulorum lingua modicè salita, & parum fumo durata, in delitijs habetur, & prima mensa apposita, appetitum ad cæteros cibos amplexandos irritat. Bouina aliquando tosta & larido transfixa editur, duræ tamen est digestionis, optima fuerit aceto præmacerata, & aromatibus ac iusculis dulc-acidis condita, & mensis primis apposita.

Inter aures & rostra, porcina & præsertim aprugna primas tenere videntur, quæ Principũ mensas ornare consueuerunt, à quibus, cupediarum loco vorantur, licet crassum, viscosum, ac lentũ, concoctuq; difficile præbeant alimentum: vti & Boum, Vaccarũ ac Vitulorum ora, quę cocta prius, mox cum aceto & cæpis minutim insectis à plebeis cum voluptate comeduntur.

Lingua parum nutrit, quia laxa, & sanguine cassa,
Siue sit illa auium, siue sit illa boum:
Aures, & rostrum, quæ sunt in quoq; animali,
Dura carne nocent, & minus apta Coqui.

CAPITA INTEGRA.

Vitulinum caput, vt plurimũ integrum, probè elixũ, ac in craticula tostum, & zingiberis puluere modice respersum, primis mensis apponi consueuit, cuius cerebrum, lingua, mandibularũque musculi, optimum præbent alimentum; ab oculis tamen, & auribus bonitate superantur, licet oculi, ob viscosæ humiditatis abundantiam, paulò ægrius concoquantur, ideo vel pipere, vel zingibere, myristicâ nuce, aut calamentho condiuntur. Itali capita vitulorum integra non detractâ pelle, & auribus, sed depilata mensis apponunt, ægrius tamẽ ob cutis duritiẽ & viscositatẽ concoquuntur. Hœdorum quoque Agnorum, & Ouium integra capita bene elixa mensis apponuntur, minus tamen prædictis nutriunt. Aprugnorum, vt & domesticorum porcorum capita integra, prius probè elixa, mox & tosta, & optimo vini spiritu modicè perfusa, & accenso spiritu ardente Principum mensis apponuntur, quorum aures, adiacentes musculi, & rostrum ipsum tam in bonitate, quàm luxu primas tenent, licet vt dictum, sat duræ sint digestionis.

CORDA, PVLMONES.

Animalium corda, cùm duræ sint digestionis, & fibrosæ ac solidæ carnis ratione, proximè ad musculorum naturam accedũt, non ita in frequenti sunt vsu, præsertim veterum animalium corda, bene tamen subacta, multum alimenti præstant.

Pulmones ob substantiæ leuitatem & raritatem, facile digeruntur, & per stomachũ descendunt, ceterisq; membris minus nutriunt, & sanguinem pituitæ proximum generant. Condiuntur acetatis carnium iusculis, & additis aromatibus, in cœna potissimũ frugaliore, ob digestionis facilitatem offeruntur.

HEPAR, LIEN, RENES.

Animalium Hepata sat duræ sunt digestionis, bene tamen nutriunt, & crassum sanguinem generant, præsertim si fricta mensis apponantur, obstructiones quin etiam pariunt (vitulino & capreolino exceptis) Fugiendum Caprinum, nam epilepticos insultus ciet. Anserinum, Gallinaceum, Pullorum, Columbarum iuniorum, Anatinum, & præsertim Lucij piscis in delicijs habetur: Sic vitulinum, tùm fricum, tùm assũ, & elixum suauissimum est; nõ tamẽ eius esu satianda fames, cùm obstructiones facile pariat, & duræ sit digestionis.

Multi magnifaciunt, & in delitijs habent porcinos lienes assos, gustui gratissimum edulium præbentes, cùm tamen sint succi melancholici officina, & receptaculum

culum, succum quoq; & crassum & melancholicum generabunt: Famem etiam & appetitum stimulant, nisi præpingues fuerint, cæteris tamen ob substantiæ tenuitatem & raritatem, porcinus lien præfertur: assusque & probè pipere, ac zigibere cõditus mensis apponitur.

Renes tùm propter substantiæ duritiem, & crassitiem, tùm quod vrinam redoleant, & vrinæ pinguedine nutriantur, parùm expetuntur, ægrè concoquuntur, & crassum, melancholicum, ac pessimum sanguinem generant, vitulinis exceptis. Laudantur tamen renes tàm capreolorũ, quã lepusculorum, quod vi quadam specificâ, renum calculis, & arenulis affectos, liberent. Venatores scrupulosa quadam, & merè phantastica deuotione, à renum ceu Dianæ dicatorum esu abstinent, quo in feris iaculandis feliciores euadant.

Colla, iecurq; calent, sed colla valentius hument
Gallina, Anser, Anas, mollius epar habent.
Splen ridere facit, corpus quoq; flatibus implet,
Exangues renes vix valet esse Coquus.

MAMILLAE, VBERA, TESTES.

Mamillæ, Vbera, Testes, in alimenti probitate, in succi bonitate, & nutriendi potestate non vltimas partes tenent. Vaccarum iuuencularum vbera, modo non nimia pinguedine luxurient, elixa, assa, fricta in delitijs à quibusdam habentur, licet ægrè concoquantur, & difficulter distribuantur, boni tamen sunt nutrimẽti. Testes quoque boni sunt alimenti, sed robustum requirunt ventriculum, crassum, & flatulentum generant sanguinem; vnde testes tùm Hœdini, tùm Hircini, & Leporini, quantumuis Hircum &c olentes ab ijs auidè expetuntur, qui veneris castra sequuntur.

VENTRICVLI.

Veruecini ventriculi assi, grati & iocundi sunt saporis, boni alimenti, & facilis concoctionis: vitulini ventres, vnà cum intestinis elixantur, & boni sunt alimenti, & quo pinguiores, eo citius famem sedant, præsertim si primâ mensâ, latrante adhuc ventriculo, apponantur, cùm suâ pinguedine nauseam, & ad reliquos cibos sumẽdos fastidium pariant. Veterum verò tùm boum, tùm vaccarum, taurorumq; &c, ventres durissimæ sunt digestionis & licet bene nutriant, crassũ tamen viscosum, & lentum, ac glutinosum sanguinem generant, vt eos sæpe miremur, qui eiusmodi ferculis, licet otiosam & sedentariã vitam ducant, tàm auide fruuntur; Condiuntur quidem iusculis optimis, acetatis, pinguibus, aromatibus, sæpe etiam cæpis minutissime concisis condiuntur, quandoque (& pessimè quidem) in craticula torrentur, & addito fuso larido mensis apponuntur: dignum rusticorum ferculum.

MVSCVLI.

Caro musculosa seu lacerti, tẽperatissi-

peratissimi sunt, cęteris membris præferuntur, facilioris sunt digestionis, prōptioris distributionis, & maioris nutricatus: Nec iniuria; Quæ enim membra purâ carne constant, & sanguine abundant, cæteris temperatiora sunt, minusque tùm viscedinis, tùm crassitiei, & lentoris habent, vnde nec flatus, nec inappetentiā excitant, sed ad intimum cordis focum penetrando, primum de se alimenti spiritum effundunt; licet carnes ossibus magis adactæ, & sapidiores, & succi pleniores existimentur.

SANGVIS.

Bubulus sanguis, cùm noxius sit, & ob sui in ventriculo coagulationem, & facilem corruptionem, non cibis, sed venenis non rarenter adscribatur, meritò multis in locis, vt & apud nostros Bruntrutanos, sanguinis bubuli vsus culinis prohibetur: licet ab aliquibus elixus, aromatibus, & cæpis incisis, ac butyro conditus voretur. Porcinus tamen, & potissimum leporinus, sale, lacte, & aromatibus conditus, & proprijs intestinis infarctus, ab omnibus auidissime, ceu suauissimum edulium expetitur.

Extremi Animalium artus.

Animalium extrema, vt pedes aures, rostra, præsertim vitulorū, ouium, hœdorum, & porcorum salita, vel aceto, vinoue incocta, & aromatizata, prosunt, parcâ tamen manu, & non vltima cœna, vt perperam fit, ingesta: Cùm enim viscidæ, & spumosæ sint substantiæ, & multo mucore refertæ duræ sunt digestionis, & frequētiore vsu, facile calculum generant.

Quæ demùm animārium partes semper aut frequentius mouentur, facilioris sunt digestionis, sapidiores, citiusq; ad ventrē rapiuntur. Sic quæ membra in dextra degūt parte, ceu fonti caloris viciniora, leuiora, & digerendo faciliora sunt. Sic anteriora posterioribꝰ laudabiliora, tùm quod sanguine puriore nutriantur, tùm quod thoracis caro, tàm vocis, quàm spiritus continuo motu agitata, leuior, mundior, & ad digerendum facilior euadat.

CAPVT XXXV.

De Alimentis, quæ ex Animalibus proueniunt, & primùm de

LACTE.

INTER ea, quæ ex animalibus proueniunt, & in nostrum alimentum cedunt, Lac, & Oua primas tenent: nunc de Lacte, suo loco de Ouis agemus. Nihil autem aliud est Lac, quam sanguis secundò coctus, in vbera scilicet, vel mamillas adtractus, & ad carnis analogiam, caloris natiui virtute maturatus, concretus; & elaboratus; vnde prout vel vberum, vel mamillarum caro albet, ita & Lac dealbatur; & prout sanguis purus ac floridus adest, ita & Lac ipsum floridum euadit.

Inter omnia cibaria, lac ipsum testantibus omnibus Medicis, optimi & probatissimi est alimenti modo à sano, & laudabilis ætatis animante fuerit desumptũ, optime nutrit, impinguat, semen auget, phthysicis, & asthmate laborantibus prodest; & quò dulcius ac recentius fuerit, eò nobilius & laudabilius præbebit alimẽtum: & quo maiore abundauerit serositate, eò salubrius erit.

Quamuis multæ sint Lactis differentiæ, quæ vel ab ipsis animalibus, vel à pascuis, vel ab anni temporibus, vel à lactis nouitate, aut vetustate desumũtur (semper enim lac nobilius & vtilius fuerit, quod à sanis, probis, mediæ ætatis animalibus optimis ac salubribus, & virentibus pascuis nutritis, vernoq; tempore desumitur, eo quod ab animalibus decrepitis, fæno aut stramine nutritis, & hyberno tempore mulgetur) hoc tamen loci, eas duntaxat attingemus differentias, quæ ab ipsis desumuntur animalibus, & in cõmuniore sunt vsu, vt est lac muliebre, camelinum, asininum, caprinum, vaccinum, & Ouillum. Lac muliebre, quouis brutorum lacte tùm delicatius, tùm & tenerius est, vt nisi lactantis labijs excipiatur è papillis, vix diem vnum in alijs vasis ab oxygalacte tueatur. Est autem cæteris magis temperatũ, magisq; nutrit, mortiferis venenis resistit, diaphragmatis, pulmonum, renum, atq; vesicæ tùm vulneribus, tùm doloribus medetur, præsertim ab ipsis mammis exuctum, quo minus ab ambiente aëre corrumpatur. Brutorum è numero lac ouillum, & caprinũ dulce, & recens mulctum, & saccari ac salis momento (ne in ventre cogatur) respersum, bonitate antecellit, cui vaccinum succedit, & equinum, asininum, camelinum. Nam qualis est carnis natura, talem, velut carnis sobolem lac repræsentat. Agni quidem, & capellæ carnem ferunt homini omnino delicatiorem; spissiorẽ boues; spississimam equæ &c, cameli, asinæ, tùm quod magis exerceantur, tùm quod crassiorib⁹ alimentis nutriantur. In Hispania, & Italia medici suis hecticis, & phthysicis, vt & non rarenter hydropicis Lac præbent vel camelinum, vel asininũ, tùm quod cæteris subtili⁹, tenuius, & aquosum magis sit, citiusque corpus peruadat, & calidiorem iecoris crasim contemperet, atq; diureticum sit, tùm etiam quod non ita facile in ventre vel acescat, vel cogatur &c. Cùm autem hæc animalia melancholica sint, & in ossium crementa quàm carnium procliuiora, quæq; & segnities, & cordium pauor arguit, tùm vegetorum spirituum paupertate laborare, tùm torpidi sanguinis copia ditescere; quid quæso salubris & vegeti lactis homini sano, vel ægrotanti facessent? Anne

dum carduos pro lactucis,&ſtra-
mina vorant, & naturã, corpus-
que oneribus ferendis frangere
coguntur, phthyſico, hectico,
aut Hydropico ſuauem confece-
rint eſcam? Vti igitur dulcis, &
ſubtilis caro, ita purum de flori-
do ſanguine lac ſuffecerit: Id ve-
rò quò nuperrimè mulſum eſt,
hoc dulcioribus ſpiritibus abun-
dat. Hodie Tartari,& Schyticæ
gentes ſolo fere lacte Equino,
pro cibo, potuque vtuntur, &
confectos inde caſeos edere cõ-
ſueuerunt, vnde & Αυσμαχωτάτοι di-
cuntur, difficiles impugnatu, eò
quod victum ſemper ſecum ha-
beant; quorum etiam *Homerus*
ſæpe meminit: Lacte enim equi-
no & fortes, & pingues fieri cre-
duntur. Mero, id eſt, ſolo lacte, &
herbis (vnde herboſum moretũ)
in epulis magnæ matris deorum,
Veteres vtebantur, *teſtatur* enim
Leo Africanus, Aphricanos, qui o-
lim Numidæ nuncupabantur, ne-
que pane neq; cibo aliquo, quo-
cunque modo parato aut cocto
veſci, ſed ſolo Camelorum lacte
contentos fuiſſe ſolitos: pro ien-
taculo ingentem lactis tepentis
cyathum epotare: in cænam nõ-
nullas carnes ſiccas lacteo buty-
ro condire, & ex his quemlibet
ſuam portionem accipere, & ſic è
manu vorare, & rurſus ingentem
lactis paterã pro cænæ colopho-
ne exhaurire, aquæ loco plerum-
que lacte pro potu vti. Teſtatur
etiam *Plutarch. 4. Sympoſ.* Soſtratẽ
nullo alio cibo potuué, quàm la-
cte totam vitã tranſegiſſe: Hodie
quoq; Heluetiorũ natio plerũq;
lacte delectatur tùm bubulo, tũ
caprino, totam ferè vitam lactis
eſu tranſigentes, vnde & galacto-
phagi nuncupantur.

Quibus nõ exhibendum lac.

Non autem omnibus indiffe-
renter conuenit lactis vſus; nec
enim propinandum flatulentis,
aut ventris borborygmis labo-
rantibus, aut tenſa, obſtructa, &
ſuſpenſa hypochondria haben-
tibus, non ſiticuloſis, non caput
dolentibus, nec febriculoſis, nõ
cruda, & nidoraſa ructãtibus, aut
ventriculi debilitate, & impurita-
te donatis: Sed aſſuetis, ventri-
culi robur habentibus, nec vlla
viſcerum obſtructione, aut pra-
uorum humorum ſarcinâ vexa-
tis, & quorum venter iuſtò nec
calidior, nec frigidior eſt, cùm in
hoc caſeoſa lactis ſubſtantia fa-
cile aceſcat, concreſcat, & putre-
ſcat: in illo verò lactis ſulphur in
bilem conuertatur.

Boni lactis conditiones.

Vt autem minus nocere, plu-
rimum autem nutrire queat lac,
ſit recens mulctum, albiſſimum,
odoriferum, liquore inter craſſũ,
& tenue medium, ſapore dulciſ-
ſimum, & ab acore, amarore, &
ſalſedine alienum; animalis bene
carnoſi, florentis ætatis, optimo
gramine, ramuſculorum, & tenel-
lorum virgultorum ſummitati-
bus enutriti, circa veris finem, &
æſtatis initium. Tale profecto
lac optimum & laudabilem ſan-
guinem

guinē generat, & nutriendo corpori maximè conuenit, siue caprinum, vaccinum aut pecorinū fuerit, si tota lactis substantia exhibeatur: at si æstatis tēpore corporis calor demulcendus, satis erit, mercurialem seu serosam lactis substantiam haurire. Non tamen sit frequens lactis vsus, nisi in assuetis, nam & oculos & dentes lædit, nephritidem, & calculosos affectus generat.

Dulce sapit: subito cur lac putrescit? aquosū est,
Quod præstat? capra; post? ouis; inde? bouis,
Cui nocuum? capiti, putridis & febribus, ora
Inficit & neruos, sed bene pectus alit.
Quando bibam? primùm cū sugis ab vbere; somnus
Huic, moneo, & motus, mixtáq; mensa nocet.
Tot petis vnum oro, cur in contraria fertur,
Et modo lac reserat, & modo fluxa tenet.

Lactis anatome. Porro tres in lacte reperiuntur substātiæ, serosa, quæ nostris Hermeticis Mercurio; Butyrosa, quæ sulphuri, & caseosa, quæ sali comparatur, & respondet. Serosa ac mercurialis substantia, incidit, attenuat, mundat, & vi suâ nitrosa laxat; vnde quodcunq; lac mercuriali abundat substantia, salubrius est minorisq; nocumenti, etiamsi frequentior illius fuerit vsus, vt est lac muliebre, caprinū; *Lactis serosi vtilitas.* quibus medici addunt camelinū & asininum: conferunt enim Ictericis, & Hydropicis, à viscerū obstructione obortis, scabiei itē, morpheis, impetiginibus, lentiginibus, & oculorum cataractis. *Seri caprini vires.* Omnium autem maximè serum caprinum his pollet viribus, habet enim acrem quandam & nitrosam qualitatem, qua expurgat; tenuem, ac subtilem, qua deobstruit; temperie frigidam humidam, qua omnibus febre laborantibus est refrigerio; competit item & viscerum & vasorū infarctibus, à flaua bile excitatis; renum quoq; vitijs, inflammationibus & calculo laborantibus confert: prodest quinetiam Hydropicis, flauâ bile suffusis, vt & lienosis, melancholicis, atq; atrâ bile vexatis. Sit autem probè clarificatū, & ab omni caseosa substantia repurgatum, separatumq́; quod vel aceti, vel limonum succo, aut aliquot aceti montani guttulis ingeniosa manu infusis commodissime fieri solet, ante exhibitionē additur aliquid saccari, vel salis momentum. Mane autem exhibendum, ieiuno stomacho, præpurgato corpore, largâ satis manu tempore verno. Incoquunt medici aliquando sūmitates lupulorum, flores fumiterræ, borraginis; radices graminis, benedict. gargophillatæ, cichorij, acetosæ, polipodij; quandoq; infundunt per noctem, pro re natâ, vel rhabarbarum, vel senæ folia, vel Hellebori nigri fibras: Subinde pro delicatiorib⁹, post factam & radicum, & foliorum, & seminum infusionem, per maris balneum destillant.

Butyrū Butyrosa, seu sulphurea, & balsamica lactis substantia, quæ in stante mulso lacte modo supernatat, & caput lactis dicitur, modo co-

do coacta, modò etiam assatur, & assum butyrum dicitur; temperamento calida humida est, aptum humanæ naturæ alimentum, atq; post panem, & vinum, summè necessarium: ventriculum humectat, aluum præcipitat, pectori, pulmonibus, pleuriticis, & asthmaticis summopere confert, ex quo oleum & destillatur, variaq; remedia parantur, ad prædictos affectus præstantissima. Paratur autem butyri oleum ad asthmaticos hoc modo:

Oleum butyri.

Recipe Butyri maialis recentis q. s. liquefacto & retortæ indito addito silicum mundatorum q. s. vas vltra dimidiam partem non impleatur, mox vase clauso, & lento satis igne destillatur oleum, quod deinde in Balneo rectificetur, exhibetur autē intussi, & asthmate cum oleo saccar. & mira præstabit. Vel vino albo prius liquatū inditur alembico, & subiecto mediocri igne, ex lib. 1. destillātur ℥x. olei valde anodini.

Sequenti etiā Electuario magno successu vtimur, in affectib⁹ thoracicis persanandis.

Electuariū de butyro.

Recipe Butyri maialis recentis aliquoties cum aqua violar. vel tussilaginis, aut scabiosæ loti lib. 1. caric. ping. passul. mundat. a lib. ss. Dactylor. pinear. Amygd. dulc. purgatar. a. ℥j. succi liquir. Tragagant. Hyssop. a. ℥ss. Ireos, Thymi, Saturciæ a. ʒj. prassij, pulegij. Semin. vrtic. a ʒij. cinamo, zingib. pyrethri Gargoph. Gulang. piper, nigr. Cardamo. Anisor. Fænic. dulc. a. ʒj. △ ʒj. Mellis despumat. aq. tussilag. a. lib. 1. caricæ, passulę dactyli tusa in melle & aqua triduo infusa, lento igne ad medietatis casum & crassitiem coquantur, exprimantur, colentur, colaturæ adde Pineas, amygdalas bene tusas, tandem omnibus mixtis, & diu in mortario agitatis f. Elect. addendo puluer. pulmon. vulp. præp. ℥ij. ol. anisor. destill. ʒj. Dantur quouis mense 10. primis diebus ʒij. 2. horis ante prandium. Hoc Electuario Fauentinus mira præstitit, & nos in praxi cum fructu vsi sumus.

Butyrum porro maiale, recēs, minimeq; rancidum, dulce, & sapidum, nō igne liquefactum seu assum, sed coactū, & ab omni sero, caseoq; liberatum, in prima duntaxat mensa vsurpandū, vt sit ciborum assumendorum quasi prodromus, contra pessimū hodierni temporis morem, quo vltimis etiam mensis apponitur, & magna sæpe copia voratur. Recens enim mane sumptum auri, meridie enim argenti; vesperi tādem plumbi vices agere dicitur. Sic enim cibis supernatat, concoctionem impedit, atque in caput effumando sensus hebetat, & oculis nocet: Belgæ tamen & Batavi toto anno crudo butyro, à sero & caseo optime defæcato, & multo sale subacto vtūtur, quo & cibos condiunt, & eo solo cum pane vtuntur, vnde & butyrophagi nuncupantur. Cocto, & igne asso butyro nostri Coqui olei oliuarum loco vtuntur ad ciborum condituram, at largiore plerumq; manu, quam valetudini conducat; Assum enim butyrum pro cibo, hepatis cacochymici

mici bilem ſtipat, ita vt liquidi butyri vſus longe & aptior, & ſalubrior videatur, deinde coacti, vel olei oliualis, modo tamen cibis feruentibus citra flammæ aſſaturam indantur, ita enim languidis ab inteſtino lãguore ventribus profuerint ad excretionẽ, fellis etiam, hepatisq́; æſtum, atq; diarrhæas mitigauerint, neq;, ſicut aſſum butyrum ſolet, cerebri & oculorũ auras obfuſcauerint: aſſa quippe butyra nigram fuliginem ſpirant, & nitroſa bili rudimenta præbent.

Caſeoſa deniq; ſeu ſalinoſa lactis ſubſtantia, maiorem quidem cæteris partibus, nutriendi, & aluum remorandi vim habet, frigidior eſt, concoctu difficilior, & ſtomacho grauis, hepati, renibus atq; lieni obſtructionibus obnoxijs, admodum inimica, vti iam iam de caſeo dicemus.

CASEVS.

Antequam Caſei naturam, differentias, & vſum in medium adducamus, præſtat, ad *Langij* imitationem & ſententiam, vulgatã illam quorundam Medicorum hæreſin præmittere, hac enim præmiſſa, facilę poſtea, quid de caſeo ſentiendum ſit, conſtabit. Non deſunt medici, qui aliorum ventriculos, proprij ſtomachi viribus metiuntur, & medicamenta non Socrati aut Petro, ſed vniuerſali hominum in mente Ideę accõmodant, non attendentes, ventriculorum naturam, ita diuerſimode eſſe comparatam, vt hic natura incaleſcens, groſſa alimenta, & concoctu contumacia, exactè digerat, tenera verò adurat, & nidorulentã in eructationẽ cõuertat: alius verò viciſſim groſſa, cruda, & incocta, vt vuarum acinos, integra egerat, teneras verò carnes, oua ſorbilia, in delicatum corporis alimentũ permutet. Accedit adhoc, quod eſculẽtórum, & potus concoctio, non tantum natiui caloris virtute, ſed ſpecifica quadam proprietate & beſtijs, & hominibus congenita perficiatur: hac enim ratione, vt in ſuperioribus habuimus, ſthrutio camelus ferrum digerit quod leo ſthrutio longe calidior concoquere nequit: Sic anus illa Attica, & puella à rege Indorum, Alexandro, fraudi verius, quã muneri donata, Napello impune veſcebatur: Coturnices Hyoſciami ſemine, & veratro, vti & ſturni cicuta pingueſcunt, quæ tamen & homini, & cæteris animantibus deleteria ſunt venena. Hac eadẽ ratione accedit, vt hominum ille non veſcatur caſeo, alter non abſynthio, tertius à pomis, pyris, prunisue abhorreat, quartus abſtemius viuat: Cùm tamen Zoroaſter 20. annorum ſpatio in deſerto, ſolo caſeo vixiſſe tradatur, ita tamen temperato, vt carioſã vetuſtatem non ſentiret, quod ſiccis dracontij folijs fieri *Galen.* docet, quib⁹ recens implicitus, à putridine immunis præſeruatur.

Hinc *Hippocr. lib. de veteri medicina* prudenter monet, non simpliciter existimandum, caseum malũ esse edulium, cùm non omnes lædat, imo gracilibus mirabiliter conferre tradatur. Nec obstat, quod aliqui caseum crassi & viscosi alimenti, quo hepatis, renũ, venarumq; obdurentur meatus; & arenulæ in renibus & vesica, veluti calce agglutinentur, vt in calculum coalescant, causentur: Nec id aliquem à casei esu deterreat; moderata enim salis conditura, hæc casei incommoda vel corrigit, vel anteuertit, quæ humorum lentorem incidit, arenulas friabiles reddit, meatuum obstructiones reserat, neruosum illud ventriculi osculum roborat, & languentem eius appetitum, suâ acrimoniâ excitat, & nauseã sistit. Ob id non temerè veteres, salem gulæ irritamentum, & *Lucret. lib. 1.* Vescum appellauit. Nec quenquam etiam *Galenus lib. de aliment. boni & mali succi* deterreat dicens: *Ex caseis omnibus crassum esse succum, è vetustis, malum; recèns autem coactos caseos primâ mensâ ad aluos soluendas, esse licere cum melle tùm quod hac ratione minus crassum quàm vetusti, habeant succum, tùm quòd nullo pacto mali sint.* Proinde liberè quispiam recenti caseo, salis momento temperato, lactis vel bubuli, vel caprini dulcorem resipiente, & à vetustatis acore alieno, vti poterit, cùm *Hippocrat.* noster *2. Aphoris. 38.* scribat: *Parùm deterior potus, aut cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferẽdus.* Vnde cùm & nos caseo delectemur, antequam vlterius progrediamur, caseum à medicorum calumnijs, & noxæ infamiâ vindicaturi, hosce versiculos adscribere placuit.

Ignari Medici me dicunt esse nociuum
Sed tamen ignorant, cur nocumenta feram.
Expertis reor esse ratum, quia commoditate
Languenti stomacho caseus addit opem.
De massa lactis mihi sunt ientacula frugi,
Sobria, post cænam, caseus, esca placet,
De massa lactis quoq; fercula mille parantur,
Quamuis nec rutilo splendeat igne focus.
Caseus ante cibum confert, si defluat aluus
Si constipetur, terminet ille dapes.
Impia militibus Martis qui castra sequuntur,
Vix vllus poterit promptior esse cibus.
Nautis fluctiuagi qui sulcant æquora ponti
Ocyus asparagis caseus esca venit.
Grataq; de nostris inter bellaria mensis
Fercula, quæ nullo sunt operata foco.
Caseus, & panis, sunt optima fercula sanis,
Si non sint sani, tunc hunc nè iungito pani.

Sed paulò altius, quid caseus sit, videamus: Lactis soboles caseus est, crassa lactis salsilago, butyro temperata; à lacte coacto Varroni dictus: cuius, vt hodie, ita iam olim frequentissimus fuit vsus. Apud *Athæn. lib. 4.* Caseus recens singulis accumbentibus in copide laconica dabatur: Quibusdam HELVETIAE locis, vti & apud Rhætos caseus & Prandij & Cœnæ tùm breuium, tùm terminus est: nostri Germani caseũ Schreck den Gast vocant.

Casei differentia.

Casei in multiplici sunt differentia, quarũ prima petitur à pecorum varietate: v. g. Lac ouillũ cùm

cùm omnium pinguissimum sit, cremoris, butyri, & casei ferax, at pauci seri; talis quoq; naturæ caseum dabit: Vaccinum, minus pingue, at magis caprillo &c. Sic à pascuorum, loci, regionis, & tẽporis varietate, & conficiundi artificio multæ sumuntur differentiæ, omnibus studiosè obseruandæ, quo minus quis in casei vel vsu, vel delectu impingat: Nam licet vniuersaliter loquendo, caseus prauum sit edulium, & nihil vel parùm ad concoctionem, vel ad distributionem, vel ad alui, vrinæq; promotionẽ, vel ad alterius succi probitatem conferre videatur; *Hippoc.* quoq; *2. aphor. 38.* scripserit duros caseos, tardissimè & paulatim nutrire. Et *1. de Nat. Human.* Et *lib. de affection.* Caseum facile in pituitã mutari: Et *lib de veteri Medic.* Caseum malũ esse edulium: Et *4. acutor. 91.* Flatus, obstructiones, & ciborum æstuationẽ efficere, eo quòd crudum, ac pepseos expers edulium hinc illud:

Caseus est nequam, quia concoquit omnia sequã

Ijsque, qui se potu impleuerunt, deterrimum obsonium: *Galenus* etiam *3. de loc. affect.* dixerit, Caseum plurimùm facere ad melãcholiæ generationem &c: Hæc tamen omnia sano modo sunt intelligenda; multa enim in casej examine ponderanda, & pensitanda veniunt, locus, tempus, pascua, ætas, conficiendi modus, sumentis natura, & constitutio. Locus quidem in quo fit caseus, ipsi vel laudem, vel vituperium parit, vt & ipsa pascua; quæ si salubribus & optimis herbis referta, salubriq; aëri, cœlo, soliq; exposita fuerint, nõ nisi laudabile lac, & consequenter bonos, salubresque producent caseos, modo ne vetusti nimis, ac cariosi, aut sumentis naturæ contrarij fuerint. Hinc *Auicen. Rhasis, Serapio*; Hominibus bene habentibus, sumpto cibo, caseum concedunt, sigilli ventriculi loco, quasi cibis ad ventriculi fundum detrusis, ventriculi os, sigilli instar, quo minus vapores in caput effument, claudat, modo tamen parcâ manu ingeratur. Hinc illud:

Quæ in casei delectu obseruãda

Caseus est sanus, quem dat auara manus.

Hac ratione prędicti authores, nec *Hippoc.* nec *Galen.* qui quamuis caseum flatulentum esse, cruditates, crassosque succos generare, calculos, nephritidem, colicos, atq; podagricos dolores ciere scripserint, contradicunt: Caseus enim vel recens est, vel antiquus, vel medius inter vtrumq;: Recens caseus cùm ex parte lactis, dulcedinem, & aquositatem retineat, modo plus æquo salis non habeat, nec dulcoris sapiditatem amittat, nec nimiâ pinguedine luxuriet, facilè digeritur, & laudabile præbet alimentum, vẽtremque subinde soluit, nec ita ventriculum lædit, nisi ventriculus iustò vel calidior, tunc exhalare vel frigidior fuerit, tunc enim

Caseus recens.

nim acescere posset.

Vetus autem Caseus & acris, & siccissimus est, vt quandoque præ siccitate totus spongiosus euadat, & Argus consumpto scilicet substantifico & vnctuoso humore, tunc enim grossos generat succos, facile corrũpitur, cùm ægrè descendat calculosos, nephriticos, & podagricos parit dolores, viscerum obstructiones, melancholias, præsertim in corporibus ad illos affectus propensis. Talis sane Caseus, & potissimùm in cœna summopere vitãdus, cùm nec nutriat, nec cito digeratur, nec bonos gignat succos; sed desiccet, constringat, humores acuat, incendat, pectoris angustias, & anhelitus tùm difficultatem, tùm fætorem excitet, atq; in cerebrum effumans capitis grauitatem, defluxiones, visus cæterorumq; sensuum imbecillitatem, & stuporem producat. Inter omnino recentem & antiquũ medius optimè, & multùm nutrit, tùm propter lactis crassitiem tùm propter caloris natiui in ipsum agentis robur, & agglutinandi facillitatem.

Caseus Caprinus.

Caprinus Caseus inter recentem & antiquum medius optim' & delicatus est, præsertim si pingui & butyrosa substantia nõ defraudetur, alioquin valde adstringit, exiccat, & acutâ suâ qualitate incendit. Qui hodie in Hercyniȩ tractu fiunt, Friburgensibus, locisq; vicinioribus in delitijs cedunt, cùm præpingues, & mediæ ætatis fuerint, tales enim gustus sapiditate, & dulcore, optimi & delicatissimi habentur, præsertim si cum vino rubello Brisgoico, recentiq; pane similagineo mensis pomeridianis apponantur.

Delemontani Casei.

Qui hactenus in famosi illius montis Liberi tractibus parantur casei, & Delemontani, vel etiam Bellelagiani vocantur, nostris in partibus primas tenent, & ab exteris nationibus, ob sapiditatis præstantiam, & succi bonitatem maximè expetuntur, eo quod ex nobili ac prępingui lacte, ex optimis Liberi montis herbis & graminibus progenito, cõficiantur, vnde si artis industria ritè parentur, pingues, opimi, & sapidissimi euadunt, supra modum appetitui grati: hodie tamen, vrgente sic auaritiâ, homines pecuniæ amore illecti, dum illos cõficiunt, balsamicam & vnctuosam substantiam pro maiori parte detrahunt, & sic deteriores euadunt.

Casei Parmesani.

Hos tamen saporis præstantiâ, succi bonitate, & famæ nobilitate longe superant Casei Parmesani ab Italis vocati, qui in tenuissimas lamellas, vel rasuram redacti, Magnatum mensis apponi consueuerunt, appetitum mirâ voluptate afficiunt, facile & digeruntur, & penetrant, bonosq; succos generant, vnde nisi pleniore, quam par sit, manu ingerantur, saluberrimi cẽsentur, ad quorum bonitatem & præstantiam

proximè

proxime accedere videntur, qui in Rhætorum, & Grisonum Alpibus conficiuntur.

Casei Heluetij.

Heluetij quoq; suis gloriantur Caseis, & sanè, si debitâ ratione præparentur, nec innato sibi sulphure balsamico defraudentur, ob lactis præstantiam, & alpinarū herbarum nobilitatem, magnam laudem merentur, quibus Incolæ non solùm cœnā, prandiumq́; & inchoant, & finiunt, sed & panis loco, vt plurimùm vtuntur, ex ijsdem iuscula, seu offas caseosas, morsellos, & placentulas parant, quibus ob consuetudinē iam pridem introductam impune vescuntur. Habent & aliud Casei genus Schabziger vocatū, è varijs alpinis herbis salutaribus & aromaticis plātis, caseosæ substantiæ recèns intusis, permixtis & probè subactis paratum, fortiq́ue torculari pressum; quod cū incidendi, abstergendi, attenuandiq́; facultate polleat, nec facile ventriculū lædat, ni largiore manu ingeratur, & appetitum inuitet, eo quisque parcâ tamen manu, & primâ mensâ, appetitus irritandi gratia, vti poterit.

Hollandici casei.

Qui in Hollandia, Frisia, & toto passim Belgio parantur Casei, non omnino debitâ laude frustrandi sunt, modo ritè parentur, & non falsificentur, vt iam ferè fit; pingues ferè sunt, aureo colore nitent, licet odore graues, & sapore cæteris paulo acriores videntur, & Alsaticis tantò salubriores, quantò illis sunt ficciores: sunt tamen concoctu satis difficiles, & ægrè corpus peruadunt, parcus igitur illorum vsus esto, in prandio duntaxat, in cœna nunquam.

Alsatici casei.

In Alsatiæ tractu passim conficitur Casei genus, ab Incolis Münsterkäß vocatum; Hi cùm & acres, & pingues, atq; humidissimi sint, facileque corrumpantur, putrescant, & vermescāt, crassos, crudosq́; generent succos, ægerrimè concoquantur, difficulter distribuantur, flatus, & obstructiones pariant, facile in caput effument, & sensus obfuscent, & calculis generandis maximè idonei sint &c, parcissimè ijs vtendum, in cœna nunquam, nec inter pocula nocturna, quantumuis saporis iocunditate palatum irritare, & fallere videantur. Hi, vt dictum, cùm præpingues & humidissimi sint facile corrumpuntur, concidunt, & in tabē abeunt, quibus demum commixtis, & in ollas repositis Hafenkäß vocantur, dignum & gratum rusticanorum obsonium.

Caseus ouillus

Hos sequuntur Casei ouilli, præpingues quoq; at non ita humidi, duræ tamen digestionis, & difficilis distributionis: ideoque pituitosis, calculosis, viscerum obstructione laborantibus, podagricis &c, nocentissimi sunt, præsertim si nocturno tempore, ventre cibis iam infarcto, & vino calente, vorentur. Igitur rarissi-

mus sit horum vsus, licet appetitui grati videantur, quod potissimum fieri assolet, cùm in ijs cæruleæ venulæ, minerarum instar efflorescunt, & delicatulos, conuiuas, coloris iocunditate, & saporis suauitate decipiunt.

Sunt & alia adhuc Casei genera vel à Regionum varietate, vel artis industria introducta, quæ si candidus Lector noscc cupiat, præter *Apitium* & *Athæneum*, *Platinam* quoq; *lib. de honesta voluptate* adeat, nos prædictis contenti, de Caseo scribendi finem facimus.

CAPVT XXXVI.

De Volatilibus in Alimenti vsum venientibus, in genere.

VOLATILIVM alimenta, vniuersim quidem facilioris sunt digestionis, celeriorisq; dissolutionis; at minoris alimenti, quam queuis animalium carnes.

Pulli Gallinacei, Capones, Gallinæ &c, proximè ad temperatum calorem accedentes, facilis sunt digestionis, citò penetrãt & in optimnm sanguinem conuertuntur, stomachum roborant omniq; tùm ætati, tùm sexui, & complexioni conueniunt. Gallus tamen gallinaceus, cùm & Gallinis, & Pullis calidior ac siccior sit, ob inexistentis nitrosæ salsedinis copiam, minus nutrit, at magis ventrem laxat, vt in iusculis è veteri Gallo paratis videre est: Quæ tamen in caliditate excedunt, vt passerculi, palumbes, auesq; montanæ, nõ ità frequenter sumantur, nisi corpus & frigidum, pituitosumque sit, & multis humoribus circumfluat.

Inter Auium genus Phasiani quidem quoad concoquendi, & nutriendi facultatem, sunt Gallinis, & Caponibus pares, at edendi suauitate longè superiores. Perdices, Vro-gallos tàm maiores, quàm minores; attagenas itẽ tenellos Colũbos, Merulas, Turdos, Turtures, pullos cohortales & iuuẽculas gallinas, nõ valetudini in multos annos prorogandæ tantùm, verũ etiam cerebro, sensibusq; omnibus cõducere: Passerculos item in libero aëre, dumetis, montibusq; victum quæritantes, optimi esse alimenti, nõ *Hippoc.* duntaxat, *Gal.* & *Auerrhoes*, sed & plerìq; medici testantur.

Aues verò in stagnis, aut paludosis, vel lacustribus locis victitantes, carne constant durâ, crassâ, viscosâ, duræque digestionis; at si à robustiore ventriculi calore recte subigantur, probe nutriunt, tardeque dissoluuntur. Vt autem harum carnes tenerascant (quòd in alijs tùm domesticis, tùm syluaticis auibus obseruandum) tribus, vel quatuor diebus frigido aëri exponantur, vel frigidissimę aquæ aliquandiu immergantur, aut per noctem frigidâ terrâ obruantur, sic enim tenerascunt, & facile, tàm in ventriculo, quàm ad focum coquũtur

tur. Sumantur item quæ annum nondum excesserunt: Non tamē post occisionem eousq; seruentur, quoad fætoris initia, ceu incipientis putredinis exordia olfactu percipiatur, vt passim nostris Nobilibus in more positum est, qui talibus vix vescuntur, nisi talis fætor se prius naribus prodat, ferinæ scilicet carnis odore delusi, da heisset es/es Wildbrätelet.

Quantum ad parandi rationē & Culinaria mangonia: Assæ volatilium carnes, animalium respectu, parùm quidem nutriunt, at facilioris sunt concoctionis & distributionis, aquaticis & rostratis exceptis, vt sunt Anseres, Anates, Grues, Onocratali &c, palato item sunt gratiores, modò vulgato & prauo Coquorum errore, non præassentur, & torrendo nimium exiccentur, vel infixo plus satis rancido larido, innatus earum sapor, & gustus obscuretur.

Volatilium partes seu membra, quæ semper mouentur, vt collum, alæ, pedes, teneriora, & sapidiora, digestuque faciliora sunt, partibus se non mouentibus, ventre scilicet, ac pectore, ac podice; Gallinarum tamen alæ cæteris omnibus sunt sapidiores, mox anserum: aliorum enim licet boni sint saporis, melioris tamen sunt nutrimenti: sed de his infra capite 38.

CAPVT XXXVII.

De Volatilibus esui destinatis in specie.

INTER domestica volatilia, frequentiore in vsu sunt Gallina, Gallus Gallinaceus, Capo, Pulli Gallinacei: Gallus Indicus, seu Gallina Indica, decumana, aut Gallina Aphricana, Numidica, vel Pauo Indicus; Columbi, Anser, Pauo &c, de quibus nunc sigillatim agemus.

GALLVS, & GALLINA INDICA:

Italicè Gallina d'India: *Gallicè* Poulle d'Inde: *German.* Welsch Huon.

Gallus Indicus, seu Gallina Medica, Aphricana, Numidica, seu Lombardica &c annum non excedens & bene nutrita, suauitate, & succi bonitate cum Capone certat: Elixatur & assatur; Assa tamen elixatæ præfertur, præsertim si frigida, & vino maluatico respersa mensis apponatur, sic enī suauissimi saporis, optimi & laudabilis succi alimentum præbet: quæ cum succi bonitate, & alendi potestate, cæteros cibos facile superet, merito primas mensas exornat, optime & valenter nutrit, seminis, sanguinisq; officinas adimplet, modo plurium annorum non sit, & à ventriculo debitâ ratione cōcoquatur, alioquin solidam carnem, & concoctu difficilem habet. Quidam ad suscitandam virilitatem, horum testiculis, secreti loco vtuntur.

PAVO:

Italicè Pauone: *Gallicè* Paon: *Germ.* Pfaw.

Pauonem, seu Pauum *Plin.* seu auem Iunoniam, *Ouid.* inter delicatissima edulia veteribus habitum fuisse, illa *Senecæ* ad Lucilliũ indicant: *Num,* inquit, *esuriens fastidit omnia, præter pauonem, rhombumq́? Ambitiosa non est fames, contenta desinere est: quo desinat, non nimis durat.* Apud Romanos. *teste Macrob. lib. 3. Saturn. 13.* Q. Hortẽsius primus omnium pauones augurali cœna posuisse dicitur. Quod potius factum tàm luxuriose, quàm seuere boni viri laudabant. Hunc cito secuti multi, eorum pretia extulerunt, vt oua eorum veneant quinis denarijs, ipsi verò facile quinquagenis. Memorabile est, quod *S. Augustinus 22. de Ciuitate Dei 4.* scribit, se expertum, pauonis carnem nõ putrescere. Carnem autem habet delicatissimam, gratissimiq́; saporis, Gallo Indico haud inferiorem.

Asciuit pennas ales Iunonia pictas,
Tempore quo tristis victus Aristorides,
Antonius laudat cerebrum, Vitellius ipse
Aulus pauonis, sed Cleopatra magis.

E pauonis stercore exiccato, & puluerizato celebre paratur remedium, edomandis vertiginis & Scotomiæ rotatibus facillimum; huius enim pulueris ʒj. per noctem vino albo præmaceratur, mox omnia per linteum trajecta exhibeantur, idque continenter à Nouilunio, ad plenilunium vsq;, & vlterius, si opus esse videatur.

GALLINA, & GALLVS:

Ital. Galline, & Gallo: *Gall.* Gelline & Cok: *Germ.* Hann / & Henn.

Gallina altilis, pinguis, & obesa, atque elixa potiùs, quàm assa, mense potissimũ Februario, vt& pulli adulteriores post Paschatis festum, delicatioribus mensis apponuntur.

Pascitur è dulci facilis Gallina farinâ,
Pascitur & teneris; ingeniosa gula.

Optimi sunt nutrimenti, facilis digestionis, & probum generant sanguinem; Alimentum sanè, & sanis & ægris corporibus conuenientissimum. Veteres tamen Galli, Gallinæ, vt & Capones, podagricis nocent, non solùm, quòd & ipsæ quandoq; tophis podagricis corripiantur, sed etiam quòd ægre concoquantur alimentum præbeant cholericũ, & sanguinem multo sero abundantem, quòd facile in flaccescẽtium articulorum cauitates & situs decurrit, & illos affectus excitat.

Qui cerebrum, Veneremq́; fouent, minus ignea pullis.
Vis est, sub sicco sint mihi cœna cane,

Ex Gallinis, Pullis, & Gallis ipsis varia parantur iuscula, propria, decocta, destillata, consumata additis addendis, tùm ad ventriculum roborandum, tùm ad tollendas viscerum obstructiones, chronicosq; morbos persanandos. Decoctum ad dysenteriam è Gallina præstantissimum hoc modo parabis:

Recipe Gallinam, cuius ventrem ritè exenteratum sequẽtibus imple: Radic. Tormentill. ℥ß. Ceræ Citrin. ℥j. Nucist. ʒij. Cortic. Thur. Balanst. a. ʒiij. Croci orient. ʒj. Coquantur omnia in aq. Chalybeatæ q. s. de hoc decocto sumatur mane & vesperi haustus. Specificus puluis etiam fit pro illis, qui inuoluntariè lectum permingunt: Recipe Cristæ Galli gallinacei sicc. stomachor. gall. a. ℥j. cinerum Herynacei ʒiij. Misc. dos. ʒj. cum vino austero. Summum quoq; & certissimum ad auriginosos & ictericos remedium paratur ex albo seu giluo pullorum gallinaceorum, seu gallinarum stercore, seorsim collecto, & puluerizato. Dosis est ʒß. in vino diuretico per quatuor vel quinque dies mane, & mira præstat.

Idem puluis sumitur ad calculi contritionem, expulsionem, & vrinæ suppressionem. Idq; ob vim qua plurimum pollet hic puluis, nitrosulphuream, quæ incidit, attenuat, & dissoluit.

CAPVS:

Italicè Capone: *Gall.* Chapon: *German.* Kappaun.

Capi, Capones, seu Galli spadones, præsertim altiles, & quos Geneuos Capos vocant, quouis anni tempore, tàm assi, quàm elixi, ob succi præstantiam, & insignem nutriendi potestatem tùm sanis, tùm ægris corporibus magno cum fructu exhibentur: delicatuli assandos Capones non larido duntaxat sapidiore, sed & garyophillis, & Citrijs Corticib9 transfigunt, assos postmodum, & in frusta sectos inter duas patinas, cum optimo iusculo, & Citriorum succo iterum ad ignitos carbones coquunt, gratum profectò edulium, præsertim si Capones iuuenes, & altiles fuerint, & palato suauissimum. Ad reparandas languentes & sanorum & ægrotantium vires, assorum Caponum expressa, pista, contusa, restaurantia, consumataue dicta, & gelatinæ parantur, additis perdicum pectore, castrati pulpamẽto, armo vitulino, nonnullisque aromatibus, & herbis aromaticis & dulcibus amygdalis tusis, mixtis, & in vase vitreo in diplomate, longo tempore coctis parantur, quæ & optimè, & citissime nutriunt, & lapsas vires reparant. Capi cerebrum in vino sumptum citam sistit aluum: at Capi ius, præsertim antiqui, aluum emollit, crudos humores, & melãcholiam discutit, febrientibus prodest, singultum, ventriculi tremorem compescit. Aquam Caponis præstantissimam sic parabis:

Caponis Aqua

Caponi plurimum defatigato, veteri, occiso, plumas citra calentis aq. additionem euelle, munda, exentera mox integrum cum ossibus, hepate, ventriculo, corde, & cerebro minutim concide, mox omnibus in vitro ad digerendum inditis, affunde aqu. rosar. fragr. libr. jß. Borrag. Bugloss. Meliss. a. lib. ß. vini maluar. lib. j. cinamo. acutiss. ℥iij. Croci ʒj. flor. Lilij cõuall. Tiliæ arbor. Pœoniæ, Besonic. Borrag. Bugloss. a. p. iiij. Summitat. Maioran. Rosmarin. Salu. a. p. ij Sem. Endiu. Basilici a. ʒij. Galang. ʒij. Zin-

gib. Nucist. Macis Santal. Citrin. a. ℥j. Cortic. citr. ℥jß. Coriandr. præp. ℥iij. flor. arant. condit. ℥ß. digerantur in loco calido 24. horis, tandē per Balneum destilla liquorem, ad quosuis grauissimos affectus prestantissimū. Eadem ferè ratione è Gallina biennali destillatur aqua maximi vsus ad morbis consumptos, emaciatos, & lipothymia laborātes.

Et Capus est gallus, qui testibus est viduatus
Quem vetulum gemmā reddere posse ferunt.
Quæ faciat certè inuictū quemcunq; gerentem
Auroq; includi mens bene docta monet.
Ne nimis ex hausto marcesceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi gallus erit.
Sic bene pinguis eris: sic iam dormire licebit,
Et dare latranti fercula grata gulæ.
Maxima testiculis positis tibi gloria galle
Somno, aluo, veneri gratus es, & Cybali.

COLVMBI.

Ital. Columbini: *Gall.* Pigeons: *Germ.* Hauß Tauben.

Calidissima est Columborum natura: Pullorum columbinorū carnes, subtiliores, & ad digerēdum faciliores sunt carnibus vel Anserum, vel Anatum, ob humiditatis paucitatem, & carnis teneritudinem, vnde Anserum respectu, sat laudabilem generant sanguinem, ventriculi calorem fouent, præsertim Columbastri iuniores & pinguiores, ideoque expetitissimum Senum decrepitorum alimentum, qui frigidis & pituitosis affectibus fere obnoxij sunt. Quod si in sua natura, non factâ ad alias aues domesticas cōparatione considerentur, tunc *teste Simeone Sethi*, pullorum Columbarum carnes calidæ humidæ sunt, multis superfluitatibus abundant, sanguinem crassum & præcalidum gignunt, ideoq; non rarenter febribus alimenta ministrant: renum frigiditati obuiantur, semen & sanguinem augent, at capiti & oculis nocent. Sanguis sub dextra ala exceptus, & tepens oculis instillatus, corum dolores sedat, pterygia pellit, incisis tuberculis instillatus medetur: recens interempta Columba secūdum dorsum aperta, & dum adhuc calet, phreneticorum capiti imposita, phrenesin sedat, ademvenenatis morsibus imposita, valenter veneno resistit.

Et stomacho ignito multum nocet; ecce columba,
Poplitibusq; ægris ni iuuenis fuerit.

ANSER.

Italicè Occha: *Gallicè* Oye: *Germ.* Ganß.

Anser, veteribus Ganza, *teste Plinio*, vt & Germanis, familiarissimus est, & sus inter aues habetur; Alexander Seuerus, *teste AElio Lamprid.* ludis Ianuarijs, & Hilarijs, matris Deûm, & ludis Apollinaribus, Iouis epulo, & Saturnalibus, & eiusmodi festis diebus nō phasianos duntaxat, sed & Anseres adhibuisse dicitur, vti apud nos Christianos in Martinalibus. Anseres autem alij altiles, seu domestici sunt, alij syluestres, flaui, & aquei coloris, gruū more per aëra volitantes. Crassa est anserum caro, duræ digestionis, multis superfluitatibus, & excremen-

crementis ſcatens, èſtq́; cæteris domeſticis auibus craſſior, calidior, humidiorq́ue; alæ tamen cæteris corporis partib⁹ ſunt meliores, & tenuiores. Familiariſſimus eſt domeſticus per totam Italiam, Galliam, & Germaniam, cibumq́; delicatum præſtat, præſertim bene ſaginatus, & opimus ægre tamen concoquitur, & craſſum, viſcoſumq́; ſanguinem gignit. Vidimus in Italia pingues Anſeres per medium diſſectos, ſale condiri, mediocri fumo indurari, & ſic in annum vſui reponi; quibus poſtmodum cum caule rubente coctis, aut in ius albũ redactis, Itali cum voluptate, & palati ſuauitate veſcuntur: hoc item modo conditi, ditiorum etiam menſis apponuntur; quod nonnullis annua manna, vel multorum annorũ annona dicitur; in plures enim annos ſic ſalſi ſeruantur Anſeres, adeo vt etiam ranceſcant, quorum rancidorũ vel fruſtulum tãtùm cum braſſica vel caule rubeo coctum, albũ iuſculum, denſum & optimum concinnat, Ruſticis delicatiſſimum, & quotidianum obſoniũ. In Germania recenter mactantur & ſine nauſea comeduntur. Anſerculi verò pinguiores verno tempore, & æſtatis initio, optimis herbis farcti aſſantur, &, ceu cæteris præſtantiores menſis apponuntur. Eorundem pedes, colla, caput, ſtomachus, cor, hepar, guttur, & alarum extremitates (quæ vulgo parua occha vocantur) ſeorſim elixantur, & ex aceto, pipere, petroſelino eduntur, qui cib⁹ delicatus eſt, proſtratumq́; appetitum ſupramodum excitet.

Anſerculorũ ſtercus verno tempore collectũ, ſiccatũ & pulverizatũ, atque ad ʒj. cum vino albo aliquot diebus exhibitum, Auriginoſos, ſeu regio morbo laborantes, facultate ſua nitroſulphurea penitus curat. Anſerum, Anatum, Caponum, & Gallinarum pinguedo, anodynum eſt remedium.

Vrbi Romanæ ſeruatur candidus Anſer
Inter palmipedes connumerandus aues.
Corpora multum implet, ſed adhæret inutilis humor.
Et ſtomacho inſidens, vix bene digeritur.
At tibi ſi teneras dolor ingens ſauciat aures
Anſeris infundas pinguia, ſanus eris.

ANAS:

Italicè Anade: *Gallicè* Canard: *German.* Antvogel.

Anatum aliæ Cicures & domeſticæ, aliæ ferinæ, & ſyluaticæ ſunt: Mares à fæminis diſtinguũtur colore, & capite viridi, roſtro lato, alis ex albo, viridi, ac nigro permixtis, circulo collum ambiente albo, pedibus rubris, latisq́; at fæmellæ prædicta colorum varietate carent. Verùm quis varias Anatini generis & differentias & nomina, & proprietates, huc adſcripſerit? Quales ſunt, vt ex ſexcentis aliquot ſaltem referamus Boſcas, Querquedula Penelops, Anas Glaucia, Circia, Capella, Amarillus, Branta, Fuſca, Muſcaria, Latiroſtris, Carbon aquaticus, & variæ Mergi ſpecies,

in fontibus, fluuijs, fluminibus, ſtagnis, lacubus, & alto mari degentes, & delicatulis noſtris varias delitias, & cupedias præbentes; de quibus & *AElianus*, & *Geſnerus*, & *Vlyſſes Aldroandus* ex profeſſo ſcripſerunt, ad quos candidū Lectorem remittimus. Alioquin Anas non niſi locis paludoſis, & lacuſtribus gaudet, carnem habet craſſam, viſcoſam, lētam, duræ digeſtionis, at ſi ventriculum robuſtum habeat, optimè nutrit, & delicatulis varias præbet delitias, ferina potiſſimum, eaque vel aſſa, vel cum caule rubeo elixa; delicatulus *Martialis* & pectus, & ceruicem potiſſimum commendat:

Tota quidem ponatur Anas, ſed pectore tantum
Et ceruice ſapit; cætera redde Coquo.

Apitius libr. 6. de re Coquinaria varios modos concinandi, coquendique Anates, & Grues docet, ante omnia, optime lauat aquâ, mox ollæ imponit, aquā affundit, & additis ſale, anetho, coriandro, ad medium coquit, mox ex olla extractam, iterum lauat, deinde vel cum rapis, vel caule rubente additis aromaticis, oleo, vel butyro perfectè coquit, tandem menſis apponit &c, maiori tamen pro parte aſſantur, & Garyophillis, aut Cinamomo transfiguntur.

VRO-GALLVS.
Vhrhann.

E ſylueſtribus Auibus, ſequētes potiſſimum, delicatorū menſas exornare, & gulā explere conſueuerunt: Vro-gallus, ſeu Vraga, aut Tetrix auis eſt quouis maximo gallo maior, triplicis venaticæ carnis naturâ prædita, Magnatum menſas decorare conſueuit: quantum ad alendi facultatem, parùm ab Africano ſeu Indico Gallo differt, niſi quod ſubtiliores alendi ſuccos ſubminiſtret, & ſiccioribus minus, quàm humidis naturis conueniat, ſat duræ, ac difficilis eſt digeſtionis, ideo prima ſtatim menſa, aſſus, & garyophillis, atque cinamomo transfixus, apponendus. Interior ventriculi tunica, haud ſecus, vt & Gallorum, & Gallinarum, ſpecifica quadā proprietate ſtomachi imbecillitati conuenit; ſic etiam teſticuli, ad virilitatem promouendam adhibentur.

Huc pertinet quoq; Gallus Betulæ, ſeu Birckhann, à loci naturâ, in quo degit, ſic dictus; licet & à quibuſdā Spilhann vocetur, nō multum ab Vro-galli naturâ, & facultatibus differens: Vti & Vro-gallus minor, Laub- oder Bröhan/oder klimer/Bergfaſan: Item Grygallus tùm maior, tū minor, &c, qui corporis mole, & carnis venaticæ iocunditate, & guſtus ſapiditate parum, aut nihil differunt, licet colorum varietate aliquo modo inter ſe diſtinguātur: Grygalli potiſſimum in præaltis Heluetiorum montibus reperiuntur. Hos omnes & saporis ſuauitate, & ſucci bonitate, atq; nu-

trimenti

trimenti nobilitate superare videtur Lagopus, Schneehün, à pedum leporinorum similitudine sic dicta: colore albet, & columbæ magnitudinem vix excedit, & non nisi in alpibus, anfractibus & cauernis reperitur.

COTVRNIX:
Italicè Quaglia: *Gallicè* Caille:
German. Wachtell.

Coturnix à voce, vt *ait Festus*, nomẽ accipit; cuius maxima copia ad Delum Insulam è mari volat, vnde Delum Otrygiam dictã *Athenæus* refert. Et quid admirabilius audiri potest illâ Coturnicũ multitudine Numeri 21. quando Deus obmurmuranti populo à transmarinis regionibus ventorum ministerio terram Coturnicibus oppleuit, tanto terræ spatio quoquo versus, quantum itineris vno die cõfici potest, id est, 30. passuum millia? Quin & hodie compertum est, in Neapolitano regno, nõ procul à Neapoli, Episcopos è solis coturnicibus tantũ habere emolumenti, quãtum ad Episcopalem victum satis esse videatur. Hyemis aduentu agminatim, vt vix vnam videre amplius sit, diffugiunt. Non granis duntaxat, & Milio, sed & veratro, victitant, & autumni tempore maximè pinguescunt: *Lucret. lib. 4.*

Præterea nobis veratrum est acre venenum,
At capreis adipes, & coturnicibus auget.

Coturnices carnes habent autumni tempore, quàm reliquis anni temporibus longè delicatiores, & pinguiores, suntq; multi nutrimenti, cùm tamen nimio & humore & pinguedine perfluant, facileq; in stomacho corrumpãtur, nidorosasq; eructationes, febresq; excitent, diuturnus earum vsus salubris esse nequit, frequẽtiori enim vsu, febres, spasmi, & non rarenter Epileptici insultus suscitantur, cui affectioni cùm obnoxia ipsa sit auis, naturali quodam instinctu, quandoque Helleboro vescitur, ceu specifico huius mali pharmaco. Et quoniam fere multa pinguedine abundet, perperam agunt Coqui, qui coturnices vel teneris laridi laminis, vel pingui agnellorum omento ante assationem inuoluunt; hac enim ratione non solũ pinguior, & magis nauseabunda redditur caro, sed hoc modo obstructis poris superfluam deponere humiditatem nequeunt. E coturnicum pinguedine fit mirabile linimentum, ad varios oculorum affectus, quo singulo mense bis vesperi oculi illinuntur, maximo cum fructu:

Recipe pinguedin. Coturnic. ℥ß. Mellis virgin. ℥j. Myrrh. calcanth. albi. a. ʒj. lentum ad ignem misce, & per linteum transcola.

PERDIX:
Italicè Pernise: *Gallicè* Perdris:
Germ. Räbhün/Feldhün.

Perdicum caro temperata est, post mensem inter alios cibos, & sanis & ægris exhibendos, vniuscunque

cunque facultatis, aut bonitatis fuerint, facile primas tenet. Est enim optimi succi, facilis digestionis, magni nutrimenti, è cuius continuato vsu, ventriculus ab omni corruptione vindicatur: Post occisionem, non primo statim, sed secundo, vel tertio die comedenda, sic enim abiecta duritie, tenerascit: Hyemis tempore veteres, iunioribus præstant: pectus, & superiores corporis partes, inferioribus sunt meliores, quibus magnates, & delicatuli, magnâ palati suauitate fruuntur. Elixantur, assanturq; perdices, assæ tamen, garyophillis transfixæ, aut cinamomo, succulentæ, non omnino assaturâ retorridæ, elixis prętant. Sistit quidem hæc caro ventrem, & sangui nem tenuem gignit, at si sanguinem crassum inueniat, extenuat; præsertim autem axillæ caro, quę cæteris est cõcoctu facilior. Prodest autem otiosis, imbecillibus, inualidis, quique debilem, & humidum ventriculum habent Ossium medulla, cum vino pota, ictericos sanat: Iecur, Epilepsiâ laborantibus confert: Fel oculorum suffusionibus nuper inchoatis medetur: plumarum vstarum nidor, hystericas mulieres exuscitat. Perdicum, Turturum, Columbarum, & Palumbarum sanguis, oculorum ruborib⁹ medetur.

Huc etiã numeranda venit Sodomitica Perdix,
Quæ volucris fertur luxuriosa nimis.
Fæmina si perdix vocem audit certa mariti
Concipiet fœtus luxuriosa suos.
Et Regum lautas exornans vndiq; cœnas,
Exhilarat mensas Sardanapale tuas.

Reperiuntur & in Heluetiorũ & Rhætorum finibus albæ perdices, quibusdam Gallinæ niuales dictæ, quæ vt rariores sunt, ita & loci natura, & alimenti nobilitate, & temperamenti, cæteris & bonitate succi, & saporis præstantiâ præferuntur. Rusticis plurimum obsunt Perdicum carnes *teste Isidoro,* nam in eorum ventriculo oleribus, rapis, raphano, larido, carne bubulâ, lacticinijs, alijsque crassi succi alimentis assueto, facile corrumpuntur, in bilem abeunt, phreneticoq; illis affectus excitant, vt merito à Principibus cautum sit, ne quis rusticanorum Perdicum aucupio incumbat, & huic venationi vacando, & domos, & agros, totamq; familiam dilapidet.

Huc spectat etiam Perdix maior, quam rubeam, seu Pernise magior vocant, carnẽ suauissimã & sapidissimam habet, licet ab attagene superetur, optime nutrit, & probos generat succos, præsertim si post occisionem vno vel altero die, frigido aëri exponatur.

PHASIANVS:

Italicè Fagiano: *Gallicè* Faisant: *German.* Fasan.

A Phasi fluuio nomen habet, vnde ab Argonautis in Græciam sunt deportati, *teste Martial.*

Ar goa primum sunt transportata carina
Ante mihi notum nil nisi phasis erat.

In eo enim flumine magna copia abundant phasiani, sicut in quibusdam alijs fluuijs Cygni seu Olores ipsam aquam quasi operire videntur. Quibusdam Galli Gallinacei syluestris, aut Gallinæ ferinæ species videtur; & cùm gallinæ similis sit, similem quoq; in nutriendo facultatem caro habere creditur, dulcior tamen est, facile concoquitur, boni que est succi, & probum generat sanguinem: vnde & Principum mensas exornare consueuerunt; quibus tamen nec sano ac robusto corpore præditi, nec exercitati, aut laboribus incumbentes, sed delicati dũtaxat, imbecilles stomacho vti deberent. Pertinaci Romanorum Imperatori vitio fertur, quod non Alexandri Seueri Imperatoris more, ludis, festiuisque diebus, nec ipse phasanis vesceretur, nec aliis mensæ apponi curaret. Testatur Rex Ptolomæus se nunquam phasianos comedisse, sed magni semper thesauri loco reseruasse. Antequam edãtur phasiani æstate duobus, hyeme trib⁹ diebus suspendi debent quo faciliùs tenerascant: Hunc *Platina* assari iubet; licet cum pipere & saluia elixus, non sit ingrati saporis. Hunc *Galenus*, & *Simeon Sethi* inter preciosos cibos numerant, ob succi bonitatem, saporis suauitatem, & concoctionis facillitatem. Inter omnium carnes primatum tenet Attagen, vt mox dicemus; sequitur teneritatis ratione, Gallina, mox Phasianus, & Perdix. Inter ferinas aues *teste Conciliatore*, Phasianus tùm ad sanitatẽ, tùm ad corporis robur, etiã Perdici præfertur, cum corporibus à diuturno morbo fractis robur addat, & bene nutriat, atq; facilè digeratur.

Phasidis en quondam gratus dicebar alumnus,
Nunc me Germanus, Gallus & ipse vorat.
Nam gratum stomacho me dicunt quippe gulosi
Qui mensas fugio rustica turba tuas.

ATTAGEN:

Italicè Francolino: *Gall.* Gelinette du bois: *German.* Haselhuon/ Bürckhuon.

Attagen, & Attagena, vt refert *Athenæ. 9. Dipnosoph.* est perdice paulo maior, dorso versicoloribus maculis distincto, testæ figulinæ coloris speciem gerens, magis tamen rufa: corpore est graui breuibus alis, in Catalonia frequentissimus est huius auis numerus, quam Tardam Incolæ etiam vocant, & Fraconil; vocatur item Gallina Coryllorũ. Caro forinsecus nigra est, intrinsecus albescit, tenerrima & delicatissima est, optimiq; succi, & inter omnium ferinarum auium carnes nobilissima & suauissima cẽsetur, & præ cæteris omnib⁹ Principum & magnatum mensas, vel maximè exornat, præterquam quod quadruplici venatica carne gaudeat, & à Conditore dotata sit. Non solum Coturnicum, sed & Perdicum, & Phasianorum

carnes, vt teſtatur *Aloyſius Mundella*, & ſaporis ſuauitate, & ſucci bonitate, atq; concoctionis facillitate facile ſuperat. Vt plurimum aſſa, garyophillis, cinamomo, & corticibus citri transfixa, ita tamen ne ignis vehementia plus ſatis torreatur; & exiccetur, menſis apponitur. Huius, vt & perdicum plumæ & naribus adhibitæ, Hyſtericas mulieres ab vteri ſuffocatione liberant; & epilepticos paroxyſmos inhibent.

GALLINAGO, ſeu RVSTICVLA MAIOR SYLVATICA

Italicè Gallinella, *aut* Gallina accegia: *Gall.* Becaſſe: *Germ.* Schnepffhuon.

Gallinago, Ruſticula; *Martiali & Plinio*, *Scolopax*; *Nemeſiano*, *Olympia*, Ruſtica perdix. Hanc auem eiuſque capturam, omnibus admodum expetitam, quia luculẽtiſſimis verſibus deſcripſit *Olympius Poëta*, nõ pigebit eius hîc verba, tàm animi recreandi, quàm temporis fallendi gratiâ apponere.

Cum nemus omne ſuo viridi ſpoliatur honore,
Fultus equi niueis ſyluas pete protinus altas
Exuuiis, præda eſt facilis, & amœna Scolopax,
Corpore non Paphijs auibus maiore videbis,
Illa ſub aggeribus primis qui proluit humor
Paſcitur exiguos ſectans obſonia vermeis,
At non illa oculis, quibus eſt obtuſior, etſi
Sint nimium grandes, ſed acutis naribus inſtar
Impreſſo in terram roſtri mucrone, ſequaceis
Vermiculos trahit, & dulci dat præmia linguæ.

Quibus verbis clariſſime depingit, vt nullus pictor æque noſtratem Sneppam: quæ hactenus quidem magnis in delitijs habetur, attamen carnem & duram, & viſcoſam, concoctuq; difficilem præbet, craſſum, & terreſtrem ſanguinem ingenerans. Eius inferiores partes, contra aliarum auium morem, (quarum alæ magis expetuntur) hoc eſt coxæ, quę ob motus continuitatem, teneriores & ſicciores euadunt, auidius à cauillonibus hominibus appetuntur. Ex earum eſt numero auium, quæ dum aſſantur, non euiſcerantur, cùm ipſa inteſtina, panis toſti cruſta excepta, alijs partibus ſint ſapidiora, & palato ſuauiora.

Gallinago minor, ſeu Ruſticula minor aquatica, Germa. Rohrhüelin / Waſſerhüelin oder Riedtſchnepfflin; & vulgò menſarum delitias, & Heroum dapes nominamus, ad ſtagnorum, fluuiorum, ac paludum crepidines frequentem auiculam: pinguiſſimam eſt hyeme, circa æquinoctium hybernũ; ſuauiſſimi, & gratiſſimi ſaporis, quæ tamen vtcunq; paludem redolentem carnem, duram, viſcoſam habet, craſſi ſatis ſucci, & difficilioris concoctionis, quam cęteræ aues paluſtres: ob raritatem tamẽ (nec enim vulgaris, & quotidianus eſt cibus) Magnatũ menſis commendatur.

Huc pertinent & aliæ paluſtrium, & aquaticarum auium, ſeu Ruſticularum ſpecies, qualis eſt Artulanus, pinguedine diffluens regium & magni pretij cibũ, vindemiarum potiſſimum tempore

præbens, vt & illæ Rusticularum species, quæ in Argentoratensi tractu passim reperiũtur, & à delicatulis auide expetuntur, licet aliquomodo paludem resipiant, duræ sint coctionis, & crassi succi vt est Erythropus, Glottis, Poliopus, Ochtropus magnus, Rhodopus, Hypoleucos, Melanopus, Ochtropus medius, Erythra, Erythopus minor, & Ochtropus minor &c, quarum omnium, vt & Anserum, & Anatum syluestrium carnes aliarum mõtanarum auium bonitatem, & sapiditatem vix adæquãt, cùm mucosæ & spumosæ sint, & corruptionibus obnoxiæ, atq; succos terrestres generent. Eiusdem ferè carnis & proprietatis est Ardea stellaris, quæ à punctis quibusdam quasi stellis elegãter picta visitur, Taurus palustris *Plinio* dicta, quod boum mugitum quodammodo imitetur; Germanis Rhortrump/ quod inter arundineta velut classicum cieat. Dicitur etiam Austriacis Endthün, ab horribili mugitu, quem inter paludes inserto terræ rostro edit.

Stellaris Ardea

Ardeam vulgarem, auem Diomedæam etiam huc referimus, quam Itali Agirone; Galli Heron & Germani Heerganß/ oder Reigel vocant, quæ cum piscibus ferè ex rapto victitet, macrescit, & durę digestionis, crassiq; succi carne prædita est, licet Principũ mẽsas exornet, nõ tam suauis ac iocundi saporis causa, quam quod in aëra cum falconibus & accipitribus pugna, qua Principum & oculi, & animi summè recreantur tandem in escam cesserit.

CYGNVS:
Italicè Cygno: *Gallice* Cygne:
Germ. Schwan.

Ob canoram huius auis vocẽ, aliasq; eius dotes, & naturam à poëtis passim celebratur: *Martial.*

Dulcia defectâ modulatur carmina lingua
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Auem tradunt naturâ cholericã, etsi hodie Magnatum mensas exornet, aliarum tamen aquaticarũ auium more duram, viscosamq; at dulcis saporis carnem præbet, quæ licet sat bene nutriat, difficilis tamen est concoctionis, nisi ventriculum repererit valido calore donatum.

GRVS:
Italicè Gru: *Gallicè* Grue.
Germ. Granich.

Grus, seu Palamedea auis, naturâ calida & sicca est, carnẽ habet Anserum more duræ digestionis & crassi succi. Hyberno tempore dum ad septentrionales oras remigant, maxime pinguescunt; at antequam culinario vsui dentur, tribus vel quatuor diebus frigido aëri exponantur, vt melius tenerascant. Hæc quidem caro sat bene nutrit, at bonum requirit ventriculum; & laboriosis magis, quam otio deditis obsonium.

PALVMBVS:

Ital. Palombo sauato: *Gall.* Ramier: *Germ.* Blochtaub/Holtztaub/Ringeltaub.

Palumbi, seu palumbes liuiæ, è columbarum sunt genere, cæteris tamen maiores, & carnosiores, suauem & delicatã carnem præbentes, quæ copiosum ac bonum generant sanguinem, præsertim si post capturam, domi aliquandiu pisis, aut tritico alantur. Assæ optimæ sunt; adhuc tamen sapidiores euadunt absq; larido, quando scilicet semiassæ incenso lardo inflammantur, mox granatorum, aut arantiorum succo perfunduntur. Palumbarum sanguis rubentibus oculis prodest: caro cum aceto cocta dysentericis, & cæliacis cõfert: stercus calculosis, & vesicæ passionibus medetur. Autumni temporibus, vbi retibus aceruatim capiuntur, deplumantur, euiscerantur, mox factã leuissimã ebullitione, sale, aceto, & iuniperinis granis in vase condiuntur, & ad vsus reponuntur, sic enim non caro duntaxat, sed & ossula ipsa tenerascunt & suauissimum obsonium præbent.

Bis parit in anno saltem torquata palumbes,
Quæ volucrum fertur castior esse cibus.
At dolor immensus lumen si forte lacessit,
Certè palumbinus tunc valet ipse cruor.
Stercus auis Lotij fertur succurrere morbis,
Et scrophas tumidas pellere Lythiasin.

TVRTVR:

Italicè Tortore: *Gall.* Torterelle: *Germ.* Turteltaub.

Et hæc è Columbarum est genere, locis gaudens amœnissimis & tutissimis, hyeme arborum cauernis: Nido syluestris allij folia alligat, quibus lupum fugare nouit, ne pullos deuoret. Turtures si milio saginentur, optimi sunt nutrimenti, saporis gratissimi, & facilis coctionis: assæ tamen & liquato larido, inflammatæ, & succo citriorum perfusæ, meliores euadunt. Calid⁹ sanguis tumentibus, dolentibusq; auribus cum fructu instillatur: vt & dextræ alæ sanguis, rubentibus oculis medetur: stercore faciei maculæ terguntur.

Raucos ex vlmo gemitus dat Turtur amico
Coniuge priuatus; nec bibit vllus aquas.
Hanc si forte dolor volucrem violauerit atrox,
Helxine tunc medicam sat bene præbet opẽ.
Siq; fluor ventrem nimium infestauerit ingens,
Turtur combustus fert tibi potus opem.
Et lippos oculos curat cum sanguine turtur
Nec non noctilopas sic reuelare valet.

TVRDVS.

Italicè Turdo: *Gall.* Griue: *German.* Krametvogel/Zimmer.

Turdus, qui vindemiarũ tempore vuis, aut visci baccis, vel hyberno tempore baccis tùm iuniperinis, tùm myrtinis atq; paliuri senelis vescitur, & impinguatur, delicatissimum, suauissimumq́ue tùm sanis, tùm ægris præbet alimentum, optimi succi, gratissimi saporis, & facilis concoctionis, nisi quod paulo sit calidioris naturæ. Hunc maximi etiam facit delicatulus *Martialis* cuius bonitatem sic describit:

Inter

Inter aues Turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Et Horatius:

Nil melius Turdo &c.

Non euisceratur Turdus, vt aliæ aues, sed & ventriculus granis iuniperinis refertus, & viscera cũ intestinis pinguibus, nobiliores sibi in mensa partes vendicant. Assatur ferè, & liquato lardo perfusus, & micis optimi panis respersus mensis apponitur. Turdus cum myrti baccis assus, remorantem ciet vrinam, & fluxũ dysentericum sistit. *Alexander Benedict.* pestis tempore assum ex aceto valde laudat, cõmendatq;.

Inter aues Turdo primi debentur honores
Pingui, quem redolens bacca cibasse patet.
Tu cantu, tu carne places, aures q; gulam q;,
Mortuus & viuus, voce, ciboq; beas.
Stercora tùm pannos vultus posuisse fatentur.
Turdi, & morphæas sponte leuare solent.

Huc etiam spectat Turdus visciuorus, cæteris Turdi specieb⁹ paulo maior, nostri Mistler; vt & alia Turdi minoris species, Trostell vocant: Nam & succi bonitate, & saporis præstantia, parùm aut nihil à priore Turdo iuniperino vincuntur.

MERVLA:

Italicè Merla: *Gallicè* Merle
German. Ampsell.

Dictę sunt Merulę, *teste Varron.* quod solitariæ volitent, quasi męræ: Nigræ sunt, ad quandam quasi rubedinem vergentes; licet circa Cylenen Arcadiæ candidas reperiri scribat *Plinius libr. 10. cap. 30.* AEstate se cantu demulcent, hominumq; voces ęmulari student. Hyeme balbuciunt; circa solstitia mutescunt. A Turdo & succi bonitate, & saporis suauitate, superantur, cùm & duram, & nigram, atq; amari saporis carnem obtineant. Excrementa Merularum, quæ oriza vescuntur, contusa, atq; cum aceto temperata, & imposita, nigram leprã expurgant, & cutis maculas extergent.

STVRNVS:

Italicè Stornello: *Gall.* Estorneau:
Germ. Storn.

Sturnus crassam, amaram, duram, & coctioni ægre obedientẽ carnem habet, prauos succos, sanguinemq; melancholicũ generat; Cicuta tamen impinguatur: facile cicur, & domestica redditur, hominumq; cantus, & voces æmulari studet: cuius excrementa *teste Galen.* moderatã tùm desiccandi, tùm detergendi facultatem obtinent, vnde lichenas, & vitiligines, aliasque faciei næuos & maculas è medio tollunt. Sturnorum carne Rustici delectantur, vt par est, quorum hodie perdices merito, & Turdi nuncupantur.

Sturne peregrinas mendices aridus vuas,
Socraticam cœnam nolumus esse, vale.

ALAVDA:

Italicè Lodola: *Gallicè* Alouette:
German. Lerch/Weg-vnd Himmellerch.

Alauda, *Plin.* etiam Galerita à cristato apice in galeæ modum, vnde illi impositum etiam cassita à casside, nomen: inter cæteras

mõtanas auiculas, quæ & sanis & ægris in alimentũ cedunt, & succi bonitate, & saporis iocunditate, atq; concoctionis facilitate merito laudem præripit, & à laude nomen habere videtur. Huius carnes teneræ & sapidissimę sunt; Autumni tempore retibus aceruatim capiuntur, & quò intensius fuerit frigus, eo & meliores, & sapidiores, ac pinguiores euadunt. Primã in mensis gloriã obtinẽt, assæ, liquato larido perfusæ & optimi panis micis respersæ. Caro aluum restringit, eandẽ ius ciet. Exẽterata & allijs farcta, tosta & comesta, colicos dolores sanat.

Firmius in paruis alimentum creditur, vt quas
Allectas pastu retia parua trahunt.
Naturam calidam retinet præpinguis alauda,
Quæ leuis est stomacho, gratia rara gulæ.
Durior aluus erit, si sit commesa volucris
Hanc iterum soluunt iuscula pota citò.

FICEDVLA;

Ital. Becquefigo; *Gall.* Becquefigue: *German.* Wüßling/ Schwartzkopff

Ficedula à ficuum esu dicta, cũ *teste varrone* ficuum esu, vt & vuarum pinguescat: In Gallia Narbonensi, Vasconia, & varijs Italiæ tractibus magno in pretio habetur, cùm delicatam valde, tenerã & opimam carnẽ obtineat, optimi succi, & facilis digestionis. Nõ euisceratur hæc auicula, sed deplumata tota cum sale, fæniculo, & laridi lamellis vitis folijs inuoluitur, & feruentibus sub cinerib⁹ assatur. Assantur etiam in veru, non tamen transfiguntur, sed pedibus alligatis & capite, quo minus pinguedo effluat. *Athenæus 4. sympos.* refert, lauto in conuiuio porcum assum Turdis & Ficedulis infarctum, delitiarum loco mensis appositum fuisse. Ficedulæ, vt & Hirundines coctæ & colæ, visum mirum in modum acuere dicũtur, vt scribit *Dioscor.*

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mibi.

FRINGILLA;

Italicè Finquello; *Gallicè* Pinson; *Germanicè* Finck.

Fringilla tàm campestris, quã montana, vt & Coccothraustes, & Carduelis, sub autumni initiũ pinguescunt, & retibus cumulatim capiuntur, ab omnibus autem expetuntur; sunt enim boni succi, grati saporis, & facilis digestionis, paucisq; excrementis afficiuntur, elixantur, & assantur, prius tamen exenterari debent, ob inexistentem ventriculo & intestinis amarorem.

PICVS:

Italicè Pico: *Gallicè* Bechebois: *German.* Specht.

Variæ sunt Picorum species, est enim Picus Martius, qui Marti sacer ferebatur: est variegatus, ex albo, viridi, rubeo, ac nigro, colore, est & totus niger, viridis, cinereus muralis &c, vocant & quercus percussorem, quod robora suo rostro excauet, è quib⁹ vermiculos ad escam trahit; auis non adeo magna est, carnem habet duram, nigram, siccam, difficilis

cilis coctionis, parùm nutrit, nec bonos generat ſuccos. Pullorũ caro comeſta, viſum acuere, & Epilepticos inſultus arcere dicitur, vnde ex ijs Aquæ tum Epilepticæ, tum Ophthalmicæ parantur.

PARVS;

Ital: Paruſſola; *Gall:* Meſange; *Ger:* Kol-oder Brandtmaiß.

Nec minus variæ ſunt Pari ſpecies, reperitur enim Parus maior, minor, ater, cæruleus, paluſtris, criſtatus, caudatus, montan⁹ ſeu abiegnus &c, omnes tamen duram & amaram carnem habent, & non niſi demptis prius inteſtinis elixantur, vel aſſantur, & liquato larido perfundũtur. Craſſos generant ſuccos, & duræ ſunt digeſtionis; Autumni tempore turmatim ſe mutuò cõſectantur, & fiſtulis ſonoris conuocantur, inde extenſo clam tendiculo pedibus capiuntur, vti & nos in florente ętate ſummo diluculo, medias inter pruinas, trium vel ſummùm quatuor horarum ſpatio, nunc quingentos, nunc ſexcentos maximâ animi iocunditate aucupati ſumus.

PASSER:

Italicè Paſſere: *Gallicè* Paſſereau: *German.* Spatz.

Paſſerculi etſi duram, & concoctu ſat difficilem carnem obtineant, in Italia tamen paſſim maximi fiunt, & ab ijs potiſſimũ expetuntur, Veneris qui caſtra ſequuntur, cùm vi quadam ſpecificâ torpentes Veneris igniculos ſuſcitent, multi enim & magni ſunt nutrimenti, ſanguinem, & ſemen augent; aliàs menſarũ delitijs non adnumerautur.

Tu tamẽ à noſtris patinis procul improbe paſſer
Eſſe velis, plus te dulcis Alauda placet.

Parantur tamen ex ijs pillulæ mitabiliter flacceſcentem virilitatem reparantes, hoc modo:

Paſſerculorum cerebra & teſticuli N.20. Adipis Hircini nuper occiſi, circa renes pari pondere, terantur ſimul in catino, & leui igne ſoluantur, addendo mellis aut ſaccari q. ſ. tamdiu coquantur, donec incraſſentur, tandem adde olei cinamomi gutt. 10. Eſſentiæ croci ʒij. Magiſterij corallor. & Margaritar. a. ʒj. Fiant morſelli. Doſ. mane & veſperi ʒß.

Paſſeris immodicam vitam decurtat amatam
Luxus, quem paßer continuare ſolet.
Nam rapidum curſum Titan vix complet in axe,
Deficit en paſſer, commoriturq́; ſalax.
Tu quoq; ne citius vitâ frauderis amicâ,
Amplexus veneris peius & angue fuge.

CAPVT XXXIIX.

De præcipuis Volatilium partibus eſculentis.

QVANTVM ad volatilium partes, etſi alæ neruoſæ & durioris coctionis ſint, præſertim in naturâ macilentis & ſiccis volatilibus (quod mirabili naturæ ſagacitate factum eſt, quò facilius aſſiduos labores & motus ferre poſſint) cùm tamẽ ſemper moueantur, & labore teneraſcant, ſapidiores euadunt, & ad digerendum faciliores, ſuntq́; optimi alimenti, præſertim ſi pingues, & ſucci plenæ fuerint, quales ſunt *Alæ.*

 Gallina-

Gallinarum, Caponumque alæ, quæ inter reliquas sapiditate primatum tenent, deinde Gallinarum Indicarum, Vro-gallorum, Anserum, Anatum &c.

Partes verò spatulis & costis viciniores, motus ratione, faciles sunt coctionis, & sapidiores.

Pectus. Pectoris verò carnes, cùm fōti caloris adstent, ob calorem cō tinenter humiditatem exhaurientem, exuccæ, & minus sapidæ redduntur, vt in Gallinis, & Caponibus apparet:

Lacerti Femora Coxæ. Hinc fit vt Lacertorum, Femorum, Coxarum, præsertim Rusticulæ maioris partes, à delicatulis præ cæteris expetantur: cùm enī à natiui caloris fonte distent, fit vt natiuo humore turgeant, & continuo motu tenerascant, sapidioresque reddantur, & succi melioris, facilisq; digestionis.

Ventriculi. Gallinarum, Caponum, Pullorum, Anserum, Anatū, Galli Indici ventriculi, bene præparati, & sufficienter à ventriculi archeo subacti, laudabile alimentū subministrant, & vi quadam specificâ ventriculum roborant, præsertim interior tunica rite præparata, quæ etiam calculum minuere fertur.

Sanguis Columbarum sanguis calid⁹, venarum sub alis, sectione prosiliens, & instillatus, oculorum rubores & dolores sedat, contusiones curat, sanguinemq; in illis concretum dissipat.

Testiculi. Gallorum Indicorum, Gallinaceorum, Pullorum, Anserum, Anatum, Passerculorumq; testiculi, plurimum à medicis tùm ad sanguinis bonitatem, tùm ad seminis prolifici generationem, commendantur. Cùm enim no- *Historia.* bilis quædam matrona, referente *Amato Lusitano Centur.* 2. *Curat.* 81. gallos gallinaceos exemptis testiculis Eunuchos redderet, testiculos, vt optimi succi nutrimētum, pro marito in edulium, additis saccaro & aromatibus redegit, quo cùm maritus in cœna vesceretur, ita in priapismum deuenit, vt post longum cum vxore concubitum ipsa iam virib⁹ lassa, nec amplius laborē ferre valens, in cubiculo vtriq; communi fugam fecit: At maritus furibund⁹, pruriente adhuc naturâ, cùm vxorem persequeretur, nec ipsam assequi valeret, cùm alteri cubiculo occluderetur, ad ancillas tres vel quatuor domesticas se direxit, quibus omnibus apprime satisfecit. In auroram verò accersito medico (nam etiamnū pruriebat & titillabat humor) res in iocum trahitur, & viticis semine cum camphora ebibito, & ex populneo linimēto, supra renes facto, ab illo feruore, & Veneris irritamentis liber euasit.

Iecu[sc]ula. Iecuscula item si à laudatis auibus desumantur, improbanda minime sint, quamuis (exceptis pullorum, & columbarum iecusculis) sat duræ sunt digestionis, boni tamē sunt nutrimenti. Anseris

ſeris iecur *teſte Athenæo lib. 9.* tanto in pretio apud veteres fuit, vt eſſent apud illos χηνοβοσκοὶ Anſerũ paſtores, qui Anſeres ita alerent, vt eorum iecur mirifice excreſceret; quod & hodie Iudæis eſt vſitatum. Idem *teſtatur Plin. lib. 10. c. 22.* ſic ſcribens: *Iecur farctilibus in magnam amplitudinem creſcit, exemptumq; lacte mulſo augetur.* Hoc inuentum alij Scipioni, Marcello alij viro conſulari; nonnulli Marco Seſſio eâdem ætate Equiti Romano adſcribunt; quod farre, lacte, & ficubus fieri ſolet. Huc enim alludens Horatius, ſic canit

Non ſine farre
Pinguibus & ficis, paſtum Iecur Anſeris alti.

Et Martialis:

Aſpicè quam tumeat magnum iecur anſere maius,
Miratus dices, hoc, rogo, creuit vbi?

Sæpius patauij obſeruauimus Anſerinum iecur, cuiuſdam Iudæi nobis familiariter noti artificio, in tantã molem excreuiſſe, vt aliquot libras penderet. Nec vltimã laudem meretur extima aſſati anſerculi cuticula pinguis, & opima, quæ tamen ſi prima menſa ſumatur, appetitũ raptim proſternit, vti cætera pinguiora pleraque.

Vulua quoq; ſuilla quanto in pretio fuerit apud veteres *Mercurial. ex veterum monumentis* docet *libr. 2. capit. 5. variar. lection.* Apri quinetiam (quod animal propter conuiuia natum) Lumbus omnibus alijs partibus præponebatur, quem *Plautus* & *Cato* Aprugnũ vocauêre, cuius tenera durities cõmendata, ipſi etiam calli nomen dedit, quaſi compacta illa teneritudo, in omnibus ciborum generibus & dentibus & palato, omniq; corporis parti valde grata ſit.

CAPVT XXXIX.

De ijs quæ ex volatilibus ad veſcendum producuntur, vt ſunt

OVA.

INTER alimenta εὔχυμα καὶ εὔπεπτα Oua meritò recenſentur.

Oua Venus poſcit petulans, & Hymetria mella:
Quaſq; tulit folio pinus acuta nuceis.

In Ouis tamen tria potiſſimum notanda, & obſeruanda veniunt: Natura Oui, Tempus, & præparandi ratio, quæ ſanè parui momenti non ſunt; hiſce quippe nõ ritè obſeruatis, facilè ex optimo alioquin alimẽto, peſſimum corpori toxicum enaſci poſſet.

Oua generatim temperata ſunt & proximè ad naturam & complectionem hominis accedunt: Albumen tamen facta ad Vitellũ comparatione frigidum humidũ eſt, aqueam naturam reſpiciens, vitellisque paulò difficilius in corpore digeritur, maximè ſi vel veteris volatilis fuerit, vel cum maſculis non coiuerit: Vitellum verò temperatius eſt, & natiuo calori vicinius, ideo & facilioris & velocioris digeſtionis, præſertim ſi à iuniore volatili marem admittente prognatum fuerit: talia profectò vitella inſigniter membra roborant, tardeque ab

ijs dissoluuntur, vel ipso *Hippocr.* testimonio dicentis: Oua volatilium & materiam, & nutrimentũ esse fortissimum, & plurimi alimenti, cùm tota in sanguinem abeant, & tanto magis membra roborent, quanto magis à natiuo calore compinguntur, & indurantur.

Quantũ ad electionem & delectum ouorum, ea semper cæteris præferenda, quæ ab volatilib⁹ subtilioris ac temperatæ naturæ, proxime ad hominis temperamentum accedentis, prodeunt, vt sunt Perdices, Gallinæ iuniores &c, quæ autem in temperamento & natura longius ab hominis complexione recedunt, vt Anseres, Anates, Gallinæ Indicæ, omittenda. Eligantur ergo Oua Gallinarum pinguium, cum maribus coëuntium, nigrarum, iuniorum, vel saltem mediæ ætatis:

Vesceris, sed adhuc à matre calentibus ouis,
Optima Gallinæ, Phasiadesq; ferunt.

Sintq; recentia, seu vnius diei, hæc enim *Galeno* tantũ nutriunt, quantum ponderant: sint item albissima, oblonga, vel acuminata:

Longa quibus facies ouis erit, elige semper,
Vt succi melioris, & vt magis alba retundis.

Talia enim & Anserum, & Anatum, cæterorumq; volatilium oua, quæ duræ digestionis, mali succi, & grauis sunt odoris, tùm nutrimenti bonitate, tùm coctionis facilitate exuperant: sunt enim temperamento mediocria, & humanæ complexioni proxima, præsertim ipsa vitella. Rabi quoq; *Moyses* scribit oua tremula, seu trementia & sorbilia, dimidium esse sanguinem: Nam quo recentius est ouum, eo citius in corpore digeritur, nobiliusque præbet alimentum & nutriendis partibus familiare.

Quantum ad præparandi rationem, oua vel assantur, vel elixantur, aut frixantur, aut alio quouis modo coquuntur. Assa, vel sub cineribus tosta, sunt elixis insalubriora, grossiora, & ad digerendum duriora, exhausto scilicet ignis calore radicali humore, præsertim si in testis frangantur. Quod si calentibus cinerib⁹ obruta torreantur, peiora sunt ijs, quæ ex parte tantùm cineribus teguntur: ibi enim agente calore externo, ob circumfusos cineres fumi exhalare nequeunt: ideo facile postmodum in ventriculo corrumpũtur, nidorosas eructationes excitant, & sanguinem adustum generant.

Oua frixa cæteris omnibus lõge sunt deteriora, statim enim putrescunt, vapores eructant nidorulentos, & reliquos cibos vnà secum corrũpunt, pessimos succos, & fastidia generant.

Frixa meis nolim contingere plurima cœnis,
Ni soluant acri mixta falerna garo.

Quæ in aquâ fracta coquuntur oua, meliora sunt ijs, quæ relicto integro cortice elixantur; eò quod cortex vaporum exhalationem prohibeat, inde ex frequentiore

tiore horum eſu, flatus ſuboriuntur, præſertim ſi ventriculus paulo crudior, & frigidior fuerit, ideo antequam ſorbeantur, ſalis ac piperis & fæniculi ſeu carui momento condiantur, & longè ante alios cibos aſſumantur.

Vtcunque demùm parentur, ſemper tamen dura ſunt tremulis deteriora.

Mollia pectus alunt, raucam ſedantia tuſſi,
Ad durata minus, nec diuturna placent.

Hæc enim ſerius quam par ſit, concoquuntur, inde corruptio, & ructus nidoroſi, præſertim ſi in cœna ſumantur: Illa verò facile concoquuntur, citoq; ad venas rapiuntur, ieiuno maxime ſtomacho hauſta, pectusq; ptiſanæ inſtar humectant. Hinc illud Scholæ Salernitanæ præceptũ, vt poſt cuiuſq; recentis & mollis oui ſorbitionem, optimi vini hauſtulus fiat, vt ſcilicet hoc quaſi vehiculo facilius per totam corporis compagem diſtribuatur, auidiuſque à membris attrahatur hoc alimentum tantopere naturæ noſtræ amicum.

Multa quoq; ex ouis, eorumq; corticibus parantur remedia ad varios vſus: Cocta enim in forti aceto vt dureſcant, & comeſta, quoſuis alui fluores ſanant: Nos oleum vitellorum ouorum huc tranſſcribere voluimus, cùm in medicina, & chirurgia præſertim magni ſit vſus:

Oleum ouorum

Ouorum igitur vitella ad debitã duritiem coque, & abiecto albumine indurato, tunde, & in ſartagine lento ſatis igne tantiſper frigẽ, quoad omnia rubeſcant, lignea ſpatula continue agitando, donec oleum remittant, citra aduſtionem tamen, tãdem oleum adhuc calens exprime, & cum ſufficienti aq. roſac. quãtitate in maris balneo per menſem digere, tandẽ ſepara.

Commendatur hoc oleum ad cutis aſperitatem, impetigines, labiorum, manuum, pedumque fiſſuras, ad neruorum, & articulorum dolores; prodeſt item ad ambuſta, pilos generat, & vlcera cicatrizat.

Ouorum item aquã hoc modo parabis:

Aqua albuminum ouorum.

Ouorum albumina ad debitam duritiem cocta q. ſ. contunde, adde ouorum putamina tuſa, miſce, & ex retorta vehementiore igne deſtilla; prodit tandem aqua cum oleo fætẽte, quæ reperitis per balneum deſtillationibus, & clareſcit, & fætorem amittit.

Arcanũ ſtegnographicum.

Inter furtiua ſcripturarum arcana non infimum locum tenet, in ouo epiſtolam celare, & amico animi ſẽſa reuelare, oui putamine illæſo permanente, eo tamen modo exẽpto, & diſrupto, apparentibus characteribus: Atramẽto è gallis, aceto, & alumine confecto, in oui cortice litteræ aut nomina ſignentur, & votum aſſequeris: ouum enim ita ſignatũ ad calentẽ Solẽ exicca, mox oleũ in muria coque, ſic ex cortice characteres euaneſcent, & ad oui interiora penetrabũt, tunc exempto cortice, notæ in durato albumine apparebũt. Ex *Carolo Stephano.*

CAPVT XL.

De Piscibus alimentosis in genere.

PISCES cùm apud Græcos, tùm apud Romanos magno semper in pretio & honore fuisse multi eorum libri satis superque testantur. Hinc Rhodij piscium vsum tùm admiratores, tùm amatores laudabant; carnium verò, vituperabant, aggrestesque & ventres vocabant: illos autem ἐλευθερίους id est, ingenuos *teste AEliano*. Hinc etiam pisces ὄψα & ὀψάρια, κατ' ἐξοχὴν dicti sunt, eo quod *teste Plutarch.4.Sympos.Problem.4.* inter obsonia principatū obtinerent. Hinc etiam ὀψοφάγοι, & Tritones piscinarum, pro gulæ proceribus apud *Ciceron. 2. Epist. ad Atticum*. Piscium quinetiam esus Seruatori nostro Christo familiarissimus fuit, qui etiam post resurrectionem piscem assum degustauit, forte quod pisces vniuersim &parum nutrirent, & ob substantiæ humiditatem citò dissoluantur, & hominibus diuinis cōtemplationibus deditis, non ita graue foret alimentū, quam ob causam videmus Patres Carthusianos, ablegatis carnibus, solo piscium esu vitam piè & sanctè traducere. Homeri quoq; temporibus & piscium & auium esum in vsu fuisse *testatur Athenæ.lib.4.cap.5.* licet in Heroum conuiuijs nullam eorum faciat mentionem, propterea quod ijs in dignitate constitutis tale alimentum non conuenire existimaret, eo quod *teste Eustachio Gadarto*, veteres non fuerint piscium appetentes, sed eorū esum, post Homeri tempora inualuisse. Quanto autem in pretio fuerint pisces apud paulo vetustiores Romanos, & præsertim muræna, testatur *Macrob. lib.3 Saturnal. cap.15.* Hinc *Horat. lib.2.Satyr.2.*

At mihi post longum tempus cum venerit hospes
Siue operum vacuo gratus cōuiua per imbrē
Vicinus: bene erat, non piscibus vrbe petitis,
Sed pullo, atq; Hædo, &c.

Antiquos quoq; Medicos pisces suis ægrotantibus concessisse, & pisces ipsos nonnunquam carnem vocasse *testatur Hyeron. Mercurial. variar. lect. libris.* Hodie item pisces apud Orientales magno in pretio habentur, & ex illis varias delitias, & varia obsonia parare consueuerunt. Hinc illa tritissima: *Piscis magnus nullus, nisi malus; piscis nequam, nisi recens &c.*

Omnium piscium natura frigida & humida est; alij tamen alijs meliores habentur, pro aquarum & locorū in quibus degunt ratione, vnde *Galenus* ex piscibus petrosos ac saxatiles, pelasgicos, littorales, squammigerosq; cōmendat: nam etsi in plerisq; ferè morbis piscium vsus damnetur, horum tamen vsus quandoque conceditur, vt fundulorum saxis &puris aquis gaudentiū, Auratarū item, minorū lucitrū, barbatulorū, percarū, trutarū, & vmbrarū, sed de his paulo post singulatim.

Pisces

Marini

Pisces vniuersim aut marini sunt, aut fluuiatiles, aut littorales aut paludosi, & in piscinis seu viuarijs degentes. Marini nec ita spinis abundant, nec ita grauem spirant odorem, vt fluuiatiles, & cæteri: illudq; fit ob carnis duritiem: hoc ob puritatem; sunt itē cæteris calidiores, sicciores, minusq; viscosi, idque ob aquæ, in qua degunt, salsedinem, nimiam illam viscositatem, & crassitiem incidentem: sunt item sapidiores, ob pinguedinis paucitatem; sunt etiam minoris, at laudabilioris alimenti, tardiusq; descendunt, ob viscosæ humiditatis paucitatem. Marini item non vno eodemq; modo se habent, sed alij alijs bonitate præferuntur, licet eiusdem sint generis, pro aquarū maiore vel minore à ventis agitatione, perspicuitate, munditiâ, & puritate: Quin & mare pro loci diuersitate modo copiosos, modo raros profert pisces: Oceanus enim piscium copia & fertilitate mediterraneum mare superat: & mediterranei maris tractus Genuensis, multo sterilior est tractu Galliæ Narbonensis, quod sane aquarum bonitati pisces allicienti adscribendum: Pisces item in profundo, & summa maris altitudine, ventorum procellis agitati & perflati, illis & bonitate, & sapiditate præferuntur, qui in portubus, aut littoribus reperiuntur.

Littorales.

Pisces qui semper littora occupant, vnde & littorales vocati, modo cænosa non sint littora, nec continuo maris æstu turbentur, nec vicinorum vel fluuiorū incursus, vel vrbiū fædas eluuies & putredines recipiant. (Horum enim littorum pisces cæteris marinis sunt viscosiores, concoctu difficiliores, & ad fluuiatilium naturam proxime accedunt) ob assiduum maris motum, & ad saxa collisiones, carnes habent pelagianis & molliores & teneriores, & ob pinguedinis & viscositatis defectum, sapidiores, putredinique minus obnoxias. Hi omni temperamento cōueniunt, sunt optimi alimenti, & facilis concoctionis.

Pelasgici.

Hos proxime sequuntur Pelasgici, seu alti maris Incolæ, in duris tamen, & petrosis, nō mollibus, aut cænosis locis degentes hi enim nihil à prioribus differunt, nisi quod & pinguiores sint, & duriores, sanguinemq; generent paulo crassiorem.

Fluuiatiles.

Fluuiatiles pisces quod concernit, magna quoq; illorum est, pro aquarum, quas incolunt, diuersitate, differentia: Aut enim rapida & maiora flumina; aut quietas aquas, puras aut cænosas habitant: Quin & pro herbarum in aquis nascentium natura, quib⁹ nonnulli pisces nutriuntur, eorū caro variat. Qui maiora, alta, clara, munda, rapida, & sese in mare exonerantia flumina incolunt, omnibus cæteris fluuiatilibus

ſunt preſtantiores, & ſalubriores; aquæ enim limpiditate odoris grauitas remouetur, & citatiore fluuiorum raptu, & impetu tenerascunt carnes, præſertim ſi petroſa ac ſaxoſa fuerint flumina. At qui in paruis, ſilentibus, aut lente fluentibus, cęnoſis, vrbiũq; ſentinas & ſordes recipientibus fluuijs verſantur, pinguiores quidem euadunt, at craſſiorem, viſcoſam, mucoſam, excrementitiam carnem ſortiuntur, quæ & cõcoctu difficilior eſt, & grauioris tùm ſaporis, tùm odoris; vnde ex frequentiore talium piſcium vſu, pituitoſi, viſcidi, glutinoſi, ac tartaroſi generãtur humores. Summatim piſces tùm maiorum, tùm minorum fluminum ſunt marinis groſſiores, viſcoſiores & pinguiores: maioris item nutrimenti, at ſucci deterioris, & duræ digeſtionis, atq; ingratioris ſaporis; ęgrè item penetrant, tardè diſſoluuntur, & ſtomacho graues redduntur.

Lacuſtres.

Hos ſequuntur lacuſtres, qui ſi in quietis, ac ſilentibus lacub⁹ aut raris fontium ſcatebris permixtis nutrianrur, viſcoſiores, & vnctuoſiores habentur; grauioris item & ſaporis, & odoris, citoq́ue corrũpuntur, & putreſcunt. At qui in lacubus altis, profundis lapidoſis, arenoſis, quiq; magnis fontium ſcatebris, aut rapidis aliorum fluuiorum aquis diluuntur & crebris ventorum procellis agitantur, optimos ſane, ſapidiſſimos, & ſaluberrimos piſces magna copia producũt: quales ſunt lacus Conſtantienſis, Lemanus, Verdunenſis, Tigurinus, Lucernenſis, & alij quam plures: in quibus varij generis piſces & maiores, & minores, ſalubres, ſapidi, ac delicatuli nutriuntur.

Paludoſi, & qui in lacuſtribus, ſeu cænoſis, ac ſordidis viuarijs, ſeu piſcinis degunt, prædictis omnibus longe ſunt deteriores, præſertim ſi ſquammis careant, quales ſunt Tenca, Lampretta, Anguillæ, & eæ potiſſimum, quæ ex putredine cænoſa oriuntur: his adnumeramus cum *Galeno* illos, qui in vrbium populoſarum ac littoralium ripis, foſſis, ſtagniſq; & hominum excrementis, quiſquilijs, & id genus prauis ſuccis victitant, tales enim extremum prauitatis gradum obtinent.

Præfertur quod ſaxa colit genus omnibus vnd.
Nam mala limoſi plura habere lacus:
Præſtiterint etiam capti è fluuialibus vndis
Ignauis, quales vnda paluſtris habet.
Qualeſcunq; tamen, pingues fuge: pingue venenum eſt.
Omnibus & prauus piſcibus humor ineſt.
Phlegmatico turbant tenues humore medullas
Sanguinis inde aliquid quis putet eſſe boni?

Porro inter piſces maiores, & minores, mediocres & meliores habentur, & magis expetuntur. Parui enim etſi parum tum viſcedinis, tum craſitici obtineant, celeriuſq; digerantur, cito tamẽ corrumpuntur, quales ſunt qui paſſim Autumni tempore & hyemis initio in lacubus capiuntur,

quos

quos Incolæ Heurling vocant, quasi eiusdem anni prognatam prolem, quos pisciculos Magnates in delitijs habent, & sæpe vnico bolo centenos vnà deuorant.

Magni. Magni verò licet non facile corrumpantur, & appetitum suâ suauitate fallant, ob crassitiem tamen & viscedinis redundantiã & concoctionis difficultatem, minime approbantur. *Mediocres.* Mediocres igitur his sunt laudabiliores & ex his, qui duriores & minores sunt, meliores habentur, paruitate scilicet carnis siccitatem cõtemperante.

Si pisces molles magno sunt corpore, tolle:
Si fuerint parui, duri, sunt plus valituri.

Pingues & macres. Pisces pingues, vnctuosi, molles, seu leues potius, durissimæ sunt digestionis stomachum emolliunt, viscidis humoribus oplent, & in frigidis ac pituitosis ventriculis non rarenter veneni vim habent. Sic nec illi vitio carent, qui nimium macrescunt.

Squammosi. Squammosi pisces, maxime vero marini, cæteris præstant, maxime crassa, & dura squammâ armati; squamma quippe aquositatis penuriam, & humorũ paucitatem arguit; natura scilicet humorum redundantiam ab interioribus ad extima propellente.

Ex diuersa quoque spirantium ventorum natura, piscium colligitur diuersitas: pisces enim ventorum tùm Orientalium, tùm Septentrionalium procellis agitati, succi bonitate iis præferuntur, qui in portubus, ac littoribus quietis & silentibus capiuntur.

Quod demũ culinarium piscium apparatum spectat, hîc inter se certant Coqui, & quantum ars magyrica possit, magno sępe supercilio, aut maiori sępius Hominum, valetudinisq; detrimento ostentant: videas enim illos vix habita piscium ipsorum plurimum interse & multis nominibus differentium ratione, nunc assos; nunc butyro, aut oleo frictos; nunc inter duas patinas elixos; nunc sale, aceto, omphacio, aggresta, aut vino coctos; nunc aromatizatos; aut pastâ cõditos, aut, pro Artis Apitiæ industria, alio quouis modo pparatos mensis apponere, parum considerantes, quemlibet piscem pro naturę indole, peculiarem, & sibi destinatam requirere conditurã. Nam inter omnes pisciũ, maximè verò pinguium, maiorum, & limosorũ apparatus, deterrimum & nocentissimum locum tenent ij, qui in sartagine cum oleo aut butyro frixantur: cum enim & piscium pinguedo, & oleum, aut butyrũ interse maximè militent, nec facilè vnà coctionem subeant, fit, vt & cibis supernatent, & concoctionem impediant, ac tandem corrumpantur, & in pessimos, sæpeque venenis similes succos conuertantur, præsertim si vesperi & cæna, ventre alijs iam cibis infarcto, pleniore manu ingerantur. *Pisces frixi.*

CAPVT XLI.

De Piscibus marinis & Conchilijs esui destinatis in specie.

SED quis hoc loci innumerã pene vastissimi Maris sobolẽ, humano esui destinatam singulatim exiguis hisce commentarijs includet? Longe profectò vberior est piscium in Oceano natantium copia & diuersitas, quam vel animalium quadrupedũ, vel volatilium; ita vt in ijs recensendis ingentem nobis laborem, candido verò Lectori non leue tædium pareremus: Nutrit enim Mare haud secus, ac Tellus ipsa inter Animalia, suos Vrsos marinos, Apros, Lepores, Vulpes, Lupos, Asellos, Caballos, Hipocãpos, Canes, Leones, Vitulos, Dracones, Serpentes, Torpedines, Testudines, Ranas, Cancros Astacos, Locustas, Cicadas, Tritones, Satyros, Nereidas &c. Inter volatilia verò suos itidem nutrit Pauones, Phasianos, Perdices, Coturnices, Alaudas tàm cristatas, quàm non cristatas, Scolopaces, Merulas, Turdos varios Miluos, Hirũdines, passeres, Coracas, Corcinos, Aquilas, & id genus. Ex innumeris ergo, eos duntaxat pisces marinos referemus, pro operis nostri instituta ratione, qui vel Gallorum, vel Italorum, vel Germanorum nostrorum mensas exornare, & salubriter vsurpari consueuerunt.

Inter marinos pisces, qui hodie ferculis expetuntur, præcipui esse videntur Solea, Aurata, Accipenser, Passer squammosus, Rhombus, Mullus, Merlutius, Asellus, Thunnus, Haryngus, Sarda, & alij non pauci.

ACCIPENSER:

Ital. Porcelletto: *Gal.* Essurgeon: *German.* Ein Stür.

Accipenser seu Sturio Venetis dictus, crassus & longus est piscis, in delicatorum piscium numero positus, magno enim semper in pretio à delicatulis habitus, quẽ Pauonem aquaticũ appellarunt, & eo, ceu carissimo, & suauissimo pisce, conuiuia instruxerunt, exornaruntque. Romani quoque *teste Athenæo lib. 8.* eum nõ solùm cum tibijs & coronis ad cœnam cum pompa circumferebant, sed & eos, qui piscem ferebant, coronatos incedere volebant: Captus nemini, citra mulctam, quam Primatibus offerebatur. Optimi succi est alimentum, & gratissimi saporis piscis, æstuantem sanguinem refrigerat, & purgat, nimia tamen sua pinguedine, ex liberaliore & frequentiore vsu stomacho nauseam parit: quantum ad culinæ apparatum, coquitur vt Salmo. E nigris eiusdem ouis cõditis, fit illud edulium laudatissimum, Venetis Cauiaro nuncupatum, quod etsi gratissimum sit, inassuetis tamen primis vicibus nauseam parit. Ex eiusdem, vt & Thunni carne salita, fit Morana illis dicta. Hunc piscem sic laudat *Martialis.*

Ad Pa-

Ad Palatinas Acipensera mittite mensas.
Ambrosias ornent munera rara dapes.

De Romanorum ὀψοφαγία seu immoderato, & luxurioso pisciũ apparatu, inter cætera *Iuuenal. Satyr. 5.* sic canit:

Et iam defecit nostrum mare, dum gula sæuit
Retibus aßiduis penitus scrutante macello &c.

Ex eodem Romanorum luxu in piscibus, natum est illud prouerbium, *quo Ganeones & Popinones* (quibus vitæ modulus culina est, vt lepide olim *Varro* dixit) se mutuo ad indulgendum cõmessationi prouocantes dictitabant: σήμερον ἀκτάσωμεν: id est, hodie littorisemus, gulam inuehere volentes cænam piscibus explendam esse.

AVRATA.

Italicè Auraia: *Gall.* Brame de Mer: *German.* Goldtbrachsmen.

Hic piscis alba, solida, & salubri & suaui carne prẹditus est; magni & multi est nutrimenti, & grati admodum saporis; vnde factum vt veteres hunc piscem è mari ad viuaria, piscinas, dulcesq; fluuios transferri curarint, licet sit durioris digestionis, & valentem requirat ventriculi calorẽ: Ex Auratis veteres Taurentinam prætulerunt, sed eam maxime, quæ Lucrinis stagnis illata, Concharum esu pinguesceret. Inde *Mart.*

Non omnis laudem, pretiumq; Aurata meretur
Sed cui solus erit concha lucrina cibus.

Huius piscis vsu venena, morbique venenati pelluntur.

SOLEA LINGVATA.

Italicè Sfoia: *Gall.* vne Sole: *Germ.* Meersolen/ Meerzung.

Inter delicatissimos Maris pisces, ob miram carnis sapiditatẽ, & suauitatem Solea seu Buglossus numeratur, qui à delicatulis Perdix marina nũcupatur, & magno pretio habetur, piscis est vnica spina præditus, quæ à carne facile post coctionem diuellitur. Variæ sunt huius piscis species, vt est Solea oculata; Cynoglossus; Arnoglossus, seu Solea leuis; Hypoglossus; Solea minor seu Lingula &c. Hic piscis candidam firmam, iocundam, ac suauissimi saporis carnem habet, facilis digestionis, multiq; alimenti, & minime excrementosam, ita vt & ęgris tuto exhiberi possit: exhibetur autem vel elixa, cum condimento albo; vel cum butyro frixa, cũ intinctibus succi arantiorum, panis crusta, & aromatib⁹ offertur. Viua Solea tumenti lieni alligata, postmodum iterum in aquam projecta, omnes lienosos affect⁹ curare dicitur.

RHOMBVS.

Ital. Rodanello: *Gall.* Turbot, Limende: *German.* Meerbutt/ Dornbutt.

Rhombus, siue passer asper, squammosus inter planos pisces principatum tenet, cum cæteris succi bonitate & carnis teneritudine præstet, quem delicatuli inter popinales delitias Phasianum aquaticum vocant. Carnem habet candidam, solidam, & grati saporis, & boni nutrimenti. Plures autẽ sunt huius species, Rhõbus

bus scilicet aculeatus; Rhombus leuis, Rhomboides elixatur vino, aqua, sapa, recenti butyro, addito etiam petroselino; quocunque tandem modo paretur, gratissimi est saporis, boni alimenti, suauis succi, bonæ digestionis, & ægris etiam gratum obsonium.

PASSER;

Italicè: Platuse, *Gall:* Plye, & Carlet; *Germ:* Plateyslin.

Rhombum passer sequitur, licet & sapore & bonitate inferior: carnem quidem candidam satis habet, at mollem, & spumosam; ideoq; non nisi sole, aut frigore induratus ad nostras regiones defertur quo pleriq;, & potissimũ Quadragesimę tempore vtuntur pauci est alimẽti, & sat duræ digestionis: Elixatus, cum sale, butyro, zingiberis modico; quandoq; etiam cum spinachia, aut pisis coctis mensis apponitur: Huius species sunt Quadratulus, Limanda, Flessus, & Fleteletus &c, quæ omnes ad culinarios vsus reuocantur, ijsq; plebeorum potissimum mensæ instruuntur. Post capturã, cùm fætere inceperint, si comedantur, aluum strenue mouere perhibentur.

RAIA:

Italicè Pesce reza: *Gallicè* Raye: *German.* Rochen.

Multæ passim numerantur Raiarum species, vt sunt Raia leuis; Raia vndulata; Raia oxyrynchos tùm minor, tùm maior, quam antiquorum bouem esse volunt; Raia oculata, & læuis; Raia oculata, & aspera; Raia asteria; Raia asteria aspera; Raia clauata; spinosa; fullonica; asperrima &c, quæ omnes mollem, viscosã atq; spumosam carnem habent, duræ digestionis, crassi succi, pauci alimenti: vnde rarus earum vsus sit & non nisi ab hominibus laboriosis, robusto ventriculo præditis vsurpentur.

THVNNVS.

Gallice Tornine, & Creac: *Germ.* Meerthunn.

Tantæ molis est quandoque hic piscis, vt vni ferendo vix mulus sufficiat: crassam, duram, concoctuq; difficilem carnem, bubulæ carni haud dissimilem obtinet quæ licet inter alias piscium marinorum carnes primatum non habeat, à multis tamen ob insignem alendi potestatem, nõ postremam laudem obtinet: Hic piscis etiam in frusta sectus sale cõditur: cuius præcipuæ partes sunt caput, & inferiores vẽtris partes. Sanguis, Iecur, & Fel, si illinantur, capillorum casum excitant & ne amplius renascantur, prohibent.

Huc spectat Thunni quædam species Amia dicta Streinthunn, mollem quidem, at sanam, sapidam, & palato gratã carnem obtinens.

ASELLVS:

Italicè Merluzo: *Gallicè* Merlu: *German.* Bolch.

Asellus recenter captus, Merlucius, & Molua maior dictus, carnem

carnem obtinet duram, viscosã, & excrementosis succis scatentem, quæ tamẽ salitura facile corrigitur; & tunc Asellus salitus; Gallis Moulue, & Labordeau; Germanis verò Lachs dicitur: Aquâ emolitur, exclusoq́; salsamẽto, recenti butyro, petroselino, vt & aceti, synapis tusi, & zingiberis momento conditur, mensisq́; Quadragesimalibus apponitur.

Hunc sequitur Asellus seu Salpa, nostris Stockfisch nuncupat⁹ vel vt vult *Plin. lib. 9 cap. 18.* Piscis obscœnus, eo quod nõ percoqui possit, nisi verberum ictibus probe emollitus:

Salpa obscœnus ego dicor, nec decoquor vnquã,
Ni ferula cæuens verbera multa dabis.

Iocoso ænigmate dicitur omnium piscium longissimus, quod caput in mari, caudam verò in Germania habeat. Merlucij quædam species est, ex quo tam in inferiore, quàm superiore Germania tantus fit quæstus, vt eo nihil sit familiarius, nihil vulgatũ magis. Non ille saliri solet, aliorum piscium more, qui è Molucis Insulis deuehuntur, sed in Schytico & glaciali mari captus, vi frigoris intensissimi exiccatur, qua ratione ab excrementitio humore, ab omniq́; putredine, citra salis additamentum vindicatur: quo fit, vt non qualitate, sed quantitate noxas inferat, ideo sobriè, tarò, & parcâ manu vtendũ, cum crassi ac viscosi sit succi, duræ ac difficilis coctionis; valentioribus vẽtriculis, ac biliosis potius, quàm debilibus ac pituitosis exhibendus. Apparatur autem conditurque sufficienter prius coctus, cũ butyro, omphacio, vel arantiorũ succo, cæpis minutim incisis, additisq́; aromatibus; incoquitur subinde & lacti: nõ rarenter assatur, & condituris quibusdam infarcitur, & sic Quadragesimalib⁹ mensis apponitur. Huius meminit *Aristoteles 5. de histor. Animal.* & *Athenæ. 7. Dipnosoph.*

SCOMBRVS:

Ital. Scombro: *Gall.* Macquereau: *German.* Macrellen.

Scombrus seu Scomber veteribus tùm Græcis, tùm Latinis Lacertus marinus; *Horatio* piscis Iberus; recentioribus verò Macrellus: optimus est piscis, verno potissimũ tempore; carnem obtinet firmam, candido-cineream lautam, boni succi, nec ingrati saporis. Super carbones assatur, & assando aceto, vel omphacio, liquato butyro recenti, fæniculi ac zingiberis modico respergitur & mensis apponitur; cuius caput, ac spinam dorsi, craticulæ impositam, delicatuli torrent, ac deliciose vorant, ob coctionis tamen difficultatem, è diuturniore vsu, stomachum grauat.

RVBELLIO:

Ital. le Capone: *Gallicè* le Rouget: *German.* Klein rotter/ Meerbrachs.

Erythrinus, Rubellio, seu Coccix,

cix, candidam, delicatam, nobilemque carnem habet, suauissimi saporis, optimi succi, & facilis digestionis, vnde inter salubriores marinos pisces non infimum locum tenet, tùm sanis, tùm ægris vtilissimus: assatur, vt præcedens; & pasta inuolutus in clybano coctus, mensis apponitur.

HALEX, seu HARYNGVS:
Italicè Haringo: *Gallicè* Harang: *German.* Häring.

Haleces, seu Haryngi in Suetia & Nortuegia in magna copia capiuntur; Piscis est pinguis, mundissimus, carne candida, & sapidissima præditus, purissimâ solùm & limpidissimâ aquâ vtitur, ideo omnibus excrementis & superfluitatibus caret, & vnico duntaxat intorto intestino gaudet: In dolijs sale marino condiuntur hi pisces, & ad varias orbis partes, non sine maximo quæstu deferuntur, quibus homines, maxime Quadragesimæ temporibus vtuntur, bene siquidem nutriunt, suntq; probi succi, licet sat duræ digestionis. Belgæ ijs crudis, & nuper è Muria extractis magnâ iocunditate vescuntur: Nos autẽ illos aliquot diebus recenti ac dulci aquâ maceratos, & à Muria seu Alece (quod nomen illi brodio, non ipsi pisci competit) probe vindicatos, elixamus, assamus & alio quouis modo conditos Quadragesimalibus mensis apponimus. Haryngus verò infumatus, passus, seu fumo duratus, Italis Harengo infumado; Gallis Harang sorè; German. verò Böcking nuncupatur, quibus passim cænis pomeridianis inter acetaria vtuntur homines; Harengi vniuersim tùm saliti, tùm fumo indurati crassos, viscosos, salsos, & adustos succos procreant, ideo rarenter, & parcâ illis manu vtendum. Ad hosce salitos pisces Quadragesimali tempore vsurpatos, referimus illum, quem nostrates Rheinfisch nuncupant, nõ quod in eo nutriatur, sed quod per Rheni tractus ad varias oras deferatur: Carnem habet duram solidam, durissimæ digestionis, crassos, & salsos humores generans, & vix culinæ vtilis, nisi prius aliquot diebus aq. dulci maceretur, non tàm ad salsedinem tollendam, quam ad carnis mollitiẽ & teneritatem procurandam.

Rhein fisch.

SARDINA:
Italicè Sardelle: *Gallicè* le Sardine: *German.* Sardun.

Sarda, Sardina, seu Trichia, piscis, etsi quibusdam in locis, vt in Italia, Gallia, ob nimiam copiam tanti non fiat, inter optimos tamen, & delicatissimos marinos pisces adnumeratur: corpore est Harengo minor; recens captus, cum felle destituatur, totus absq; exenteratione in sartagine assatur, & piperis momento, cum butyro, aut oleo, & omphacio conditus, delicatas sæpe mensas exornat, cuius vsus nobis olim dũ in Italia litteris operam daremus, frequens

frequentissimus fuit. Condiunturitem sale, & dolijs, Harengorum instar, quos & sapiditate & bonitate superant, in vsus, ad biennium, reseruantur: Mensis pomeridianis cum pipere & aceto, ac oleo fragranti apponuntur, appetitus irritandi causa. Ex ijs magnus fit quæstus, & in longissimas oras diuehuntur.

Encrasicholi. Eiusdem ferè & naturæ & vsus sunt Encrasicholi, Gallis Anchoyes: Germanis Meergall dicti: Hi quo Sardis sunt minores, eo ijs sunt delicatiores. Sale ijdem cõdiuntur, à quo modicum eluti, aceto & oleo superfusis mensis apponuntur pro condimento, & cęterorum ciborum prodromo, cũ appetitum stimulent, incidant, attenuent, & ventriculum à mucosis recrementis detergant, humidis, pinguibus, & obæsis corporibus gratissimum obsonium.

Alauda marina. Quid reliquas piscium Marinorum delitias referamus? Alauda marina, ne ob carnis suauitatẽ & saporis gratiam, piscatoribus in prædam cedat, se marinis cauernis, criptis, ac scopulis tuetur, munitque. *Scolopax.* Scolopax marinus, ob succi, sanguinisq; bonitatem, carnis sapiditatem, & coctionis facilitatem, à delicatulis exoptatur, at rarenter industriâ piscatorũ occurrit, & haberi potest. Quis *Mustellæ marinæ.* item Mustellarum marinarũ candidam, dulcem, pretiosam, & omnibus delicatulis multis nominibus expetendam carnem satis, superq; laudare poterit? Merulã marinam laudabili, sapida, & facilis coctionis carne præditam, nullisq; excrementosis humoribus scatentem, silentio inuoluemus? *Turdi marini.* De varijs Turdorum marinorum speciebus quid dicemus? An non laudatissimam, suauissimam, & concoctu facillimã carnem obtinent? An nõ multis parasangis qualescunq; turdos terrestres & succi bonitate, & saporis suauitate superant, omniumque delicatorum & gustum & palatum ad se trahunt? *Gobij marini.* Quantæ delitiæ, quantæ suauitates Gobijs marinis insint, quis ignorat? qui enim recenti, frigido, ac scopuloso, seu etiam arenoso mari nutriuntur, gratissimam, sapidissimamque carnem, optimi succi & facilis digestionis obtinent. *Iulis.* Iulis pisciculus, quemper exellentiam nobilem vocant, etsi ob corporis paruitatem contemptui habeatur, nunquid tamen à veteribus medicis illius caro, vt tenera mollis, optimiq; succi & laudabilis alimenti prædicatur? *Perca marina.* Percas marinas, & carnis bonitate, sapiditate, coctionis facillitate, & maiori nutriendi potestate fluuiatiles percas superare, quis nescit? *Vmbra marina.* Vmbras marinas, quæ quouis anni tempore, maxime verò vrẽte canicula, suauissimam, sapidissimam, & ob coctionis ac penetrationis promptitudinem, non nisi Magnatibus apponendã carnem, quis non fluuiatilibus Vmbris

bris præponet? huius piscis delitias qui ignorat, T. Tamisij, obsoniorum Romanorum gurgitis historiā legat, &, quid, quantaue, Vmbræ marinæ amore passus fuerit, graphicè percipiet; quem ad *T. Cicer. 2. de finib.* imitationem, sic arguere poterimus: *O Tamisi, es homo miser, cœnasti in vita nunquā bene, cùm omnia in ista consumis squilla, & vmbra marina, quam à Magistratu Romano Cardinalibus missam, tandem quærendo defatigatus & sudore diffluens, in lupanari reperisti, & cum scorto deuorasti.* Quis dignis laudibus Lupi marini carnem sapidissiam, suauissimā, candidam, teneram, solidam, nullis superfluitatibus scatentem, afficiet? Hanc veteres κατ' ἐξοχὴν obsonium vocauêre, quasi hoc piscis nomine, cæteros omnes intelligerent. Quid demùm de Acu, & Muræna marina dicemus? Acus apud Italos frequentissimo est in vsu, duram, solidam, ac boni nutrimenti carnē obtinet, licet paulo difficilioris concoctionis: ob carnis autem iocūditatem & succi bonitatem, nec non ob fertilitatem veteres Romani tanti fecére murænas marinas, vt in piscinis, viuarijs, minoribusq; fluuijs eas reponi & nutriri curarent. Sed quis cæterorum piscium marinorum delitias, obsonia, & tot ex ijs parata gulæ irritamenta cōmemoret? ad Conchylia progrediamur.

Lupus marinus.

Muræna.

Acus.

CONCHYLIA.

Inter Conchylia marina numerantur Locustæ, Astaci, Cancri, Capellæ, Araneæ marinæ, Ostreæ, Musculi, seu Mytuli, pectūculi, & quæ sunt huius generis: de ijs tamen duntaxat agemus, quæ vel in Germanico mari, fluuijs, ac lacubus proueniunt, vel aliunde eo deferuntur: Conchyliorum enim & Concharum marinarum genera, quæ in alimentorum vsum cedunt, multa quidem sunt, & gratissimi sæpe saporis, appetitum languentem excitant, ijs tamen moderatè admodum vtendum, præsertim in Germania, & partibus septentrionalibus, cùm inflent, cruditates, & crassos, viscososq; succos generent, obstructiones viscerum, & tandem etiam febres pariant.

Ostreæ.

Conchylia, Conchæ: Italicè Conca, Capa, Gallice Conche: Germanicè Muschellensisch, quibus adnumerantur Mytuli, seu Musculi, Telline, Hyatuli; vt & Ostreæ, quas Itali Ostrega: Galli Huistre; Germani Vstern vocāt, præsertim si minores fuerint, grati quidem sunt saporis, ventriculo amicæ, & appetitum mouent, frequentioreq; vsu Venerem stimulant; at cùm ferè salsæ sint, salsos, crassosq; & concoctu difficiles generant succos, atq; in assuetis facile febres excitant. Itali tamen frequentissimè & auidissimè ijs vtuntur, tùm crudis, tùm leuiter ad carbones assatis, & cum piperis, ac olei momento conditis;

imo eousq; gula suas explicauit alas, vt ad Germaniam vsq; eiusmodi gulæ irritamenta, & vitæ morticinia deuehantur, & magno precio, non sine vitæ iacturâ diuendantur.

Pisces Crustacei marini.

Cancri marini, quibus & Astacos, & Araneas, & Locustas varias adnumeramus, gratam, suauē, dulcem, candidam, ac sapidā, carnem habent, optimi, & magni alimenti, durissimæ tamen & difficilis coctionis; quę tamen passim magnis in delitijs & precio habetur, licet crassum & viscosum sanguinem generet. & ex frequentiore esu, Paphiæ igniculos suscitet. Cortex tùm cancrorum, tùm astacorum, locustarum, ac concharum, seu ostrearum vstus, vel simpliciter in puluerem actus, dysentericos, & aluinos fluxus sistit; (licet horum crustaceorum brodium seu iusculum aluum pigrescentem irritet) remorantem vrinam ciet, calculum pellit, & vlceribus inspersus mirabiliter cicatrizat.

CAPVT XLII.

De dulcium, & fluuiatilium aquarum piscibus esculentis in specie.

INTER fluuiatiles pisces, qui relicto mari, maiora flumina petunt, Salmo primas tenet, Lāpretta, Trissa: Inter dulcium aquarum, tum fluuiorum, tum lacuum, & stagnorum, optimi sunt Trutta, pertica, Lupus, Vmbra, Vmbella, Cyprinus, Barbo, Mullulus, Fundulus, Gobius fluuiatilis, Anguilla, Ranæ, Gambari &c, de quibus nunc paucis sigillatim agemus.

SALMO;

Italicè Salmone; *Gallicè* Saulmon; *Germanicè* Salmen.

Plinius lib: 9. cap. 18. de Salmone scribens, eum omnibus piscibus fluuiatilibus præfert; quo & Rhenus, & Rhodanus claret, quique ob carnis ruborem, firmitatem, ac saporis suauitatem, ab omnibus, maximè Maio mense, auidissimè expetitur; licet vorantem extemplò satiet, & ex frequentiori vsu stomachum nauseabundū reddat, & appetitum prosternat, quantumuis ἰχθυοφάγοι illum regijs & delicatissimis epulis adnumerent. In senecta, & circa Autumnum Esox, Germanis Lachs vocatur: Muria conditus in totius anni vsus reseruatur: licet non ita auide expetatur. Parui quoque Salmones, seu Salares, Sälmling longè delicatissimam & suauissimam habent carnem, quæ in Aprili, & Maio potissimum, Magnatum mensas exornant: Iulio & Augusto tùm Argentorati, tùm Basileæ in copia capiuntur. Salmonem hunc in modum olim laudauit *Ausonius.*

Nec te puniceo rutilante viscere Salmo
Transierim latæ cuius vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in vndas
Occultus placido cùm proditur æquore pulsus,
Tu loricato squammosus pectore frontem
Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupta morarum

Præsignas maculis capitis, cui prodiga nutat
Aluus, opimatoq; fluens abdomine venter.

Vt vt sit, Salmo Rhænanus, aut Garumnæus, & Allierius, tam recens, quàm sale cōditus, Regius est cibus, optimus, & delicatissimus, multumq; alit, nisi quod, vt dictum ex frequentiore vsu stomachum debilitet, appetitumq; prosternat.

Huc Alosam, seu Trissam referimus, quæ Salmonis instar in frusta dissecta, & inter duas patinas cum butyro, aromatibus, lauri folijs, aut petroselino cocta; vel in craticula ad prunas assata, & butyro liquato, arantiorumque succo condita, suauissimum præbet edulium, moderatus tamen, nec ita frequens illius vsus esto.

TRVTTA, FORELLA:
Italicè Trutta: *Gallicè* Truitte; *German.* Forellen.

Salmonem Trutta seu Forella sequitur, quam quidā etiam Salarem, & Auratam vocant; *Athenæus* omnium piscium fluuiatiliū appetitui & palato suauissimum esse voluit: præsertim, quæ in saxosis & montanis fluuijs, & riuulis degit nigricans, aureis, rubeis, & argenteis punctulis variegata, quales passim in valle Delemontana, alijsq; saxosis fluuijs, ac riuis reperiuntur: Quæ autem in stagnis, maioribusq; lacubus degunt, & quantitatis ratione quandoque Salmones repræsentant, vulgo Grundtforellen vocantur, cæteris & duriorem, & concoctu difficiliorem carnem obtinent, licet optimi sint succi, multumq; nutriant, & carnis rubore excellere videatur. Elixantur autem Trutta, vel vino olygophoro, vel aceto aquę mixto, addito petroselino, & piperis granis aliquot: Assatur item ad prunas, & subinde aceto, liquatoque butyro respergitur: Hic piscis, etsi quouis anni tempore culinis placeat, potissimum tamen Aprili & Maio floret; partesq; intra caput & caudam mediæ, meliores habentur, licet à quibusdam cauda etiam preferatur, pręsertim in maioribus & pinguioribus quales sunt, quæ in Lacu constantiensi, aut Bielensi capiuntur.

VMBRA, THYMALVS;
Ital. Ombra; *Gall:* Vmbre; *German:* Ein Asch

Vmbra piscis, seu Phagius, aut Thymalus, quem & Vmbellam quidam vocant, optimorum & delicatorum ac salubrium pisciū albo meritò adscribitur, paruis squammulis abundans, & insalubribus aquis fluuiatilibus degēs, mense potissimū Septembri pinguescat, & saporis suauitate mirè palatum afficit, boni est succi, & facilis digestionis. Elixatur, assatur, frixatur, sale conditur, & futuro in longos vsus duratur: delicatam admodum habet carnem, ægris non insalubrem. Delicatuli hunc piscem, per excellentiam, κατ' ἐξοχὴν Comitem Rheni vocant: Ex Axungia seu pinguedine linimentum

mentum ad quæuis ambusta paratur; paratur & oleum, ad varios oculorum affectus, suffusiones, maculas, pelliculas, rubedines, item aurium dolores, tinnitus, sibilos, ac sordes, vermesque tollendos &c. Vmbræ tamen pisci, bonitatis palmam præripere videtur, Geneuensis lacus incola, quem Ferrat vocant; hic craticulæ impositus, torretur vt Macharellus, deinde cum intinctu ex butyro recenti liquato, omphacio, & patroselino, conciso mensis apponitur per medium sectus carnem refert niue candidiorem & instar duriusculæ panis medullę friabilem: vnam tantùm spinā habet, instar Soleæ, reliquos oēs pisces tum marinos, tum fluuiatiles & sapiditate longè post se relinquens. Coctus etiam ex aqua, cum condimento è butyro recenti liquato, omphacio, salubribusque herbis, mensis apponitur.

ALOSA, THRYSSA;
Italicè Ghepia; *Gallicè* Alose; *Ger:* Ein Alse.

Alosa seu Thryssa, piscis, subtilissimis squammulis tectus, nobilissimi succi cibus, & à delicatulis in Maio potissimum expetitur verùm adeo frequentibus & molestis spinis prætenerę carnes impediuntur, vt illarum tum tædio, tum periculo, innatæ suauitatis gratiam amittat. *Auson:*
Stridentesq; focis obsonia plebis Alosas.
Moderatus tamen sit huius piscis vsus, nē aut quantitatē, aut frequentiore vsu noxam pariat, ventriculumq; aggrauet.

LVCIVS:
Italicè Luzzo: *Gallicè* Prochett *German.* Hecht.

Non desunt qui Luciū piscem, à Lupo distinguāt, quod hic ore hiante, acutisq; dentibus haud secus in pisces, atq; lupus terrestris in oues sæuiat, grassēturq;, ideoque ab impetu, & voracitate Græcis λάβραξ dictus: Hamo siquidem captus, vulnera contempto dolore fortissime laxat, & excusso hamo protinus refugit: Retibus verò inclusus, imis in vadis, crebro caudæ motu, reiectis arenis, sulcum facit, & subterlabitur; vel etiam caudæ motu, & impete retia superat, fugamq; capescit. Lucium verò ignobilem & vliginosis duntaxat locis degentem, & Lucium quasi Lucem fugientem sic describit *Ausonius*:

Lucius obscuras vlua, cænoq; lacunas
Obsidet, hic nullos mensarum lectus ad vsus,
Feruet fumosis olido nidore popinis.

Hinc factum vt quidam Luciū Macrellam esse dixerint, cùm lucem fugiens in aquarum duntaxat fundis degat, quam piscatores noctu accensis facibus leui negotio capiunt. Lupus ergo piscis quem Ichthiophagi caponē aquaticum vocant, & cuius carnes *Galen.* plurimum laudat, tùm quod subtiliorem sanguinem gignant, tùm quod perdicis carnibus æquiparentur, & hoc nomine puerperis etiam tuto exhibeantur

antur: magnam habet tam bonitatis, quàm ſalubritatis ratione differentiam: Qui enim in Italia, vel Gallia capiuntur, noſtris longè ſunt deteriores: Et qui in Rheno, Lacubusq; maioribus nutriuntur, ijs & ſapidiores, & meliores ſunt, qui in piſcinis aut viuarijs nutriũtur: optimi & ſaluberrimi cẽſentur, mediæ magnitudinis quique vel in Iulio vel Octobri capiuntur, quibus apud nos fluuius Dubius abundat; maiores verò duram lignoſam, & cõcoctu difficilem carnem obtinent. Ante paucos annos in Dubio fluuio captum vidimus, plus minus 30. librarum, ſed valde lignoſam & duram, inſipidamq; carnem habebat. Interrogat⁹ olim Diocles philoſophus vter piſcis melior eſſet Cõgrus ne, Meerahl: an verò Lupus? alter, inquit, elixus; aſſus alter. Quidam maioris Lupi terga, magis appetunt: Hinc

Nec ſpernam ſapidi ſquammea terga Lupi.

Alij verò eiuſdem & caudam, & iecuſculum cæteris partibus præferunt, & in delitijs habent:

De Barbo barbam, de Lupo ſumito caudam.

Parui autem Lupuſculi, qui in fluentibus aquis capiuntur, maximi fiunt, & à noſtris Kolhechtlin vocantur: elixantur, & recenti etiam butyro frixantur. Quidam viuum adhuc Lupi cor vorant, ad febres. Alij 3. fella eiuſdem piſcis vorant, ad eundem effectum: eodem felle oculorum maculæ, pãni, & ſuffuſiones curantur. Maxillæ in puluerem actæ, ad pleuritidem, lateris dolores, calculum, & nephritidem exhibentur. Lupi oua deuorata vomitum & aluum cient, ideo non eduntur.

MVLLVS BARBATVS:
Italicè Barbo: *Gallicè* Barbeau:
German. Barben.

Barbo, quod inferius labrum gemina barba inſignitũ habeat, ab *Auſonio* magni fit:

Tuq; per obliqui fauces vexate Sarraui
Qua bis, terue fremunt ſcopuloſis oſtia pilis
Cùm defluxiſti famæ maioris in amnem
Liberior, laxos exerces Barbe natatus
Tu melior, peiore æuo; tibi contigit omni
Spirantum ex numero non illaudata ſenectus.

Iulio, Auguſto, & Septembri potiſſimum expetitur, qui etſi paludem oleat, ex omphacij tamen intinctu, gratũ acquirit odorem. De huius delitijs *Cicero ad Atticũ lib. 1. Noſtri Principes*, inquit, *digito ſe cœlum attingere putant, ſi Mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manũ accedant*, quos in 5. *Parodoxo* introducit, *barbatulos mullulos, de piſcinis exceptantes*. Hi enim piſces gemina barba in inferiore labro inſigniuntur: Cęteris tamen præſtant, qui fluuiatilibus vndis, maioribusq; fluminibus capiuntur. Barbi oua, Antimonij vitrificati inſtar totum corpus perturbant, aluum, vomitumq; horrende nõ ſine vitæ diſcrimine cient, ideoq; ab eorũ eſu ſedulò abſtinendũ.

LAVRETVS, ALBVLA:
Germ. Adelfiſch/Albulen/
Gangfiſch.

Lauretus piſcis, quem *Rondeletius*

tius tanti ſemper fecit, & in Allobrogũ lacubus ſolùm reperitur; vt & variæ Albularum ſpecies, quæ paſſim in lacubus, & potiſſimum Conſtantienſi capiuntur, tantâ carnis bonitate, & ſaporis præſtantia pollent, vt exenterati Romam vſq; deuehantur, & ad varias Germaniæ oras deportẽtur: Sale condiuntur, fumo indurantur. Lauretus ſex tantùm horis ſale conditus, & oleo frixus, cum intinctu ex aceto, pipere, garyophillis, cinamomo, & croci momento ſimul mixtis & coctis, laurique folijs inuolutus aſſeruatur: quocunq; tandem modo paratus, tam grati eſt ſaporis, vt palatum mirum in modũ oblectet. Sic & Albulæ ob carnis candidæ, dulcis, mollis ac ſapidæ nobilitatem, illud nomen Adelfiſch acceperunt: quæ etſi quouis anni tempore expetãtur omnium tamen maxime Ianio: elixantur, aſſantur, & frixantur; & vt dictum, fumo ſiccati ad varias Germaniæ oras exportantur.

Huc etiam ſpectat Vmbla tàm maior, quàm minor, noſtris Rötelin dicta: pretioſam, ſuauem, iocundam atq; ſalubrem carnem obtinent, quæ vti & oua, quibus hic piſcis abundat, Nouembri ac Decembri maximè expetitur.

Hoc item loco reponimus piſcem, qui cum toto corpore ſpinis ac oſſibus (excepto capite) careat, Exos, ſeu Ichthyocolla, & Huſo vocatur, ad Claſſici ſonitum, quo mirè recreantur, capiuntur; pinguiſſimam, & opimã carnem, ſuillæ non abſimilem, ſuauem, iocundam, ac boni ſucci obtinent, quę ſale conditur, poſt muria probè abluta, coquitur, præferuntur tamen oua, quibus maximè abundant.

CAPITO, CEPHLVS;
Italicè, Cauzzale; *Gall:* Munier, vilain; *Ger:* Alandt/oder Monfiſch.

Capito, etſi aliorum piſcium reſpectu, non valde expetatur, ſuam tamen laudem meretur, eò quòd ſatis bonã habeat carnem, & quouis ferè anni tempore vſurpetur: quo maior fuerit & pinguior, eo melior, præſertim in maioribus fluminibus enutritus. Et licet etiam elixetur, aſſus tamen elixo præfertur, & frigid⁹ menſis apponitur, vbi cum omphacio, aut aceto zingiberis modico permixto, palato gratior efficitur: vnde & Bradtfiſch vocatur.

Naſus quoque minoris famæ piſcibus adnumeratur. Expetitur tamen qui Rhenum incolit, quiq; menſe Nouembri, & verno tempore capitur, tunc enim pingueſcit: magis tamen aſſus, quàm elixus ſapit.

Cultibus exiguis, & menſâ paupere Naſus,
Iſtrinæ gaudet creber alumnus aquæ.

Huc etiam referuntur Alburni, argenteis ſquammis nitentes Weißfiſchlin, qui in lacubus & ſtagnis magna ſæpe copia capi-

untur: Item phorinorum species variæ, læues, Erling/ squāmatę, Bambelin, quorum carnes ferè amarescunt; & quia vt plurimùm frixantur, vulgo Bachfisch nuncupantur, & non nisi plebecularū mensis apponuntur, cùm & parum nutriant, & gulam non afficiant.

CYPRINVS, CARPIO:
Ital. Carpana, Raina: *Gall.* Carpe:
German. ein Karpff.

Cyprinus seu Carpio Amnes, flumina maiora, lacus, stagna, vt & piscinas lutosas ac cænosas frequentat, cùm luto, ac cæno delectetur: Lacustres tamē, quique maiora flumina incolunt, cæteris & meliores, & sapidiores ac salubriores habentur: Et quo maiores, grandæuiores, eo & minoribus, & iunioribus magis expetuntur. Vidimus quandoque qui 18.20. & plures libras ponderent. Carnem habent mollem, humidam, phlegmaticam, ac viscosam, ideo rarenter, & parcâ manu ijs vtendum. Elixantur, assantur, frixantur, & pastis includuntur: Frixi omnium deterrimi sunt, præsertim si pinguedine luxurient. Præfertur caput, in epulis propter linguam, & oculos, qui admodum sunt delicati: pręferuntur item lactescentes ouiparis. Fluuiatiles, ac lacustres delicatā satis carnem habent, quorum sanguine delicatuli pascuntur; mensis autem adhibentur elixi, assi, fricti, sale conditi, patenarij. In Italia in craticula torrētur, mox dolijs induntur, & affuso aceto piperato feruente, & croci modico tincto, cōdiuntur, & in vsus reponuntur; mox cum ijs vtendum frusta aliquot patinis vna cum illa gelatina imponuntur, calefiunt, & non sine iocunditate comeduntur.

Carpit opes auri, Benaci piscis alumnus
Carpio, si gula sit delitiosa nimis.

In Cyprinorum capite lapillus triangularis reperitur, qui in puluerem actus, & debitâ proportione cum tartaro vitriolato, nitro, croci, ac maceris momento mixtus, & cum debito vehiculo assumptus, mirabiliter & efficacissimè calculum expellit.

PERCA:
Italicè Persega: *Gallicè* Perche:
Germ. Bersich/ Eglin.

Perca piscis toto corpore squammosus & argenteus, subruffis zonis distinctus, atque in dorso imparibus aculeis armat⁹, pulcher est piscis, gustui est gratissimus, & languentibus ægris admodum salubris. Hunc *Plin.* inter saxatiles numerat: *Xenocrates* Rheno attribuit, vnde & Perca Rhenana laudatissima censetur, licet & in lacu Constantiensi Tigurino, Biellensi &c, optimæ sint; earum dux & viator est Melanurus, auratæ, vel Truttæ non absimilis, nam timidissimus, & cautissimus est piscis, qui etiam ab *Ausonio* celebratur:

Nec te, delitias mensarum Perca tacebo,
Amnigenos inter pisces dignande marinis

Solus

Solus puniceis facilis contendere Mullis:
Namq; & gustus iners, solidoq; in corpore par-
tes,
Segmentis coeunt, sed dissociatur aristis.

Elixatur perca, & cum recenti butyro liquato, addito omphacij modico, & nuce muscatâ, apponitur: Frixatur etiam oleo, vel butyro. Toto anni tempore, excepto Martio, & Aprili, expetitur. Eius oua delicata sunt, & boni nutrimenti & iis, qui in Venerē frigidiores sunt cōducunt. Mense Iulio circiter oua deponunt, ex quibus pisciculi minimi nascuntur, vix aciculæ magnitudinem adæquantes, quos chilychthion vocant, eo quod milleni ad singulos morsellos vorentur: sunt delicatissimi, & cū omphacij momento, & recenti butyro inter duas patinas elixantur.

Huc refertur Brama, siue Cyprinus latus ein breitte Brachsan, qui tamen à Perca & bonitate & sapiditate superatur, licet facilioris sit concoctionis, quàm Cyprinus. Maxime assatur in craticula, mox cum butyro recenti, omphacio, aromatibus, & salubribus herbis conditur.

TENCA:

Italicè Tanca: *Gallicè* Tanche: *German.* Schleyen.

Tenca, nonnullis Merula palustris, piscis est in luto, ac cæno viuens, à quo nisi diligenter emundetur, & lutum olet, & noxam parit. Hunc *Ausonius* vulgi solatium vocat, quod pauperioribus duntaxat apponatur:

Quis non & virides, vulgi solatia Tincas
Norit?

Carpione plerūq; & minor est, & deterior, licet in Italia Tincas viderimus 12. libras pendentes; carnem habent mollem, viscosam, spumosam, ac glutinosā, cum insigni tamē nutriendi potestate, licet duræ ac difficilis sit coctionis: crassos ac tartarosos succos, viscerumque obstructiones generat frixatur oleo, mox acri condimento, ex acero, cæpis & aromatibus parato, apponitur. Delicatiores Tincam prius calentibus cineribus torrent, mox detracta cute, coquūt, & debitis condimentis apparatā mensis apponunt. Ad tollendos tumidi & flatulenti lienis tumores, Hercules Saxonia, noster olim amantissimus præceptor, Academię patauinæ lumen, & ornamentum, viuas Tincas Lieni applicari curabat, quoad morerētur, non sine mirabili effectu; quandoque in febrium intermittentium accessionibus per medium dissectas pedum plantis admoueri iussit, non absq; felici euentu, & singulari experimento: Sic viuæ etiam Ictericorum vmbilico applicatæ, quoad moriantur, vi quadam magnetica Ictericum colorem attrahunt vt totæ illa flauedine perfusæ appareant. Ex earundem pinguedine linimentum valde anodynū paratur ad dolores podagricos, nimiosque æstus mitigandos.

Tincarum, vt & Barborum ouis crudis Equi purgari solent.

ANGVILLA;

Ital: Anguilla; *Gallicè*, Anguille; *Germanicè* Aall.

Anguilla ab anguium similitudine nomen sortita videtur: Aquas & puras, & profundas amat, vnde circa vergilias quo tẽpore aquæ maximæ sunt, turbidæ, potissimum capiuntur: per vniuersam Anguillæ spinam filũ transit nigrum, venulæ instar, in quo lethale venenum absconditur, quod ante cocturam, detracto statim corio seu cute, fideliter extrahendum, ne magnũ inde emergat detrimentum. *Galenus* Anguillas tum fluuiatiles, tum lacustres, marinas maximè verò in piscinis ac viuarijs degẽtes, omnium pisciũ deterrimas esse scribit: nam etsi saporis suauitate gulam irritent, & magnã cum palato gratiam ineant, in corpore tamen plꝰ noxæ, quàm vtilitatis pariunt. Si enim cibi concoctu difficiles, & ob nimiã in corpore moram non leuiter naturam offendunt, quid de Anguillis dicemus, quæ & difficilimę sunt concoctionis, & viscosũ crassum, lentum, tartarosumq; sanguinem generant? exiguas Mesenterij venulas, lienem, hepar ipsum obstruunt? cruditates, flatus, borborygmos tum in vẽtriculo, tum ipsis intestinis, ob difficilioris coctionis moram, excitãt? & licet tosta seu offa, nobilius præstet alimentum elixã, ob carnis tamẽ pinguedinẽ, quæ ferè Archæi nostri ventriculi iussa, legesq; subterfugit, etiam visa, palatio non caret, quantumuis palato arrideat, præsertim si inter assandum, aromatizetur caro, & lauri folij frusta intersecentur; semper tamen stomachũ, & omnia nutricatus mẽbra aggrauant infartiunt, icteritiam; cachexiam febresq; putridas, ischiaticosq; & renum dolores excitant: semper tamen minus id præstãt, quæ sanas limpidas, fluuiatiles, aut marinas, quam quæ cænosas, lutosas, aut paludosas aquas vel incolunt, vel ex ipsa putrelagine ortum duxerunt: Sale conditæ meliores quoquo modo & salubriores euadunt insulsis; ideo in quibusdam Galliæ locis, vbi maximæ quandoq; & pinguissimæ capiuntur, viuæ sale marino suffocantur, & post exenterationẽ, & cutis detractionem varijs modis condiuntur, & delitiosis suauissimum hac ratione præbent edulium. In Vasconiæ flumine Loto, minores capiuntur anguillæ, pingues tamen & obesæ, quæ sale conditæ, longè lateque aduehuntur, quæ, sale per macerationem amoto, coctæ, & craticulis ad assandum impositæ, cum proprio liquore pingui, citra olium intinctum apponuntur, sic enim & sulubriores sunt si parca manu sumantur, & appetitum excitant. Refert *Solinus cap. 53.* in Gange fluuio

ge fluuio Anguillas tricenũ pedũ lõgitudine excrescere quod affirmat *Plin. lib. 9. cap. 3.* Quin & in lacu Benaco agri Veronẽsis, autumni tempore adeo mutuo conglomerantur, vt vnus glob⁹ mille continuisse repertus sit, *teste Plin. lib. 9. cap. 22.* Aqua Anguillarum destillata, phthysicis & hecticis vtiliter exhibetur. Sanguis anguillæ, cum vino rubello calido exhibitus, implacabiles colicæ dolores & tormina certo experimento curare dicitur. supernatans in elixatione pinguedo, Alopeciam curat, & aurium doloribus instillata medetur. Ex salitarum exuuijs, seu cute, forti lixiuio purgata & cocta, extrahitur gluten nobilissimum, atque firmissimum, cui non datur par remedium ad quasuis recentes tùm Hernias, tum crepaturas, ac rupturas consolidandas.

Me fortaße putas anguem? sum piscis obesus,
Tostaq; post tractam, gloria prima, catem.

LAMPRETA:

Ital. Lampreda: *Gall.* Lamproye: *Germ.* ein Pricke/Lampredt.

Lampreta, & Lambipetra à lambendis petris; *Ausonius* Mustellam vocat: Nam vt mustella animal serpentes, ita hic piscis pastinacam marinam persequitur; hanc sic depingit *Ausonius.*

Quæq; per Illyricũ, per stagna binominis Histri
Spumarum inditijs caperis Mustella natantũ,
In nostrum subuecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celeri defraudarentur alumno
Quis te naturæ pinxit color? atra superne
Puncta notant tergum, qua lutea circuit Iris,
Lutea cæruleus producit tergara fucus
Corporis ad mediũ fartim pinguescit: at illinc
Vsq; sub extremam squalet cutis arida caudam.

Lampretas Romani magni faciebant, & preciosis alimentis annumerabant, præsertim verò maiores, quales Romæ in Tiberi flumine capiuntur: & licet crassum, viscosumq; sanguinem generent, suauissimę tamen sunt, & maximam cum palato ineunt gratiam, præsertim Februario, Martio, & Aprilis initio, postea verò indurescit neruus interior, quo spinæ loco vtuntur Ichthyophagi delicatiores Coturnicẽ aquaticam vocant, vinoq; cretico suffocant, nuce Myristica os occludunt, & septena illa foramina totidem garyophillis implent, & in spiras conuolutã, additis tritis auellanis, panis medullâ, oleo, vel butyro, atq; vino cretico, & aromatibus, ad temperatiores prunas certis momẽtis sedulo excoquũt, excoctasq; applaudente palato mensis apponunt.

Hoc condimento Leo decimus, summus Pontifex, olim ioci causa Marianum ac facetum hominem, memorabili impostura decepit: Nam funem, Lãpretæ instar incoctum, multoq; illo iurulento immersum, grandi patina apponi curauit, vt notam illius edacitatẽ eluderet, qui magna iam pultarij parte absumptâ pseudo Lamspretã aggressus, diu, multumque cum ea maxillis ac dentibus inhærente, luctatus,

cunctis cachinnũ tollentib⁹, facetissimè respondit: Vtinam sępius mihi hoc modo illudatis, nam in hoc condimento, non modo funes, sed & ipsas catenas, quib⁹ insani nobiles, nobis similes vinciuntur, cũ voluptate absumerẽ.

Huc pertinet etiam Mustella fluuiatilis ein Truüschen, lampretæ haud absimilis piscis, rarus, delicatissimus, & non nisi magnatum mensis familiaris, pręsertim Februario & Martio mensibus, quo tempore & pinguescit, & ouis turget. Optimam & delicatissimam obtinent carnem; assantur & cum dulci condimento ex saccaro, cinamomo, vinoq; aromatico, & ipsius piscis succo, inter assandum collecto apponitur; dici vix potest, quantæ & bonitatis, & grati sit saporis, concoctu tamen admodum difficilis, & viscosos, lentosq; generat succos. Lactes, & hepar plurimùm commendantur, quibus tamen Heliogabalum aliquandiu tum aulicos, tum rusticos pauisse testatur *Aelius Lampridius*.

Mustella fluuiatilis.

Nec in postremis habẽtur murenula minor. Neünaugen & Gobites seu Fundulus Grundel/ delicatissimi & suauissimi pisculi præsertim Februario, Martio, & Maio mensibus, in quibus itidẽ & pinguescunt, & ouis turgent: suauissimi sunt saporis, & optimi succi. Frixantur cum butyro; at satius coquuntur inter duas patinas recenti butyro, omphacio, & petroselini incisis folijs. &c

Murenula.

Fundulus

Fundule Vere places, fundo, qui, nare solebas,
Si teres; & pinguis, ventreq; plenus eris.

Gobius fluuiatilis, quem Itali Gobio, & paganello; Galli, Goujon; Germani ein Gropp vocant, fundulis seu Gobitibus barbatis paulò grandior, optimam, salubrem, & pingui teneritudine delicatam, atque sapidam carnem obtinet. Veneti marinos extollunt, hinc illud Martialis:

In venetis sint lauta licet conuiuia terris,
Principium cænæ Gobius esse solet.

Apud nos præferuntur, qui in Rhæno capiũtur, pręsertim verno tempore, cùm & pinguescũt, & ouorum multitudine turgent. In culinis tractãtur ferè vt Fũdili.

Caput X LIII.

De ijs, quæ vniuersim ex piscibus proueniunt, & in alimenti vsum vocantur, vt Garo, Botarge, Cauiaro, Muria.

IN locis maritimis è piscium ouis Garum paratur, ad obsoniorum lautitias valde expetitum. In primis autem laudatum & nobilitatũ fuit id Gari genus, quod ex piscium Scombrorũ intestinis cruentâ ilia sanie deliquata, hoc modo parabatur: Scõbrorũ intestina cũ Embrochijs, ouis, eiusq; cruore & sale conspersa, in vase fictili, menses vt plurimum duos tabescere sinebãt, deinde fundo vasis pertuso, id agebant, vt liquor iste in aliud vas illi substratum, destillaret, qui apud veteres tanti erat precij, vt nullus liquor eo, præter vnguenta, pluris

Garum.

ris constiterit, singulis aureorũ millibus binos pene Gari Congios permutantibus, vt testatur *Plin. lib. 9. cap. 19. vocabatur autem teste. Martial.* Liquor Garum sociorum superbo satis titulo.

Expirantis adhuc Scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum munera grata Garum.

Et *Plin. lib 9 cap. 19. Marcus Apicius* ad omne luxus ingenium mirus, Mullos, in sociorum Garo necari præcellens putauit. *Ioan. Langius ex Columella* sequẽti modo præstantem hunc Gari liquorem fieri sic docet: *viscera Gari piscis aut Scombri, vel Scari, ac vna teneriores pisciculi* σμάρια *dicti, triglia mænidia, lycostomi, in vas cõiecta, sale affatim conspergebantur; ac in vere in apricum solis, cooperta, & crebrò rude agitata exponebantur, deinde in æstate, cum Solis calore, sal, pisciumq́, & cruor & pinguedo eliquesceret, in mediũ ob saridiorum vas, canistrum, aut Cophinus, vt promineret, oblongus, lentisq́, de salice viminibus rectissimè plexus statuebatur, in quem salsus piscium liquor sensim destillabat, quem sic colatum Græci quoq́, Lycolmen appellabant.* Fiebat & e simplici ac solo pisciũ cruore longè celebrius Garum, quod Hæmaticum vocabant, de quo primo loco locuti sumus; gratissimum associorum crapulæ lenocinium, quo prodigi helluones, cibariorum & potus luxuriâ & ingluuie, paterna bona decoquere consueuerant.

Alex. Alex, *teste Plinio*, Gari est vitium; seu imperfecta, nec colata Gari fæx: conficitur autem Alex hodie ex pisce obeso, quem superius Harengum vocauimus, qui ex Cimbricis, ac Duciæ, Nartuegiæ ac Borussiæ littoribus sale conditus & vasis inclusus ad nos delatus, in vasis illis salsum hoc liquamen post se relinquit.

Muria Muriam quod attinet, vt varius ad salgamorum & salsamentorum vim vsus erat, ita variè cõponebatur: vel enim ex aqua cælesti, aut fontana, sale, & melle vnà maceratis constabat, ad vina vĩdemiarũ tempore defæcanda: vel ex pisce Thynno sale macerato eliquabatur, & quantiuis prætij censebatur. Conficiebatur & quædã Muriæ species, qua veteres ad olerum, radicum, pomorum, salgamorùmq; omniũ condituras vtebantur, quam *Columella* hoc fere modo conficere docet: Patẽ tissimi orificij dolium feruenti soli expositum, aqua cælesti, aut fontana replet, & sportam iunceam candidissimo sale repletam indit: mox sale per aliquot dies liquescente, & muria nondum maturescente, tum subinde alium salem ingerit, donec integer in sporta permaneat nec amplius diminuatur, quod muriæ maturitatem indicat, quæ vt melior euadat, hanc in vasa picata diffundit, & operta, Soli exponit, hoc enim modo solares radij omnem mucorem, auferũt & gratiorem odorem præbent.

Fit

Botarghe. Fit item Botarge ex ouis piscis Mugilis expolitis, in duabus vesicis eiusdem piscis, cruore & sale conditis: Tanti hæc Venetijs æstimantur, vt pars ipsorum duobus aut tribus aureis veneat.

Cauiaro Post hæc salsamanta principatum tenet Cauiaro dictũ, quod ex Sturionis piscis ouis, ad littus ponti Euxini præparatur, quæ simul stipata, & bene condensata, sale condiuntur, & in cados reponuntur. Hoc Cauiaro Italorũ vulgus cõmodissime vtitur; prostratum enim appetitum irritat, ideoq; prima mensa apponi cõsueuit, licet nondum assuetis aliquomodo nauseam parere videatur.

CAPVT XLIV.

De Testudinibus, Cancris, Gammaris, seu Astacis in alimenti vsum venientibus.

Nec iam prædictis contenta humana voracitas, sed ad testudinum, Cancrorumq; tum marinorum, tum fluuiatilium, seu Astacorum insuetum, & insolitũ esum, audaciæ plenissimum accesserunt epulonum gurgites; vt sæpe mirari subeat, num is, qui primus, horum omnium Testudinum scilicet Cancrorũ, Concharũ, Conchyliorum, aut Locustarum vsum ad cibũ & alimenta retulit, voracitatis ne & gulæ gratia; an verò temerario potius ausu, & effræni licentia id fecerit?

Illi robur, & æs triplex
Circa p[illegible] multipodas vagæ
Qui primus retulit gulæ
Cancros: nec timuit frangere dentibus
Cassos sanguine Gammaros.

TESTVDO;

Italicè, Galana; *Gallicè*, Tortue; *Germanicè*, Schiltkrott.

Testudinum, & præsertim fluuiatilium ac marinarũ carnes ab Italis & Hispanis nõ rarenter expetuntur, cùm dulcis, pinguis, obesa, & nullius praui saporis sit particeps, bene nutrit, egrè tamẽ cõcoquitur, & lentos ac tenaces generat succos; quæ si parca manu assumatur, colicos dolores; at pleniore manu sumpta, ventrem deijcere, & aluum ciere fertur. Lutariæ autem Testudinis carnes eiusdem ferè sunt naturæ, nisi quod ante frictunam probe elixentur, vt tenerior euadat caro, quæ ferè, vt & oua butyro frixantur. De nemorali Testitudine idem ferè iudicium esto; nisi quod harum carnes cæteris paulò sint & sapidiores & sicciores, è quibus varia parantur edulia & morselli ad phthysin, & hecticas febres.

Indica quæ duro cornu Testudo rigescit
Si coquitur, posito tegmine mollis erit.
Mansa phthysin putrẽ soluit, tumidũq; Lienẽ
Fitq; venenatis vermibus antidotum.
Sensibus exhibita est pulmentũ nobile, morbũ
Tollit & Herculeum, qui dolet, oua bibat.
Calda parum humescit, fluuios, montesq; peragrat,
An caro, vel piscis sit, petis? est media.

CANCER, ASTACVS, & GAMMARVS;

Ital: Granchio, Granzo; *Gall:* Cãcres, & Escreuisses; *Germ:* Krebs.

Cancro:

CANCRORVM alij ſunt marini, longi, interdum ſeſquipedales, nonnulli etiam rotundi: alij fluuiatiles ſunt, ex quorum genere etiam ſunt Paguri, dorſo aliquantum leuiore cæteris, & ita magnis forpicibus, vt quicquid apprehenderint, fortiſſimè constringant: hi dum coquũtur, partim rubeſcunt, partim nigreſcũt, hos Veneti Porros vocant. In fluuio quoque Euſtadienſi reperiuntur Cancri, quorũ vnus integram libram plus minus pendere dicitur. Cancros autem ad *Homeri* imitationem hoc carmine eleganter deſcribit *Christoph. Aulæus.*

Aduentum nullo, procul acceſſere, notante,
Duritie ferrum terga ipſa imitantia habentes
Vnguibus innixi, ducentes agmina greſſu.
Obliquo, inflexi, muniti cortice, quorum
Ora oſtrum referunt: ſed natura oſſibus ipſis
Sunt ſimiles, latiq; humeros, ſplendore nitentes,
Blæſi, neruoſi digitos: in pectoris imo
Lumina condentes, pedibus bis quattuor hærent
Vtraque nempe biceps manus eſt: hos prendere captos
Eſt labor: atq; ipſo dicuntur nomine Cancri.

Sunt autem Cancri marini, vt ſcribit *Quercet.* Locuſtis marinis teneriores & meliores: his abundat mare orientale prope Monſpeſſulum. Reputantur à multis pro Aſtacis, quos Galli Eſcreuiſes vocant, quorum vſus magnopere à *Galeno 11. Simpl.* laudatur contra rabidi canis morſum; quos ſcilicet in cinerem actos, ſeu calcinatos, ad AEſchrionis Empyrici imitationem rabioſis per multos dies exhibuit. Aſtaci ſeu fluuiatiles cancri, vt & teſtudines tam aquaticæ, quam nemorales, inſignem habent nutriendi vim, modo ritè præparentur, & ſtomacho nõ nimis eneruì ac frigido exhibeãtur. Hinc Aſthmaticis, phthyſicis, hecticis, & macie conſumptis vtiliſſimum præbent alimentum, quod ſcilicet tenui ac viſcida ſua humiditate, liquidam partium ſubſtantiam euaporantem retineant, ac remorentur, ſuâ verò frigiditate & humiditate igneis febrium caloribus, corpus ſenſim depaſcentibus, frænum inijciant. Elixantur autem & frixantur, at illi his & ſalubriores ſunt & ſuauiores; hi enim ſi in cæna potiſſimum, ventre iam cibis infarcto ſumantur, nõ ſolum ægrè cõcoquuntur, ſed & nidoroſos ructus excitant, & infando fætore oris anhelitum inficiunt.

Sunt & paruuli Aſtaci, quos Galli cheurettes; Itali centobocca vocãt, quaſi centum vna buccella vorentur, paruis pediculis, & tenuiſſima cruſta præditi. Hi cocti cum aqua marina citra aliã præparationem, frigidi menſis apponuntur cum aceto & piperis momento: Frixi item delitioſi, & palato gratiſſimi ſunt, appetitum ſtimulant, & ferè Regum atque Magnatum menſis apponuntur.

Octipes exoritur, gemino ſed onuſtus aſello
Cancer, Hydrã mulcens, ſuppoſitamq; fouet.
Hic mihi pinguescens Autumno, Vere vel imo,
Luna magis pleno ſi rubet ore, ſapit.
Gammare fulminea poteris ſi vincere cauda,
Gratior æquoreis ſit mihi cancer aquis.
Tabida pulmonis putridi ſi membra peragrat;

Cum stomacho extergit, sed premit ille meũ.
Siccior huic venter durabitur, at dab:t amplas
Quum rubet accensis renibus ille vias.

Eſt etiam cancris aliquid veneni in filo per caudæ medium tranſeunte latens, quod ante coctionem extrahendum. Cancrũ *teste Simeon. Sethi* ſalſum quendã ſuccum habent, vnde ſi crudi edantur, ventrem laxant; cocti vẽtrem ſiſtunt, eo quod coctione ſalſum illum humorem deponãt. Fluuiatilium carnes exulcerationibus pulmonum medentur, licet veſicæ noceant. Cancri fluuiatiles oleo incocti, illud efficaciſſimum reddit ad tollendos auriũ dolores, ſi inſtilletur. Cancri exiccati, triti & abſceſſibus impoſiti, emolliunt. Stillatitius cancrorũ fluuiatilium viuorum & tuſorũ liquor exhibitus, tabidis, hecticis ac phtyſicis mirè prodeſt. Ad rabidi canis morſũ ſingulari experimento exhibetur cancrorum vſtorum, & in puluerem, actorum cinis: puluis item oculorum cancri exhibetur ad calculum tum minuendum, tum expellendum. Quod ſi quis ʒj. vel ℈ij. oculorũ nigrorum cancri, non lapidis qui in corpore reperitur, in puluerem agat, & in vini tepentis vel cereuiſiæ hauſtu ſumat, mirabilis effectus purgans remedium habebit. Ad anginas, & œſophagi vlcera, hoc mirabili ſecreto vtimur:

Recipe flor. Maluæ hortenſ. Rhæados. a. q. ſ. vel horum defectu ſumãtur folia roſæ, hoc modo: Recip. flor. roſ. rubear. Herbæ prunel. Veronic. ſalu. a. M. j. Polip. quercin. ʒj. ſalis nitri præp. ʒij. Alumin. crud. ʒj. Mellis roſat. ℥ij. ſucci Aſtacor. fluuiat. ℥iij. Aceti Roſati ℥vj. Aq. folior. Quercus, vel ſcabioſæ, aut papaueris Rhæados menſur. 2. Coquantur ad ignem aliquantiſper mox coletur, & calida colatura ſingulis horis ſemel os probè colluatur, poſt collutionem, linguæ optimi & non rancidi laridi lamina tranſuerſim interſecta ſæpius oblinatur.

Hac enim ratione omnis linguæ & oris ardore & ſcabrities abſcedet. Quod ſi æger ob debilitatem hoc liquore os gargarizare, & abluere potis non ſit, extrinſecus debitis inſtrumentis inijciatur, & mira præſtabit.

Vel ſaltem recipe Aſtacorum viuor. N. 10. Folior. ſemperuiui domeſtici. M. 4. terantur omnia & ſuccus exprimatur, ſucco expreſſo addatur Sal nitrum quantum ſufficit.

Et hac mixtura calefacta ſæpius os obluatur: & mira præſtabis, etiam in febribus malignis, & ipſa peſte. Omne item prodium in quo Aſtaci cocti fuerint, ſi ſumatur, aluum mirè laxat. Ex ijſdem cancris ad quæuis ambuſta ſingulare linimentum hoc modo paratur:

Recipe Aſtacos fluuiatiles viuos q. ſ. optimè in pultem terantur, vitro inditis affunde Acet. Roſat. q. ſ. ſtent aliquot diebus ad ſolem, tandem exprimantur, & vſui reſeruentur; qui liquor tum bibendus, tum ambuſtis locis interioribus, clyſteris inſtar infundendus.

Quod ſi quis ex caſu, aut contuſione concretum in corpore ſanguinem

guinem habuerit, hoc mirabili & efficacissimo vtatur puluere.

Recipe Oculorum cancri, Mumiæ a ℥iij. Rubiæ Tinctor. ℥ij. Rabarbari, spermatis ceti, sang. ceruini exiccati. a. ℥j. Gummi Ammoniaci, Nasturtij aquatici a. ℥jß. Boli armeni, Terræ sigillat. Succini albi a. ℥ij. pulueriſentur, & omnia probe misceantur; dos. ℥j. cum haustu vel vini, vel aqu. cerefolij.

CAPVT XLV.

De prauo Ranarum & Cochlearum vsu.

AD Ranarum quoq; & Cochlearũ esum venit hominis audacia, quasi vero tam inops fuerit natura, vt non opulentissimos ad viuendũ thesauros, quouis in loco, vbi vita peragenda foret, dispoſuisset. Ars enim inuenta est *teste Lebanio 1. Batracthior. cap. 15.* non quo pacto gallinas, aues, oues, iuuencos, brassicã betam, frumenta, & cyprinos rectè mensis imponeremus, sed prodigiosa audacia, portentosoq; ingenio, vndarũ limo vesceremur Ranis; & Telluris sordibus Cochleis; syluarumq; scabie, fungis; & stagnorum putredine ostreis, vt æternam, æternæ sapientiæ arcem, & domicilium eo præcipitaremus in interitum magis, quã ista sunt in perniciem procliuiora. Hos artifices mitti oportuit ad Indorum Gymnosophistas, vt discerent stercoraceis cibis vtentes homines, ad speratã vitæ diuturnitatem peruenire haud posse Et tamen dum hæc facimus, summi potius, quam imi, ferream nobis ætatem, & multos vitæ annos audaciter promittimus.

Monstrosæ ipsæ dapes procul dubio inducent animos ad similia remedia quærenda, ne desit suæ patellæ operculum, suæque suis labris lactucæ. Consentaneũ est primam edendi ranas, & cochleas ansam, vel è medico vsu arreptam esse, vel è penuriæ officina: Nam etsi Ranarum coxas, cum caponis iusculo elixas Asthmaticis, phthysicis, tabidis, ac inueteratis tussibus præscripserint medici: id tamen, non vt illis simpliciter sit alimẽtum, sed vel medicamentum, vel saltem alimentum medicamentosum. Quod si aliqua penuria factum sit, cuius improbitate nihil factum sit, nihilq; intentatũ relinquatur, tunc potius commendatione, quàm increpatione dignum foret. Verum hoc Raninæ escæ inuentum potius surdescenti libidinibus palato, semper aliquid noui, tanquam per certamen exigenti tribuendum est, quò sopita vis, delitiarum multitudine reuocari queat.

Relinquantur ergo istæ delitiæ, vel extremæ necessitati, vel delitiosis Italis, Gallis, & Hispanis quibus & Limaces (quos gregatim destinatis ad id hortis & nutriunt, & impinguant) delicatissimus, & gratissimus est cibus, quiue in delitijs, & mensarum suarum lautitijs, ranarum clunes, seu co-

xas, modo frixas, cum origani &
menthæ modico aſſumunt; mo-
do elixas & cum Omphacio aut
agreſta conditas menſis appo-
nunt, nulla neceſſitate, ſed gulæ
libidine impulſi . Iiſdem quin et-
iam relinquantur & Teſtudinum
& Limacum ſeu cochlearum v-
ſus, quarum vel ſola præparandi
ratio, faſtidium parit, & nauſeam
mouet. Volunt nonnulli Cochle
as ideo magna nutriendi vi pol-
lere, quod hyemis tempore, pro-
pria ſe ſubſtantia alant, & nutriãt,
ideo à Galeno Hecticis, Tabidis,
& macilentis ad vires reparandas
exhibitas fuiſſe: cum tamen con-
ſtet cochleas, ob natiui caloris
paupertatem, de viſcidiſſima illa
maſſa, hyemis tempore, parum,
aut nihil amittere, ita vt citra ali-
cuius nutrimenti acceſſum com-
mode uiuant; licet quidam illas
furfuribus inditas pingueſcere ri-
dicule ſatis ſibi perſuadeant: He-
cticis item exhiberi, non tam ali-
menti, quàm refrigerandi, & hu-
mectandi cauſâ; quo minus, ſcili-
cet, febrilis. Calor euaporan-
tem ſubſtantificam humiditatem
depopuletur: vt iam ſilentio in-
uoluamus, viſcidum, lentum, te-
nacem, ac glutinoſum Limacum
mucorem, artis ſpagyricæ bene-
ficio, eo perduci vt leuiſſimo ne-
gotio, in duriſſimum lapidem cõ-
geletur quo vel ſolo argumento
oẽs ab eorum vſu deterreri maxi-
mè deberent qui, & ventriculi de-
bilitate, & nephriticis, calculoſis
podagriciſq́; doloribus, & viſcerũ
obſtructionibus obnoxij ſunt.
Limaces ſi aqua coquantur pin-
guedinem præbent aquæ ſuper-
natantem, cuius vſu oculorũ ru-
bores tolluntur. Hepatis & lienis
inflammationi, tuſæ cochleæ cũ
aceto, cataplamatis inſtar impo-
nuntur, cochleæ tuſę cortæ, & vẽ-
tri applicatæ mirabiliter colicos
dolores ſedant: Ad fiſtulas mira-
bile remedium: ollam cochleis
repletam cum aqua coque & ſpu-
mam collectam fiſtulis indito. A-
qua ſtillatitia cochlearum mirè
hepaticis, & phthyſicis confert.
Puluis coticis præſertim opercu-
lorum ad ʒj. colicam, & pleuriti-
dem ſanat, & vulnera mirè conſo-
lidat. Rubearum cochlearum pi-
guedo, omnes inflammationes,
rubores, & dolores ſanat. Eorum
puluis vulnerib⁹ inſperſus, ſyno-
uiam mirabiliter ſiſtit.

E Ranis quoq; ad quęuis gra-
uiſſima mala præſtantiſſima me-
dicamenta parari poſſunt: ſi tuſſi
labores præſto eſt è ranis potio:
febre quartana, aut cauſonide tẽ-
taris? hinc eſt leuamen, & exacer-
bationum mitigatio chordæ ten-
dinesq́; ad motum ineptæ ſunt?
à Ranis remiſſionem nanciſcen-
tur. Dolorum quot illis genera
demulcentur? Narcoticum quæ-
ris? Anodynum petis? hìc habes,
vin'dentes vulſos & oſſa fracta, &
ſpicula? ecce tibi præſidium, & fi-
dele inſtrumentum. Pilos extir-
pat, extirpatos creſcere vetat, èra-
nis

nis petita medicina. Tetanum & alia ceruicem rigidam facientia mala fotu ranino tolli poſſunt. Lumbricos ventre exigit, & venenatorum animalium, etiam ranini generis morſus ſanat rana. Ad arthritidem & podagrã quantum afferunt auxiliorum ranarũ genera: In ſanguine è vena aperta fluente compeſcendo, etiam ſummorum adiumentorum vim aſſequuntur. Grande malum tabes eſt, formidabile lepra nec minus periculoſũ ſcabies malignæ, cancer & hydrops: maxime deleteriũ peſtis: & quidem tanta horum pernicies, & malitia eſt, vt plerumq; in caſſum operetur Medicus, & cum pudore abſcedat. Vnde pridem illa noſtris obiecta probra, & ſcandala. Sed Ranarũ natio, perito ſui vſu nõnihil poſſe etiam in iſtis medicinam, diuinâ aſpirante gratia demonſtrat. Quæ ſpiritu præcluſo vitæ inſidiatur, ventre eſuriente, cibumq́ue omnibus & votis expetente Angina præſente hac medela, tanquam prętorio edocto, è veſtigio diſparere iubetur. Quod ſi quem nimia vini cupiditas ex homine in beſtiã transformat, rana quoq; huic ſalubre prębet pharmacũ. *Fruſtra conditæ ſunt leges* inquit *Plinius, ſi tantum poteſt Rana: imò fruſtra: neq; enim legum authoritas eſt vlla, nec obligatio apud impotentes valeat homo neceſſe eſt ſi legibus obtemperare debet.* Morbis aſtrictus, temerè legum vinculis conſtringetur: & ipſi etiam Imperatores ranis ſæpe numero ſalutem, legumq́ue figendarum poteſtatem debent. Venena item ex ranis peti non ignoramus. Sed ſi hoc nomine vituperãdæ nihil magni paſtillis viperinis tribuere potes, vti nec pharmacorum tanto numero. In periti & prudentis Medici manu, venenum non eſt venenum, ſed medicamentum ſalutiferum. Magis quoq; ranas infames fecerunt; quid tum? Neq; enim hi ſanctius tractant ipſa ſũmi Dei oracula vti nec vitæ baculum, panem ſcilicet & vinum, etiam iam facta myſticæ cœnæ ſymbola. Rana vna ſæpenumero, aurea, arcana, & decantata chymicorum ſecreta confundit. Nec abſurdè credendum, cæteras beſtias ranis paſtas, hoc auctiores acquirere vires medicamẽtoſas, quo medicamentoſiores cõſumpſerint, digeſſerintq́; , vt ſunt Ciconiæ, Anates, Grues, Lucij &c. In cibis ſunt ranæ nonnullæ mitiores, ſed ventres Anatum & Luciorum præparant nobis etiam alieniores.

Hæc & alia ſexcenta è Ranis bona, ad hominis vitam, & ſalutẽ haberi poſſent, quæ ſi candidus Lector ſingulatim noſce cupiat, doctiſſimi *Andr. Libauij Batrachiorum libros*, ab eo vario doctrinæ genere inſtructos adeat, in quibus multa, & lectu digniſſima cognoſcet.

Et hæc ſunt, quæ ad DEI ter

Optimi Maximi gloriam, ad Deiparæ, semperq; Virginis honorẽ, ad proximi vtilitatem, & totius Reipublicæ commodum, primo hoc libro proferre, & ea, quæ sũmus Conditor DEVS, ab inexhaustis infinitæ bonitatis thesauris, in apertam & mundanã hanc scœnam, ad commune omnium nostrum vsum, & vitæ commodũ liberalissimè profudit communicare, & è probatissimorum auctorum monumentis eruta, publicare, & omnibus palam facere voluimus.

Finis Libri primi.

COROLLARIVM
ad Lectorem.

ELegantem satis, & lautam, vt arbitramur, alimẽtorum cornucopiam, ab effusissimo tam vegetabilium, quàm animalium, atq; natatilium penuario depromptam hucusque adduximus, cui & sexcenta alia, multis nec visa, nec audita, gulæ proritandæ gratia, addere, nobis nec laboriosum, nec difficilè fuisset, nisi tibi candido lectori; legendo tædium parere pertimuissemus: imo potius veremur plura nos in mediũ attulisse, quàm instituti nostri ratio patiatur, vel hominis 120. annos viuere cupientis industria requirat, cum non alimentorum diuersorum multitudine, sed parsimoniâ, frugalitate, & simplici victus ratione, tantum clynodium assequamur. Quamdiu enim bene culta ciuitas sanis patrum suorũ consilijs, & institutis morem gerit, tamdiu floret, vigetque: at vbi peregrinorum & incultorum hominum mores, admiserit, qui nihil præter seditiones, tumultus, ruinas, & excidia spirant, tantum abest, vt florescat, vt lõge citius, quàm par sit, pessum eat: Primo huius Libri capite

capite corpus nostrum Reipublicæ, aut bene cultæ Ciuitati comparauimus, in quo Ratio sceptrum & clauum tenet; Natura, optimæ matris familias, vnicuique quod par est, distribuentis vices agit; Natiuus calor, ceu præstantissimus coquus, pro cuiuscunq; assumpti alimenti natura, & qualitate, culinam suam instruit, & cuiuis parti destinatum, riteque subactum alimentum sub ministrat; quæ omnia dum ritè & recto ordine peraguntur, frõdet, floret, vigetq; humana hæc ciuitas: at vbi insanam, insolentemque Italorum Hispanorum, Gallorum, Vngarorum, Polonorum, Schytarumue victitandi consuetudinem intromiscent, quorum maior pars olera, radices, bulbos, fructusque varios & crudos affatim ingerit; alij carnes vel crudas, vel sub ephippio semicoctas, si Dijs placet, (semiputridas verius dixeris) pisces item crudos, vel sale, sole, fumo induratos, vel muria cõditos vorant, quis non in eiusmodi humana Lythurgia, seditiones, tumultus, bella intestina, morbos varios, ipsam denique mortem non expectabit? Dum hæc scriberemus, intelleximus milites quosdam coram inuictissimo nostro Imperatore Ferdinando, & risus, & lucri gratia, viuos capones, gallos, perdices, nec exenteratas, nec deplumatas deuorasse: Vidimus & nos aliquando delicatulis incautioribus proprias chyrotecas, minutissime concisas, & opipare concinatas oblatas fuisse, quas miseri gulones postmodum cùm voluptate, & adstantium risu deuorarunt. Sed apage ista. Tu candide Lector, si viuere, & centum viginti annos videre cupis, Naturam imitare, hæc etsi simplex

plex videatur, sæpe tamen non docta, id quod non didicit; rectum facit. Antiquos nostros patres sequere, hi simplici victu, vt oleribus radicibus, bulbis, arborumque fructibus contenti, Mathusaleos annos viderunt. Et si quandoque ad carnes etiam aut pisces manus extenderint, parca tamen id manu, & non promiscua, sed symmetrica gula fiebat ita vt in ijs cõcoquendis nec temporis, nec concoctionis diuersitas requireretur. Hos igitur tibi imittãdos propono, optime lector, quod vt feliciori minerua assequaris, ad sequeotes duos huius operis libros studiosè perlegendos animum excita.

Vale.



INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM COPIOSISSIMVS, IN QVO CYPHAERAE NVMERVS, PAGINAE FACIEM; LITTERA verò *a*, primam; littera autem *b*, secundam faciei pagellæ columnam denotat.

A

to quam

D.

E.

Iaspidis

I.

L.

Longe,

M.

Q.

R.


S.

T.

V.

partem

Z.



Errata

Potiora menda sic emenda.


Pagina.


5. a. *augentior, lege, augentur.*
12. b. *quam qui in intelectu hæret (adde) in Homine reperiri.*
13. b. *quia, lege, quà.*
20. b. *&, lege. at.*
21. a, *ad: at-*
25 a. *ac, leg: at,*
Ibidem addimento, additamento.
25. b. *latuli, lazuli,*
22. b. *principalia, principia,*
32. a. *specifice, specifica.*
27 b. *propria, principia.*
28. a. *induit, inducit.*
29. b. *metallo, malleo.*
Ibidem, diceret, diceres.
31. a. *minuuntur, minuitur.*
35. b. *propriis, proprio.*
41. a. *defecerit, defecerint.*
48 a. *finitur, fruitur.*
56. a. *congruebantur, congruebant.*
49. b. *saburram. saburra.*
59 a. *sumptio, sumpto.*
67. b. *mitifici, mitificati.*
75. b. *vultu, cultu.*
77 b. *maximæ. maximum.*
83. a. *diffentiæ, differentiæ.*
106. a. *moriatur, moneatur.*
108. a. *dicitur, dicuntur.*
110. a. *lungunt, legunt.*
109. b. *vetimus, velimus.*
110. a. *fulminis, fulminis.*

Pagina.

110. a. *audit, artis.*
110. b. *lacersus, lacertus.*
111. b. *nurium, murium.*
119. b. *deleantur hæc verba: Per vitrioli spiritum.*
121. b. *tamen, tum.*
126. b. *recip: remedium.*
129. *euporeum, europœum.*
144. a. *vomentem, vomente.*
144, b. *fundetibus, fundentibus.*
142. b. *saiarum, saccarum.*
146. a. *lato, latet.*
151. a. *cum, iam.*
167. a, *expurgari, expugnari.*
165. a. *Galanus, Galangæ.*
168. b. *singultatu, singultu.*
186. a. *molli, mosci.*
197. b. *Hemicrastias, Hemicranias.*
197 b. *luxatiotium, luxationum.*
177. a. *veneris, venenis.*
243. b *teneram, terream.*
247. b. *inubertate, & vbertate, leg: vbertate & varietate.*
Ibidem. senatiore, seueriore.
249. a. *esse, escæ.*
299. a. *penuria, penuaria.*
377. a. *Murinæ, Mumiæ.*
377. b. *oleum, ouum.*
344. a. *temperato, temperamento.*
318. b. *lucitrum, luciorum.*
408. *sequeotes, sequentes.*

FINIS PRIMI LIBRI.





D. O. M. A

PANTHEI

HYGIASTICI HIPPOCRATICO-HERMETICI,

DE

HOMINIS VITA, AD CENTVM ET VIGINTI ANNOS SALVBRITER producenda

LIBER SECVNDVS.

Nouis, raris, admirandis, reconditæ Naturæ mysteriis, pretiosis Hippocratico-Hermeticorum Arcanis, Essentiis, Tincturis, Elyxiriis, Spiritibus, Oleis, Salibus &c, Longæuitatis Balsamum, in multos annos conseruaturis, politico-historica, & Medico-Spagyrica narratione exornatus.

Omnibus, omnis ætatis, sexus, conditionis, & status hominibus, ad Mathusaleos, & Nestoreos annos aspiraturis, & sacræ Hygeinæ stipendia facturis, iocundus, vtilis, necessarius.

Auctore, & Collectore Claudio Deodato, Philosophiæ, & Medicinæ Doctore, necnon Reuerendißimi & Illustrißimi Principis, & Episcopi Basiliensis Physico ordinario &c.



Cum gratia & priuilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis.

BRVNTRVTI, Excudebat Wilhelmus Darbellay, Anno M DC XXVIII.


Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου.



Seneca libr. de Tranquill.

Optimus est cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent; non multos ante paratus dies, nec multum manibus ministratus, sed parabilis, facilisue, nihil habens accersiti, pretiosiue, vbilibet non defuturus, nec patrimonio grauis, nec corpori, nec reditus, qua intrauerat.

ELENCHVS CAPITVM
LIBRI SECVNDI.



AD-

ADMODVM REVERENDIS, ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, CLARISSIMIS, AMPLISSIMISQVE DOMINIS,

Domino Præposito, Decano, Cantori, Archidiacono, Custodi, Scholastico, cæterisque Cathedralis Ecclesiæ Basiliensis Prælatis atq; Canonicis &c. Dominis suis gratiosissimis.

Claudius Deodatus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, vitæ diuturnitatem, sanitatis incolumitatem, temporum fælicitatem, & prosperum omnium rerum successum precatur.

INTER cætera Medicinę encomia, admodum Reuerendi, Illustres, Generosi, Nobilissimi, Clarissimi, & gratiosissimi DOMINI, non postremum fuit, quod illā non solùm ęterni Patris filius, Angeli, Prophetæ, Sanctorumq; magnus numerus, Reges item, Principes, Duces, Magnates, & Regnorū Proceres exercuerint, sed etiam quod præstantissima quoq; medicamenta, vitæ sanitatisq; propagationem, grauissimorumq; morborū curationem concernentia, proprio marte, proprijsq; manibus confecerint, eaq; ne in vulgus irent, abditioribus scrinijs, & arculis, magni thesauri loco sibi suisq; reposuerint. Hinc claruêre hactenus, & adhuc clarent Aschlepiades, Rex Mithridates, Sabor, Salomon Iuba, Agrippa, Euax, Auicenna, Mesue, Esdras, Archigenes, Andromachus, & alij sexcenti, qui nominis sui famā & gloriam, vel ob inuentam aliquā plantam medicamētosam

tosam, vel ob pręclarũ aliquod medicamentũ ab ipsis elaboratũ, factisq; experimentis cõprobatum perennarunt, & nunquã interituræ memoriæ reliquerunt, vt est Theriaca, Mythridatum, Aurea Alexandrina, Philonia varia, medicamenta itẽ Panchresta, Pantagoga, Theodoreta, Zoiphyla Soteria, Lisipyra, Theodota, Theopẽpta, Panæreta, Polychresta, Isochrysa, Isypona, & alia quã plurima, quibus posteri nõ ad morbos duntaxat profligãdos, dolores mitigandos, sed etiã ad vitã in multos annos propagandã vterentur. Et licèt hisce multa præstitisse, ipsãq; medicinã insigniter exornasse, & dotasse videantur, cùm tamẽ, & veteres & recentiores Medici Hermetici, vitę humanæ breuitatẽ sat leuibus fundamentis firmatã, perenni & ineuitabili Elementorũ pugna lacessitã animaduerterent, statutamq; moriendi necessitatẽ nullis naturæ potentijs euitari posse viderent, nullũ non mouerunt lapidem, nullum & studiũ, & operam posuerunt, vt tum pręscripta congrua vitæ, viuendiq; regula, cognitis, penitusq; perspectis, rerũ naturalium, viuificũ vitæ nectar conseruantium naturis, & proprietatibus, vitam nostrã dierum longitudine (vt canit Hymnographus) fauente Numine replerent, & momenti vitalis defluuiũ retardarent, & vitæ nostræ lampados seu micantis flãmulæ extinctionẽ, quadam in multos annos perennitate, debitis fomentis è naturæ abysso petitis procrastinarent, illosq; vitæ limites,

qui

qui amputari penitus nequeunt, Naturæ, & Artis viribus pari passu progredientibus saltem extenderent. Hinc Pythagoras solo aceti squillitici vsu 117. annum vixit, nulla vnquam aduersa valetudine tentatus. Sic Socrati 70, ætatis annum agenti, nihil simile contigit: Cicero sexagenarius omnia iuuenilia retinuit: Diogenes intus melle, oleo extra perlinitus, securus longos vitæ dies perduxit. Cato octuogenarius de se gloriabundus scripsit, quod ipsum nec senectus afflixerit, ipsiusq; vires, nec Curia, nec Rostra, nec amici, nec hospites desiderauerint. Patauij nostro tempore vidimus Aloysium Cornarium 40. annorũ spatio valetudinarium, qui tamẽ adhibita Diæta ad 94. annum sanus peruenit: Rufus Ephesius medicamẽto ex Aloe, Myrrha, Ammoniaco, & Croci momento confecto, non solùm vitã produci, sed & cadauera à corruptione vindicari posse putauit: Paracelsus suo elyxire proprietatis, eadem & maiora confidenter promisit.

Ad horum igitur imitationem hoc sanitatis Pantheũ indefessis laboribus concinnare, & secũdũ huius librũ polyhistoricum multiuaria nimirum & historica, & philosophica, & medica lectione, tam ad vitã propagandam, quam ad valetudinem conseruandã, morbosq; propellẽdos exornatum, vobis admodum Reuerẽdis, Illustribus, Generosis, Nobilissimis, & Clarissimis, gratiosissimisq; Dominis meis, aliquando & Mythram Episcopalem,

pasto-

pastorale pedum, & Principis Imperij Romani diadema gestaturis, iura, legesq́; daturis, & hac ratione vita in multos annos duratura opus habituris, dicare, dedicare consecrare, & vestro patrocinio commendare iurè meritò & volui, & debui, cùm ad id faciendum antiqua nostra studia me moneant, singularis propensionis, candidæq́ue gratitudinis, & obseruantiæ memoria sollicitet, tot acceptæ à puero beneuolentiæ monimenta flagitent, ac veri subditi, ac clientis officium postulet. Accipite ergo Episcopatus Basiliensis Columnæ, Ornamenta, & Lumina, hosce, qualescunque labores, vestro patrocinio, & protectione fulcite, exornate, illustrate, vestrumq́ue clientem ac subditum æternùm conseruate. Datum Bruntruti 3. Februarij, 1628.



PANTHEI

D. O. M. A.

PANTHEI HYGIASTICI HIPPOCRATICO-HERMETICI DE HOMINIS VITA, AD CENTUM VIGINTI ANNOS SALUBRITER PRODUCENDA.

LIBER SECUNDUS.

prodromus.

HUCUSQUE simplicium Alimentorum, tam ex vegetabilium, quam Animaliũ, volatilium, atq; piscium, tam ex terræ & aëris quàm oceani penuario depromptorum naturam, vires, alendiq; potestates, eâ, qua potuimus & breuitate, & perspicuitate proposuimus: Nunc ordinis nostri ratio postulat, vt, præmissâ artificiali alimentorũ concinnandorum ratione, paucis edoceamus quo ordine, qua viâ, cibi arte magyricâ eleganter præparati & præculti, vitæ propagandæ gratia apponendi, & exhibendi sint, qui primo, qui secundo loco mensis offerendi qui labores, quæ exercicia cibum præcedere; quis, qualis, quoties, quantum & quousque cibum, potumq; capere expediat: quæ quies, quis somnus, & quantus subsequi oporteat: quæ conuiuando vitanda, & qualia instituenda conuiuia, vt & vitam propagare, & sanitatem sartam, tectamq; conseruare valeamus.

Non enim hoc loci Vitellios, non Nerones, non Heliogabalos, non Sardanapalos, non Caligulas, Antonios, Cleopatras, Diocletianos, Domitianos, Apitios, & eiusmodi in quouis luxus genere luxuriosissima Naturæ portenta imitabimur: Multo minus L. Verum Romanum, qui è Syria Romam reuersus, cœnam celebrauit, ad quam etsi 12. duntaxat conuiuæ admissi fuerint, impensa tamen 150000. coronatorum: donauit enim cõuiuis omnes famulos cœnæ inseruientes, vasa item & aurea & argentea, lectos item & peristromata, & reliquum conuiuij apparatum: Sed, opitulante DEO, pestifero huic luxus & ingluuiei morbo, salutarem pro viribus, medelam adhibere conabimur, ne citius quam par sit, vel morbis conflictemur, vel naturæ debitum persoluamus.

Nec est, vt quispiam à nobis magnificorũ, lautorum, splendidorum, superborumque conuiuiorum descriptionem; vel cœnas vnctas, epulares, ganeatas; mensas item & regias, vel Persicas & opiparas, aut Syracusanas vario olim luxu celebres, aut ipsas quoq; Italicas mensas expectet: Quis enim conuiuiorum rationem, quæ nunc passim apparet; iuxta Italicæ luxuriæ, atq; delitiarum cupiditatem, quam & Græci, & Barbari, imo, proh dolor, Germani imitatur sat graphicè

phicè demõstrauerit? Italia enim ferè totius orbis terrarum optima est regio, omni & voluptate, & vtilitate referta, omnis generis frugum atq; fructuum fertilißima, omnisq; demùm generis pecorum, pisciumq; abundantißima, vt mirum non sit, veteres illam Saturno sacratam existimasse, quem opinati sunt, omnis felicitatis authorem, & largitorem extitisse id quod de vno, ac vero Conditore Deo asserendum. Idem scribit de fertilitate, & omnium rerum abundantia in Italia M. Varro lib. 1. de re rust: Cõtra, quid in Italia vtensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium sit? quod far Campano? quod triticum Appulo? quod vinum falerno? quod oleum veneto? Non arboribus consita est Italia, vt tota pomarium videatur? An phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus ἀμπελόεσσαν appellat, quàm hac? Ideo sicut veteres mensas Siculas, syracusanas & italicas pro lautis, opiparis, ac genialibus acceperunt: Ita hodie Persicas, Medicas, Sybariticas, Syras, Lydias. Thyrrenas, Agrigentinas, Chyrenenses, Chyas, Tarentinas, AEgyptias, Babylonias, Iaphygias, Maßilienses, Milesias, Schyticas, Abydonas, Ephesias, Samias, Ionias, Thessalas, AEtolicas, Cumanas, & Asiaticas mensas vel cœnas, rectè pro splendidißimis, & luxuriosißimis tum mensis, tum cœnis, appellare possumus, propter immanem gentium illarũ luxum, atq; luxuriam, quam præter cæteros innumeros authores Athæn. lib. 1. & 2. & AElian. lib. 12. copiosißimæ describunt: vt nunc Christianorum luxum, luxuriamq; silentio inuoluamus, quæ tanta est, vt antiquarum illarum gentium luxuriæ nõ æquiparanda modo, sed & anteponenda esse videatur. Sibariticæ planè, non Christianæ Christianorum sunt mensæ paßim, & cœnæ, nuptiales, natales, puerperales, Regales, Imperiales, Consulares, Victoriales &c. quæ orbi Christiano, præsertim cum de statu Religionis agitur, sæpe plurima & maxima mala dederunt, multisq; exitiosæ, & calamitosæ extiterunt.

Tales vel mensas, vel cœnas luxui destinatas non est, inquam, vt à nobis expectet candidus Lector, nec item accuratißimam illam, & ad vnguem exploratam vitæ, viuendiq; normam à nobis expectet, qua nonnulli (scrupulosè nimis) ad certum pondus alimenta ingerunt, vt Bartholum, clarißimum illud Iuris lumen & ornamentum, fecisse legimus: (cum omne nimium, naturæ inimicũ reddatur) Exquisitißima enim & ad nutum strictißimè obseruata viuendi ratio, corpus reddit melancholicum & quibusuis forinsecus incurrentibus periculis, obnoxium, animi alacritatem retundit, Hominem omnibus de rebus tàm laboris tractatione, quam voluptatis perfruitione, semper aliquid sinistri suspicantem, nihilq; confidenter aggredientem efficit: Sed oportet corpus veli naualis adinstar, nec cœlo sereno & tranquillo nimis aut contrahere, aut cõprimere, nec eum aliquis subest metus, nimis passo, aut laxo eo vti: vnde semper Naturæ, corpori, ætati, Regioni, tempori loco, & consuetudini aliquid concedendum. Et sanè

Hoc est Medicè seu mystice & mirifice, nõ misere viuere: Qui enim ex Naturæ præscripto, quæ paucis est contenta viuit, alimẽtorum assumendorum naturam sedulo peruestigat, in cibis assumendis temperanter & moderate viuit, quomodo illum misere viuere dicemus? Qui ex Medici præscripto tum ad præcauendos tum ad sanãdos morbos tali & tali victus ratione vtitur, hunc item misere viuere dicemus? At misere pro-

fecto

fectò viuunt, tum qui nec Medicum habent ad manus, nec, quid illis vel obesse, vel prodesse poßit nouerunt: tum ij qui etsi Medicũ consulentem habeant, aut quæ obesse, vel prodesse solent, nouerunt, tamen in quosuis cibos appetitui fræna laxant. Ii demùm & Medicè & miserè viuunt, qui chronicis oppreßi morbis, vt phthysi, asthmate, podagra &c. citra alicuius conualescentiæ fructum medice viuere, & misere vitam transigere coguntur; non qui temperantiæ legibus obtemperant. Medicinæ enim finis, sanitas est, cuius parens Medium seu Temperies, aut mediocritatis ratio tùm Galeno *dicitur* 1. de sanit. tuend. *tùm & ipsi* Paulo AEginet. *qui eum hominem demum temperatißimũ dicit, cuius corpus omnium extremorum Medium tenuerit; vnde hac ratione tum Medicina, tum Medici ipsi à Medio dicti sunt* teste Seneca, *cum temperantia sit inæqualitatis medium, è contrarijs elementis resultans; cuius temperantiæ in corpore nostro authores sunt Medici, medijs quibusdã oportunis, debitâ potißimum, & cuiuis naturæ conuenienti victus ratione, sanitatem tribuentes: Nihil enim æque sanitatem conseruat, quam sobrietas, abstinentia, & frugalitas: Non tamen ita ad vnguem, & amußim obseruata, vt quis, quandoq; pro re nata, neq; ad dextram, neq; ad læuam deflectere non ausit. Neq; enim tutum, neq; facile neq; ciuile, neq; homini conueniens est coactum illud viuendi genus, quo quis in vmbratilem sese otiosam solitariam, & obscuram vitam, quam longißimè à Republica abdens, cibis, & abstinentia, motu, & quiete vteretur, neceßitate quadam vltro sibi imposita præscriptis; quod minime probandum, cum nec otio, nec inertia venalis sit Sanitas. Talis profectò nostro tempore fuit Ludouicus Cornarius Patricius Patauinus qui talem sectatus vitæ sobrietatem, vt ad certas duntaxat vncias, tum cibum, tùm potum admitteret, & hoc modo sibi soli viuens, tempus, ætatemq; litteris, studijsq; chymicis transegit.*

Tu verò, candide Lector, bene vales, & tuæ spontis es? Noli te tam strictis obligare viuendi legibus, vel Medico; sed quandoq; ad insueta transi & permuta, ob varias fortunas nõ rarenter, nobis etiã inuitis, imminentes: variũ vitæ genus habeto, modo ruri, modo in vrbe, sæpius in agro degito, equita, nauiga, venare, quiesce interdũ, sed frequẽtius corpus exerce: nam ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hæc longam adolescentiam reddit. Potes interdum aquæ dulcis balneo, interdum aquis frigidis vti, modo idipsum negligere: nullum cibi genus fuge, quo populus vtatur, interdũ etiã conuiuare: interdũ te abeo retrahe: modo plus iusto, modo amplius nõ assume: bis die potius, si sis assuetus, quã semel cibũ cape, dũmodo illũ cõcoquat ventriculus.

Ad Ecclesiasticas dignitates es euectus & vel purpura, vel mythra clarescis? Memineris inter tot summos Pontifices, Cardinales, Episcopos, Prælatos &c. qui te præcesserunt, multos & pios, & sanctos, & martyrij laurea insignitos, sanctam, sæpe etiam longã non inter Persicas geniales, seu opiparas, & dapibus circumfluentes mensas, sed studijs orationibus, vigilijs, ieiunijs, maximas inter occupationes vitam traduxisse.

Imperij aquilas, aut Regni sceptra tenes: cogita plurimos & Principes, & Reges, & Imperatores, non inter Atticas, Siculas, Syracusanas, & Italicas epulas Imperij negotia tractasse, imo vero vt & ea maiori cura peragerent, & vitâ tum longiore, tum beatiore frueren-

fruerentur, abdicato Imperij sceptro, ad rus, & agros redijsse. Quintus Cincinnatus primus Romanorum Dictator clarissimus, agriculturæ operam nauans, à Senatu rogatus, puluere & sudoribus respersus, supremis honoribus & dignitate susceptâ, superatis hostium exercitibus, & insigni victoriâ potitus, ad boues redijt, agrorumq́; suorum culturam de integro proprijs manibus est aggressus sicq́; superatâ & superbiâ, & auaritia, depositaq́; dictatura, priorem vitam ad longæuos annos in paupertate perduxit: eo quod natura naturam conseruet; & naturæ semper in assuetis magis lætentur teste Hippoc. de acutor. victu. *Sic Rex Attilius ab agro accersitus,* teste Valer. Max. *& videntibus legatis semina spargens, in illo opere attritis manibus suscepto Imperio, publicâ salute partâ; fusis ingentissimis hostiũ copijs, eburneo deposito sceptro, denuo agrũ serere & victum ab aratro repetere non erubuit, sua pauperie contentus, ac consuetudine. Diocletianus Imperator, ciuili animo atq; modestiâ, in suis hortulis apud Salonas consuescere maluit. Coruinus Romanorum præfectus, die sexto se dignitate abdicauit.*

Militarem disciplinã exerces? Etsi plerīq; qui armorum strepitus & castra sequũtur fere & pietate & fide & congruâ victus ratione careant, vt ait poeta.

Nulla fides, pietasq́; viris qui castra sequuntur.

Sed crapulis, ebrietatibus, comessationibus, & quouis luxus, luxuriæq́; genere vires eneruent, & immatura vitæ stamina abrũpant obseruabis tamen celeberrimos & Romanorum, & Africanorum, aliarumq́; gentium bellicosissimos Duces, multis victorijs claros non comessationibus, non compotationibus nec aliquo luxus genere, sed inuicto animo, insigni corporis fortitudine, tenui, aut saltẽ plusquam mediocri victus ratione, & sanissimos extitisse, & maximos sæpe exercitus & fregisse, & in fugam conuertisse, quorum tamen cibus erant non delitiæ, non cupediæ, sed laridum, posca, caseus, buccellatum, acetum, allia, cæpe, salgama, & id genus: è contra verò, magnos sæpe exercitus ob vitæ immoderatæ dissolutionem, in fugam conuersos, quod vel vnius inuictissimi alioquin Hannibalis exemplo confirmari potest, qui ingenti, & ad hunc vsq; diem memorabili de Romanis ad Cannas victoriâ potitus, tamen post victoriam sese ad Campaniæ delitias recipiens, fracto & eneruato affluentibus delitijs exercitu, tandem deuictis iam Romanis victas tradere manus fuit coactus.

Magistratus es, & Reipublicæ clauum tenes? Memineris te à Deo ter maximo ad id officij & regiminis genus suffectum, non vt comessando epulando, & pocula versando, optimamq́; vitæ constitutionem frãgendo, Reipublicæ clauum regeres, sed vt sano existente corpore, sanas & toti Reipublicæ vtiles leges præscriberes, præscriptasq́; sedulo obseruari curares & vt poeta canit:

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Studijs operam nauas? Quid opus est crapulis? Quid ebrietatibus? Quid dissoluto viuendi genere, & ingenij spiritus, & Palladis arcem, Musarumq́; theatrum oppugnantibus? Sobriæ sunt Musæ, nec Attalicas curant mensas, multo minus vel Baccho, vel Veneri militant, sed ingeniosæ, sobria atq; moderatæ Pallados castra sequuntur, quibus tandẽ & scientiarum apicem attingunt, & longæuitatis annos firma cum valetudine assequuntur.

Rusticus es, agros & rura colis? Memineris multos & Duces, & Principes, Reges, & Imperatores, relictâ dignitate, spretis de-

litiarum

litiarum mensis, vt & quiete, vt diu viuerent, rus coluisse & agros seuisse. Quid blādimenta, quid gulæ irritamenta, & vitæ & sanitati insidias struentia quæris? Sobriam sectare vitam, paruo contenta est natura, quæ sæpe vel panis frusto, & strepentis fontis haustu, plus virium & roboris dabit, quam si vel lautißimis mensis interfuisses.

At forte delicatula es Matrona? Rem domesticam curas? Aut proli operam das? Nec tibi obfuerit sobria & moderata victus ratio; quid cupedias, quid delitias, quid luxuriosas mensas affectas? An nescis te fragili corpore natam, exiguis viribus præditam, substantifici caloris paupertate laborantem? Quomodo ergo si ganeatas mensas si atticas epulas, si Bacchi delitiosa pocula sequaris, & diuturniores vitæ, & integræ sanitatis, casti pudoris, & inculpatæ vitæ rationem habebis? Memineris & Saram, & Rachel, Rebeccam, Iudith, AEster, aliasq; plurimas honestißimas, & castißimas tum noui tum veteris instrumenti nostriq; temporis Matronas, spretis illecebris, spretis luxuriosis mensis solâ vitæ sobrietate, & diutißimè & sanißimè vixisse.

Adesto ergo candide Lector, & qua ratione tibi viuendum sit, vt & diutißimè & suauißimè viuere possis, secundo hoc libro vlterius edisce.

CAPVT I.

De præcipuis Alimentorum condimentis, Sale nimirum, Aceto, Oleo, Melle, Saccaro.

HORTABATVR quidem olim *Seneca*, vt à cibis caueremus, qui nō esurientes ad edendum inuitarent, & ad potum, qui non sitientes ad bibendum hortarentur, sed cum Sale, id est, ad necessitatem voluptati coniunctam; innuere volens, varijs condimentorum generibus, ceu nouis gulæ irritamentis, nouos cibos non esse expetendos: Cùm tamen ciborum condimenta, nō solum ad irritandū, inescandumque appetitum faciant, sed cibos & suauiores, & salubriores reddant, antequam de ciborum apparatu quid dicamus, pauca quędam, at cognitu non minus iocunda, quàm necessaria, præmittere, visum est.

SAL:

Italicè Sale: *Gallicè* du Sel: *Germanicè* Saltz.

De Salis natura, officijs, proprietatibus, atque virtutibus multi multa in vtramq; partem scripserunt. Et quoniam antiquitus Solo, Vrbibusq;, in quibus scelesta quædam facinora patrata fuisset, insperso sale, sterilitatis argumētum induceretur, vt videre est *Iudicum capite 9* vbi Abimeleth destructâ Sychemorum vrbe, totū illud Solum sale & salsugine respergi curauit, futuræ sterilitatis maledictionem significaturꝰ &c, non defuerunt, qui nobilissimæ huic creaturæ, sterilitatis causam adscriberent: cùm tamen apertè constet, ipsum Oceanum non aliam ob causam, quam ab inexistente sale & fæcundissimum & fertilissimum reddi; agros, cam-

pos, prata, vineta, inducto salsuginoso iumentorum fimo fæcũdari; iumenta quæuis porrecto paulo pleniore manu sale, & robustiora, vegetiora & ad prolis generationem fæcundiora effici: Habet enim sal fęcunditatis, progignendæq; sobolis genuinam, & insitam quandam vim, qua cõiugalis fęderis societas stabilitur; sopitum enim animi vigorem exuscitat, & hominem in omnibus negotijs peragendis alacriorem, & erectiorem reddit; fæcunditatis item vim salis temperato vsu suscitari, vel hoc argumento esse potest, quod immensam & murium & glirium vim in marinis nauibus exoriri; salinarias mulieres continenter prurire, & copiosæ sobolis matres effici videamus. Agricolæ insuper palustribus, & plus satis vliginosis agris sterilitatem expugnaturi, inspersâ salsugine, fæcundos & fertiles reddunt.

Præclara sunt hæc salis encomia, quibus tamen ob singularẽ hominis vsum, longe maiora addenda sunt: Sal antiquitus, *referente Eustatio*, & amicitiæ, & beneuolentiæ symbolũ, seu Hyeroglyphicũ erat, vnde & à veteribus cõuiuia celebraturis, primum ante alios cibos, ceu futuri conuiuij prodromus, mensis apponebatur. Vnde si quis casu salinum in mensa euertebat, salemq; effundebat, mali ominis loco habebatur, illum scilicet lixas, iurgia, & contentiones subiturum, quod illud amoris, & amicitiæ symbolum euertisset; qui mos & hodie apud plerosque est in vsu. Nec enim ad emundandas, expurgandasque omnis generis sordes, & impuritates duntaxat, sed & ad superfluas omnium ciborum, carnium, piscium, fructuum, olerũq; humiditates, absumendas, & à corruptione vindicandas plurimum facit, tantaq; necessitate in hominum vsum venit, eo vt nusquam carere possimus. Omnis sane caro mortua, & cadaueris pars est; Salis vis tanquam anima & balsamus, vbi superuenerit, ei & gratiam, & voluptatem conciliat; è cibo insipido, insuaui ingrato, & insalubri, sapidissimum, suauissimum, gustuiq; gratissimũ, & saluberrimum efficit, vt iure à multis omnium condimentorũ condimentum suauissimum, & omnium obsoniorum iocundissimum condimentum fuerit appellatum: inde & gratiarum nomen Sal accepit, eo quod omnibus alimentis gratiam & suauitatem conciliet: Inde illud

Non sapit esca bene, quæ datur absq; sale.

Inde & salsamenta ante alios cibos sumuntur, parcâ tamẽ manu, vt ad alia obsonia capescenda, licet appetitus alliciatur, quibus delinitus, ad reliqua alacris, & recens sese accingat. Vnde veteres non temere salem, gulæ irritamentum, & *Lucret. libr. 1.* vescum appellat.

Nec

Nec Mare quæ impendunt vesco sale saxa peresa.

Quod & columbæ apprimè norunt, quæ, *teste Plin.* pullis primò salsiorem terram collectam, gutture in ora inspuunt, cibo tēpestiuitatem præparantes.

Isthęc tamen non ideo de salis facultate, & præstantia, quoad vsum alimentosum, in medium afferuntur, vt semper salsamentis, aut cibis sale conditis, citra delectum quilibet vtatur; nec enim omnibus conuenit salis vsus; sed & modus, & ratio rite obseruanda, multis enim tum sanis, tùm ægris corporibus, maxime verò calidis, siccis, biliosis, macilentis, scabiosis, ac salsis humorib' scatentibus, noxius, & contrarius est salis vsus: Adde quod ciborum alij salem expetant, alij non item, quibus scilicet aut nulla superflua humiditas inest, aut qui solido, ac firmo corpore consistunt.

Sal quibus noxius.

Non tamen omnino etiam, vt multi perperam volunt, à sale abstinendum, cùm ex salis defectu corpus necessario putrescat, & corrumpatur, cùm sit omnium & animalium, & vegetabilium, atq; mineralium balsamus, cuius defectu, tres incommodorum classes emergunt: I. Sine sale, nulla absoluta concoctio fieri potest, nec in ventriculo, nec in hepate; inde & humidior corporis constitutio resultat, & multorum affectuum prouentus, [illegible] Catharri, [illegible] inexpectatæq; mortis occasiones emergunt: quare non leuiter impingere videntur, qui vel ad tollendas paralyses, vel ad morbum venereum curandum salis vsum omnino præcludunt, & à Diætis, vt vocant, relegant. II. Corpori id subtrahitur, quod sanis membris debebatur, alimentum scilicet corpori contrarium & aduersum exhibendo, inde virium exolutio & vigoris innati lapsus: III. Licet ex tenui victus ratione & omnimoda salis abstinentia, morbi vires penitus frangi videantur, redeunte tamē de integro ex alimentorum vsu, virium vigore, vna iterū recrudescit morbus, eo quod omnia alimenta innatum à natura salem contineāt: maiora symptomata illaturus; ideo iterum ineptire videntur, tum qui omnem salis micam ligni decocto vtentibus interdicunt, tum ijs, quorum corpora prauis & crudis succis diffluūt, tum ijs quoq; qui vel iam finitâ, vel ad finem declinante purgatione, iusculis salis momento acuatis vtuntur, cùm tamen è sale tota purgandi vis emergat, & iuscula modico sale respersa, & post purgationem hausta, & purgantis medicamenti, & commotorum humorū reliquias, ventriculi villis, intestinorumq; anfractibus restitantes abstergant, proluantq;.

Salis effectus.

Nec ad cibum duntaxat, sed & [illegible]

erem salsedinem habent, illi ob oris ventriculi consensum, omne vinorum genus, gustui suaue, & omnem aquã non gustui duntaxat gratam, sed & siti sedandæ aptissimam reddunt, cùm in Tetrade *testetur Quercetanus* se ardẽtissimam cuiusdam febricitantis sitim, omnia alia remedia ludentem, grandi aquæ frigidæ haustu, cui salis modicum indiderat, extinxisse. Marina quinetiam obsonia, præterquã quod ob inexistetem salis marini spiritum, suauissima sunt, maxime etiam innoxia deprehenduntur, nam & carnosa sunt, at nõ proinde vt carnes grauant, sed facile concoquuntur, ac distribuuntur; quo factum est, vt antiqui Medici Zeno, Crato, & reliqui apud *Plutarch.* ægros suos, ante omnes alios cibos, ad pisces marinos, ceu leuissimos ablegarint; sed & recentiores Medici, & præsertim Hermetici, contra receptum quorundã morem, ægris, & lue venerea laborantib9 moderatim salis vsum concesserint, in corporibus præsertim humidioribus, & præstãtissima quæque medicamenta è salium tùm animalium, tùm vegetabiliũ, potissimum verò mineralium recluso centro, artis spagyricæ industria, ad omnium fere Astralium morborũ insultus infringendos eduxerint, & præsertim è Maris cortice, illo naturæ miraculo, è cuius lagitimâ anatomiâ non solũ Mãnas, saccara dulcissima, seu crystallos, & igneos vini spirit9, quibus & vrinas, & aluũ, sudores, & vomitus potenter prouocant, ardentissimam sæpe sitim extinguunt, & grauissimos peneq; deploratos morbos è medio tollũt: sed & secretissimum illud Solis terrestris menstruum, atq; dissoluens expeditissimum, ipsamque demum vniuersalem Medicinam tantopere decantatam, licet paucissimis cognitam conficiunt; ita certe vt sale ægris nihil conuenientius, tutius, nihil iocundi9 esse possit. Hic enim est rerum balsamus, & omnium condimentorũ præstantissimum condimentum: Hic est phænix ille tantopere à poëtis occultatus, qui igne nascitur, producitur, ac propagatur, quiq; nullo artificio destrui potest, siue in aquis, siue in aëre, terra, vel igne existens, perpetuo & conseruatur, & conseruat, vt pote vniuersæ naturæ mysterium, & vitæ humanę medicamentum ad extremam vsq; senectam in se cõtinens. Hinc asserere quidam nõ dubitant, ex sale cuiuscunq; plãtæ, Rosæ scilicet vel Angelicæ, plantam iterum seu Rosam, media hyeme virescentem, proprijs coloribus ornatam, artificis industria confici posse, vt videre est apud *Querc. Libauium, Roland.* &c. Insuper sal vera est panacea, omne morborum genus expellens. Nec iniuria: quid enim sale magis diureticũ? diaphoreticũ? catarcticum? Sali in agendo tuta est

eſt celeritas; ſuperflua conſumit, deperdita renouat, morbida ſanat, nec vlteriorem corruptionē admittit.

Quid igitur miramur *Quercetanum*, qui ſalem vitam & animā: *Chryſippum Fannianum*, qui animatum vocat? *Platonem*, qui ſale & ſole homini nil vtilius: *Homerum*, qui ſalē θεῶν σῶμα θεοφιλὲς vocat? quod ſit generationis principiū: Vnde AEgyptiorum ſacerdotes, qui ſe caſtitati deuouerant, à ſale abſtinebant, quod caloris interni vigorem plurimum ad rem veneream excitaret: Inde etiam antiqui Poëtæ Venerem è maris ſpuma ortam finxerunt: vel ideo ſalis vſum neglexerunt, quod ſit condimentorum iocundiſſimū, & omnium condimentorum cōdimentum, & gratiarum nomen ſortitum, ſale ſcilicet cibi neceſſitatem in ſuauitatem conuertente. Dictus item ſacer, & diuinus ſal, quod putredini ac corruptioni potenter reſiſtat, vt & aliquanto tempore ipſi quoq; morti, nec mortuum penitus aboleri patiatur: Ideo Stoicorū aliqui tum demùm carnes, veras carnes eſſe dixerunt, quando anima, ſalis inſtar per eas diffuſa fuerit, vt conſiſtere & permanere poſſit. Quod ſi Thaleti Mileſio placuit Herculeum illum lapidem ſeu magnetem animatum dicere, quod ferrum trahere & cogere videretur, cur non & ſalē quòd ima penetret, expurget, abſtergat, diſſipet, reprimat, & extenuet, pari ratione animatū dicemus? multum inſudat, laboratq́; *Quercet. toto capite 21. libri defenſionis medicinæ hermeticæ*, vt tandem ſalis vt & aquæ ſalſæ in medicina multiplicem vſum, & præſtātiam, adductis veterum Medicorum authoritatibus, & præparationibus craſſiore licet Minerua factis, ob oculos ponat: Nec his cōtentus, ſed & *ſequenti cap. 22.* vbertim docet, veteribus quoq; Medicis, non ſolum ſalium ex omnibus rebus extractiones, calcinationes, & incinerationes chymicas cognitas, eorumq́; in medicina vſum perſpectum fuiſſe, ſed adductis etiam firmis rationibus, & experientia, rerū magiſtra neruosè demonſtrat, humidum primigenium reiteratis etiam calcinationibus in ſalibus nec abſumi nec formas ſpecificas peſſum ire, ſed in vitali illo conſtantiq; principio, ſpreta omni ignis poteſtate deliteſcere, ac permanere, quæ cum ita ſint, mirari ſubit clariſſimum & doctiſſimum *Laurentium Hoffmannum de re chymica* optimè meritum, qui non ſolum illos ridet, qui ſalibus arte chymica paratis ſpecificas qualitates attribuunt, v. g. Sali Chelidoniæ, Eupatorij, & Cancrorum fluuiatiliū, vim medendi morſui canis rabidi &c, ſed & illos, qui Cephalicos, Hepaticos, Spleneticos & Renales ſales effingunt, quaſi horum vires in calcinationibus, ſolutionibus, filtrationibus, coagulatio-

nibus sæpe repetitis vel protinus euanescant, vel vehementer saltem obtundantur, eo quod πῦρ πᾶν φαγεῖν ex *Aristotele*; quæ tamen sententia de humido illo radicali salibus inexistenti, & post illas ignis operationes cōstanter permanente, non est audienda, cùm sales illi chymici non vnius, eiusdemq; sint virtutis & efficatiæ, penetrandi scilicet coagulandi, abstergendi, incidendi, attenuandi, exiccandi: &c. sed dantur etiam salia non solum vi catharcticâ, diaphoreticâ, & diureticâ prædita, sed & specificis dotata facultatibus, vti videmus salem cranii humani præ cæteris Epilepsiam: Ligni Guaiaci luem veneream; Cardui benedicti & Absynthij pestē; Chelidoniæ icterum; & Hydropas Gratiolæ, Genistæ, Ebuli, Iridis, Imperatoriæ, & Centaurij sales curare, idq; vi quadam specificâ, non quod præ cæteris maiorem penetrandi, exiccandi, ac resoluendi vim nacti sint: nam si salem nostrum, repetitis & calcinationibus, & coagulationibus ad ἀκμὴν vsq; perduxeris, nunquam tamen eò deduces, vt in sudore mouendo cum zingiberis sale, aut in pellandâ vrinâ sale succini, aut genistæ, certare ausit. Quis sal, Hypericonis excepto, hominem iam iam animam agētem, ita reficit? Quis citius melācholiæ Hypochondriacæ vapores discutiat, obstructosq; viscerum meandros recludat sale Cetrach? Quis festiuius & felicius calculum excutiat sale fabarum è siliquis elicito? Sal viperæ & busonum in peste triumphat; Sal cornuum Cerui, Ciconiæ, Pauonis, omnis generis venena mirifico successu expellit: Sal testiculorum equi colicos mire iuuat: Sal vrinæ vmbilico admotus, vermes illico necat: Sal crystalli vrinæ ardorem mire demulcet, & calculum pellit: Sal & cremor tartari, non solum crassos humores incidit, sed etiam per aluum exturbat, & visceribus nutricatui dicatis præsētaneo est auxilio &c. Hæc & similia iam dictis salibus, non communes, sed & specificas quoq; inesse facultates, testātur. Sed de his plus satis. Cùm tantus sit salis communis vsus in alimētorum conditura, & vsu, antequā de eo finem faciamus, qua ratione ad alimenti vsum præparand⁹ sit, paucis edoceamus.

Vt alimenta medicamentosa reddantur, & per corpus distributa, tartarum feliciter expellant, laborandum, vt sal, quo vtimur, & quo alimenta condiuntur, ita præparetur, vt ei pars spiritualis dematur, quamdiu enim crudus vsurpatur sal, tandiu morbi tartarei vix ac ne vix quidem præcauebuntur; Et hæc est vnica illa causa, cur medici hactenus in morborum tartareorū curatione frustra insudarint. Nam Sal internus seu spiritus salis interni coagulatiuus, ab externo ac nutrimento-

so Sale suum capit incrementum & vim suam coagulatiuã potenter & roborat, & exerit, digestionisq; ignem plus satis auget, inde exiccata humiditate, sequitur tartari coagulatio. Non immeritò igitur, nec citra rationem veteres Medici in ligni Guaiaci vsu, Salẽ ægris proscripserunt: Externus enim Sal morbum exacuit, augetque, & medicamenti vim refringit: Non tamen omnino prohibendus Salis ritè præparati vsus, in horum affectuum curatione, sed prius è Sale, quod noxium est separãdum, relicto eius balsamo, quod corpus à putredine liberũ conseruat; quo sublato, sequeretur humidi radicalis corruptio, vt & omnium partium debilitas, & ventriculi indigestio. Est enim Sal omnium rerum conseruator, quo deficiente, omnes res putrelagine corrumpuntur. Est ergo Sal naturæ Hermaphroditicæ, masculinæ, & fœmininæ, calidus, & frigidus; volatilis, & fixus: Ideoq; durante hoc coniugio seu matrimonio, nunquam tutus erit Salis vsus, eo quod dominetur pars mascula, calida, & volatica, quæ est incrementum, & confortatiuum spiritus coagulantis, seu Salis interni: ideo Vulcani operâ dirimendum hoc matrimonium & calidum, volatile, masculinum à fœminino, frigido, & fixo separandum, ita vt fœminea duntaxat pars præbeatur, tunc non solùm perfecte saliet, ac si reliqua quoq; pars volatica, & masculina adesset sed etiam, ne digestio plus iustò calceat, illam contemperat, omnẽ putredinem arcet, sanitatem cõseruat, & interno coagulationis spiritui incrementum subtrahit, eiusq; vim coagulatiuam debilitat, frangitq; & tartari generationem, in quouis alimenti genere, destruit, impeditq;, præsertim verò tartarum potenter tam per aluum, quàm per vrinas expellit. Vt ergo partem volaticã seu maculam Salis à fœminina & fixa separes, sic procedas.

Salis ad vsum alimentalẽ præparatio.

Recipe Salis communis albissimi q. s. solue in aqua calente destillata, filtra, coagula: id opus, secũdo, & tertio repete, quoad nitidissimus, & ab omnibus fæcibus & vnctuositate purissimus euadat: Mox Salem ita paratum forti crucibulo indito, tege, ne quid impuri intret, pone in igne rotæ, additis circumcirca, vt & supra carbonibus, mox accensis carbonib. tamdiu vrge, quoad crucibulum optime candeat, & carbones omnes cõburantur, tandem omnibus refrigeratis, inuenies Salem tuum fixum, optimè præparatum, & parte volatica masculina spoliatum.

Sal virus refugat, victum insipidumq; saporat,
Nam sapit esca male, quæ datur absq; sale.
Vindicat humentes fœda putredine carnes,
Ad ventris flatus fit cataplasma potens.
Illitus anginam curat cum melle & aceto,
Aspectu gelidus tunc quoq; cessat Hydrops.
Obsistit tyrio simili ratione veneno,
Et sacros ignes vlcera sæua regit.

Iam verò vt tartarus in stomacho destruatur, expellaturq; & coagulatiua Salis facultas reprimatur, nec vllus amplius tartarus

generati possit, sequenti puluere ad scrupulum j. paulo post sumptum cibum, conuenienti liquore vtendum:

Recipe Crystallorum Tartari ℥ijß.
Vrinæ
Diuretici Astralis summi.
Salis lapid. Pumicis a. ʒvj.
Magisterij lapid. Iudaici.
Lazuli.
Silicum a. ʒj.
Magisterij Corall. & Margarit.
Tinctur. Chalybis a. ʒij.
Misce fiat puluis.

Qua ratione spiritus Salis destilletur, consulendus *Crollius in Basilica* & alij quam plures, nos sequẽti modo præparato vtimur in medicina, ad febres, calculum, vrinæ difficultates, cachexias & hydropes, sitim, ad viscerum obstructiones, pestem, colicam, icterum, & internarum partium varios affectus.

Spiritus salis simplex

Recipe Salis marini calcinati partem vnam, boli armeni vel terræ strigensis puluerizatæ part. 2. cum aq. pluuiali in pastam agãtur, vt inde fieri orbiculi possint, quibus exiccatis, retortam loricatam ad dimidium imple, & adaptato magno receptaculo, per ignis gradus fortiter destilla primo phlegma, mox aucto igne & candente retorta, spiritum albũ, qui in B. M. à phlegmate separandus erit: Quod reliquũ in cucurbita manserit, spiritus Salis nimirum & fęces, ea per retortã destillando separa, & sic spiritum Salis elegantissimum cum Ente terræ strigensis, vel Boli armeni embryonato maritatum tenes.

Quod si pars spiritus in capite mortuo sese in destillatione receperit, vt fere fit, tunc per aquam communem simul coquendo, ex eodem Sal collectum, & priori modo destillatum, æque efficacem spiritũ prolicies.

Quod si ex capite mortuo Sal toties prædicto modo extraxeris destillarisq; quousque quidpiam Sales in ipso restiterit, totum Salem tandem in forma spiritus vniuersas Salinorum spirituum reliquias refundentem transire facies. Huius in febribus non vulgaris est vsus, cum aq. & succo veronicæ, ac saccari liquore dulcificatis, bis in die ad vnciam j. mane & vesperi. In lẽtis vero & quotidianis potentior hoc ipso, quã vllo alio.

Spiritum vero Salis compositum & ad medicos vsus præstantissimum sic concinnabis:

Spiritus salis cõpositus.

Recipe Salis Nitri, Salis communis decrepitati a. q. s. Misce cum tripla quantitate. Argillæ siccæ & per setaceum actæ, impasta, in globulos efforma, quibus exiccatis, retortam ad dimidium imple, & igne aperto, more consueto, spiritum propelle. Huius spiritus lib. 1. cum Salis fusi ℥iiij. 24. horis digere, vt Sal adiectum soluatur per retortam iterum destilla idq; toties, quoad placuerit, cum Sale nouo, sic spiritum & auctiorem, & fortiorem habebis: à quo per B. M. phlegma abstrahe & deinceps spiritũ per retortam in arena rectifica, tandemque cum spiritus vini rectificati partibus æqualibus coniunge, & in vase circulatorio aut pellicano in cineribus commacerando, atq; iterum rectificãdo, spiritus istos, vini scilicet

& sali-

& saliū inseparabiliter vnitos, & spiritum salis cōpositum notandæ virtutis inde conficies, ad vitā in multos annos propagandam, sanitatemque conseruandam, morbosq; propellendos egregium auxilium.

In primis autem Ictericis summè prodest, Hydropicis item verminculosis, dos. grana 6. 8. in vino aqua vitæ, & alio appropriato, ad Hygæian singulis septimanis semel, vel bis duntaxat: exterius illitum podagram lenit; in aqua vitæ, vel tiliæ Epilepsiam curat: deniq; quicquid de oleo seu spiritu Salis apud *Paracelsum*, aliosq; neotericos patet, idipsum hic potētissime præstabit.

Porro qua ratione omnium vegetabilium Sales elegantes fieri possint, supra *lib. 1. cap. 13.* docuimus. Hos tamen si transparentes, & Salis Nitri instar pellucidos ac crystallinos habere velis, tunc recipe cuiuscunq; vegetabilis cineres probe calcinatos, eosq; vicissim in reuerberij furno cum pari sulphuris vini florum quātitate mixtos calcina, quoad omne sulphur ab igne crematum fuerit, tandem aquæ calentis beneficio salem extrahe, filtra coagula, seu vt artis est, in loco frigido in crystallos age. Hi Sales & optimi sunt, nec lixiuiū redolent, nec facile in deliquium abeunt, sed mirifice operantur: v. g. Sal Absynthij hoc modo paratus per vomitum purgat, pectoris & ventriculi impuritates expediendo, si ℈ß. cum ℥ij. a. q. propriæ assumatur; qui Sal etiam in tertiana magni secreti loco adhibetur, vt & eiusdem Salis spiritus, qui in Hydrope magnū est remedium. Sic autem è vegetabilium Salibus preciosos spiritus destillabis:

Recipe Silicum contusorum, Sabuli puri, Salis cuiuscunq; vegetabilis v. g. Absynthij a. q. s. per retortam loricatam, primo lento igne, ne Sal fluat, destilla, mox vbi spiritus albi prodierint, fortiori igne, flammæ scilicet, pelle, vt etiam spiritus sicci prorumpant. Phlegma in B. rectificando abstrahe, & capiti mortuo ad Salem extrahēdum calidam affunde, extractum filtra, coagula, coagulatum vicissim capitis mortui extractione sępius repetita destilla, donec totus sal in spiritum abierit; qui spiritus Salis dicitur cuiuscunq; vegetabilis, qui mirabilis est in vsu medico, pro varia simplicis ex quo fuit extractus natura: propriæ herbæ essentiam & tincturam mirè extrahit, ad medicos vsus admirabilem.

Spiritus salium vegetabilium

Sed hæc hactenus de Sale, nūc deinceps de Aceto disserendum.

ACETVM.

Italicè Accio: *Gallicè* Vinaigre: *German.* Wein essig.

NEC suâ laude in cibis condiendis frustrandum Acetū (quod *Plinius* vinum nequam; & *Albertus* vinum mortuum vocauit) cùm à plerisq; ad gulam, appetitumque irritandum, & in condienda re cibariâ affatim expetatur; ideoque in conseruandis edulijs, Sali viribus proximum est, at vi non ita diuturna: nisi enim post aliquot menses, priori effuso, recens cō-

dititiis rebus infundantur, muco re, limoq; obducuntur. Qua autem vi & facultate polleat, tum ex multis, tum maxime ex ea experiri licet, quod ouum acerrimo aceto tridui ſpatio maceratũ, aut paulo plus, in eam teſta teneritatem molleſcat vt tenuis mẽbranæ inſtar, per annuli, aut vitri alicuius anguſtiam adigatur. Coticula quoq; aut ſilex, ſeptem dierum ſpacio aceto domitus, digiti attritu in puluerem reſoluitur. Hinc Hannibal cùm alpes ſibi peruias faceret, atq; Italiæ inhiaret, feruenti aceto ſaxa diſſoluere ac diſſilire coëgit, alterius oculi iacturâ; tanta eſt enim ac tam penetrabilis Aceti vis, vt ſaxa corrodat, ac comminuat: Huius rei experimentum fecit Cleopatra AEgypti Regina, in ſumptuoſa Margarita, quam aceto immerſam, ac liquefactam (nam eius vis aſpera Margaritã in tabem reſoluit) abſorbuit. Simili ratione venenis reſiſtit; ac peſtilentis morbi contagia repellit, vt conſulte facere videntur, qui graſſante morbo populari, moderatum Aceti vſum, ſibi familiarem reddunt. Diſſipat enim ac diſcutit vitioſũ aërem, & ſi quid in corpus hauſtũ eſt, prohibet humores infici, ac putreſcere. Sic qui venena ore emũgunt, ac ſordida vulnera exugunt, acri aceto os colluunt. Verum id ſtudioſè obſeruandum, ne nimius eius ſit vſus, nam cerebro ſiccitatem infert, & ſomnum excutit, ideo aliquid aquæ roſaceæ admiſcendum, & vini pauxillum, crociq; momentum, ſic enĩ minus incommodi caput accipiet. Eius dẽ fere indolis ſunt, quæcunq; impẽſe acida & acerba ſunt vt Mala Citria, Medica, Aurantia, Limones, & id genus alia.

Aceti facultates

Dioſcorides Aceti facultates deſcripturus *lib. 5. cap. 17.* Acetum frigidum pronunciat, & ſtomacho vtile, multorumq́; remediorum vices oportune ſuſtinere. *Galenus* vero *8. ſimpl. cap. 10.* ex contrarijs conſtare qualitatibus aſſerit: Cũ enim acidum ſit, idem & frigidũ iudicauit: Cùm verò incidendi. attenuandi, terramq́; fermentandi vi polleat, calidũ putauit. Vnde cùm contrarij in ipſo aceto ſe prodant effectus, ſtrenuè hacten' in ſcholis deſputatũ eſt, & adhuc ſub iudice lis eſſet, num ſcilicet frigidum, an verò calidum ſit acetum? niſi Hermetici philoſophi, veri abditioris naturæ ſcrutatores, & tantę litis iudices, inuolutã veritatis lucem, è dẽſiſſimis ignorãtię tenebris, artis ſpagyricæ beneficio, in apertam hãc ſcænam protuliſſent. Hi igitur præmiſſa vitali Aceti anatomia, ideo Acetum acidum deprehenderunt, quod vini ſpiritu, cæleſti illa eſſẽtia, arcto illo vinculo, occultos, & acidiſſimos ſalis Armoniaci ſpiritus frænante, ac, quo minus ſuas exerant vires, coarctãte, ſpoliatum ſit; non autem quod ſit frigidum: nam & aqua, licet frigidiſ-

Dioſcor. & Gal. de aceto opiniones.

Aceti anatomia.

ſima

ſima ſit, non tamen acida eſt, ob ſpiritus ſcilicet ſalis Armoniaci defectum? Hic enim Sal volaticus, & ſpiritualis, detractâ per ſeparationem, igneâ vini ſubſtantiâ, ſeſe acore ſuo manifeſtat, & quo generoſius fuerit vinum, eo & acrius illud Aceti fermentum, vehementioresq́; & maximè penetrãtes ſpiritus ſeſe in apertum dabunt, ita vt acidus, & atteuans aceti ſapor, diſſoluensq́; facultas, tenuiſſimæ, penetrantiſſimæ, atq; ſpirituoſiſſimæ ſalis armoniaci eſſentiæ, Aceto inexiſtenti ſit adſcribenda, non ſimplici frigidæ qualitati, quæ non aliâ ratione accidit, quam quod æthereo illo ſpiritu, vinu m ſit orbatũ, quo pręſente, nunquã Acetũ fieri poſſet.

Aceti Vires

Sed ad aceti vires redeamus, ſtimulat, vt antea diximus, appetitum, cibisq́; permixtum, blando ſuo acore, viſcoſos & craſſos ſuccos ventriculi parietibus inhærẽtes, incidit, abſterget ſopitumq́; natiuum calorum firmat, acuit, excitat, & muneri ſuo obeundo idoneum reddit: corporis item putredines arcet, vermes enecat, venenis, & peſti potenter reſiſtit. Ex aceto itaque & conſimilibus aceſſentibus ſuccis, rite depuratis, fiuntintinctus, embammata dicta, & variæ ciborum cupediæ, de quibus, infra.

Caueant tamen ab aceto Mulieres, quæcunq; hyſtericis affectibus vexari conſueuerunt: Melancholici item, emaciati, decrepiti, contracti, & caligantes oculos habentes.

Varia à varijs parantur Aceta tum ſimplicia, tum medicata, vt eſt paſſulatum, garyophilatũ, Cãphoratum, Sambucinum, Saluiatum, Anthoſatũ, Roſaceum, Rutaceum, Calendulatum, & Rubi Idæi (maxima in peſte præſidia) Squillinum, Theriacale. &c.

ACETVM SQVILLITICVM.

CVM hoc Acetum in vitæ propagatione, valetudinisq́; conſeruatione tantopere & è veteribus Medicis & à Neotericis laudetur, vt paulo poſt dicemus, eius hoc loco talem ex *Quarcet.* præparationem damus: Scyllæ bene maturæ laminæ inter cor, & corticẽ mediæ ex arte purgatæ, & in orbiculos ſeu taleolas cultro eburneo, vel ligneo ſectæ, Soli aut remiſſiori calori exponantur 30. vel 40. dieb⁹. Ad huius paratæ, & minutim inciſæ ſquillæ libram vnã lagenæ, aut vitro capaci inditæ, affundantur aceti optimi libræ 6. vel 8. & 40. diebus vaſe probe clauſo ſolaribus radijs exponantur: tandem omnibus diligenter colatis, vſui reponantur. Quidã vnã vel plures ſquillas ab externo cortice emundatas, panis paſta probe inuoluunt, mox cum reliquo pane debito tempore in clibano coquunt, & ijs hoc modo paratis & lento calore iterum exiccatis in aceti ſquillini confectione vtuntur. Hermetici longe breuiore tempore id opus abſolnunt

uunt, furni ſcilicet Athanoris igne, ex cineribus inſtructo, qui cum diu, noctuq́; perſeueret, totum opus 15. dierum ſpatio, expediunt. Tandem materiam ita digeſtam, & fermentatã, adhuc calentem per colum transmiſſam, vitreis vaſis probe munitis ad futurum acetum reponunt, quod poſtmodum nullam vel nauſeam vel vomitum, vt alias fere fit, excitare ſolet. Salubre & optimum eſt hoc Acetum ſcylliticum, vt ait *Galenus*; Ab ipſius enim authore fertur, quicunq; hoc vtatur, lõgæ vitæ fore, & eius extrema ad finẽ vſq; permanſura. Et ipſe quidem Samius ſenex huiusmodi extitit, quantumuis enim temporis vixerit, haud ignoras: de ipſo in libro traditum eſt, quod cum ſuis conſanguineis hanc facultatem communicauit, cumq́; illo medicamento vti cœpit 50. annorum natus erat, & vſq; ad 117. vitã produxit integer, nulla vnquam aduerſa valetudine tentatus. Hæc ſane medicamenti author diſſeruit, quod fortaſſe vir philoſophus erat, mẽtiri neſcius. Nos vero huius viri, & fidei periculũ fecimus, ac firmam, conſtantemq́; huius medicamenti facultatem eſſe teſtamur. Huius Aceti parum mane ſorbeto: Tibi autem hæc euenient, vt ne faucium, orisq́; partes vnquam remolleſcant, os vẽtriculi bene valebit, facile ſpiritũ duces, vox recte habebit, oculi acutiſſime cernent, aures in officio manebunt, nullusq́; flatulentus vapor vnquam in ventre excitabitur, nullum viſcus ſuſpenſũ erit, & bene ſpirans, beneq́; coloratus deges: ad ciuilia negotia recte affectus, non acidum, non ſalſum ructabis, ſi aliquid illius aceti ſumpſeris: ieiunus autem vt ſumas præcipio, ſeptemq́; poſtea ſtadia deambules, ita enim diſſoluetur. Hoc aceto qui vtitur, in victu quantumuis licentioſus eſto: omnia enim cibaria conficiet, & à nullo vnquam offenſam patietur, neq; valde implebitur, ſed in melius proficere videbitur, nec ſuperuacui quicquam in corpore reſidebit, non flatus, non bilis, nõ ſtercus, non vrina, ſed omnia facile excernit & educit. Aluus lubrica omnino eſt, totiusq́; corporis purgatiuum medicamentũ etiamſi oſſibus excrementa inhæreant. Phthyſicos item ab omnibus deploratos, hoc medicamẽto ſanitati reſtitutos nouimus: Morbo comitiali diuturno efficaciter profuit, vt niſi poſt longa temporis interualla non redierit; incipientem vero ac nouum perfecte diſcutit, neque de integro hunc redire permittit: Ad podagras præterea, & articulorũ morbos, iecoris, lienisq́; durities, vehementer facit. Et particulares quidem aceti ſquillitici effectus hi ſunt: Hucuſq; *Gal.* Et hoc vnum ex præcipuis remedijs Longæuitatem conſeruantibus eſt, quo Pantheum hoc noſtrum illuſtrare, &

Aceti ſquillitici vires.

re, & nobilitare, candidumq; Lectorem donare voluimus.

ACETVM THERIACALE, *Bezoarticum, & ad pestem præstantissimum*

Recipe Radicum Aari, Angelic. Dictamn. alb. Morsus diabol. Zedoar. Imperator Leuist. Hirundinar petasit Bistort. Scorzoner. Pimpinel. Aristoloch. Cardopat. Ostrutij. Gentian. Carlon scordij. a. ℥ ij. Baccar. laur. Iuniper. Heder. arbor. a. ℥j. Myrh. Thur. a. ℥jß. Croci ʒß. Semin. Rub. Cardui benedict. Citri a. ʒiij. Herbar. & flor. Salu. Anthos Scorp. Flor. Tunic. Veronic. Scabios. a. Mß. Theriac. Venet. Mythridat Elect. de ouo a. ℥jß. Omnibus crasso modo tusis affundantur Aceti acerrimi libr. 6. vasi vitreo indita per mensem radijs solaribus exponantur, tandem colatis omnibus, vsui reponantur. Dantur in peste ℥jß. ad sudorem; ex eodem fiunt Epithemata ad cor, ad pulsus &c, mirè enim hoc Acetum & curat, & præseruat.

Vegetabilium Aceta. E floribus varijs, vt Rosis, Floribus Tunicæ, Papaueris, Rhæados, Calendulæ, Saluiæ, Anthos, &c, varia fiunt, & parantur Aceta: v.g. Impleatur vitrũ floribus fragrantibus Tunicæ, affundatur acetum optimum q.s. & vase clauso, soli exponatur, habebis acetũ in peste, morbisque contagiosis longe præstantissimum.

Aceti destillationes variæ. Hermetici nostri ad extrahendas rerum essentias, acetum fortissimum è vitreis cucurbitis vel per balneum, vel per cineres primo lento igne insipidum phlegma destillant, in quo occultus aceti spiritus latet, præserum, si paulo viuidiore igne phlegma pellatur: Mox cùm aciditatem sapore & odore deprehẽderint, mutato recipiente, illam aciditatem ad extrahendas rerum vegetabilium essentias excipiunt: Quod si ad metallicos labores hoc aceto vti animus sit, tunc aucto igne eousq; destillant, quoad omnes rubei spiritus expulsi fuerint, citra empireumata: Quod si acriore adhuc opus sit acetum hoc destillatum fæcibus affundunt, & repetitis cohobijs destillant, auferendo semper per balnei leuem destillationem, phlegma. Quod si radicato aceto opus sit; relictas in fundo fæces aperto vase calcinant; Huic calci acetum affundũt iam destillatum, & per arenam è retorta toties repetitis cohobijs eleuant, quoad omne sal cum aceto ascenderit. Quod si quis acetum Alcalisatum exoptet, acetum fortissimum in arena destillet ad mellitam consistentiam; huic sapę affundat aq. destillatam ad 6. digitorũ eminentiam, mox loco frigido aut cellæ indita, crystallos expectet, aqua illa per inclinationem effusa, recentem affundat, iterumq; crystallos expectet, idq; toties, donec nulli amplius exurgãt. Collectos crystallos aqua calente dissoluat, filtret, coagulet, quoad diaphani appareant. Ad horum ita paratorum libram j. affundat aceti quartò à phlegmate separati lib. 4. & ex retorta per cineres aucto per grad-

igne destillet, tandem fæces residuas calcinatas etiam admisceat sic habebit acetum Alcalizatum.

In aceti destillatione nos aliã methodum obseruamus: Vinum optimum quercino dolio exceptum solaribus radijs exponimus, & vt citius in acetum forte abeat eidem pastam è forti fermento, oui vitellis assatione induratis, zingibere, pipere, & hordei modico confectam, certa dosi addimus, vt & tartarum calcinatum: Acetum hoc modo vel alio quouis paratum, nõ destillamus; nullum enim acetum igne destillandum, ne propria terra seu tartaro in quo omnes aceti vires consistunt, spolietur: sed triplici filtro inuicem superposito per filtrum duntaxat destillamus, sic enim acre, & verum, suoq; innato tartaro imprægnatum obtinemus.

Hoc ipsum acetum, prædicto nostro modo rite præparatũ, præuia philosophica digestione, è Veneris centro, ad Saturni, debito pondere, mensurâ, ordine, ac proportione iunctorum, sphærã ingenioso Vulcani artificio pellimus, tandemq; elyxir prædictorum planetarum terrestrium immensis viribus imprægnatũ prolicimus, non tantum ad Apoplexias, Epilepsias, Vertigines, Cephalalgias, Asthmata, Hydropas, Colicas, Nephriticos, Hystericos, venenatos ac contagiosos affectus edomãdos, sed potissimùm ad longæuitatem propagandam, sanitatemq; sartam tectamq; cõseruandam, lõgè præstantissimũ. Cuius vsu corpus ab omnibus impuritatibus liberatur, à futuris præseruatur, & sublatis impedimentis, humidum radicale sartũ, tectumq; conseruatur: ideoq; & nobilissimo hoc medicamẽto Pãtheum hoc nostrum nobilitare, & ditare voluimus.

Omphacium.

Ad hanc quoq; classem spectat Omphacium quod Italis agresta Gallis Voirius; German. Agrecht dicitur, succus scilicet ex omni immaturarũ vuarum genere expressus, soli expositus, & ab omnibus sordibus mediante fermẽtatione defæcatus: Omphacium ne minimum quidem caliditatis obtinet, nec ita vel tenue est, vel corporis meatus ita expeditè penetrat, vt acetum: nec enim solũ acidum est, sed & acerbum; ideo ad ardentia hypochondria, præstantius est, ipso aceto, quod *teste Galeno* nec tantam violentiam, nec tam ferientem frigiditatem, nec tantam mordacitatem caliditati admistam possideat: & tali medicamento, sine vlla violentia agente, ardores & ignes Hypochondriaci tractari debent. Et hæc vnica ratio est, quod Omphacium ardoribus summe tùm internis, tùm externis conueniat *teste Galeno 4. simpl. 2.* Frequentius autem mixtum sumitur per os, tam alimentis ad voluptatem, quam medicamentis ad sanitatẽ: eo enĩ alterata iuscula, faucib⁹ & palato

palato gratissima sunt: eo condimenta acidata, prostratum reuocant appetitum: eiusq; vsu cordis, ventriculi, iecorisq; ardor extinguitur, sanguinis feruor & ebullitio contemperatur, nec ventriculus alimenta auersatur: quæ omnia recte expedit, syrupus de agresta vocatus, sic ad vsus præparandus:

Syrupus de agresta. Recipe succi Agrestæ, debita digestione à fæcibus optime separati lib. 5. saccari fini debito modo cocti lib. quatuor cum dimidia, fiat ex arte syrupus, ad prædictos vsus suauissimus: In eundem finem fit etiam Rob de Agresta, sumendo succi huius depurati libr. 2. & saccari fini libr. 1. coquendo simul ad debitam consistentiam.

Agrestæ loco vtuntur vulgares, præsertim in locis Bacchum non agnoscentibus, succo depureto vel pomorum, vel pyrorum syluestrium, quem ad varias ciborum conditūras, ad pisciumq; elixationes affatim adhibent: leni enim adstrictione flaccescentem ventriculum roborat; sanguinis, iecorisq; ardores, & calidos bilis æstuantis impetus mitigat, frænatq; & febriles calores magno iuuamento compescit.

Acetum ex lignis. Etsi de aceto hactenus sat multa dicta sint, iuuat tamē in Lectoris gratiam partim ex *Beguino*, partim ex nostris aduersarijs modū facilem adferre, quo ex Lignis Quercino, Iuniperino, Buxino, Coryllino &c, in scobem vel serraturam actis, Acetū, seu acidos liquores in vsu tùm medico, tùm spagyrico, præstantissimos elicere possimus. *Beguinus* prædictorū lignorum scobem e retorta sicci balnei igne ad siccitatem destillat, mox oleum ab aqua destillatione separat, vel saltem chartâ bibulâ; aquam super colcothar, aut proprios cineres affusam, per arenam rectificat, phlegma ab acido liquore separādo: Hoc aceto vtitur tùm ad Corallia, & Margaritas dissoluendas, tùm ad vegetabilium tincturas extrahendas, Aduersaria nostra, recentiū lignorum ramenta per retortam igne aperto ad siccitatem destillant; destillatū liquorem per maris balneum à phlegmate separant, & acidum liquorem ad vsus reponunt, ad extrahendas rerū tincturas. Quidam idem opus expediunt, factâ per descensum destillatione. Ex omni demum plantarum genere acetum acerrimum, & succum essentialem ad varios Medicinæ vsus præstantissimum sic parabis.

Acetum ex omnibus plantis. Recipe v. g. Veronicæ, vel Angelicæ q. s. & per philosophicas digestiones purum ab impuro separa; mox ad succi ita depurati libram, spiritus vini rectificati adde ℥j. tādem vitreo vasi bene obdurato inclusa, soli expone, & breui acerrimum acetū habebis, præsertim si aliquid fermenti & zingiberis addideris.

Et quoniam *cap. 12. libri primi huius operis*, vbi preciosorum lapidum & gemmarum solutiones, & essentias tractamus, aliquoties

Acetum terebinthinatũ aceti Therebinthinati mentionẽ fecimus, illud hoc etiam loco in lectoris gratiam adscribere voluimus:

Recipe Terebinth. Venet. lucidæ ac claræ lib. 2. affunde vltimæ medietati aceti destillati lib. 2. destilla in arena, primùm lento igne, donec acetum cum spiritu Terebinth. sit egressum, mox aucto igne exibit oleum flauum, & aqua rubicunda acerrima, at oleo rubeo fluere incipiente, à labore cessandũ, & spiritus Terebinth. atq; rubeum oleum ab aceto separãdum tritorio, & ipsum acetum solum supra zingiber rectificandum: quo omnes lapides soluuntur.

MEL:

Italicè Melle: *Gallicè* Miel: *Germanicè* Hönig.

MELLA sunt roscidæ dulcedines è rosis, fæniculi, anisorumque floribus, violis, garyophillis, ligustris, Borragine, cichorio, œnanthe, origano; thymbre item thymi, serpilli, Melissæ, erui, fabarum, pisorum, Euphrasiæ, Tiliæ, arboris, orchidis meti, & id gen' floribus fragrantibus, apicularũ industria exuctę, & suis aëreis vẽtriculis digestæ, & rostello in cereos alueolos expiratæ. Mel præcipue Atticum laudatur, quod ex Hymetto adfertur; hinc Siculum Hyblæum, ab Hyble vrbe dictum vt hodie mel Narbonense, Vngaricum &c, omnium autem præstantissimum est, *teste Galen. lib. de Antidot. cap. 17.* quod & dulcissimũ & acerrimum est; colore pallidũ: consistentiâ nec crassum: nec cõcretum nimis, sed probe vnitum omni ex parte, ac thymi acrimonia præditum, atq; æstiuo tempore collectum: & tale minus facile in bilem abit.

Pura mella, purum homini nutrimentum præbent, & cerebro, oculisq; auras maximè limpidas, vt eorum sensus recreentur, exhibent; ideo *Plin. lib. 22. cap. 24.* & Pallionis Romuli, & Augusti Imperatoris exemplo probat mel, & potissimum mulsum, corporis animiq; viribus reficiendis, sensibusque acuandis, & augendis peraccommodatum esse. Sic olim terra Israelitica Mellis abundantissima non solum fuit, sed & Israelitæ mellis vsum familiarissimum habuerunt, vt videre est, *Exodi 33. Num. 13. Deuter. 6. & 8. Ierem. 11. 32.* & multis alijs in locis. Illud autem mel, quo Ioannes Baptist. pro cibo est vsus, quodq; Ionathas sceptri intinctu gustauit, syluestre erat, per medias syluas fluens, vt etiam *teste Plin.* in monte Carina, in Thraciæ item & Hyrcaniæ montibus, cùm apes in locis quoq; syluosis, arborum cauis, & petrarum cauernis (vnde *Deuter. 32. & Psalm. 81. mellis de petra scaturientis fit mentio*) quò sæpe apum examina confugiunt, mellificare consueuerunt; quod demum vel ventis cauas ilias arbores perrumpentibus, vel solis calore mellis fauos in arborum cauis, vel petris existentes, resoluẽte, in syluis fluere videtur. *Hieron.*

Mercurial.

Mercurial lib. 2. variar. lect. cap. 23. ex Eudoxo Guidio apud Apollonium tradit Gysanteras, quæ gens erat Africæ, ex floribus collectis, in illis locis mel confecisse ea copia, vt qualitate etiam apum mellificium æquaret. Docet & *Eustachius* mellis vsum apud veteres plurimum fuisse, quo non solũ corpora ante sepulturam, ne tabe consumerentur, oblinebant, sed mel ipsum τρόφιμον esse, *Pythagoræ* testimonio dicebant, qui cum frugalissimè viueret, sæpe solo Melle erat contentus *Lycus* arbitratus est, Cyrnios, qui Sardiniam incolebant, ideo longius viuere, quod perpetuum illis mel escarium esset. Ideo *Valleuola lib. 3. locor. com.* melle (quod detergendi atq; calefaciendi potestatem habet) senibus plurimum vtendum consuluit, modo suæ valetudinis rationem habere, illęsâq; in multos annos senectam producere velint. Id autem & Antiochi medici, & Telephi Grammatici exemplis probat, qui senes annosi, Attico melle, & pane halicaue exepto, plurimũ vtebãtur, *teste Galeno 5. de sanit. tuenda*: tum Pollionis Romuli exemplo quem 100. annum excedentem, cùm Augustus Imperator interrogasset, qua nam ratione maximà illum vigorem animi, corporisq; custodisset? Intus melle, foris oleo, respondit. *Plin. lib. 2. cap. 24.* scribit Democritum Abderitam senem plurimum melle delectatum, quo vitam propagasse fertur: Idem interrogatus, quo nam pacto quis sane degeret? respondit, *si interiora melle, exteriora oleo madefierent.* Christus quin etiam post resurrectionem spectantibus discipulis de pisce assato, & mellis fauo comedit, tùm vt resurrectionis veritatem, & veram corporis sui præsentiam cõfirmaret; tùm vt mellis fauo dulcissimum, ac diuinorum oraculorum symbolũ exhiberet; cùm mel diuinæ sapientiæ sit symbolum; quo veteres olim *teste Plutarcho* in deorum sacrificijs vtebantur, nulli corruptioni obnoxiam deorum naturam indigitãtes.

Galenus 11. Simplic. scribit mellis naturam, separatum quid esse, tum à plantis, tùm ab animalib⁹: Reperitur quidem inter plantarum quarundam flores, & folia μιλὸ, at illarum plantarum nec fructus est, nec succus, sed eiusdem cum rore generis mel censendũ est, fructus scilicet cœlestis, quẽ apiculæ innata industria è floribus, & plantis odoriferis exugere, inq; aëreo ventriculo concoquere, elaborare, & in eam redigere dulcedinem consueuerunt.

Mellis facultates. Mellis facultates quod cõcernit, etsi in iuuenibus, calidis siccis, ac biliosis ventriculis facile in bilem abeat, proinde tales à mellis vsu abstinere debeant; multas tamen & insignes habet virtutes mel, cuncta enim incor-

rupta seruat ideo antiqui, vt diximus, mortuorum corpora ante sepulturam melle condiebant; & hodie omnis generis fructus, pyra, poma Cytonia, pruna, cerasa &c, vt citra corruptionem diu asseruari possint, melle condiuntur: Senes viuaces, & longæuos conseruat, quibus magnum alimentum præstat: calculosis confert; post vinum, assumptum, ne vini vapores caput feriant, prohibet; torpentem ab humorum viscedine appetitum, sua abstergēdi virtute excitat, crassius sputum incidit, educitque, ideoq; in pectoris expectorationibus, tussi & asthmate magnum vsum habet. Quæ verò cum melle parantur & condiuntur edulia, ac obsonia, nisi probe concoquantur, jecoris, lienis, ac mesenterij obstructiones pariunt. Quod si plena manu ad satietatem & frequētius mel edatur, scabiem, præsertim in biliosis corporibus, gignit venarum oscula aperit, humores educit, & euocat, ideo sordidis vlceribus, & fistulis commodissime infunditur: illitum, lendes, & pediculos enecat; decoctum impetigini medetur; oculorum caliginem discutit; faucibus, tonsillis, anginæ collutum, garganzatumq; prodest; vrinam ciet; eiusque sale, penis carunculæ, magni secreti loco persanantur.

Ignea vere legas, & mella nitentia succo
Sub ruffo, hyberno tempore lecta mala.
Dulcia sint somnis blandum lenimen. & imo
Pulmoni, turges si tamen, illa fuge.
Hæc stomachū reparant, hæc à putredine fœda
Omnia tutantur; gloria magna apibus.
Sed nihil aut modicū hoc ventri, mirabile maius
Quod nocet educunt, quod iuuat, illa tenent.
Humores sumptū mel terget, commouet aluum,
Subuenit anginæ, sæpe relinge, tuæ.
Si crudum est inflat, sed coctum tussibus obstat
Esca est arenti commoda iurè seni.
Excitat vrinam, oculos caligine mundat,
Et frangit rabidi dira venena canis.

E melle varia & vtilissima parantur remedia, non crudo tamē quod ventrem, & intestina flatibus distendit; sed cocto & rite despumato, quod senibus in vniuersum, & frigido temperamento prędītis perutile est; vt iam panes dulciarios, liba varij generis, variasq; mustardæ cum melle præparationes, florum, fructuum, & radicum conditura, tùm ad appetitum conciliandum, tùm ad morbos sanādos &c, silentio inuoluamus.

Mel rosatum. E melle Dogmatici varia quoque & vtilissima remedia parare solent: vt mel rosatum, violaceū, anthosatum &c, v.g. Sumunt florum rosarum rub. nondum penitus explicatarum, & in mortario tusarum lib. 2. coquunt in aquæ cœlestis lib. 4. fortiter exprimunt expressioni colatæ addunt succi rosati depurati, & mellis optimi despumati a. lib. 4. & ad debitam consistentiam redacta, vitreis vasis reponunt, quo non solum ad roborandum & mundificandum stomachum, sed etiam ad humorum viscosorum præparationes vtuntur.

Paratur & ex melle mellicratū vino-

vinosum magnarum virium hoc modo:

Mellicratum vinosũ.

Recipe mell. opt. Narbonens. lib. 10. aq. cœlest. lib. 60. lęto igne in amplo aheno despumentur, deinde adde in nodulo salu. Artemis. Hysop. Hormin. exiccat. Origan. Beton. a. M. 1. Baccar. Laur. crasso modo tusor. lib. ß. florum Lupulor. M. iiij. Hord. integri. M. 1. bulliant ad tertiæ partis casum, semper despumando, idq; tantisper, quoad ouum crudum iniectum supernatet, deinde per manicam Hippocr. traiecta dolio vinum generosũ redolente, & circulis probe munito excipiantur, & cellæ imponantur; post trium dierum ebullitionem, sequentia oblongo nodulo inclusa impendantur: cinamom. garyophil. galang. piperis a ℥j. Tandẽ facta & absoluta post aliquod dies fermentatione, dolium eodem liquore seorsim seruato repleatur, arcteq; obduretur, relicto intus vltimo nodulo.

Post tres menses habebis mellicratum vinosum, linguam iocundo sapore feriens, exhaustos vitæ spiritus mirificè reparans; obtusiores senio sensus illustrãs, hebetiorem visus aciem, auditusq; grauitatẽ sanans, & Omnibus principibus corporis partib⁹ robur addens, ita vt iurè languescentis Senij refocillatio, caloris natiui restauratio & ad omnes frigidos senectutis morbos saluberrima medicina dici possit. Verùm qui Tartari tincturam elicere norunt, illiusque in singula tam Hydromelitis vinosi dolia, quantum oui putamen capit, addunt & fermentum certa dosi addere norunt, vt in hydromellite vel melicrato ebullitio producatur, potionem efficiunt, nil mellei saporis habentem, & nunquam acescentem.

HYDROMEL VINOSVM.

SIMILI fere artificio, præsertim verò vrgente canicula Hydromel vinosum ad prædictos vsus longe præstantissimum parabis, hoc fere modo:

Recipe mellis Narbonens. granulat. lib. 10. aq. cœlest. depuratæ lib. 50. coquantur in spatioso cacabeo lento igne ad tertiæ partis casum, spumã quàm diligentissime ligneo perforato cochleari auferendo: perfectæ coctionis signum est, si ouum crudũ iniectum supernatet; tandem triplici filtro, dum adhuc omnia calent, transmissa, dolio quercino, vini maluatici sapore adhuc imbuto indantur, & integro mensis spatio feruentissimo soli exponantur, indito tamẽ prius oblongo saculo albi synapi pleno, cum filo appenso, vt suo tempore extrahi possit. Ad dicti Hydromelitis libras 30. adijce lib. 1. succi depurati Lupulor. tandem elapso vno, vel altero mense dolium in cella repones.

Sic habebis præpotens, & vinosum Hydromel, senibus, & frigidis corporibus, catharro ac defluxionibus obnoxijs, asthmaticis item, paralyticis, podagricis, epilepticis & calculosis vtilissimũ Ex hoc hydromelite breuissimo temporis spatio fortissimum acetum hoc modo parabis:

Recipe piper. longi & rotund. Nucist Cinamo. Zingib. a. ʒiij. cum panis fermen-

fermento q. s. impastentur cũ dicto Hydromelite, & f. orbiculi, quos in vini aliquot mensuras inijce, statim per se bullire incipient stent in loco calido, vase aperto, mox acerrimum acetum habebis.

Ex prędicto tum Mellicrato, tum Hydromelite vinoso, arte chymica præstantissimum mellis spiritum hoc modo elicies:

Spiritus mellis. Rec. dicti Hydromelitis vel mellicrati vinosi mens. 2. destilla per arenam. destillatum per se aliquoties in balneo rectifica, sic habebis ardentissimum Mellis spiritum, quo tanquã secretiore philosophiæ spagyricæ claue, ac menstruo, non solum vegetabilium essentiæ, & tincturæ extrahuntur, sed & interiora duorum Luminarium terrestium arcana pandũtur, metalla, lapides pretiosi, gẽmæ, in essensificos liquores soluuntur, quibus demum non solum Astrales Microcosmi affectus curantur, sed & humor vitæ nostræ balsamiricus, à continuo effluxu, quantum arte fieri potest, vindicatur.

Aqua mellis. Destillatur quinetiam Aqua mellis tum alba, tum flaua, ad oculorum suffusiones & maculas, pilorum casum &c tum rufa, ad sordida & serpentia vlcera: verùm difficilis est admodum huius aquæ destillatio, eo quod mel vel leuiter vim ignis percipiens statim insurgit, & alembicum petit; ideo lento admodum igne cinerum, vase probè lutato, quo minus vis ignis penetret, destilletur vase ad quartam saltem partem repleto, exibit primò aqua albescens, mox flaua, tandem ruffa, vt dictum.

Tinctura mellis. Mellis tincturam ad nutriendos phthysicos longe præstantissimam sic parabis: Melli despumato affunde lotam arenam, vt pastæ instar densetur, affũde proprium spiritum ad 2. digitorum eminentiam, stent in loco calido donec spiritus mellis tinctura im prægnetur, hunc decanta, alium affunde, idque tantisper, quoad omnis prolecta fuerit tinctura; Tinctos demũ spiritus per chartam bibulam filtra, & reuocato spiritu, coagula.

Crystalli mellis Post vltimæ aquæ mellis, ruffæ scilicet destillationẽ, caput mortuũ calcina peroptime, huic calci aquam primam mellis rectificatam & calentem affunde, sic enim salem extrahes, extractionẽ filtra, euapora ad mellis cõsistentiam, tandem cellę imposita, breui crystallos dabit, qui repetitis solutionibus, filtrationibus & coagulationibus iterum vel in spiritum ardentissimum destillari, vel in oleum resolui possunt.

Oleum mellis. Mellis oleum sic parabis valde vtile & præstans:

Recipe mellis albiss. cum suo fauo lib. 2. tartari in puluerem acti lib. 1. Misce & vasi indita vitreo, 14. dieb. in ventre equi putrefac, destilla per retortam, emanabit primo albescens mox flauescens aqua: Hanc capiti mortuo redde, putrefac vt prius 14. diebus: iterum per retortam pelle; id tertium repete, tandem præstantissimum oleum habebis. Alij mellis lib. 4. affundunt acetum ad 4. digitorum eminentiam, & per arenam destillant

stillant aquam acerbam; qua rectificata Corallos & Margaritas soluunt: tandem & oleum effluit; fæcibus calcinatis propriam aquam affundunt, soluunt, filtrant, coagulant in salem, cui oleum addunt, vt fortius reddatur, magnum in febribus putridis remedium.

Fit & ex melle quinta essentia, Elyxir &c. de quibus consulantur Hermetici, qui eiusmodi ex professo pertractant.

Hydromel solutiuum, quouis laxatiuo remedio præstantius, ac suauius, & ad vitam protrahendam iocundissimum.

Ad mensuras 4. prædicti Hydromelitis vinosi, certo dolio inditi, impone suo tempore florum pruni tum domestici, tum syluestris persicorum fumiterr. violarum, rosarum prouincial. a. q. s. digerãtur ad solem aliquot diebus; sub fermentationis finé adde Mechoac. albiss. Rhabarb. Rapont Turbith. gummos. a. ℥j. Folior. senæ elect. ℥ij. Polipod. querc. vnc. j Semin Anisor. Fænicul. Coriand. pp. Cinam. Galang. Calam. aromat. a. ʒij. Digerantur ad solem, infundendo subinde vnc. j. succi lupulorum. depurati; facta demum debita fermentatione, & ebullitione benedictum hoc Hydromel in aliud dolium excipiatur, & colatũ vsui reponatur. Dos. vnc. ij.

SACCARVM:

Italicè Zucharo: *Gallicè* Zuchret: *Germanicè* Zucker.

Saccharum, Zucharum, Græcis Μέλι καλάμινον, seu mel calaminũ, aut harundineum, & *Galeno 4. simplic. 7. & Method. 8.* Mel Cannæ; quibusdam etiam Sal Indus, cum colore salem, sapore vero mel repræsentet, magno quoq; in precio hodie habetur, non solum ad culinarios vsus, ciborũ, fructuũ, florum, seminum, & radicum cõdituras, sed etiam ad varia cõcinnanda remedia: Vtrum autem saccarum antiquis etiam innotuerit, etsi multi dubitent, facile tamen constat, si saccari naturam & originem consideremus, illud & veteribus innotuisse, licet modus, quo hodie in salis & candorem, & duritiem concrescit, illis fuerit ignotus. *Galen*, enim *8. Met. & 7. simpl. Dioscor. lib. 2 cap. 75. Plin. lib. 12. cap. 8.* vnanimes scribunt, esse mellis in cannis concreti genus in India & felici Arabia inuẽtum, & illinc deportatum: *Seneca* scribit apud Indos hoc mel in arundinum folijs reperiri, & salis instar super calamos concrescere: *Archigenes* mel arundineũ vocat, noctis frigore arundinibus adglutinatum. *Paulus AEgineta* salem Indum vocat, quod interdiu superueniente solis calore induretur, & ita concretum, salis effigiem referat. *Alexand. Aphrod. 2. probl. 74.* mellis coagulum vocat, sole scilicet rores cogente, & in eam dulcedinem conuertente. *Auicen Fen. 1. Conon. 4. tract. 2. cap. 23. de linguæ asperitate in febricitantibus curanda loquens* ait: *Aut ore contineat salem, qui ex India aduehitur, qui colore salem, dulcedine verò mel repræsentat.*

Saccarũ Antiquorum

Aliud etiam Sacchari genus

apud veteres, ex arundinib' quibusdam, earumdemq; radicibus exprimebatur, quo liquidi mellis instar tùm in cibo, tùm in potu vtebantur, quod ex AEgypto potissimùm & Indijs afferebatur, & Mauritanis mel Cannæ nuncupabatur: inde illi versiculi *Varron. Narbonens.*

Indica non magna nimis arbore crescit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeunt succo contendere mella.

Eiusdem succi meminit etiam *Lucan. poet. 3. Pharsal.*

Quiq; bibunt tenera dulces ab arundine succos.

Strabo lib. 15. non solum illas arundines exprimi, sed & decoqui solitas fuisse, memoriæ prodidit. *Solinus cap 65. de India scribens*, inter alia hæc addit: Quæ palustria sunt, arundinem creant ita crassã vt fissis internodijs, lembi vice victitet nauigantes: E radicibus eius exprimitur humor dulcis, ad melleam suauitatem. Harum etiam arundinarum meminit *Galen. 4. simpl. 14.*

Saccarũ recentiorum. Saccarum recentiorum seu officinarum, succus est plantę bene contritæ (*quam Monardes lib. 2. epist. ex Lusitanorum relatione dicit exteriore specie magnæ arundini similem, interiore substantia dissimilẽ, pulposam, grauem, mollem, & succi plenã*) expressus, ignis calore plus minusue excoctus, coactus, & defæcatus: qui quo plus coquitur, eo purior & magis elaboratus euadit, candescit, & dulcescit; coctione enim depuratur, defæcaturq;, ideoq; ex multiplici coctura, diuersos quoq; recipit bonitatis, candoris, ac densitatis gradus, quoad demum aluminis fere scissilis specie trãsluceat, quod hodie saccarum candum, seu tabaretz nuncupatur, quodque ex quarta vel quinta coctione resultat. *Saccarũ candi.* Saccarum quod post multiplicem defæcationem & excoctionem, ad verum & soliditatis, & bonitatis fastigium peruenit, & perfectionis finem est consecutũ hodie saccarum finum dicitur, *Saccarũ finum.* purissimum & præstantissimum, mutuato à Fine nomine, quod scilicet candore, duritie, ac suauitate ad bonitatis finem peruenerit: Cùm è contra non Finum lentum, humidum, nigricans, fæculentum, & insuaue sit, & primæ decoctionis duntaxat: inter hæc duo extrema, cætera intermedia & bonitate, & præstantia secundum magis & minus differunt.

Optimi saccari descriptio. Nostrum igitur Saccharũ optimum & præstantissimũ est, quod durum, solidum, & mutuo metarum allisu ligni sicci, ac solidi ad instar sonorum existit, tamen ob siccitatem & imperceptam raritatem leue, dulcissimum, candidissimũ, & niuis instar scintillans, cohærens: quale valentinum in metas pyramidum æmulas paruas coactum, carissimum, & siccis confectionibus aptissimum. Huic precio, & dotibus proximum est Madere, vel Medere dictum, in maiores metas coactum. Affertur &

tur & ex Canariæ Insulis saccarū intus etiā albidum, prædictis tamen bonitate inferius, maximis metis constans. Ignobilissimum demum est (siue sit Thomæum, siue Malthęum, aut Melitæū, siue Miscellaneum) foris albidum, intus subrubrum, metis æqualibus, omnino glutinosissimum, confectionibus parandis ineptum, conseruis tamen & syrupis concinnādis idoneum, pręsertim vero vsui culinario destinatum.

Ex iam dictis constat nostrum Saccarū ab Antiquorū primo saccaro, sale illo Indo dulci, ac melleo rore in arundinū folijs vi solis coacto & concreto differre materia, forma, efficiente, loco, vsu, & viribus. A veterum autem saccaro secundi generis, nostrū non differt genere, cum vtrumq; sit plantæ seu arundinū succus: licet veterū saccarum maiori ex parte expressione & decoctione; nostrum vero decoctione duntaxat resultet, ignis scilicet calore tamdiu liquorem tamdiu coquente, & consumante, donec salis albidi instar concrescat, induretur q; , ita vt veteribus iste decoctionis modus non fuerit ignotus, sed ob succi illius suauitatem, quo potionis vice vtebātur, sponte neglexisse.

Saccari facultates. Saccarum magnam profectò cum Melle affinitatem habet licet ex arundinibus fiat. Melle tamen & calidius & siccius est, ideo q; & calidis & frigidis obsoniis cōmodè miscetur; cum sese in omnem fere naturam cōuertat, neq; caliditatem, neq; frigiditatē adaugens, sed potius temperans. Vim abstergendi citra acrimoniam possidet, præsertim illud, quod ex prima duntaxat coctione adhibetur: quod purius est, nec ita calidum est, nec tanta vi abstersoria pollet. Aluo, & stomacho idoneum est, deterget, digerit, linguæ asperitatem & siccitatē tollit: renibus, & vesica vexatis medetur. Illitum ea discutit, quæ oculorum pupillis tenebras offundunt.

Saccharū tamen in calidis, siccis, ac biliosis temperamētis, facile in bilem abit, ideoq; ab frequentiore, illius potissimū, quod calcis viuæ lixiuio & candidius, & finum magis redditur, vsu arcendi Iuuenes, quibus nocentissimū est saccharum: dū enim frequēter & saccaro, & saccaratis confectionibus vtuntur, pessimà scilicet Italorum, Hispanorum, & Gallorum consuetudine inescati, perpetua siti vexantur, sanguinem contrahunt retorridum, vt & icterū cachexiam, cum refractaria internorum viscerum obstructione, & cōtinuo capitis reumatismo: faciei pallore etiam, anhelitus fætore, & dentium nigrore fere vexantur. Nam etsi cādido illo colore, & dulcoris suauitate incautos decipiat, si tamē interior eius Anatomia ob oculos ponatur, sub illa albedine deterrimam nigredinem; sub eoq;

dulcore acerrimos, acutiſſimoſque ſpiritus, vel cum aquis ſtygijs ſeu fortibus certantes, partibus vitalibus, & reſpirationi dicatis infenſiſſimos, is facile repererit, qui in officina chymica ſeſe exercuerit; in qua mediante Vulcano varia & præclara è ſaccaro etiam eruuntur Arcana, Eſſentiæ, Tincturæ, Olea, Salia, & id genꝰ.

ſyrupus Alexandrinus.

Ex ſaccaro fino, & aqua roſarũ fragrantiſſima, in duplici vitreo vaſe, ne quid expiret, paratur iulepus roſaceus, ſeu ſyrupus Alexandrinus, cui ſi addatur ſpiritus ſeu aqua ardens roſarum, vel aq. cinamomi, & ad debitam conſiſtentiam coquãtur, habebis præſtantiſſimum cõfortatiuum. Poterit autem varie tingi ſaccarum, nam ſi illud viride expetas, id vel ſucco caulium, vel anethi, vel ſolani, aut rutæ conſequeris, quo confectiones, vel ſyrupi adhuc calentes in aheno aſperguntur: aut ſaccarum cum ſucco coquatur. Cum ſucco Baccarum Sambuci, vel florum frumenti, in aceto ſolutorum q. ſ. ſaccarum cæruleum efficies: at ſi cum ſucco florum Ireos coquatur, purpureum euadet: cum ſucco iuglandium, vel gallarum, vel myrobalanorũ in aceto dilutorum q. ſ. fit ſaccarum nigrum.

Saccari coloratio.

Saccari ſolutũ.

Saccari ſolutum, præſtantiſſimum ſane remedium hoc modo parabis:

Recipe v.g. Aq. cinamomi opt. vel Aq. violar. frangrantiſſ. ſoluatur in ea ſaccari finiſſ. q. ſ. coque, & inſpiſſa, mox affunde ſucci violar. cum aq. violar. expreſsi q. ſ. iterum parum coque, tandem ſi velis cryſtalliza: eodẽ modo cum roſis procede: quod ſi ſaccari ſolutum acidum exoptes, tunc decoctionibus affunde ſuccum vel citri, vel limonum, aut berberis, aut acetum montanum.

Nos ad reficiendas moribundorum vires & ſpiritus, ad lypothymias & ſyncopas præcauendas, ad caput, cor, & ventriculum roborandum, ad ſenes reficiendos, nutriendoſq; ſitim ſedandã, flatuſq; diſcutiendos, ſequenti elyxire ſaccarato, cinamomi & moſci viribus impægnato, auri poculenti loco vtimur:

Elyxir ſaccaratum.

Recipe ſaccari finiſsimi in tenuiſſimum puluerem redacti lib. 1. ſpiritus roſarum moſci eſſentia imprægnati tantundem, phialæ philoſophicæ indita, igne vaporoſo in liquorẽ agantur; huic liquori adde vini alcool quater per ſphæram philoſophicã acti, & acutiſsimi cinamomi eſſentia imprægnati ℥iiij. olei cinamo. ʒj. ſolutionis auri ʒſſ. miſc. & in vaſe Hermetico ſuo tempore circula, doſ. cochlear 1.

Saccari potabile.

Fit & ſequenti modo nobiliſſimum ſaccari ſolutum.

Recipe ſaccari chryſtallini in farinam acti q. ſ. ſpiritus vini optime rectificati etiam q. ſ. ſpiritum conchæ argenteæ inditum. cereâ candelâ accende, & ſaccari farinam aſperge, & ad debitã conſiſtentiam conflagrare ſinito, & cola: matutinis horis magno ſucceſſu exhibetur diſpnoicis, tuſsiculoſis, & ægrè ſpirantibus, & frigidæ conſtitutionis hominibus,

quique

quiq; obstructiones à crasſis humoribus patiuntur; hoc enim modo minus caput tentare, & colliquationes efficere poterit, estq; aſſumptu gratiſsimus potus.

Quidam tres aut 4. partes ſpiritus vini, cum vna parte ſaccari candi rubentis & in pollinem acti, vitreæ ac firmæ ampullæ includunt ita vt ſaltem tertia eius pars ſit repleta; mox vitro hermetice clauſo, in balneum vaporoſum inferunt, & ſenſim aucto igne ad ſyrupi, aut iulepi conſiſtentiam excoquunt. Cum tabidos recreare voles, vino punico puro, vel etiã maluatico, aut alio generoſo veteris: vel ſubſtitues deſtillationes caponum, aut reſtaurantia iuſcula. Confert vbi paucum, celeriterq; nutriens alimentum requiritur. Conualeſcentes enim non ferunt copiam, multã tamen reſtaurationem deſiderant: hac arte, & naturæ commodabis, & palato placebis, Nihil autem prohibet inter coquendum & panẽ ſimilagineum, optime coctum, & extractam paſſularum pulpã addere, quæ ſi clarificata exoptes, ſæpius per nutricam Hippoc. agantur, aut Pelicano ſeparentur: ſatius tamen fuerit naturæ, quam vel oculis, vel linguæ conſulere. Saccarum etiam aceto per licinias, aut filtrum deſtillato (vt ſupra docuimus) vel proprio eius ſpiritu ſolutum, vt oxiſaccarum fieri ſolet, febribus eſt vtile: pro vulgari aceto, acetum vel ſquilliticũ vel oxymel ſquilliticum ſubſtituitur: ſic enim facies præclarum ad phlegmata incidenda, ad obſtructiones pulmonum, hepatis, lienis, renum &c, ſoluendas medicamentum, quod & calculoſis prodeſſe poterit. Idem ſaccari ſolutum fieri poterit, cum tinctura florum tunicæ cum vini ſpiritu, aut proprio liquore acetis montanis acuato.

Oxyſaccarum.

Saccari extractum ſic parabis: Saccarum vel aceti ſpiritu, vel aqua roſacea, aut meliſſæ, aut cinamomi ſolue; ſolutionem digere, cola; deinde inſpiſſa; ſolue iterum, digere, filtra coagula, donec purum habeas liquorem, ad ſyrupi conſiſtentiam redactum, tandem affunde vini ſpiritũ, vt aliquot digitos emineat, & ſecundum artẽ tincturam extrahe. Si dulcorem vis augere, ſolue ſaccarum decocto carnis dactylorum, quantum ſolui poteſt; deinde facta prius colatura, per vini ſpiritum, factis repetitionibus extrahe.

Extractũ ſaccari.

Beguinus Saccari tincturã hoc modo parat, ad ſaccari in pollinẽ acti & in matracium poſiti librã, affundit aceti deſtillati cochlearia duo, & ad calentes cineres 6. horis digerit, mox ad duorum digitorum eminentiam vini ſpiritũ rectificatum affundit, digerit, tinctum ſpiritum decantat, addit alium, donec amplius non tingatur; tandem tinctos ſpiritus per chartam bibulam tranſmiſſos, Balnei calore à tinctura ſeparat, manente in fundo rubea ſaccari eſſentia, aquis poſtmodum cordialibus

Tinctura ſaccari.

dialibus circulanda. Vsus est ad syncopas,& animi deliquia, cum aqua & oleo cinamomi.

Oleum saccari. Quod si oleum saccari habere desideres,saccarum crystallinum decies optimo vini spiritu pota, nutri,vel imbibe intercedentibus exiccationibus, deinde teneræ syndoni inclusum, super scutellā humidę cellę inditur,vt deliquescat.Liquor in Balneo destillatur manente in vasis fundo oleo. Quidam maluatico ad tres digitos affuso,saccarum soluunt, destillantq;. Vel saccarum rosacea solue: solutione candentium laterculorum fragmenta perfunde destilla per retortam. Alij ouorū albuminibus miscent, coquitur, despumatur, & lento igne destillatur: effluit aqua dulcissima; ascendentibus deinde fumis, auctiore igne oleum destillatur. Vsus aquæ, ad tusses, & asthmata: oleum salsis & biliosis tùm vlceribus,tùm vulneribus conducit, vt & cutis impuritatibus. Alij præmissa putrefactione ex saccaro oleum rubini instar, & phlegma acidum,aceti instar extrahūt. Nos ad *Beguini* imitationem,saccari finissimi crasso modo tusi libram,cum spiritus vini rectificati lib. 8. miscemus, in scutella argentea, mox spiritum accendimus, semper spatulâ mouendo, donec conflagratio cesset, tandē additis duabus aq. rosaceæ fragrantissimæ libris parum coquimus, & vsui reponimus; corroborat,& â pulmonum refrigeratione tussi laborantibus certo experimento opitulatur.

Saccarū solutiuum. Saccarum solutiuum, quo delicatuli purgandi decipiuntur,sic parabis:

Recipe v.g.vel rhabarbari,vel fol. senæ,turbith.hellebori,vel radic. esulæ &c.probe tritæ lib.1. ollæ indātur,& alia olla super imposita optimè lutentur,impone igni circulari 6. horis:quibus elapsis & ignem auge, & carbonibus ollam tege,vt 6. iterū horis omnia candeant. Tandem omnibus refrigeratis, rhabarbarum ritè calcinatum exime,pulueriza,vasi vitreo impone, & aquam rosaceam acitatam,atq; calentem affunde vt tribus digitis emineat,& per horæ spatium calidis cineribus digere; tinctā aquam effunde,aliam affunde,quoad non amplius tingatur. Aquas coloratas per balneum destilla, ad dimidiam partem; cum hac residentia, vnam vel alteram saccari crasso modo tusi libram pota,nutri&combibe,intercedentibus ad solem, vel calidam fornacem exiccationibus,quoad tota aq.fuerit ebibita. Sic habebis saccarum purgans iocundissimum, & mirifici effectus. Dos. ʒj. vel ℥ß. Vel spiritu vini,aut aq.cinamomi, animā è Magnesia Saturnina aurea sublimata extrahe; hoc liquore saccarum modice tritum asperge,pota ac nutri ad solem sicca,hoc opus repete,quoad satis fuerit.Dos.ʒj.plus minus.

Syrupus saccaratus nobilißimus.

Syrupi saccarati. Recipe Rabi Moysis : recipe vini maluatici,vel alterius generosi lib.iij. saccari finiss.lib.j.coquantur lege artis ad syrupi consistentiam,addendo sub finem olei cinamomi ℈j. Mosci

Ambræ

Ambræ a. Carat. 2.

Senibus frigidis ac debilib⁹ maximè conuenit, quibus &humidũ radicale, & calor natiuus minuuntur:nutrit enim ſanguinem generat,& partes principes ſpiritibus replet. Eodem modo cum ſaccharo penidiato, &aquis thoracicis, pulmonariæ ſcilicet Hyſtopi,Tuſſilaginis,Ireos,Veronicæ, ſcabioſæ &c fit ſyrupus ad phthyſin, affectusq; thoracicos præſtantiſſimus.

Cum Aquis Folior. Querc. pediculor.roſarum,Torment. Burſæ paſtor.Cētinodiæ,ſanguiſorb. Biſtort.&c paratur efficax ſyrup⁹ ad ſanguinis fluores ſiſtendos.

Sacchara grata magis tibi dulcis arundo miniſtrat
Liber adi,hic nocuæ nec timeantur apes.
Cumq; minus Caleat,minimũ ſiccata videntur,
Omnia cara,mihi ſint meliora noua.
Pectoribus,ſtomacho frigenti aptiſsima.Mella
Si minus abradunt,ſunt magis apta gulæ.

OLEVM;

Italicè: Olio; *Gallicè:* Huyle.

Duo ſunt gratiſſimi corporib⁹ humanis liquores; intus vinum; foris oleum:quorum moderatus vſus ad delitias & honeſtam voluptatem gratulanter conceſſus eſt, vt apud Regium pſaltem videre eſt; *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis*; *Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet*: Horum tamen vſum ad luxuriam, delicatas ac molles corporum inunctiones, potionesq; vnguentarias vertêre Græci, omnium vitiorum genitores. Oleì natura eſt humectare tepefacere corpora, & contra algores munire: vnde olim omnibus poſt defatigationem cibum ſumpturis,commune erat,ſi balneum non in promptu foret, in calido loco, vel ad ſolem, vel ad focum vngi,atq; ſudare. Vtebantur enim olim veteres oleo,& inunctionibus *teſte Plin. lib. 22. cap. 24.* & *Athen. lib. 2. Dipnoſoph.* quod naturâ membra tepore foueret, & contra algores muniret, & ad agillitatem artus redderet lubricos. Vt enim ocreæ duriores, ac coria, quæ rigeſcunt, ſituq; ſunt obducta, oleo macerata molleſcunt:ita hominum,ac potiſſimũ Senum corpora,vino perfuſa,mitiora fiunt, minusq; rigida ac tetrica: oleo verò atq; vnctiones, etſi apud pleraſq; gentes propemodum in diſſuetudinem venerint,eorumq; vſus exoleuerit,tamen & ſenum & iuuenum corporibus ſalubriter adhibentur; his enim ea præſtamus, ne denſo externo ventorum impulſu feriantur,ac ſuccumbant:vel laxa efficimus,ne interna humorum fuligine ſtrangulentur. Quin & cutis oleo imbuta, venena reſpuit, adeo ſi quis cutem admotis cauterijs, erodente medicamento exulcerare pergat, illamq; oleo perungat,fruſtrabitur, operamq; luſerit, nec enim adhæreſcunt, quæ applicantur, nec penetrant. Intus quoq; aſſumptum, virus acrimoniam retũdit, hebetat, venasque

nasq; ſubire prohibet, ac confeſtim id vomitu exturbat. Oleum vni, vel alterius generis liquori ſuperfuſum, prohibet ne vel vapeſcat, vel corrumpatur, aërem enim arcet, omneſq; vapores, qui putredinem inferre poſſunt, excludit.

Oleum inſuper oportuniſſimum eſt multorum ciborum cõdimentum (vt iam varios ac multiplices eiuſdem in chyrurgia, & pharmacopæa vſus ſilentio inuoluamus) quo ad frigendos tũ piſces, tùm oua, carnes, olera, fructus, varioſq; Quadrageſimæ cibos vtimur: eodem & gratiſſima parantur acetaria, placentulę, iuſcula, tàm è fabis, quàm piſis, alijsue leguminibus expreſſa, ſuauiſſimè condiuntur. Sit autem oleum probe maturum, flauum, pellucidum, minime rancidum, & optime defæcatum. Tale enim butyro & bonitate, & ſalubritate, vtilitate ac neceſſitate merito præfertur: Reluctatur enim quibusuis corruptionibus, & putredinibus: cuiuis enim liquori ſuperinfuſum, eum à putredine vindicat; Hominis cutẽ à vento, & frigore conſeruat, fouetq; ,ſanitatem tuetur, lætitiam & gaudium iuuare perhibetur, accedente præſertim grati odoris ſubſidio. Idem teſtatur diuin⁹ pſaltes: *Impinguaſti caput meum oleo: Et, vt exhilaret faciem in oleo.* Intus aſſumptum, veneni acrimoniam, vt iam dictum, retũdit, & vomitu cõfeſtim exturbat.

Olei electio.

Olei dotes.

Cum limonum ſucco hauſtũ, ad excludendos infantium Vermes, ſingulari remedio habetur:

Pingue oleum mollit ventrem, humetq; calenti
Temperie, & pingui fert alimenta cibo.
Hoc ſine nil condita ſapit Lactuca, ſed vnde
Inſipidum cum ſit, deijciatq; famem.

Ex oleo oliuarum varij vſus parantur medicata olea, quale eſt Roſatum, violatum, Camomelinum, Anethinum, Cheyrinum, Iaſmininum, Sambucinum, Myrtinum, Saluiatum, Maſtichinum, & id genus ſexcenta, quæ ſuos in Medicina habent vſus; at vt eiuſmodi olea colore, ſapore, odore & c inditis vegetabilium vel floribus, vel frondibus reſpondeant, vt ante dictorũ infuſionem, olea & à rancedine, vireſcente colore, cæteriſq; fæcibus liberentur; hoc fiet multiplici tum aquæ pluuiæ, ablutione, tum coctura; tum etiã quando olea capaci vitro indita, & affuſa calente aquâ diu multúmq; quatiuntur, tandem vt fæces & turbidos colores deponãt, aliquandiu reſident, quoad limpida euadant, è quibus ita paratis, facile omnis generis olea medicamentoſa, colore, ſapore, & odore inditorum ſimplicium vires referentia, concinnari potuerunt.

Ex oleo quinetiam oliuarum, & præſertim antiquo, arte deſtillatoria & aqua & ſal paratur: Aqua ruffa ſic habetur: Calefac in ahena olei oliuar. lib. 4. vt fumare incipiat, poſtea cum refrixit,

Aqua Olei oliuar.

cucurbitæ

cucurbitæ impone & collũ crassa spongia optime infarcito, mox adhibito bene munito alembico lento satis igne eiusdem semper gradus destilla aquam rubẽtem, cui cùm pingue quid supernatare cæperit, à destillatione cessandum. Hæc aqua etsi longæ durationis non sit, tamen calculum & renum & vesicæ potenter excutit, quamuis ingrati sit saporis, & capitis dolores facile exciret. Postea destillando perge igne paulo auctiore, effluet oleum aquæ adinstar, residentem in fundo materiam turbidam ac crassam in vas vitriatum effunde, & tantundem aquæ fontanæ affunde, supernatabit olei residuum, quo vnà cum liquore effuso, residentẽ materiam liquidam destilla, effluet pura aqua, quam euaporando exicca, residebit in fundo sal purpurei coloris, quod maximam purgandi vim obtinet.

Sal Olei Oliuarũ purgans.

CAPVT II.

De vario ac multiplici Aromatum in cibis condiendis Vsu; deq́; eorundem Essentijs, Tincturis, Oleis, Salibus, ac Syrupis, ad Vitæ propagationem, Sanitatemq́; conseruandam multum facientibus.

QVAMVIS *Cicero lib. I. de Finib.* scitè admodum scripserit, optimum cibi condimentum famem, & potionis, sitim esse; varia item & multiplicia condimẽta, seu gulæ irritamenta, Græcis ἀρτύματα, ὑδύσματα, & ἐψήματα dicta, maxima soleant esse valetudinis nocumenta, qualia sunt Sal, Acetũ, Mel, & Saccarum, de quibus præcedenti capite egimus: Septentrionalium tamen & frigidarum Regionum Incolæ, prædictis cõdimentis non contenti, plurimis etiam aromatibus è calidis regionibus aduectis, non solum ad ciborum & obsoniorum condituras, sed etiam ad rem medicam cum fructu vti consueuerunt. Mirandum interim quod nostri Germani, relictis multis egregijs plãtis, patrio & cælo, & solo natis, atq; insigni facultate aromatica præditis, ad exoticas plantas, aromaticosq́; tum fructus, tum semina, cortices, atq; radices, non solùm peregrino & exotico tum Cælo tum Climate; aëre, ac solo productas: sed etiam ob locorum distãtiam, vecturæ difficultatẽ, & mercatorum incuriam, dolum, fraudemq́; rancidas, marcidas, putrescentesuè ac verminosas confugiant, cum tamen fertilissima Germania non minus aromaticas plãtas condiendis cibis & opportunissimas, & saluberrimas tam è domesticis hortulis, quàm syluosis, montosis, ac campestribus locis depromptas in dies subministret, quales sunt Amaracus, Rosmarinus, Saluia, Lauendula, Spica, Costus, Nardus, Daucus, Basilicum, Mentha hortensis, Pulegium, Origanum, Serpillum, Thymus, Nasturtium, Piperina, seu Lepidium Piperitem Germanicum seu Hispanicum, Cerefolium, Aaronis item Imperatoris Leuistic, ac An-

gelicæ radices, & aliæ ſexcentæ, quę inſigni ſuo ardore, mordicatione & acrimonia ita ſæpe os, linguamq́; & palatum vellicant, feriuntq́ue, vt cum quouis Zingibere, pipere, Cardamomo, Macere, Cinamomo &c, certare videantur. An non videmus radicem Benedictæ Garyophyllatę, verno tẽpore lectam, purgatam, vinoq́ue infuſam, illud & ſapore, & odore vſqueadeò gratum, iocundumq́ue reddere, vt eidem vel ipſos Garyophyllos Indicos infuſos quis iudicet? verum cùm noſtro hoc æuo nihil placeat, niſi quod vel carum, rarumq́; ſit, quodq́ue vel Indiam, vel Aſiam, Africam, AEgyptumq́; reſipiat, nos quoq́;, vt candido Lectori ſatisfiat, ad Aromaticas officinas accedemus, & quid, quantumq́; ad vitæ propagationem præſtare valeant, videamus, facto à Cinamomo initio.

CINAMOMVM:

Italicè Cinamomo, Canella: *Gall.* Canelle: *German.* Zimmatrŏhr.

Cinamomum, Canella, Caſſia odorata, ſeu Xylo Caſſia, apud probatos authores, vnum & idẽ ſunt medicamentum, quamuis Xylocaſſia extimus ſit & craſſiſsimus illius arboris cortex: Cinamomum verò ſeu Canella, interior, tenuior, odoratior, præſtantior, & ad vſum multò commodior. Probatur autem cortex, qui in planis ruptus, puluiſculum odoratum exhalat, nec ſcaber eſt, atq́; inuicem tritus contumaciter fricatur, & inhorreſcit, guſtu mordax & cum ſalſedine feruens, quale eſt Cinamomum Moſyleticum vocatum, Xylocaſſiæ odoratæ, cui Moſyliti nomen, ſimilitudine proxime accedit. Cinamomum *Galeni* temporibus adeo rarum, & carum erat, vt eo ſoli Imperatores vterentur, & curioſè in ſcrinijs ſeruaretur; Huius tamen Aromatis præſtãtia effecit, vt ad nos è peregrinis regionibus copioſiſſimum, & præſtantiſſimum aduehatur. Eſt autem Cinamomi ſeu Canellæ arbor ſylueſtris, ſpõte naſcens, oleæ magnitudine, multis & erectis ramis, folijs citri colore, lauri effigie, floribus candidis, fructu nigro, & rotundo, paruarum oliuarum magnitudine. Eius eximia vis in cortice eſt; excalefacit, concoquit, menſes & partũ accelerat, cor, & ſtomachũ mirè roborat, anhelitus fætorem corrigit, concoctionem iuuat, viſcerum infarctus reſerat, vrinam ciet, viſum acuit, caput exiccat, virales ſpiritus recreat & tenuium partium ratione, cæteris aromatibus minus calefacit; Imo quomodocunq́; ſumptum fuerit, capiti cõfert, eius deſtillationes exiccãdo, & phlegmaticos humores diſcutiendo. Hydropicis, & Iecoris obſtrutionibus eſt ſalutatare; contra venena, & venenatorum morſus ſumptum cõfert. Et licet magni ſit ad omnia vſus; moderatè tamen eo vtendum, præ-

ſertim

fertim in biliosis & siccis corporibus, ne immodico vsu sanguis excandescat, & aduratur. Coqui eo fructus, volatilium, & quorũdam animalium carnes transfigunt.

Iam Coquus exposcit redolentia cinnama, sordent.
Omnia, ni properes, nec sapit esca liber.
Hæc oculos, stomachumq́ acuunt, tremulosq́ lacertos,
Sistunt: hic sicca est, nec pituita fluit.
Artubus hæc vires iam torpescentibus addunt,
Et iecur, & renes, putreq́ pectus alunt.
Tædia vexatæ matricis, & ilia tollunt
Turgida, vesicæ prouida languidulæ.
Tot bona cum pariant, quis non quoq́ crederet Aurum
Posse dare? Hinc nimium Cinnama iactat Arabs.

E Cinamomo acutissimo arte chymica præstantissima eliciuntur medicamenta, vt Aquæ, Spiritus, Tincturæ, essentiæ, Elyxiria, Olea, Salia, & id genus, ad vitam propagandam, innatumque vitæ balsamum conseruandum excellentissima.

Aromatum aq. destillata. Ex omnibus Aromatibus, vt Zingibere, Cinamomo, Garyophillis, Nuce myristica, Macere, Pipere, Galanga, Zedoaria, Calamo aronatico &c, cum aqua, vel communi, vel cœlesti, vel aquis destillatis Rosarum, Melissæ, florum Borrag. Buglos. Tunicæ, vel etiam cum vino generoso, aut vini spiritu, aut quouis idoneo mẽstruo maceratis, mercurialis liquor fragrans, odorus, & virtualibus aramatum viribus impręgnatus destillatur, hoc, vel alio simili modo:

Aq. Cinamomi Recipe v. g. Cinamomi acutissimi crasso modo tusi lib. 1. Tartari vini albi calcinat. ℥j. fæcum vini cochl. 3. vini generosi lib. iij. aq. rosac. fragrantiss. lib. j. indantur cucurbitæ vitreæ, & vitro clauso in loco calido aliquot diebus digerantur, tandem vesicæ indita, lento satis igne destillentur; effluet aqua lactea, aliquam in se partem sulphuream seu oleosam Cinamomi continens, accurate reseruanda, cùm ad prædictos affectus mira præstet.

Eadem plane methodo cum cæteris aromatibus procedendũ. Quod si compositam, & maioribus viribus dotatam aquam exoptes:

Aq. Cinamo. cõposita. Recipe prædictæ aq. cinamo. lib. ij. Cortic. Citri, radic. Angelic. Imperat. Dictam. alb. Scorzouer. a. ℥jß. macera, digere destilla: Vel post macerationem, exprime, filtra, & tantum saccari fini adde, quãtum dissoluere potest, digere 24. horis in balneo, mox apposito alembico, ad syrupi consistentiam destilla; sic habebis & aquã, & syrupum tùm in peste, tùm in partu accelerando admirandæ virtutis: ante syrupi tamen vsum addantur ℥ij. spiritus vini rectificati.

Syrupi Aromatum. Hoc fere, aut consimili modo, è cuiuslibet aromatis stillatitio liquore balsamitico, piperis scilicet Zingiberis, Nucistæ, Garyophill. Zedoar. Cubebis &c, vt & ex omnibus seminibus calidis aromaticis, Fæniculi, Anisorum, baccis item Lauri, Iuniperi &c. præstantissimi syrupi concinnabuntur, qui veras & genuinas suorum simplicium facultates & dotes possidebunt:

Sirupus cinamomi. Recipe v.g. Cinamo. acutiss. crasso modo tusi ℥iiij. aq. Cinamo. opt. vini generosi a. lib. j. vitro imposita 24. horis in B.M. digerantur: postea colentur, colaturæ adde saccari fini lib. ij. & clauso vitro in balneo vaporoso ad syrupi consistentiam coquantur, qui virium potestate, & saporis iocũditate, omnes aquas Cinamomi facile superabit. Et sic de cæteris; ne idẽ sæpius repetere cogamur.

Spiritum ex Aromatibus, Radicibusue aromaticis hoc modo parabis:

Spiritus Aromatum: Cinamomi. Recipe Cinamomi grosso modo tusi lib. 1. spiritus vini rectificati lib. ss. vasi vitreo imposita digerãtur ac putrefiant 8. diebus; mox affusà prius aqua fontis libra vna, lento igne destilla; exibit primum Spiritus fragrãtissimus & potẽtissimus; mox phlegma Tandem (si v.g. aliquod Gummi, vt Mastichen destillandum susceperis, eumdem enim habent processum) residuam materiam per arenam aucto satis igne destilla; destillato liquori aquam fontanam affunde, & per Balneum destilla, effluet clarum ac flauum oleum, interius assumendũ ad colicos & ventriculi dolores ad ℈ss. forinsecus eodem vmbilicus inungitur, & statim prædicti dolores sedantur. Oleum autem quod in fundo remansit, nec per alembicum trãsire voluit, addita vitrioli calce rectificatur, exibit calidum, rubescensq; & acre oleum. *Oleum mastich.*

Vel etiam sequenti modo spiritũ Cinamomi effeceris:

Spiritus Cinamomi. Recipe Cinamomi acutissimi puluerizati, & aq. rosarum probe irrorati lib. 1. digere aliquot diebus, mox per arenam ex retorta, primo lento, mox fortiore igne destilla, exibit spiritus cum oleo, quibus separatis, spiritum à phlegmate vel per se, vel cũ tartari sale rectifica, sic ad prædictos superius affectus præstantissimum habebis & efficacissimum spiritum.

Tincturam seu Essentiam omnium Aromatum ac seminum Aromaticorũ hoc modo parabis.

Tinctura Cinamomi. Recipe v.g. Cinamomi acutissimi grosso modo tusi lib. j. impone vasi vitreo, affunde spiritus vini tartarizati (cuius supra libro primo meminimus) ad eminentiam 4. digitorum, vase probe clauso in cineribus calidis 8. diebus digere, quoad summẽ rubescant omnia, & tota Cinamomi vis extracta videatur, tandem cola, filtra, & menstruum vel ad siccum vel ad mellitam vsq; consistentiam separa, quæ addito saccari soluto in preciosissimum syrupum redigi poterit. Idem cum alijs faciendum. Vel menstrui loco sumitur aqua, vel proprius spiritus Cinamomi, vel aq. rosarum, Meliss. acetis montanis imprægnata. Ex prædicta Cinamomi Tinctura, additis & Croci, & Santali Citrini tincturis, Elyxir paratur vsu, visuq; iocundissimum, & excellentissimũ. *Elyxir Cinamomi.*

Iam vero oleum è Cinamomo Garyophyllis, Nucista, Zingibere Pipere, Galanga, alijsq; tum seminibus, tum radicibus aromaticis destillaturus, sic procedas:

Oleum Cinamomi. Recipe v. g. Cinamomi acutissimi grosso modo tusi lib. 1. Tartari vini puluerizati M. 1. Salis decrepitati M. ij. probe mixta Vesicæ stanno obductæ imponantur, & adhibito igne tãdiu nuda manu agitentur, quoad manus sudare cœperit, nec amplius calorem ferre possit, tunc affunde aquæ feruentis q. s. vel vt 5. digitos emineat, & addito decenti igne destilla vt

gutta

gutta guttam feriat, ad finem vsque, semper ignem moderando, ne empireumate afficiantur. Omnibus refrigeratis, oleum ab aqua separa; hanc iterum ad eosdem vsus reseruare, vel rectificatam per balneum, vsui reponere poteris. Alij vt multū olej nanciscantur, sic procedunt: Selectissimū Cinamomum, nō puluerizatum, sed cōtractū duntaxat retortæ imponunt & affusa aqua tepente q.s. clauso vase 8. diebus digerunt, & per balneum vaporosum, vel per cineres destillant oleum & aquam; separatam ab oleo aquam vel recenti cinamomo, vel relictis fæcibus affundunt, digerūt, destillant, separant, vt prius, idq; tantisper, donec nullum amplius supersit oleum, relictis in fūdo siccis fæcibus: tandem etiam aquā rectificatam reponunt. Fæces demum calcinantur, & iam dicta aq. propria, vel communi pestillata calēte Sal cinamomi elicitur, quod repetitis solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus, tandem pellucidi crystalli instar emicat.

Sal cinamo.

Olei cinamo. vires.

Hoc oleum rite pararum Chymici inter efficacissima confortatiua reponunt; omnes enim principes corporis partes, cor, cerebrum, hepar, in primis verò frigidum ventriculum roborat, anhelitus fœtorem abigit, reducta in pristinum statum eius suauitate: naturali balsamo proportione respondet, vti & oleum Garyophyllorum, ideoq; vitæ propagationi plurimum conducit, cùm vitales spiritus, & vitæ nostræ balsamum firmet, restauret, ac conseruet, atq; internas putredinēs arceat; vlcera, atq; vulnera forinsecus curet; Tussi item, & capitis doloribus medetur; menses prouocat, partum accelerat, cor exhilarat, & in animi deliquijs singulare est medicamentum. Frigidis capitis affectibus prodest; cachecticis item, & prauo colore fuscatis; senibus, frigidis, ac lāguentibus nobilissima medicina; memoriam acuit, sensus torpescentes reddit vegetiores; mane & vesperi ad guttam 1. cum ☉ liquore sumptum, omnes deperditas naturæ vires reparat; in peste, pestiferisq; morbis magnum est & curatiuum, & præseruatiuū. Vtero tamen gerentibus, ac grauidis mulieribus non exhibendū, cum fœtum facile excutiat. Dosis 2.3.5.7. guttæ pro virium robore, & temperamenti constitutione. Ex eodem oleo parantur tabulæ manus Christi perfectissimæ hoc modo:

Manus Christi perlat.

Recipe Saccari candi finiss. in fragrantiss. aq. Rosar. & Cinamo. q.s. perfectè dissoluti & cocti, adde ol. cinam. gutt. 12. ol. cor. citr. Garyophill. a. gut. 4. Magisterij corallor. perlar. a. ℈ ß. essent. Rosarum gutt. 8. Mosci gran. 2. misc. fiant tabulæ.

Nouimus & alium modum, quo ex omnibus aromatibus per solam expressionem, adhibitis purgatis amygd. præstantissima & efficacissima olea parari possint, verùm cum hisce oleis emptores facile decipiantur, præstat hunc modum silentio inuoluere, quā fraudibus ansam præbere.

Aromatum Balsama, quorum hodie frequentissimus est vsus,

sequenti parantur methodo: Recipe ceram albam aqua rosacea probe lotam, & ab acredine vindicatam, & ad mollem consistentiam redactam; vel eius loco sebum ceruinum, vel veruecinum, eodem modo paratum; *Quercet.* Manna cœlesti vtitur probe defęcata; vel hotum omnium loco, oleum quoddam vegetabile purum, omnis peregrinæ qualitatis expers, insipidum: (*Laurent. Hoffman* idem beneficio Lorchæ omnis alienę qualitatis expertis & vitalis tincturæ ope perficit) huic adde Cinamomi tincturam purissimam, & lēto igne in magma redige, tandē adde etiam certa proportione eiusdem cinamomi Salem, & oleum; sic habebis Balsamum Cinamomi viribus, colore, sapore, & odore ditatum, dotatūque. Eodem plane modo ex cæteris aromatibus; balsamicisq́; & aromaticis plantis, & gummatibus Balsama cōcinnari poterunt.

Balsamus cinamo.

GARYOPHYLLI:

Italicè Gariofani; *Gall:* Girophles; *Germ:* würtz Nagelin.

Garyophilli fructus sunt Arboris cuiusdam exotice in Insulis Moluccis exortæ qui dum adhuc virescunt, cæteros fructus suauitate, & odoris fragrantia superāt; primúm albescunt, mox virescūt tum ruffescunt, tandem solis æstu indurati, & nigricantes ad varias mundi partes, quæstus, & lucri causâ deferuntur: calefaciunt, & exiccant vltra secundum ordinē.

Plurimus est eorum tum ad esculenta condienda, carnesque volatilium transfigendas, tum ad medicamenta vsus. Cordi & Cerebro benefaciunt; Iecori, & stomacho auxiliantur, oris fœtorem emendant, & halitum gratiorem reddunt; concoctionem iuuant, flatus discutiunt, oculorum caliginem auferunt, visum acuunt, venerem stimulant, obstructiones tollunt; syncopi & cardialgiæ medentur, nauseam & vomitum sedant. Sic Garyophyllorum cōfectiones maximis pollent virib⁹ aduersus pestem, pestillentesq; infectiones; adeoq; ex ijs Trochisci pro aëre purgando parantur: eorundem suffitus naribus exceptus catharros discutit, & cerebri obstructiones reserat. Ex iisdem, vt de cinamomo, iam dictum, parantur aquę destillatæ tum simplices, tum composi[illegible]æ, vt & syrupi, Essentiæ, Tincturæ, Elixiria, ad prædictos casus longè efficacissima: Olea item & spiritus maximarum virium. Quod si modus prædictus destillandi oleum ex aromatibus non placeat, peculiari hoc sequenti modo idem efficies leuiore labore:

Recipe Garyophyllorum pinguium crasso modo tusorū, affunde spiritus vini rectificati alcalisatique, vt quatuor digitis emineat, vase clausorum stent in loco calido 24. horis; deinde tinctum spiritum decanta, alium affūde, fac vt prius, idq́; tantisper, quo amplius non tingatur: (ex hac tinctura more consueto, efficacissimus para-

Oleum Caryophyllorum.

tur syrupus) Tinctum spiritum per chartam emporeticam actum, cucurbitæ indito, & per cineres destilla, exibit primo spiritus, mox eo desinẽte oleum, tunc augendus ignis, fortiterq; vrgendum, vt omnimoda fiat olei, à sale separatio. Nota ad singulas prædictæ tincturæ drachmas, singulas vncias salis cinerum sarmentorum, ante destillationẽ esse addendas

Maximus est huius olei vsus ad omnes principes corporis partes confortandas: hoc enim Balsami naturalis loco ad spiritus vitales roborandos vtimur; ad pestiferas ac venenatas auras præcauendas; ad caput firmandum, catharrosq; exiccandos, omnes & sensus vigorandos, memoriã firmãdam, ingeniumq; acuendum vertiginem, lypotimias, ac syncopas curandas, dentium dolores sedandos, obtusum auditum reparandũ; ab Epilepsia item præseruat, frigidos capitis affectus & Melancholica deliramenta præcauet, pectoris angustias, raucedines, tusses, à frigidis, crassisque humoribus excitatas sanat, frigidum & humidum ventriculũ roborat, calefacit, & exiccat; colicos dolores mitigat, flatus discutit, viscerum obstructiones reserat, sanguinem in corpore concretum dissoluit, & in sanguinis sputo, magni secreti loco habetur, vt & in Cardialgia, Cardiagimo, omniq; cordis infirmitate, & Febribus tum Syncopalibus tum Quartanis; torpentem venerem excitat, partibusque genitalibus robur addit, & hystericis etiã mirè opitulatur; in dyarrhæa, lienteria, dysenteria, albo fluxu &c, magnum est remedium. His & alijs præclaris virtutibus pollet oleũ Garyophyllorum Dosis sunt guttæ aliquot guttæ cum aquis, aut syrupis appropriatis, ac specificis.

Balsamus Garyophyl

Balsamus Garyophyllorũ (qui eodem modo paratur, quo Balsamus Cinamomi) eadem planè præstat, potissimum verò suffocationi Matricis conuenit, cum bombace Matrici inditus; roborat cor, cerebrum, ventriculum, catharros frigidos sanat, memoriem acuit, colicos dolores sedat & odonthalgiam; vulnera glutinat.

Torrida si lucus Garyophylla donat odores,
Indicus vt tibi det car terit ista Coquus?
Deiectum reparant stomachum, bis tenebrosa relucent
Lumina, calfaciunt cor, gelidumq; iecur.
Inde volens manus te nobile vincere, cedant
Lutea, & vnguiculis sint calefacta tuis.

NVX MYRISTICA:

Italicè Noce Moscada: *Gallicè* Nois Muscades. *Germanicè* Muscatnus.

Ex INDIA defertur hæc nux, quam etiam Myristicam, Nucistã, & ab odoris suauitate Moscatam, seu Moschocaryon, aut Nucem vnguentariam vocant: recens enim madet pingui & oleoso succo, ita vt in vnguentum exprimi possit. Odorem spirat gratissimũ. Probatur recens, cariei expers, ponderosa, præpinguis, quæ acu puncta

puncta, oleosum statim emittat liquorem; colore in rubrum inclinante.

Huius autem arboris fructus, duplici vestitur putamine; altero extremo, crassissimo, lignoso, per maturitatem dehiscente inutili vt in iuglandibus; altero verò tenuiore ipsam nucem, seu nucleũ proximè ambiente, quodq́ue rubescens sese eleganti facie in apertum promit, dehiscente exteriori cortice: Hoc tenuius & rubeum inuolucrum Macis in officinis vocatur quod etiam desiccata nuce dehiscit, & mutato tandẽ per calorem, rubore, colorẽ quasi aureum acquirit: itaq; macis est nucis Aromatitis inuolucrum ex rubro flauascẽs: Macer verò crassus, lignosus, ac rubescens cuiusdam arboris cortex, gustu valde amarus, & adstringens.

Macis.

Nux Myristica, vt & Macis, temperamento sunt calido sicco: illa stomacho, iecori frigido, & lieni prodest: in cibo vel potu sumpta, oris halitum commendat, concoctionem iuuat, flatus discutit, lienem minuit, alui fluores lientericos, diarroicos, atque dysentericos compescit, præsertim aqua eius stillatitia: odoris fragrantia totum corpus recreat, visum acuit, vomitum arcet. Eædẽ vires Maci adscribuntur, licet in operando paulò sit subtilius. Dysenteriæ, & matricis affectionib⁹ medetur, sanguinem recentem gignit; stomachum, lienem, atq; Hepar, cum matrice roborat, flatus discutit Infunditur myristica poculis, ouis sorbilibus, & carniũ ac caponũ iusculis inspergitur. Eiusdem oleum tum destillatum, tum expressione prolectum, vẽtriculo comprimis est vtile.

India odoratas & crasso rore rubentes
Cum tamen exurant, dat tibi larga nuces.
Hæc stomacho, Iecori, vitiato Spleni, & ocellis
Subueniunt brumâ si modo læsa dolent.
His bene dent, & vix contacta labella famesciũt
Vesica his patula est, has fluida aluus amat.
Quàm malè nux dicta est, matronæ nobile munus
Glãs moscata datur cum male vulua tumet.
Liberat & flatu ventrem, infar Aug; Lienem.
Et scit secretis auxilio esse malis.
Inde sub aduersa dudum valetudine pressus,
Naturæ veniet, q i fuit ante calor.

Ex hoc ipso aromate via iam prẹmonstrata, parantur Aquæ præstantes, syrupi, Tincturæ, Extracta, Olea, Salia, & Balsama, ad iam prẹdictos affectus efficacissima. V.g. Balsamũ vel Nucistæ, vel Macis, caput, cor, hepar, & stomachum roborat, lentis instar, cum vino sumptus: vmbilico illitus colicam, & ventris tormina sedat, & syncopas. Huius, vt & aliorum vsus, est post corporis euacuationes.

Nuces indicas recens conditas ex India ad nos Lusitani aduchũt, quibus ad cor, ventriculumque roborandum magno fructu vtimur.

ZINGIBER:

Ital. Gengeuo: *Gall.* Gingambre: *Germanicè* Ingber.

Zingiberis aut Gingiberis radix

diæ ea optima censetur quæ ex Malauar Indiæ regione ad nos defertur, vbi frequentissima est, & multa cura colitur, alioquin minimè bona. Calidum est Zingiber in tertio ordine, humidum verò in primo, quæ causa est cur carie, nisi probe exiccatum fuerit, obnoxium sit. Arabiæ, & Troglodyticæ regionis populi, folijs zingiberis contra venena, aliaque noxia in cibo & potu vtuntur. Radix vim habet aperiendi, cibos cõcoquendi: venerem stimulat, ventos discutit; visus hebetudinem ab humiditate excitatam excutit, oculorumque aciem acuit; ventriculi & hepatis humiditati opitulatur; lentos glutinososque succos incidit, attenuat, dissoluit, si ad 2. drachmas cũ saccaro & vino hauriatur. Tenella & adhuc virescens radix in taleolos secta, cum aceto, oleo, & sale suauiter in acetarijs editur. At nos nõ nisi sicca, vel dũ adhuc virescit saccaro condita, nullo enim ingenio in nostro solo cicurari potest. Hinc aliqui siccas radices diu multûmq; acri lixiuio singulis diebus mutando, maceratas, lotas, ac tenellas redditas, tandem saccaro conditas, recentium seu viridium conditarum loco exhibent, non citra sumentium periculum; ægerrimè enim radix, hoc modo condita, à ventriculo, præsertim debiliore concoquitur, imò ob longiorem in ventriculo moram, in viscidam, ac glutinosam materiam, quouis glutine tenaciorem conuertitur, quemadmodũ anno 1608. in Reuerendissimo & Illustrissimo Episcopo Basiliensi, & S.S. Imperij Rom. Principe Iacobo Christophoro, Dom. nostro clementissimo pientissimè memoriæ, non sine luctu, & magna totius Episcopatus iactura obseruauimus: Clementissimus enim hic Princeps, sexagesimum sextum ætatis annum plenis adhuc & vegetis cæteris corporis viribus agens, cùm diu multumq; pertinaci ac refractaria ventriculi frigida humida intemperie laboraret, frequentissime, quantumuis dissuadentibus & reclamantibus Medicis, sicco zingibere, iam dicto modo condito vtebatur, cõtractam è nimio aquæ seu fontis Bourignon potu, ventriculi imbecillitatem frustra correcturus; tãdem vitâ sanctè perfunctꝰ, aperto corpore, præter 2. plus minus illius aquæ mensuras, reperimus maximam dicti Zingiberis copiam, in ventriculi capacitate stagnantẽ; partim integram, partim in lentissimum, viscosissimumque gluten redactam, partim etiam iam putrescentem, nigerrimam, & intestinorum parietibus & cellulis firmissime adhærentem, vt nunc illas zingiberis portiones, quas adhuc viuens, & lethali correptꝰ morbo, in dies non sine labore, adstantiumque admiratione per vomitum, non citra frequentes

deliquiorum animi incurſiones optimus Princeps magna copia eijciebat. Nunquam igitur, & non niſi parciſſima manu, præſertim ſi de ventriculi debilitate ac frigiditate ſuſpicio ſit, ſicco hoc zingibere condito vtendum. E zingibere præſtantia quoq; parantur remedia, Aquæ, Syrupi, Extracta, Olea, Salia. Sal enim zingiberis longe præſtantiſſimum eſt Diaphoreticum; vti & Sal Succini inter omnia diuretica primatum tenere videtur. Zingiber laxatiuum ſic parabis:

Recipe Zingib. albiſſ. ℥j. Liquirit. ℥ſſ. Garyophyll. Granor. paradiſ. Macis. Cardamo ã. ʒj. Turbith. gummoſ. cum ol. amygd. dulc. fricati ʒij. Reſin. ſcammon ℥ſſ. ſaccar. fin. lib. 1. Miſc. f. confectio. Vel Recipe Zingib. albiſſ. ℥i. Cinamo. Garyoph. Nuciſt. Macis ã. ʒj. Reſin. ſcammon. vnc. ſſ. ſaccar. roſata diſſol. lib. 1. f. confectio in rotulis.

Ignitum capiti, & pituitæ Zingiber ingens
Antidotum, frigentem tua membra, cape.
Huic tamen innat[illegible] ſi non prius aruit humor,
Vix tamen eſſe poteſt igne tepente ſibi.
Hoc oculis aufert tenebras, huic vivida debent
Omnia ne putreant: Zingiber edocuit.
Hoc odiſſe Venus potuit, ſed maxima ventri eſt
Commoditas, ſiccat, nec minus ille cacat.

PIPER.

Italicè Peuero: *Gallicè* Poyure: *German.* Pfeffer.

Tres Piperis ſpecies potiſſimũ ſunt in vſu Albũ, Nigrum, & Longum. Hoc vehementer mordet, & quia ante maturitatem eſt decerptum, amarum relinquitur. Omne Piper potenter calefacit, at album nigro potentius, & odoratius. Eligitur grauiſſimum, plenum, nigrum, ſine multis rugis, recen[s], minime furfuroſum. Radix in viribus eſt fructu fortior. Piper reliqua omnia aromata ſalubritate ſuperat, & alijs minus calefacit, quo factum, vt quibuſdã refrigerare exiſtimetur: Hinc ante febris acceſſionem cum vino potum, vehementer febrium concuſſiones prohibet. Prodeſt quinetiam morſibus à ſerpentibus frigidis; iecineroſis item, pituitoſis, & crebro tuſſientibus. 5. 6. 8. 10. aut 12. grana, vel craſſo modo fracta, vnam vel duas ante cibum horas ingeſta vel per ſe, vel cum vini aut ſucco aliquo mirifice ſtomachum roborant, concoctionem iuuant, flatus ex craſſis, lentis, crudisq; humoribus excitatos diſcutiunt citra aliquam calidioris iecoris labem. Vrinam cient; cum recentibus lauri baccis pota, colicam, & ventris tormina à flatibus excitata diſcutiũt. Maxime verò ſenibus & frigidis hominibus proſunt, nam cum vuis paſſis comeſta, pituitam in capite ſtagnantem, *teſte Dioſcor.* eliciunt. Idem præſtat piperis decoctum calidum ore detentũ, quod etiam odonthalgiam frigidã mitigat. Cum melle tuſum anginæ inungitur; cum nitro illitum vitiligines exterget, & malas ſcabies ſanat. Piper tamen cholericis, iuuenibus, & mulieribus ſterilibus obeſt. Piperis oleum ſtillatitium præſentaneum eſt remediũ

ad edo-

ad edomandas febres tum tertianas spurias, tum ipsas quoq; quartanas, duabus ante paroxysmum horis exhibitum ad 3, guttas cum scrupulo Myrrhæ; sic enim certo & febrim, & rigorem tollit, si non prima, saltem secunda exhibitione. Nam sale suo penetrante, incidente, ac dissoluente, viscidos; crassos, ac tartareos vētriculi humores resoluit, & discutit, & vel per vrinam, vel per aluum, aut sudorem expellit. In ciborum conditura, præsertim vero piscium crassorum, & glutinosorum magnum vsum habet, sed dextre, & cum sale adhibendum, ne nimia copia plus noceat, quam prosit: Longo tamen pipere in cibis cōdiendis non vtendum, cum nimium sit acutum, nimiumq; & linguam, & interiora vellicet, & ignea sua qualitate viscera plus satis lædat.

Ardet & in neruos, glutinataq; phlegmata fertur
Si Piper, vt nullum siccet aroma prius.
Exacuit stomachum, mollito ventre superbit,
Hoc caueas, feruet si tibi bile iecur.
Corporis huic minimi, numero laus damna rependit,
Plura mouent aluum, meiere pauca iubent.

Olei piperini facultates. Piperis oleum destillatum, aliud nō est, quam aërea piperis pars ab ignea parte, separata, ideoque mira penetrandi & peruagandi corpora potestate pollet; Febres, vt dictum, tertianas certò curat; semel aut iterum in septimana ad aliquot guttas cum prodio sumptum, natiuum omnium partium corporis calorem fouet, firmatq; & sanitatem tuetur; venena cibis inexistentia pellit; natiuum corporis calorem conseruat; catharros, capitis frigidas defluxiones sistit, cerebrum roborat, & calefacit & ab Apoplexia, Epilepsia, paralysi, & vertigine hominē præseruat; oculorum caligines, nebulas & suffusiones discutit; dentium dolores, & aurium sedat; ventriculum calefacit, roborat, concoctionem iuuat, tartareos humores expellit; crassos viscosósque pectoris humores incidit, attenuat, digerit, & viscerum infarctꝰ reserat; febribus lentis, chronicis, & erraticis mirè confert; neruos frigidos, debilitatosque roborat, menses, vrinamq; ciet, calculum expellit; Matricem expurgat, roborat, & ad conceptum idoneam reddit; vasa spermatica calefacit, virilitatem auget &c.

CROCVS:

Italicè Zaffrano: *Gallicè* Saffran: *Germanicè* Saffran.

In Coryco Ciliciæ monte omniū præstantissimus nascitur crocus, fragrantius enim cæteris spirat, & colore plus aureo fulget, Colitur etiam in hortis: Calefacit ordine secundo, siccat primo: Eius moderatꝰ vsus cerebro prodest, sensus vegetiores reddit; sōnum & torporem excitat, cor recreando lætitiam parit, humores ad coctionem perducit, multisq; cōmodis illum beat, qui eo ipso prudenter vti nouit partes nutritioni dicatas roborat, pulmonibꝰ

vtero, dysentericisq; prodest: sit tamen moderatus eius vsus, alioquin caput aggrauat; viscerũ obstructiones soluit, partum accelerat, & vterum à partu sumptũ expurgat. In primis autem pulmonibus conducit, quorum anima esse creditur, & quo solo multi liberantur anhelosi, exhibetur ℈j. cum mosci grano, & vino generoso summo cum fructu.

Fama vetus taceat, cedant pulmenta Luculli,
Cœna coronata est plenior illa croco.
Hic Cilices redolent, ignita cacumina florum
Rubra ferunt cordi gaudia summa tuo.
Si mala sunt capiti, segnes ducentia somnos.
Illa decor stomachus, tristeq; pectus amant.
Si bibit ista vorax, poterit torpore palatum
Ieiunæ hæc verita est sedula causa famis:
At ventrem oblectant, vuluam reserantq; tumentem,
Hæc ede, si risus expetis assiduos.

Porro Croci tinctura sic paratur:

Tinctura seu Essentia Croci. Recipe spiritus vini alcoolisati q. s. (alij sumunt aquas cordiales spumosas & acetatas) impone vasi vitreo appendendo Crocum orientalem in peria seu nodulo leniter ligatum, clauso vase in loco calido digere aliquot diebus, post tincturæ extractionem, nouum nodulum cum Croco impone, fac vt prius, idq; toties, donec menstruum croci tinctura optime fuerit impragnatum, tandem colato & filtrato menstruo, leui balnei calore, citra coloris iacturam menstruum euoca.

Varias & egregias habet facultates: in syncopticis præcipue spiritus vitales recreat, & restaurat mirabiliter, si vnica guttula cum iusculo aut vino exhibeatur: conuenit & Apoplecticis si guttula cum spiritu vel lauendulæ, vel lilior. conuall. linguæ inspergatur.

Oleum Croci. Sicuti ex odoratis & aromaticis floribus oleũ parari diximus, sic etiam è croco ipso præstantissimum paratur oleum non solum in tristitia, melancholia, & stranguria, sed potissimum in peste, febribusq; pestilentibus, syncopalibus; palpitationi item, animi deliquio, in Asthmate potissimum; in vertigine, phrenesi, apoplexia, lethargo, spasmo, oris tortura, catharris, defluxionibus, tussi, raucedine, vteri suffocationibus, sterilitate, fætum in vtero roborat; Icteritiam item curat, viscerum obstructiones reserat, flatus & colicos dolores discutit. Verùm eo nec ante prandium, nec ante cœnam vtendum, cum singularem habeat appetitum prosternendi potestatem. Hoc autẽ etiam modo paratur:

Recipe Croci Oriental. lib. ß. Olei terebinth. claræ ℥j. Essentiæ vini q. s. destilla sæpius à fæcibus per cohobia. Hic obiter notandum, spiritum tum vitrioli, tum Terebinth. tribus vicibus super salem calcinatũ rectificari; mox in hoc oleo aromata omnia & odorifera digerenda sunt. sed de his hactenus, & forte plus satis.

Iam verò quantum ad Aromatum, quibus ad ciborum condituras vtimur, emptionem attinet operam quisq; dabit, vt non cariosa, non rancida, non verminosa, aut rugosa, & euanida, sed integra solida, dura ac odorata emat, sibique maximè

que maximè caueat ab aromatariorum quorundam imposturis, qui pulueres aromatarios vix ex decima bonorum aromatū quātitate conflatos circumferunt, & venui exponunt, atque incautioribus non sine magna, valetudinis iactura imponunt.

Nec solùm selectus in Aromatibus obseruandus, sed & anni cōstitutio, temporis ratio, alimentorum, quibus concinnantur, & admiscentur, natura, atque sumentis hominis temperamentū, locus, & consuetudo. Ideo videmus orientales, & Australes parcissima manu adhibere aromata, Aquilonares verò quique frigidas regiones incolunt, citra valetudinis labem, quæuis aromata plenâ manu vorare. De Cardamomo, Cubebis, Granis paradisi, Galanga, Acoro, Calamo aromatico, Zeduaria, & id genus, cùm rarenter admodum, aut ferè nunquam iis ad ciborum conditurā vtamur, nihil hoc loco dicemus, ad illos scriptores benignum lectorem remittentes, qui isthæc ex professo tractare, & explicare cōsueuerunt.

CAPVT III.

De absurda, & ferè monstrosa quorundam victus ratione, non longæuitati duntaxat, sed & firmæ valetudini plurimum infesta.

PRIMO huius operis libro, fuse satis, & multis capitibus de varijs Alimentorum, Esculentorum, escarum, seu cibariorum generibus egimus, herbis scilicet, & oleribus, eorumq; seminibus, fructibus, radicibus & bulbis esculētis; de frugibus item, granis, & leguminibus; de multivariis quoq; arborum fructibus baccis & nucibus; de animalibus deniqne volatilibus & piscibus plurimis in alimenti vsum venientibus &c, verùm cum horum limitibus sese insatiabilis gula non includi patiatur, sed etiam ad insolitos, absurdos, & ferè monstrosos cibos manum extēdere videatur, vt est eorum gula, qui Arabiam, Troglodytem, AEthiopiam, Indiam, Scythiamque incolunt, & ab vsitato hominum victu deflectunt, operæpretium nos facturos speramus, si antequam ad artificiosā ciborum præparationem accedamus, paucis in medium adducamus, quid de absurda hac victꝰ ratione censendum, & vtrum Lōgæuitati, quam protrahere studemus, conueniat?

Qui igitur primùm, à communi & vsitato hominū victu discessere, fuere olim *teste Pausania* Arcades βαλανοφαγοι, glandiuori, Lusitani Boemo, & in genere prisci seculi homines, ante repertas fruges cereales; φοινικοφαγοι seu palmiuori, quales fuere Pæni Nasamones, *teste Herodot. libro 4.* λωτοφαγοι, qui, *teste Eustathio*, loto arbore victitant, apud quos Vlyssis socij degustata loto, ad nauē redire noluerunt, nisi verberibus adducti, *teste Homer.* οΔ. item AEgyptij palustres, & Africæ populi *teste Herod. lib. 2.* &

lib.2. & *Plin. lib22.* Sic ſpermaφαγοι AEthiopes, qui & ſeminibus quibuſdam victitant, & ijs deficientibus, pomis, & herbis nutriebantur *teſte Diodor. lib. 3: cap 3.* ad quos etiam ſpectant Γλοφάγοι teneris ramorum ſummitatibus victitãtes. Ριζοφάγοι, qui etiam *Straboni & Arriano* Elij dicti, quòd ex paludib⁹ euulſis radicibus maſſulas conficiebant, illisque ad ſolem coctis veſcebantur.

Qui verò inſuetis animalium carnibus vſi antiquitús ſunt, fuere Μοσχοφάγοι, carne vitulina, leonina atque pantherarum teſt. *Arraino* victitantes; vt & Αγιιοφάγοι ſeu Elephantiuori, & ſtruthiophagi Indi, qui, quod nec humanis parcant carnibus, etiam Anthropophagi nuncupantur. Huc ſpectant Πιθηκοφαγοι, ſeu Κιρκοφαγοι ſimijs veſcentes, vt Gygantes Afri, *teſte Herodot. lib. 4.* & Ηιπποφάγοι carnis equinæ eſu vitam protrahentes, vt ſunt Schytæ Thraces, Sarmatæ &c, qui etiam *Arriano & Straboni* Φθειροφάγοι pediculos eſitantes dicuntur. Κυνοφάγοι item qui canum & præſertim catulorum lactantium carnibus veſcebantur ijsq; hoſtiarum vice vtebantur, quales erant *teſte Cardano lib. de ſubtil.* Corſycæ Inſulæ populi, Καμηλοφαγοι Camelorum & carnibus & lacte victitantes. Sic Serpentiuori Troglodyticæ populi, vt & Noui Orbis Incolæ pleriq;, qui etiamnũ maioribus ſerpentibus magna cum voluptate veſcuntur, vt teſtantur Indicarum rerum Scriptores. Huc etiam pertinent Χελωνοφαγοι, ſeu Teſtudiniuori, vt & Amazones, quæ etiam lacertis veſcebantur, vti & hodie Βατραχοφαγοι Itali, ob ranarum eſum ſic appellati *teſte Mercurial. lib. variar. lect.* Τεττιγοφαγοι dicebantur, *teſt. Athen. lib. 4. cap. 3.* qui venarum aperiendarum cauſa cicadis veſcebantur. Sic Gliriuori nonnulli fuerunt, â Glirium eſu ita vocati: Nam glires quoq; veteribus in delitijs fuiſſe, priſcorum monumenta teſtantur; Hinc *Pollux* veteres Γλιροτροφεῖα habuiſſe teſtatur, in quibus glires alere, & ſaginare conſueuerunt: Refert ideo *Plin.* M. Scaurum cenſoriæ legis Principem, Glires non alio modo in conſulatu cænis adimere, quam conchylia, aut ex alio orbe aduectas aues ſemeferũ & ipſum animal, cui viuaria in dolijs idem, qui apris, inſtituit. *Iſaias* quoq; *cap. 66.* Iudæis & carnis ſuillæ, & murium ſeu glirium eſum iniocundũ exprobat. Huc demum ſpectant etiam Ακριδοφαγοι ſeu Locuſtiuori tùm Parthæ, tùm AEthiopes, de quibus præter *Plin.* ſic graphicè ſcribit *Diodor. Siculus libr. 3. capit. 3. AEthiopes Acridophagi deſerto contermini, homines cæteris paulo breuiores, macilenti, ac ſupra modum nigri Veris tempore, Zephyrus ac Lybicus venti infinitum penè Locuſtarum ex deſerto ad eos deferunt numerum.* Hę permagnæ ſunt, ſed colore alarũ turpi ſeu ſquallido. AEthiopes ad id aſſu eti, in quandam latam, longamque

gamq; multis stadijs conuallem, plurimam materiā è propinquo congerunt: cum suo tempore locustarum, tanquam nubes à ventis supra vallem defertur, congestam materiā; omnemq; loci herbam antea succisam incendunt. Locustę desuper volantes ingenti fumo enectæ, paulum vltra vallem, tanta ad terram decidūt copia, vt victum omni genti abundè præbeant. Has enim sale, quod regio plurimum fert, superinfuso diutius seruant, cibum gustu eis suauem. Hic est solus eorum, per totum tempus, locustarum vict⁹. Sic scribit *Leo African. libr. 9.* Africanos Locustarum aduentu supramodū deterreri, eo quod nigrarum nubium instar solis radios operiant, & arboribus, segetibusq; magnā perniciem afferant: Arabię vero desertæ & Lybiæ populos, earum aduentu maxime gaudere; has enim vel elixas, vel ad solem exiccatas in farinā agūt, & comedunt. Refert quin etiam *Solinus* confines Mauritanæ AEthiopas locustas legere, inq; vitæ præsidium salsugine duratas seruare. Hac quoq; vera & genuina (præter durum & asperum corporis cultū) ἀκριδοφαγία vsus est in deserto sanctissimus Seruatoris nostri præcursor Ioannes Baptista, nō autem herbarum locustis seu arborū gemmis, aut fœtu, vt quidam illud ἀκρίδες interpretatur, nedum in Sehyrpo quæritantes: nō syluestrium fructuum cibo, seu asparagorum turonibus, aut lupulicimis, sale, aceto, & oleo conditis; non bellarijs melle & oleo paratis, non cancris illis marinis, ab *Athen.* ἀκρίδες dictis (vt nostri temporis Hæretici somniant) quos quidam marinas cicadas vocant, magnisq; in delitijs habentur, à quibus sanctissimum hunc præcursorem, procul à mari in deserto degentem, omnium & delitiarum & cupediarum osorem acerrimum vltro abstinuisse, veris autem locustis, fumo saleuè duratis vsum fuisse, quorundam, vt dictū, populorum more, certum est, cū & Arabes, & Lybiæ populi *teste Cardan.* Locustas sole siccatas in puluerem seu farinam redigant, indeq; panes conficiant: Nec id mirum, vel insolitum, cùm ipse Moyses suis Hæbreis locustarum esum permiserit, ad quorum imitationem D. quoq; Ioannes ijs in deserto, & forte cum melle agresti vsus est. At ne quis vel frustra in admirationem rapiatur, vel iā dicta fabulas existimet, ad sequētia non minus vel iocunda, vel stupenda aures nobis præbeat: Germani quidam milites bombyces nostros in serici speciem nutritos, in tāta etiam rerum copia, delitiarū causa frixos comederunt, idq; iure: Quæ enim innoxia sunt, & sapore & odore tetro carent, sola opinione cōstant: Itali enim mustellas, solo colore à vermibus distinctas, cùm hæ nigræ sint, vermes rubri, comedunt,

dunt, atq; inter cupedias referũt, cùm tamen ex putredine, non ex ouis, quemadmodum locustæ, & bombyces generentur. Simili ratione Ostreæ & Conchylia tam auidè (vt libro primo ostendim⁹) vt etiam cruda deuoremus, quæ ex maris putredine procreari scimus. Eousq; tamen peruenit humana ingluuies, & vorandi licentia, nullus fere vt cibus sit, quantumuis abhorrens, insolitus, noxius, quantumq; humanæ vitæ infensus, qui non audaci, & plena manu ingeratur; vnde nec mirũ, si in dies, magis, magisq; noui, insoliti, insolentes, & hactenus non visi morbi oboriantur, grassentur vitamq; non expectatis canis deprędentur, vel saltem valetudinariam relinquant, tùm Deo, tùm hominibus inuisam. Quisq; ergo sartam, tectamq; valetudinem ad Nestoreos annos protrahere satagis, insolitos hosce, insolentes, & naturæ nostræ infestos cibos antiquis illis AEgyptijs, Africanis Asiaticis, Indiæ, aliarumq; peregrinarum regionum Incolis, quibus iam dicta edulia, & dapes, cupediæ & voluptuariæ mensæ creduntur, relinque, nec illis hasce delitias inuide; habes enim in proprio & cœlo & solo, tot tantasq; cupedias, tot ciborum blãdimenta, tot delicatissimas escas, vt è peregrinis locis peti necesse non sit, quibus etiam non solum sanitatem conseruare, sed & vitã ipsam in lõgissimos annos transferre poteris, modo iis debitã ratione, & ex naturæ præscripto ritè vtaris. Cùm benigna & benefica natura nobis optimorum alimentorum cornucopiam dederit, quid opus est acridophagos, Tethligophagos, Batrachophagos, Chelonophagos, Ichthyophagos, Ophyophagos, Phtyrophagos & eiusmodi humanę vitę monstra & portenta adire? aut eorum cupedijs, si Dijs placet, nostros appetitus irritare? sat lautè, sat opipare viuit, qui natura paucis contenta viuit, qui famẽ omnium cõdimentorum maximum condimentum, vel panis pauxillo moderari nouit; de cuius natura, præstantia, alendi potestate, & artificiosis præparationibus, nunc disserendum.

CAPVT IV.

De panis natura, electione, alendi potestate, & artificiosis eiusdem præparationibus, præstantia, encomijs.

INTER alimenta, quæ hominũ ope & artificio constant, panes & quæ ad eos referuntur placenta primas tenere videntur, vt videre est apud *Athæn. lib. 3 capit. 17. 18. & lib. 14. cap. 19. & apud Pollucem lib. 6. cap. 11. & lib. 2. cap. 12. & Plin. lib. 18, cap. 7, 9. 10, 11.* vbi de panis cõficiendi ratione, generibus, pistorijs, pistura, & molenduris multa disseruntur: omnium autem copiosissime de pane scripsit *Bruyerinus libr. de re cibaria. Præcipuum profecto nutrimenti fundamentum, & primarium vitæ conseruandæ fomen-*

mentum in pane probe elaborato con-
sistit. Hinc *Isidorus lib 20.cap.20.* &
Perottus in cornucop. Panem à pa-
scendo dici volunt: idem *Isidorus*
à παν omne, quod cum omni cibo
apponatur, vel quod eum omne
animal appetat, *Plutarch. lib.6. pro-*
blem 8. Panem quoq; testatur ex
omnibus alimentis maxime refi-
cere, non homines modo, sed iu-
menta quoq;, vt vel minimo pa-
nis frustulo accepto confirmen-
tur, atq; progrediantur. In opti-
mis siquidem frugum granulis
inest spiritus quidam, seu aqua vi
tæ, quæ Spagyricis organis elegã-
tiq; industria elicitur, nostris spi-
ritibus & radicali balsamo maxi-
me amicus; hi coniunctis viribus
corpus nostrum perenni effluxui
obnoxium restaurãt, reficiuntq;.

Panis differẽtiæ. Hordeaceus.

Porro variæ sunt panis diffe-
rentiæ: Hordeaceus scilicet, mul-
tis in locis familiaris, quo Agri-
colæ, messis plerumq; initio, fru-
menti defectu vtuntur, Germani
Redt den Hunger, eo quod agrico-
lam, cęteris granis destitutũ non-
dum matura messe iuuet: refrige-
rat, parum nutrit, flatus excitat,
colicam, & obstructiones parit.

Secalinus, Auenaceus.

Secalinus valide satis nutrit, & al-
uum laxat retorridam. Auenace-
us, quo pauperiores annonæ tẽ-
pore vescuntur, vt fere Algaadiæ
populi facere, & ex Auena farina
candidos panes pinsere consue-
uerunt.

Miliaceus. Paniaceus.

Miliaceus, & Paniaceus,
cùm subdulcis sit, gratus est Ru-
sticolis panis, boni alimẽti, at du-
ræ digestionis, & tandem fastidiũ
parit.

Fabaceus.

Fabaceus, quiq; ex Pisorum
aliorumque Leguminum farina
conficitur, grauis est, ponderosus
difficillimæ digestionis, & ingrati
saporis.

Orindes

AEthiopes ex orindio
semine panes pinsebant, Orindes
dictus, ex re, qua conficiebatur.
Et Oritæ Ichthyophagi ex pisci-
bus sole torrefactis, panes confi-
ciebant, *teste Plin. lib.7. c.2. Sic AE-*
gyptÿ pastores è loti semine, milio si-
mili maxime lacte, aut aqua subacto,
quo pane negatur quicquam aut sa-
lubrius, aut lenius, dum calet, vt idẽ
auctor testatur *lib.22. capit.21.* Sic
quoq; dum isthęc litteris manda-
remus, intelleximus ad montis
Vogasi tractum, prope Oppidum
Burcken è vicino monticulo sub-
tilem & candidam effodi farinã,
e qua Incolæ & panes & omnis
generis placentulas esui idoneas
conficerent. Veram autem esse
illam farinam, vixdum credimus,
nisi miraculo locum dare velim⁹,
sed potius pinguem & adipsorũ
illius terræ succum, temporis pro
gressu, & solis æstu concretum &
condensatum, qui tandem in fa-
rinaceum pollinem abeat: Nam
& simile quid in montis aridi tra-
ctu à Bruntruto vix leucam di-
stante præteritis annis obserua-
uimus, pinguiorem scilicet & glu-
tinosum illius montis succũ, im-
brium & pluuiarum vi, montis il-
lius cryptas, scrobes, & inclusorũ
lapidum rimas ac fissuras pene-
trare, illicq; adhærendo tandem

concrescere,& terræ Silesiacę, vel Lemniæ adinstar condensari, qua bene depurata, & extracta, terræ Strigensis loco in febribus malignis & pestilentibus cum fructu vsi sumus.

Subcineritius Ad panis quoque differentias spectat quinetiam panis Subcineritius, seu Testaceus ad calidos lateres, vel sub cineribus calidis *Azimus* coctus, vti & panis Azimus, seu non fermentatus; panis item A- *Nauticus.* quaticus, seu Nauticus, bis, terue coctus, qui omnes deterioris sunt alimenti, difficilis ac duræ digestionis, qui & flatus, & viscerum ob- *Furfuraceus.* structiones pariunt: omnium deterrimus, & minimi alimenti est, qui è furfuribus conflatus, furfuraceus vocatur.

Triticeus. Inter omnia autem panis genera, nullum bonitate, sapore, salubritate, & nutriendi potestate, ad illum accedit, qui ex Tritico *Tritici electio.* conficitur denso, ponderoso, nō rancido, non mucido, non carioso, aut verminoso, fractu difficili, colore exteriùs cereo, interiùs albissimo, in superficie lucido ac leni, è pingui solo nato, & in plaga septentrionali orto, nec vetusto, nec recenti nimis: E tali Tritico, cuius plurimæ sunt medullæ cortices veró pauci, plurima & optima elicitur farina, furfures paucissimi; ex qua debito & perfectissimo modo trita, nec nimis à molendino seu pistrina, recenti, (quo minus calefaciat & constipet) probe aqua tepente diluta, fermentata, salis momento condita, & in pastæ massam rite subacta, præstantissimus & laudatissimus paratur panis, reparãdis corporis viribus aptissimus, multum enim nutrit, tardè egeritur, licet duriuscula eius sit digestio, qui, quanto mũdior fuerit, tanto maioris erit alimẽti, durioris digestionis, & tardioris egestionis. Triticum enim seu mola fractum seu tritura in pollinem actum, in tres secernitur partes; tenuissim⁹ quippe puluis; qui vel in molis, vel in panificum parietibus fere adhæret, Græcis γύρις seu pollen dicitur: eodem modo in siligine, flos erit, hæc prima. Altera quæ in cribro succussario subsidet, crassissimum, & grumosum furfur nominatur. Tertia mediocri modo se habet, & in quoddam labrum secernitur, similago seu simila dicta de qua sic *Martialis:*

Nec poteris similæ dotes numerare, nec vsus
Pistori toties, cùm sit & apta Coquo.

Hoc genus panis vsitatissimũ, & Græcis chondrites à chondro, seu alica: Panis Amylus ex Amy- *Panis Amylus* lo (seu molita) farina factus. Est & panis sordidus, id est, frumenta- *Panis Amylost.* ceus, quem *Budæus* primarium, secundarium & ciuilem facit. Sunt *Obeliæ.* & Obeliæ, vel à signo, vel ab oboli pretio sic dictæ: Est & panis Na- *Panis Nastus.* stus, ex melle, vuis passi[illegible], & aromatibus confectus, vnde & Nastocopi. Huc spectant & panes *Panis Bouillij* Bouillij à præfixis cornibus dicti; aut senele à forma lunæ cornicularis,

laris, vulgo Hornaffel; aut quadrati, Pomeln quibusdam Germanis & sunt Rhomboides. Huic referimus varias placentularum formas, vtpote, quæ ex Tritico est pyramus: ex sesamo sesam⁹. Crespis, κρηπὶς, ex melle & farina: & alias id genus, quas nostri panifices & Artopæi, quos *Plato* Ἀρτοκόπους vocat, non ita facile pinsunt; Pistores verò dulcearij, qui & crustularij dicuntur, quibusdam in locis è saccaro, pineis nucibus, aut contusis amygdalis & aqua rosacea panes cõficiunt, qui ab alijs Massapanes, quasi Maza; ab alijs Martij panes dicuntur, suntq; optimi, suauissimi & salubris alimenti, pthysicis, Hecticis, Asthmaticis, Thoracicisq; affectibus laborantibus maximè cõuenientes; quibus etiam lautas Regum mensas exornamus, testatur enim *Sueton.* Caligulam Romanum Imperat. eiusmodi panes & obsonia ex auro facta conuiuis apposuisse, vti & nostra tempestate in cœnis salaribus nonnunquã panes Martij, bellaria, iussulata, carnes, confectiones, & id genus alia inaurata apponuntur.

Panis Regius. Parantur item varia buccellata & biscocta, quorum quædam regia atq; delicatissima vocantur & è subtilissima, albissimaque farina, saccaro finissimo, oui vitellis & aliquot fæniculi dulcis, aut anisorũ, vel coriandri præparati granis, simul mixtis, probeq; subactis parantur, calycibus è papyro factis excipiuntur, & in furno blando igne excoquũtur, tandem remotis calycibus, denuo eodem caloris tepore exiccantur, fitque panis languenti stomacho gratissimus.

Eodem fere modo & Hispanica, & Italica, & Gallica, atq; Lotharingica Biscocta parantur, nisi quod plus minusue saccari, cæterorumq; ingredientium addatur, subtrahaturue. Conficitur etiam è pane cibario albissimo Biscoctũ commune dictum, cui dum pinsitur, anisi, dulcisue fæniculi, aut coriandri grana aliquot, & saccari momentum additur, & in minores redactũ vel panes, vel pastulas recoquitur, gratissimus sane panis, illisq; vtilissimus, qui humidum habent & caput, & vẽtriculum, vnde & catharrosis expetitissimum edulium. Hoc etiam modo paratur Biscoctũ regium: *biscocta*

Regium biscoct. Recipe Floris Farin. saccar. finiss. triti. a. q. s. vasi vitreato indita, igni apponantur, & spatula semihorio exactè agitentur: postquam refrixerint, in mortario terantur, & per setaceum agantur: mox cuiuis libræ, granum mosci addatur, tandem cum aq. rosar. fragrantiss. in pastam omnia redigãtur, quæ in varios redacta orbiculos, leni calore exiccentur.

Parantur etiam variæ placentulæ ex pane ipso, quas Tourtres, seu Tartres vocant, & Magnatum plerumq; mensis tùm primis, tùm secundis apponuntur, fiuntq; vel ex olusculis recentibus ac teneris, vt spinachia, beta, cum recenti butyro

ti butyro, & lactis capite frictis, addito salis & saccari momento, ouiq; vitellis, & aromatibus condiuntur: Vel ex arborum fructibus, pyris, pomis, cerasis, prunis, passulisue &c, parantur, additis amygdalis excorticatis, pistaceis, aut pineis nucibus: Vel fiunt è solo lacte, ouorum vitellis, saccaro, & cinamomi modico. Quæ omnes placentulæ & gustui gratissimæ sunt, & ægrotantibus salubres, exceptis massalibus è pasta non fermentata factis, quæ ob rationes mox referendas minus expetendæ sunt. Sed quorsum nos iam enumerata gulæ deliramenta rapiunt? ad panem cibarium redeamus.

Magni & parui panes. Magni panes, plurimũ medullæ obtinent, ideoq; copiosè nutriunt, at aluum molliunt; Parui verò vtpote quorum interiora ignis facile penetrat, & medullæ humiditatem exiccat, pauci sunt alimenti, tarde egeruntur, & ventrem sicciorem reddunt. Paretur ergo panis ex optimo frumento, mediocriter candido, & nec vetustate, nec syderatione, rubigine corrosione, teredinibus, putredine, marcore, aut tabe corrupto, vt supra iam docuimus, & ab omni lolio diligẽter repurgato; quique nec albissimus, nec nigerrimus sit, nec magnitudine excedat, nec paruus nimis sit, sed medio modo se habeat, tantum & salis, & fermenti addatur, quantum par est (Artopæi fermentum aqua, vel decocto, vel infuso lupulorum dissoluunt, vt panes & leuiores, & porosiores reddantur, & facilius concoquantur) atq; in clybano, debitis & idoneis lignis calefacto potius, quàm sub tegula aut calidis cineribus coquatur. Eiusmodi sanè panes clarissimũ in corpore sanguinem generant, otio & quiete vacantibus tùm senibus, tùm conualescentibus optatissimi sunt. Qui vero & salis, & fermenti parum obtinent, nec bene subacti, nec sufficienter in clybano cocti, viscosos generant succos, durioris, tardiorisq; sunt tùm digestionis, tum egestionis, & parum nutriunt, vt Azimus panis, qui cùm nihil vel salis, vel fermenti habeat, minime nutrit, ægerrimè digeritur, obstruit, inflat. At si plus salis & fermenti, quàm par sit, retineant, parùm nutrient, nec corporis vires reficient. Qui item mediocri coquitur igne, facilioris est digestionis eo, qui vehementiori, aut languidiore; aut sub testis, vel cineribus coquitur.

Panis optimus Optimus item & laudabilis panis, nec recens nimis & calens adhuc, nec æquo vetustior, sed duorum, aut summum trium dierum: Vnius enim diej panis parũ nutrit, ægre digeritur, inflat, & tardius descendit, licet frigidus sumatur: quod si adhuc caleat, magis quidem nutrit, faciliusq; digeritur, venas penetrat, citoq; dissoluitur, at serius & ægriùs tùm è vẽtriculo, tùm intestinis egeritur; il-

lud quidem ob leuitatẽ, hoc vero quod totus in venas rapiatur: obstruit quinetiam, sitim excitat, ventrem distendit; licet calidus & odorus eius vapor syncope laborantibus valde conueniat. Qui vero post duos, tresue à coctura dies sumitur panis, laudabilis quidem, at minoris est quam iam dictus, alimenti, velociusque tàm à ventriculo, quàm intestinis & dissoluitur, & egeritur. Vetustior autem quam par sit, corpus exiccat, melancholiam generat; & ægrè digeritur. Non fermentatus, nec sufficienter coctus, in debilibus natura corporibus, nil, præterquã obstructiones, materiam tartaream & calculosam, multorumque morborum seminaria parit; producitq;. Hinc fit, vt omnis generis placentulæ farinaceæ, & massules atq; piperatæ, vt & pastilli, & idgenus crustaceorũ panum, tàm volatilium, quàm domesticorum & syluaticorum animalium carnibus infarctorum, & dulciariorum omnia genera, arte pistoria ad luxum & gulæ delitias apparata, & non rarenter Magnatũ mensis magno cum fastu importata, nec sanis conueniant corporib9, nec ægris citra iacturam offerantur, præsertim vero crustæ, ac cortices ipsi, tum quod nimia aromatum copia condiantur, tum quod fermento careant, inde viscerum infarctus, calculorum, & defluxionum variarum prouentus, inde podagræ, dolores tum Ischiatici, tum colici &c. Huc etiam spectãt panis quantũuis recentis & probe cocti crustæ tum inferiores tũ superiores, quæ etsi à delicatulis, ac bibonibus auidissime expetãtur, (quas Weinleütterlin vocitãt, quod sitim, & bibendi desideriũ stimulent) sunt tamen insalubres tùm quod crassum, adustum, & tenacẽ generent sanguinem, tùm quod ad calculosam Nephritidẽ, & podagras ciendas, materiam subministrent.

Panis erat primis virides mortalibus herbæ
Quas Tellus nullo sollicitante dabat.
Prima Ceres duras homine ad meliora vocato
Mutauit glandes vtiliore cibo.
Viuimus arte; fouet nos omni tempore panis,
Lautitiæ, sapiunt nec sine pane, dapes;
Latrantem stomachum bene lenit cum sale panis
Si non panis adest, mattya nulla sapit.
Haut leuiter triticum coquitur, sed plurima corpus
Robora, si panem feceris inde, dabit.
Si vis esse satur, panem det pura siligo.
Delitijs poteris sic satur esse tuis.
Est tener, & niueus, molliq; siligine factus
Seruatur Domino, niger alat famulos.
Seruitijs aptas præstabant furfura cœnas;
Per ventrem quibus est ianua laxa satis.

Porro præclara admodum, & ad vitam propagandã, astralesq; morbos tùm præcauendos, túm persanandos remedia è pane ipso eliciuntur medicamenta: E pane enim sic spiritum ardentem, seu Aquam vitæ, spiritibus nostris vitalibus valde analogum, hoc modo parabis:

Aqua spirituosa è pane.

Recipe Panis optimi in tenues laminas secti q.s. impone calenti clybano, vt sensim optime exiccetur, ruffi biscocti adinstar, mox crasso modo

 tusum

tusum, ahenæ capaci indito, & ad singulas panis tusi libras adde aqu. fontanæ lib. 5. florum Lupuli M. 1. anisor. ℥j. coquantur simul ad 1. partis consumptionem, cùm parum refrixerint, effunde, & per sportam, seu cribrum traijce, mox affunde aliquid fermenti, tepida prius aqua dissoluti, doliolo include, & musti instar feruere ac fermentari sinito, tandem clarum separa, destilla, & vt spiritum vini rectifica.

Habebis spiritum panis ardentem, nobilissimum vitæ thesaurũ ad omnes astrales seu spirituales morbos tum præcauendos, tum sanandos Quidam panis nuper è clybano exrracti, & adhuc calentis medullam vitreis vasis impositam per balneum destillant, cuius ℥iiij. Epilepticis magno successu exhibent. Eius etiam vsus est in surditate non vulgaris, cui si aliquid Tincturæ croci addatur cordis & cerebri flaccidas vires mire reficit. Calenti adhuc medullæ panis quidã affundunt vel maluaticum, vel aliud generosũ vinum, & balnei calore spiritum, aliquoties rectificandũ, euocant, quem ad stomachum roborandũ putredines arcendas, & sanitatẽ conseruandam oportune exhibent. Alii adhuc calentibus medullis patinæ inditis, 8. vel 9. Myristicas minutim incisas optime permiscent, ampullæ vitreæ indunt, 24. horis, balnei tepore digerunt, mox addito alembico, & igne aucto destillant aquam Antidysentericam præstantissimam, tùm ante, tùm post cibum ad ℥j. sumendam: omnes dysenterias, albosq; fluores feliciter curat. Sic quoq; Quintam panis essentiam parabis: Farinam triticeam, siligineamue oportuno vasi inditã cum aqua rosacea, aut citraginis subige, pinse, massã idoneo fermẽto imprægna, & in clybano sufficienter coque: mox panem hũc lineo panno inuolutũ, idoneo instrumento coapta, vt ascendente aq. rosaceę aut citraginis vapore, putrescat. Elapso mense mollis reddetur pasta, ex qua lento arenæ calore elicitur oleum pulchrũ & mire roborans. Hic mod⁹ præstantior est eo, quo panis coctus panno inuolutus, mensis spatio putrefit, & postea per tabulam ligneam oleum aureum exprimitur. Hoc oleum exhibitis cohobiis & rectificationibus, tandem sulphur illud, seu anima philosophorum concinnatur, non citra sumptus quidem, & labores, at ob miram tam in vita propaganda, quam sanitate conseruanda potestatem, meritò cœlestis cibi nomine inauguratur.

Quinta panis essentia

Antequam huic capiti colophonem imponamus, præstat aliquid de panis præstantia, prærogatiuis, & encomiis subnectere. Habent cætera omnia animalia, corporis sustentandi gratia, non ad quæuis alimenta capescenda, sed ad certa, peculiaria, & naturæ suæ conformia, suos instinctus, propensiones, quibus vel ad hoc, vel

vel ad illud alimentũ auidius feruntur, eoq; frui vnicè gaudent. Cur idem homini denegemus? Videmus enim & Italos, & Gallos, Hispanos, Germanos, & cuiuscunq; Nationis, aut Cœli homines, etsi omnis generis delitijs diffluant, lautitijs, dapibus, cupedijs, varijsq́; gulæ illecebris abũdent, omnes tamen vno ore, vnanimiq́; consensu, vnicum panem, ceu omnium alimentorum caput, regem, & monarcham, numine idipsum cœlitùs præcipiente expetunt, suspiciunt, venerantur, & expansis brachijs amplexantur atque lautissimas dapes, splendidasq́; regum mensas, si pane destituantur, reijciant, pro nihilo reputent, pessundent; cùm panis omnium hominum naturis & cõuenientissimus & familiarissimus sit, omniumq́; alimentorum vires, proprietates, potestates & alendi progressus in se, tanquam fertilissimo penuario contineat, merito omnium alimentorum & summum, & maximum alimentũ perhibendus. Vnde licet quis præstantissimas epulas, exquisitissimasq́; dapes ingesserit, nisi tamen panem vel prodromum, vel comitem habuerint, frustra humanam obibunt lyturgiam; frustra sese concoctionem officinis ingerent; frustra partibus alimẽtis fomenta, sed nauseam verius, fastidia, horrores, auersiones, & vomitiones subministrabunt: aut si quid alendo præstiterint, id illis solum, ceu subsidiario militi tribuendum, cum potissima nutriendi vis, & alendi potestas, vni pani, ceu alimentorum omnium Regi accepta ferenda sit, à quo, per quem, & cum quo, omnia tũ inchoantur, tùm absoluuntur etiam regia conuiuia. Inter cætera autem omnia alimenta, panem & sanissimum, & optimum, & nostræ naturæ familiarissimum esse, testatur *Galen. libris de sanitate tuenda*, quo etiam & solo, & sicco, spretis alijs edulijs, familiariter est vsus, nunquam tamen aliquid superbibendo; nos quoq; nõ raro enter eo solo cum voluptate vtimur, parum cæteros cibos curantes, modo bonus, riteq; percoctus panis ad manus sit. Panis quoq; exellentiam Seruator noster Christ⁹ eo ipso adauxit, quod ipsemet pane vesceretur, eoq́; aliquot hominum myriades, ceu alimentorum maxumo cibauerit, & Sacratissimum Corpus, sub panis specie nobis in perpetuam sui memoriam, & animarum nostrarum cibum reliquerit. Est ergo panis omnium ciborum Rex & Caput, proxime ad nostram naturam accedens, eiq́; & familiarissimus, & cõuenientissimus maximeq́; vtilis, & necessarius, cum aliorum ciborum annonam tollerare, panis autem penuriam vix ac ne vix quidẽ perferre, & æquo animo sustinere valeamus.

Quæ cùm ita sint, & res ipsa loquatur, mirandum profecto non

deesse Artromastigas, qui non solum hanc veritatem impugnare, sed etiam peruicaci frõte asserere ausint, omnes repletiones malas, panis autem pessimam esse: Si enim illud axioma ad veritatis incudem reuocetur, contrarium apparebit, *Hippoc.* item *Galeni*, & grauissimorum Medicorum testimonio, imo ipsa experientia constabit, non omnem repletionem malam, panis autem minimã esse. Videmus enim exquisita febre ardente laborantibus, tanta quãdoq; copia aquam exhiberi potandam, vt eam postmodum præ nimia repletione, magno cũ fructu, febre scilicet iugulata, vomitu reijciant: Lactantes quandoq; totos dies maternis vberibus adhærentes, præ nimia repletione exuctum lac sæpe reuomunt, citra noxam. Qui crescunt pueruli, nunquid sæpe totos dies tum panem, tum fructus, pyra, poma, cerasa, nuces, vuas &c. esitando cõsumunt? at quid ex hac repletione, vel labis, vel noxæ, aut incommodi accipiunt?

Si ergo nõ omnis repletio mala, cur optimi, beneq; subacti, & probe cocti panis (de hoc enim modo loquimur) repletionem omnium pessimam inferemus? Nam etsi *Hippoc. lib. de affectionibus* scripserit, ex optimis tùm cibis, tùm potibus, tam corpori alendo quàm sanitati conseruandæ destinatis, & morbos, & ex morbis, mortes suscitari, si vel intempestiuè, vel pleniore, quam pár sit, manu ingerãtur &c. Ex his tamen verbis non inferendum, panis repletionem omnium pessimã esse, cùm non ex panis duntaxat, sed & aliorum esculentorum, carnium, piscium fructuumq; repletione, & morbi, & mortes oboriantur, imo longe maiora incommoda, ex aliorum ciborum, quam ipsius panis repletione, pertimescenda, cùm alia pleraq; non quantitate duntaxat, sed & qualitate, panis autem sola quantitate noxius esse possit. Et licet quandoq; panis in corpore corrumpatur, cùm tamen homini præ cæteris omnib⁹ alimentis & familiarissimus sit, & mediam, seu temperatam inter duo extrema naturam obtineat, nullum autem medium extremè corrumpatur, fit, vt illa panis corruptio, extreme perniciosa esse haud possit, eo quod temperata panis natura, cuiuis causæ extremè corrumpenti potenter resistat; imo vero ob eam, quam cum homine obtinet familiaritatem, quasuis corruptiones facilius eludet: quo enim cib⁹ naturæ propinquior & familiarior est, eo facilius *teste Gal. 4. simpl. 16.* à ventriculo superatur, & in hominis alimentũ nõ expectata corruptione cedit. Testatur ipsa experientia & omnes omniũ nationum homines fatentur, illos fere & deterius habere, & breuiorem ducere vitam, qui neglecto pane, alijs escis carnibus scilicet, piscibus lutulentis

lentis, ac viscosis, cochleis item, ranis, tuberibus & id genus cupedijs sese infarciunt, vt passim in Principum Aulis videre est: eos vero qui solo pane copioso, nihil in se mali continente vescuntur, & vitam laboribus transigunt, & viuaciores, & saniores atq; longioris esse vitæ. Videmus insuper omnes alios cibos, carnes, pisces fructus &c. longe facilius & celerius corrumpi, ipso pane, qui multis sæpe annis citra corruptionem seruatur, vt in Biscocto, paneq; nautico videre est, vt alias nunc panis prærogatiuas silentio inuoluamus. Quæ cum ita sint, merito cum doctissimo *Guarinonio* hoc caput concludemus plurimas scilicet repletiones esse malas, panis autem omnium minimam.

CAPVT V.

De multiplici, & artificiosa ciborum, carnium scilicet, volatilium, piscium, & aliorum præparatione.

AD vitam in multos annos propagandam, sanitatisque integritatem conseruandã, multum in debita ciborum, eduliorumue præparatione situm est, cum cibi arte, non pretio, fercula nidore, non pondere æstimanda veniant, licet hodie passim apud Coquos seu μαγείρους inualuerit cõsuetudo, vt plerosq; cibos, præter Medicorum voluntatem, voluptatis potius captandæ, quam valetudinis tuendæ causa concinnent, cùm tamẽ inter vtrumq; nõ leue sit discrimen. Medicus enim omni diligentia, ea duntaxat fercula præparari, & apponi curat, quæ sanitati conueniunt, & radicalem corporis humorum restaurant, conseruantque, licet minus forte iocunda, & appetitui grata futura sint. Coquus vero postposita sanitatis ratione, tantum cupedias & voluptates sectatur, vnde & cupediarius quibusdam dictus, Memorant nonnulli Alcayri quotidie circiter 12000. passim per vrbis cõpita volitare Coquos foculos in capitibus gestantes, qui quibusuis id postulantibus, cibos statim in publica platea coquere & apparare consueuerunt: aliquando enim edulia iam cocta & condita obsonantur: aliquãdo verò imo plerumq; cruda emuntur, quæ deinde coquuntur & apparantur.

Fuerunt autem Coqui apud Græcos, quos Μαγείρους & ὀψοποιοὺς vocabant, magno semper in pretio, & authoritate *teste Athæn. libr. 14. Erant etiam artis sacrificandi periti, nuptijs atq; sacrificijs præerant, & Atticos præcones coquorum, victimasq; cædentium ordinẽ obtinebant.* Apud *Homerum* boues mactare, præparare, atq; diuidere, atq; vinum ministrare solebant, vnde κήρυκες quasi κρείττονες quasi meliores, ab illorũ præstantia atq; dignitate dicti fuerunt: Vocarunt eosdem Græci etiam obsonatores, & obsoniorũ instructores, qui primum à Macedonibus huius artis cultoribus,

Coqui.

ob vrbium subiugatarum infelicitatem, ad Græcos accesserunt, qui natura cupedijs, & voluptatibus deditissimi, huiusmodi voluptatũ artifices & architectos plurimi fecerunt. Veteres Romani ex macello Coquos conducebãt *teste Plauto*. Adeo vile erat Antiquis mancipium. Sed post Asiaticam victoriam, referente *Liuio*, crescente luxuria, coquus vilissimũ antiquis mancipium, & æstimatione, & vsu, in pretio esse, & quod ministerium fuerat, ars haberi cępit: ita vt *teste Plin. lib. 9. cap. 17.* Nonnulli in luxus conquestione Coquos singulos pluris, quã equos emerint. *Et nunc etiam* (addit ibidem) *Coqui triumphorum pretijs parantur, & Coquorum pisces nullusq́ prope iam mortalis pluris æstimatur, quam qui peritissimè Domini censum mergit.*

Boni Coqui conditiones.

In iusto autem & fideli Coquo, sequentes requiruntur conditiones, scilicet vt sit artificiosus, experiens, laboriosus, laudis cupidus, sanus, gustatu excellens, minime gulosus, & edax, fidelis, honestus, integer, occultis & latentibus morbis liber, affabilis, mũditiei percupidus, omnium alimentorum naturas cognitas & perspectas habens, exploratéq; pernoscens, quinam cibi præ cæteris Domino suo arrideant, multumne, an remisse conditis, piperatis, salsis, acidis, austeris, an dulcibus magis delectetur: inde *Martialis:*

Non satis est ars sola Coquo, seruire palato,
Namq́ Coquus Domini debet habere gulam.

Tenendum est illi insuper, qua hora prandere, qua cœnare soleat Herus. Quod si appetitus illi nõ semper ad tempus adsit, egregius tamen Coquus semper est paratus, cùm Domino cibum capere libuerit: id quod vel in Sabaudiæ Duce bellicosissimo videre est, qui cùm prandendi cœnandiue aliam horam non obseruet, quam ipsam famem appetitũ stimulantem, fit, vt modo serius, modo citius cibum sumere, modo vesperi prandere, modo mane cœnare, modo circa noctis medium, alijsue insuetis horis cibum capere consuescat. Ideo Coquus in omnes horas paratos cibos & in promptu habere cogitur, qui si ritè parati fuerint, nec fames Ducem ad sumendos cibos irritet, ijs semotis ad nouorum præparationem se accingit: assæ in veru sunt relinquendę, donec eas struendi ad mensam, tempus aduenerit commodum: vt alia omnia quàm maxime sapida & succi plena comedentibus apponantur. Sed de his hactenus per transennam, ad ciborum apparatum, pro nostri instituti ratione, paulo propius accedamus.

Cibi à natura cocti.

Ciborum itaque alij à natura ipsa iam sunt excocti, & apparati, nec vlteriorem manũ requirunt, vt fructus maturi, pyra, poma, cerasa, pruna, ficus, nuces, amygdalæ &c. Alij, in quorum præparatione

Cibi arte excoquendi.

one natura defeciſſe videtur, arte parandi ſunt, & ad hominis vſum excoquendi. Horum autem triplex eſt parandi ratio: Nam aut aſſantur, aut elixantur, aut frixantur ſeu torrentur. In mortalium vſu, primo aſſa; ſecundò elixa; tertiò iurulenta fuerunt *teſte Marc. Varron.* Aſſum dictum, quod igni aſſudeſcit, ſudando enim aſſum deſtillat calore. Elixum verò dicitur quod ex aqua decoctum eſt, nam lixam aquam veteres dixerunt; Iurulentum à iure dictum, quod etiam iuſſulentum dici poteſt. Frixum deniq; à ſono, quod vel in oleo, vel butyro ardet. *Cornel. Celſus* ſcribit carnes iurulentas magis alere aſſis; has magis frixis. Bonæ itaque valetudini potius, quàm voluptati conſulendum, Elixā frequentius apponere præſtabit, tàm propter ſalubritatem, quàm ob maiorem familiæ commoditatem; licet olim in Homericis carnes ſolùm aſſarentur, elixarentur nunquam, vt videre eſt apud *Homer. Odiſſ.* 2. vbi Eumanꝰ Coqui officio fungens, Domino ſuo porcinas carnes aſſas appoſuit: aliàs magis laudatur elixatio quàm aſſatio, non ſolū enim cruditatem tollit, verum etiam dura emollire, & reliqua concoquere ſolet; licet aſſæ carnes elixis ſint humidiores, ſi humiditatem interiorem ſubſtantificam conſideremus.

Cibi à natura cocti.

Cibi arte excoquendi.

Boni autem cibi conditiones ſunt, vt nullum ingratum habeāt odorem, caput ferientem, nec inſuauem ſaporem ſtomacho infeſtum, nec ſint iuſtò aut duriores, ventriculum defatigantes, nec mordicantes, aut neruos vellicātes. Hæc autem omnia fient vel ſolo igne, vel ſola aqua, vel ab vtroq;, aut ab aceto, ſale, oleo, cæteriſue cōdimentis additis. Pauca ſunt alimenta, quæ ſolo igne apparantur, vt ſunt oua, carnes aſſæ, caſtaneæ, fructus nonnulli, & legumina, quibꝰ aſſatione flatulenta tollitur cōſtitutio. Aquâ vero modo aut dura & ſicca emollimus, vt fabas, cæteraq; legumina aut grauem habentia ſaporem emēdamus. Cibos verò inſipidos, optimo aceto, ſale, butyro, aut oleo, & aromatibus condimus. Sic acetoſum ſolo ſale; ſalſum ſolo aceto; ponticū, aquæ additamēto; amarum (ſi elixationem admittat) poſt elixationem, aceto, ſale, & cæteris: ſin elixationem nō admittat, aquæ maceratione, aceti item, & ſalis ſæpius repetita; acetū vt ſynapi, & cępe, aquæ, aceti, & ſalis inſuſione corrigimus, & dextrè præparamus.

Boni Cibi conditiones.

Carnes, in quibus mollities, & humiditatis copia redundat, vt in agnis & porcellis lactantibus, ſale condiendæ non ſunt, ſale quidem addito, diffluunt, diſſoluuntur, & per totum corpus diffunduntur humores, ſicq; aucta mollitie, improbe nutriunt, & peſſimę ſunt, tùm quod ſalis inditi acrimonia ſanguinem inflamment, tùm

Carnis præparationes

tùm quod nimia mollitie, tardius assimilentur. Quod si cum carnium mollitie, exigua humorũ copia fuerit coniuncta, nec dum etiam sale opus erit, deficientibus siquidem humoribus, in substantificum & radicalem humorem sal aget, sicq; duriores carnes euadent, & longius ab alimenti bonitate recedent. Contrarium accidit vbi sal corporibus mollibus & parum humentibus respergitur; dum enim paucos reperit humores, exiccata mollitie, carnes ad temperiem reducit: At si duris carnibus, multisq; humoribus refertis, sal superfundatur, humores dissoluet, liquefaciet, desiccabit, & reliqua ad temperiẽ reuocabit.

Ex hisce constat, lactantiũ porcellorum, & agnorum carnes, sale condiendas non esse, vt & nec veterum boum, vaccarum, & caprarum carnes; sed iuuenes tùm porcinas, tùm agninas, quæq; naturaliter humidæ sunt, rectè sale condiri: cum enim sal totam humiditatem exhaurire nequeat, quicquid humoris remãserit, duritiem ad temperiem reuocabit. Idem & de piscibus sentiendum, nec enim sale condiendi sunt, qui humiditate & mollitie redundant sed qui duras habent carnes, at paucos humores, idq; dum adhuc sunt recentes, faciendum.

Carnes insuper multa aqua, & idonea in olla coquendæ sunt, ingrati odoris tollendi ergo, diligenterq; spuma, quæ ebullitione eleuatur, auferenda, sic enim albescentes & nitidæ, atque sapidæ remanebunt, quod non fiet, si vel Coquorum negligentia, spuma non tollatur, vel aqua deficiente noua affundatur, vt perperã Coqui facere cõsueuerunt, qui paulo antequam struendæ & apponendæ sint dapes, frigidâ ollas prius replent, sicque & iuscula, & carnes ipsas insipidas & inodoras mensis apponendas præbent.

Ferinæ carnes, post vnum vel alterum à captura diem, demum coquendæ, quo magis & tenerascant, & ferinum saporem aliquo modo deponant. Sic volatilium, gallinarum potissimùm & caponum carnes, vel triduo antequã coquantur, mactandæ, vel, si res vrgeat, per noctem prius frigidâ macerandæ, sic enim & candidiores, & longe teneriores euadũt. Veteres capos, gallos, gallinas item Indicas aliqui, antequã mactentur, multiplici motu, agitatione, verberibus item diu, multumq; fatigant, vt teneriores euadant: quod & in animalibus duriore carne præditis obseruandũ: Itali vitulinas, agninas, hœdinas, carnes ante cocturam aliquãdiu contundunt ligneo malleo, hoc enim modo & teneriores, & concoctu faciliores redduntur.

Pisces verò quantum fieri poterit, dum adhuc viui sunt, seséq; adhuc mouent, coquendi, nam ex leui etiam mora, ob humiditatis copiam, facile corrumpuntur,

exceptis saxatilibus paucis, & marinis. Exactior hoc loci, & in specie cuiuslibet cibi apparatus describendus foret, verùm ne in ijs conscribendis & tempus teram & candido lectori tædium fortè afferamus, illum ad eos remittemus, qui rem coquinariam seu artem magyricam ex professo & data opera litteris consignarunt, quales sunt ex veteribus & *Pollux* & *Apitius* summi in hac re artifices; ex recentioribus, *Villychius*, *Germanus*, & *Bruijerinus Gallus*, & alij permulti, qui varias ciborum delitias, & gulæ irritamenta, non tam conseruandæ, quàm destruendæ tùm vitæ, tùm facultatum oportunissima excogitarunt. Ne tamen omnino ieiuni hac in re videamur, pauca quædam nobis percognita & perspecta, vitæq; & propagandæ, & conseruandæ oportunissima in medium afferemus.

Omnis generis carnes, & nitidas, & sapidas probeq; elixas sic parabis.

Carnes primum in partes sectas, (quo maiores fuerint, eo & sapidiores euadent) frigida macerato per horam, mox diligenter primo frigida deinde calida ablutas, capaci cacabo impone, sic enim in spatioso loco, & melius coquentur, & albidiores euadent, nec quod summum est, ante expletam cocturam, nouam aquam affundere cogeris. Ad luculentum ignẽ sensim tamen, coque, quam diligentissime spumam auferendo, qua ablata, candidum salem, quantum satis addes; finita coctura, carnem post aliquam ebullitionis residentiam extrahe. Quod si carnes vetustiores, ac duriores fuerint, vt sunt veterum gallorum, caponum, gallinarum &c, aliquoties sub ipsa elixatione è cacabo extrahendæ, & in frigidissimam mergendæ, sic enim & candidiores, & cõcoctu faciliores, atq; teneriores euadent. Pro re nata sub coctionis finem, addi poterunt, radices vel petroselini, vel fæniculi, rapæ incisæ, pastinacæ sumitates, amaraci, saluiæ, rosmarini, &c.

Assas vero carnes hoc modo belle & sapidissimas parabis, Caponum, Gallinarum, Pauonum, Phasianorum, &c.

Assandæ carnes, si maiorum, ac duriorum animalium fuerint, prius aliquantisper feruente aqua bulliant, (excepta vitulina iuniore) deinde larido nõ rãcido prout expediet, transfigantur. Quod si capones, gallinæ, pauones, phasiani, perdices, & id genus fuerint, post factam expurgationem, bullienti aquæ immergantur, & ab eadẽ subitò frigidæ immittantur, hac enim ratione & nitidiores euadẽt carnes, & assatu faciliores, postea vel recẽti larido transfixæ, vel, prout res postulauerit, herbis aromaticis infarctæ, aut infixis garyophillis, cinamomi corticibus &c, verubus affixæ, luculento, & claro igne, sensim, pedetentimque assentur. Cum ferè ad assationis finem peruentum, tunc candidi panis micã in pollinem actã salis & piperis momento simul mixtis insperge leniter, ignemq; paulo luculentiorem admoue, sic carnem habebis pulchre assatam, debitoque & colore & sapore insignem. Hoc eodem modo Perdices, Attagenes, Columbi, Turtures, Turdi, Merulæ, Alaudæ,

Fringillæ, & id genus assantur.

Capones, pullastri assati. Quod si aliquo ex prædictis rite assis elegantem sapam seu iurulentũ addere placuerit: Recipe succum citrangulorum, vel aggrestam, aquæ rosaceæ, cum cinamomi pulverizati momento, mixtam, & caponi, vel iuniori pullo bene & assato, dissecto, & patellæ ad prunas posito admisce, & addito operculo aliquãtisper coquere sinito. Addunt aliqui succi loco, vel vinum austerum, vel acetum aqua mixtum, cortices item vel citri, vel arantiorum, & salis momentum.

Ficedulæ Coturnices. Ficedulæ à plumis rite expurgatæ saluis interaneis, fol ijs vitis cum sale, feniculo, & lardi momento inuolutæ, sub cineribus semihorij spatio rite coquũtur: has si assare sit animus, non transfigantur, ne pinguedo diffluat, sed ligatis tum collo, tum pedibus ad veru assantur; Idem in Coturnicibus obseruandum, nisi quod ab aliquibus prius exenterentur.

Pastillos præstantes è Vituli, Caponum Gallinarum, aliorumq́; iuniorum animalium carnibus hoc modo parabis.

Recipe aliquam harum carnium, non adeo pinguem, diu, multumq́; ligneo malleo tunde, mox pinguedinem vituli adde, & carni iam tusæ probe commisce, aromata pro libitu, & gustus gratia addendo, tandem efformatis è panis pasta ollis impone, & in clybano, debito ignis calore excoque: extractos è furno, & adhuc calentes pastillos, embammate ex agresta, pingui carnis brodio, ouorum vitellis, & croci modico, conflato perfunde. Eiusmodi pastillis columbi, pulastri, capones, auiculæ item montanæ imponi possunt.

Crustaceos hosce pastillos etiam gallorum cristis, hepatibus, ventriculis, testiculis grosso modo incisis, recenti item larido minutim inciso, aliquot ouorum vitellis, pinguedine, vel potius medulla vitulina aut bouina, passulis minoribus, cinamomo, zingibere, nucista, garyophillis, & sufficienti saccaro, omnibus probe mixtis & malaxatis impleri, & debito ignis calore percoqui & post extractionem e furno, cum oui vitellis & croco simul malaxatis, irrorari ac perfundi poterunt.

Vitulinæ, vel alterius bonæ carnis pulpamentum hoc modo parabis:

Vitulinam carnem macriorem in oblongas & tenues laminas dissectã super tabulam latiore cultro aliquãdiu contunde, ac leuiter incide, incisuras sale, fæniculi, & piperis puluere resperge, atq; è petroselino, maiorana, & recenti larido confecta misturam desuper extendito, mox omnibus in vnum conuolutis, & post horam in veru positis coquuntur interiore humiditate manente, ignis vi nõ demenda.

Carnis vitulinæ, aut aliorum iuniorum animalium Morsellos, quos Itali Mortadellos vocant, sic parabis.

Macram vituli carnem, cum recenti larido, & vituli pinguedine cõtunde, postea huic pastæ petroselinum, maioranam minutim incisa, ouivirella & boni casei ramenta seu rasuram q. s. vt & croci modicum, omnia probe mixta & malaxata admisce, tandẽ totam hanc pastam in morsellos diuide, & vituli, aut ouillo, alteriusuẽ anima-

animalis omento exceptos, lento, & modico igne in craticula, vel veru coquere finito.

Ius congelatum Caponis seu Gelatina consumatum, restaurans.

Capus in minutulas partes dissectus, adempto adipe, cum quatuor vitulinis trunculis ex vino & aqua, simili portione incoquitur, donec caro ab ossibus recedat, mox ius per setaceum colatum refrigerare sinatur deinde pinguedine quæ supernatat sublata, iterum in recenti olla coquitur, & singulis tribus iuris libris, additur saccari fini & cinamomi a. vncia vna, saccaro iam resoluto, adduntur duorum ouorum albumina bene agitata; modice omnia coquuntur, & statim omnia iuxta ignem quinquies, aut sexies per lintreum colantur: Ius in fictile mundum, vel lancem argenteã infunditur, & loco frigidiusculo reseruatur. Ius hoc colatum, regium corpus facile nutrit, vt quod statim in ore liquatum, ventriculus sine mora concoquat, & internis membris distribuat, qui cibus & diebus & noctibus, singulis quatuor horis exhibetur.

Nos carnes vitulinas, vel castrati iunioris & caponem integrum, exenteratum prius, vnà cũ ossibus contũdimus, & in cãtharum, vel vitream ampullam imponimus, & vase probe clauso in diplomate. 5. vel 6. horarum spatio coquim⁹, ius dum adhuc calet, colamus, colatum loco frigido reponimus, fit gelatina pellucida; huius sumimus 2. vel 3. cochlearia cum prodio caponis, additis 3. vel 4. guttis olei cinamomi magno cũ fructu offerimus. Hoc modo Regina quædam Anglicana, integros castratos, Agnos, aut vitulos in gelatinæ formam redactos, singulis prandijs, virium reparandarum, & senij retardandi, causâ vorabat.

Idem præstãt sequẽtes morselli.

Recipe Pulpæ pectoris caponis, ad carnis ab ossibus dissolutionem coctæ vncias tres, pulpæ pectoris perdicum, aut Attagenarum eodẽ modo parat. vnc. 2. Spec. aromat. rosat. diarrhod. diacinamo a. ʒj. diamargarit. calid. ℥ß. Tabular. de extracto Agalochj. ℥jß. Cinamo. acutiss. diatragant. Nucist. Nuc. Indic. Condit. maior. ʒjß. Macis ℈ij. Amygd. dulc. excortic. pinearum, pistaceor. enucleatorum. a. ℥v. Saccar. finiss. in vino cretico dissoluti omnibus crasso modo tusis, f. morselli efficacissimi.

Vel etiam:

Recipe pulpæ pector. vel capon. vel castrati bene coctæ & contusę lib. 1. amygd. dulc. excortic. lib V. pinear. mundat. pistacior. a. trient. Gummi arab. tragaganth. a. ℥j. glycirrhiz. cinamo. a. sescunc. cortic. citr. condit. Nuc. Indic. condit. a. ℥j. Garyoph. Sãtal. rubr. Xyloaloes a. ℥ij. Specier. de Gemmis, aromat. ros. a. ʒ. iij. cordial. temperat. ʒj. tabular. extraction. Agalocti. vnc. jß. confect. diambr. vnc. v. conseruæ flor. tunic. borrag. citrior. a. vnc. j. ossis de corde cerui, ℈j. lapidis bezoar. oriental. ℈ß. Liquor. corall. rubeor. margaritar. a. ʒj. Auri diaphoret. gr. 10. misc. & cum syrup. acetos. citri f. Electuar. Insignem hunc bonitatis gradum nunquam ipsę carnes, nec carnium iuscula assequuntur quibuscunq; aromatibus condiantur Horum autem iusculorum, ciborum, ac morsellorum præparationes, &

confe-

confectiones, pestis maxime tempore exhibentur, vbi ægrotantes ob virium prostrationē vix quicquam assumere valent.

Mortadelli Hepatum vituli, vel porci iunioris.

Recipe Iecinora vel vituli, vel porci iunioris, elixentur parumper postea casei duri instar radantur, & cum pinguiore porci omento q. s. misceātur, contundanturq; adde casei rasi, maioranæ, petroselini, vuarū passar. & aromatum a. q. s. & aliquot ouorum vitellos, pistentur omnia simul, & morselli, seu globuli pingui omento circundandi effigiantur, & in patella cum pingui larido lento igne coquantur.

Lucanicas, Botulos, seu Suilla carnis farcimina optima sic parabis;

Carnem suillam opimam, à membranulis, ligamentis, ac neruis liberatam minutissimè concide, vel in mortario lapideo contunde, & ad decem libras, adde piperis crasso modo tusi, fœniculi mundati ac tusi, a. ℥ij. Salis lib. j. omnia probe misceantur, stent ita per integrum diem, tandem hac massa suilla intestina infarciantur & fumo exiccentur.

Columbos Pipiones coquere exosses.

Columbos, Pipiones, pullos prius rite expurgatos & exenteratos ollæ impone, affunde acetum fortissimū vt emineat, stent ita 24. horis, mox effuso aceto, frigida sæpius abluantur, vt nihil aceti resipiant, tandem probe optimis herbis, passulis, ouorum vitellis, & aromatibus, infartos, elixa, vel assa, habebis columbos elixos, at exosses.

Nos autumni tempore, quando in copia retibus capiuntur palumbi, probe mundatos & exenteratos, aceto, salis, & piperis, granorumq; iuniperinorum momēto, crudos condimus, & doliolis seu vasculis ad id destinatis reseruamus, quibus tādem post semestre ab aceto repurgatis, elixis, vel assis vtimur, nec enim in ijs illa ossicula dura, sed pulpæ adinstar mollia reperiuntur.

Iussulentum album Caponis.

Recipe amygd. dulc. mundatarū, & excorticatarum lib. 2. stent in frigida 24. horis, mox probe in mortario lapideo in pastam contundantur, addendo aliquid aquæ frigidæ, ne in oleum resoluantur; huic pastæ adde pectus optimi caponis, prius optime in mortario tusum, medullę panis albissimi prius in iure caponis maceratæ q. s. saccari albi lib. semis, agrestæ zingiberatæ parum, omnibꝰ probe contusis & mixtis, cum caponis iusculo distemperata per setaceum agantur, & ollę indita lento ad prunas igne per semihorium semper agitando coquantur, tandem additis tribus rosaceæ vncijs, tandem caponi in patinam posito affundantur, & mensis apponantur. Idem cum alijs volatilibus fieri poterit.

Vel

Ricipe Lactis opimi ac recentis mensuram 1. Farinæ de oriza subtiliss. vncias octo, ollæ indantur, & bulliant, adde post semihorā pectus caponis semicoctum, & in tenuissima filamenta discerptū, & in mortario leniter tritū, saccari itē librā, coquātur omnia per semihoram sēper cum cochleari agitando à princi pio ad finē vsq; aliquid rosaceę addendo: Tandē caponi, gallinæ, vel carni coctæ paritinis inditæ affunditur, adhibitis in circum-

cumferentia saccaro, & amygdalis.

Oriza cocta cum carnis, vel caponis iusculo.

Recipe Orizæ mundæ & aliquoties aqua tepida lotæ lib. 1. infunde aquæ bullienti, & bene percoque, postea recipe lib. 1. amygd. dul. excorticatorũ, contundantur optime in mortario lapideo addendo aliquid aquæ tandem cum caponis brodio distemperentur, & per setaceum agantur, atq; in olla leniter coquãtur cum saccari libra, & cùm bullire incœperint, adde Orizam coctam, & lento igne coque, semper cochleari agitando ne fumum resipiant.

Embammata, Sapores.

Recipe Amygd. dulc. excorticatarum, medullæ panis albi in aceto, vel agresta præmaceratæ a. q. s. contundantur in mortar. lapideo, adde pul. zingiberis albi q. s. tandem omnia cũ agresta, vel succo arantiorum aut limonum dissolue & per setaceum age & aliquid saccari addito. Embammata cum omnis generis alimentis, carnibus, & piscibus sumi possunt.

Sapor canellinus.

Recipe panis tosti & in aceto præmacerati, vuarum passularum a. q. s. pistentur in mortario cum vini rubri & sapæ momento. Tandem omnia cũ agresta, vel aceto distemperentur, & per setaceum agantur, addendo demum cinamomi q. s. Nucistæ item & garyophillorum momentum.

Embamma viride.

Recipe Nasturt. hortens. petrosel. a. q. s. serpilli Mentæ hortens. modicum, adde piperis, zingiber. & salis q. s in mortario omnia probe cõtundantur, & cum forti aceto distemperata per setaceum agantur: addunt aliqui allium.

Quidam parant ex amygdalis dulcibus nucibusque recentibus, oui vitellis induratis, & croci momento simul contusis, & cum aceto per setaceum actis, addentes zingiberis q. s. Quidam parant ex vuis nigris acerbis, cerasis, vuis crispis, additoq; pane tosto, simul in mortario tundunt, additaq; vel agresta, vel aceto, vel sapa parumq; coquunt & per setaceũ actis aliquid piperis, & zingiberis addunt.

Mustarda.

Recipe semin. synapi q. s. macerentur biduo in aqua frigida, sæpius aquam mutando (sic enim magis albescet synapi) postea recipe amygd. dulc. excorticat. & in pastam actarum q. s. misceantur, & iterum in mortario probe contundantur addendo medullam panis aceto præmaceratam, tandem omnia cum aceto cola, & ad vsus repone.

Patauini hoc modo concinnãt: Synapi prædicto modo paratum & rite cõtusum, & cum vuis passis per quã optime contusis permiscent, adduntque panem tostum aceto præmaceratum, cinamomi santal. rubeor. momentum, tandem cum aceto & sapa distẽperant, colant, & vsui reponunt. Quidam farinam synapi cum dulci musto, & cotoniorum succo, & tusis citri corticibus coquunt, sapæ instar, & debito modo ac proportione aromatizant.

Alliatum optimum.

Recipe amygdalas dulces excorticatas, & in mortario contunde, cum fere sat pistæ fuerint, adde alliorum expurgatorum q. s. iterum simul per quam optime contundantur addendo aliquid aq. frigidæ, tandem adde etiam medullæ panis in carnis brodio præmaceratę. q. s. misc.

PISCIVM COCTVRA

Omnes pisces squammosi tũ elixãdi, tum frixandi, prius squã-mis spoliari, & forinsecus scissuris distinguendi, exenterari, ac probe mundari debent. Assandi verò squammis spoliari non debent, sed aperiri & exenterari debent. Pisces autem frixandi, præsertim si ex paulo maioribus fuerint, pri⁹ aqua cõuenienter salita, aliquo modo elixãdi, postea subtili farina volutandi, & optimo butyro frixandi Carpiones quo & maiores & pinguiores fuerint, eo deteriores & insalubriores fuerint: si frixẽtur. Elixi vino & aqua, idoneisq; aromatibus, & pipere præsertim salubriores sunt. Quidam aromatum loco, panis torrefacti frustum incoquunt.

Auratæ maiores elixari; minores vel frixari, vel assari volunt. Pisces duriores & solidiores mollibus ac teneris diutius coqui volunt.

Rhombus elixari vult, & vix ac ne vix quidem dum elixatur integer manet, sed facile in partes discedit, ideo vel in canistro, vel ligneo orbi adligatus elixari debet.

Truttæ, Vmbra, Lucius, Allosa, & pleriq; saxatiles pisces, elixari, assari, & frixari possunt.

Merlucius elixari vult, & cum mustarda comedi. Barbo elixatur, & assatur, debet autem prius exenterari, cuius intestina & oua vim laxatiuam vehemẽtem possideant.

Salmo ex aqua, vino, addito aceto & petroselino cum piperis nigri granis aliquot elixatur; potest & assari, & pastillis condiri.

Sardelli integri in craticula assantur, & recenti oleo perfunduntur, possunt etiam, at rarenter elixari.

Turdi marini maiores elixantur; minores frixantur, assantur, & cum mustarda condiuntur.

Perca maior elixari vult, exenterata, at non desquammata: minor verò ablatis squammulis frixatur; quandoq; etiam assatur.

Tenca tribus modis coquitur: I. Elixatur cum vino & aqua si maior fuerit, cuius condimẽtum fit ex agresta, aromatibus & petroselino minutim inciso, addito proprij brodii momẽto. II. Si magna fuerit exsquammatur, à capite ad caudam secundum dorsum aperitur, exenteratur, costæ duobus digitis franguntur: mox sumptis proprijs, vel alterius piscis ouis, pinguedine, hepate, petroselino, maiorana, hyssopo, & allij modico simul mixtis, & minutissimè cõcisis, addito item piperis, croci, & salis momento, atq; butyro vuis passis, passulis, aut prunis dulcibus, & pineis mundatis, & ouorum vitellis, omnibus bene incorporatis, impleatur cutis tẽchæ inuersa, & filo forti nectatur, & in cratula, vel veru lento igne paulatim, sensimq; assetur, condimento ex aceto, sapa, pipere, croco, & butyro facto, sæpe irrigetur

getur. III. Si parua fuerit Tenca, ablatis prius squammis secundũ dorsum aperiatur, & intus forisq; farina bene inuoluta, in optimo vel butyro, vel recenti oleo frixetur, tandem cum succo vel arãtiorum, vel agresta edatur.

Lampredas coquere, non cuiusuis est coqui, modum in Italia talem obseruauimus: Lampreda aliquandiu aqua calida maceratur, & panno lineo crudo ac durinsculo omni viscositate fricando spoliatur, dextrè tamẽ, ne pelliculo lædatur, sed integra permaneat; eidem mox lingua, dentesq; euelluntur & facto in ventris fundo, paruo foramine, vt digiti apicem immittere queas, paruo cultello, aut ligneo stylo, intestinum elicies, illudque manibus sensim, sensim, ne rumpatur, totum extrahe, & manantem sãguinem diligenter reserua, eo enim Lampredæ saporem parabis: His factis, ori Lampredæ dimidiã Nucistam, & septenis illis foraminibus singula garyophilla infige, tandem lampredam in gyrũ actã ollæ latæ impone, affunde olei aut butyri vnc. I. & tantum vini generosi albi, & agrestę vt tribus, vel quatuor digitis super lampredam emineat, addendo salis modicum, postea lento igne super calentes cineres, Tortæ adinstar, coquat. Et cum bullire cæperit, paruo cultello illa foraminula aperi, piscemq; vel cochleari, vel ligneo orbiculo tantisper comprime donec totus sanguis exierit, & reliquo succo sese misceuerit. Ad huius piscis saporem seu Embamma:

Recipe Amygdalas dulces non excorticatas, madefiant parum vino, mox sub calidis cineribus vstulentur deinde probè expurgatæ, cum vuis passis, & panis vstulati modico optimè pista, & cum agresta, sapæ, & decoctionis modico distempera, & omnibus per setaceum actis adde seruatum superius sanguinem, zingiberis & garyophillorum aliquid, satis autem canellæ, & omnia tandem coquenti Lampredæ affunde.

Integrum piscem elixum, assum, & frictum sic habebis:

Recipe v.g. Truttam magnam, aut Lucium exenteratum & probè lotum, & mundo linteo caput firmiter liga, & stringe; caudam ablatis squãmis si adsint, factisque de more incisuris optima farina resperge, atq; in butyro frixa, frixam ligneis laterculis muni, ne frangatur postea caput elixa decenter, elixatum itidem ablato linteo, ligneis orbiculis muni, mediam partè dextrè craticulæ adapta, & per vices verte, illæsis duabus extremitatibus iã concinnatis assa. Diligẽtia hic & dexteritate opus est sic enĩ vnicum & integrum piscem elixum, assum, & coctum habebis.

Sed de his plus satis, nec enim hoc loci Catonis vel Varronis, Columellæ, Apitij, aut Platinæ, cæterorumue artis coquinariæ magistrorum partes agimus, qui Pauos è Samo; Phrygiam Attagenem, Grues Melicas, Hœdũ Ambracianum, Pelanum Chalcedoniam

niam, Murenam Tartesiam, Asellum pessinuntium, Ostreas Tarētinas, pectunculum chium, Helopem Rhodiū, palmas AEgyptias, glandes Ibericas, & alia sexcenta gulæ incitamenta, præparare, mēsisque luxurioso fastu imponere docuerunt, omnesq; edendi institutiones ad improbam satietatis, luxusque lasciuiam introduxerunt. Tot enim gulæ instrumēta, tot libidinum irritamenta, tot obsoniorum varietates excogitarunt, vt tādem opus fuerit, præscriptis legibus popinæ luxus coercere. Nos, qui non gulæ illecebris, sed congruā & temperatam victus rationē & regulā proponimus, & diutissimè esse, & sanissimè viuere, & viuendo Deo placere studemus, hisce ad Græcos, vnde pullularunt, remissis, ad ea transeamus, quę instituto nostro commodiora, & longè vtiliora esse videbuntur.

CAPVT VI.

De Corporis ante cibi assumptionem præparatione: varijs scilicet corporis exercitationibus, & earum multiplici ante cibum vsu, modo, generibus: vti & de quiete.

Verè sciteq; scribit *Plutarch. in conuiuio sapientum: Qui sapit, is non sese, tanquam vas implendum, ad cænam apportans venit; sed vt seriò, iocoué aliquid acturus, auditurus, atq; dicturus, prout res, vel occasio feret, quò & suauior sit, & iocundior ille conuictus.* Quib⁹ verbis, non corpus modò, sed & inprimis animū cibum capturis præparandum esse monet; corporalis enim exercitatio ad pauca vtilis, & ad exiguum tantum tempus esse videtur, cùm vita nostra sit ὀλιγοχρόνιος, at animi cultus in omne tempus vtilis est, vt, quæ & præsentis, & futuræ vitæ promissiones habet.

Ad integram itaque corporis humani valetudinem conseruādam, vitamq; ad 120. annos salubriter propagandam, moderata corporis exercitia (de his enim hoc loci nobis est sermo) plurimum facere videntur. Nam etsi pro vitæ restauratione conuenientia alimenta ingerantur, nunquam tamen in membrorū substantiam abeunt, quin aliqua supersint excrementa, pro quorum expurgatione, etsi Natura varios meatus & canales parauerit, qui cum ijs exinaniendis, euerrendisque non sufficiant, exercitatione opus erat, vt vel motu attrita, vel sensibili sudore aut insensibili expiratione separentur. Vti enim Sol nebulosum aërem, ita exercitatio corpus purificat: quem motum *Galen. 2. de sanit. tuenda.* tanti fecisse videtur, vt valetudinis, vitæq; propagationem à laboribus auspicandam, exordiendamque voluerit: Et *lib. de cibis boni & mali succi*: omnimodam corporis quietem, sanitati maximopere obesse, debitam verò exercitationem plurimum prodesse scripserit: Natiuus enim calor excremētorum saburra oppressus, & exercitatione exoneratur, & robustior euadit

dit, membris robur additur, omnesq; corporis facultates in perficiundis proprijs operationibus, & vegetiores, & expeditiores euadunt.

Sit tamen & moderata exercitatio, & non nisi debito tempore, loco, & modo adhibeatur, & maxime ante cibum. Hinc *Hippoc. Labor cibum praecedat: ne scilicet si statim à sumpto cibo adhiberetur, crudi, & nondum digesti cibi intempestiuè in venas rapiantur; sed tum demum, cùm peractae concoctionis signa in vrinis apparuerint.* Idem *Hippocr. lib. de Diaet. Qui comedit, sanus esse nequit, nisi laboret.* Et *Aristoteles 1. Problem. 41. Cur cibum minuere, laborē verò augere salubre est? An quia aegrotādi occasionem praebet, nimia excrementorum copia, quae tunc resultat, vel cùm cibus superest, vel cùm labor deest?*

Antequam ergo de idonea ciborum ingestione quidpiam dicamus, paucis de exercitationum generibus, modo & vsu multiplici differemus.

Exercitatio quid. Corporea exercitatio *teste Gal. 2. de sanit. tuend.* corporis motus, qui & vehementior est, & anhelitum alterare potest: cuius genera *Genera.* haec fere esse consueuerunt: Lucta, Pancrateon, id certaminis genus, quo intentis omnibus corporis viribus magna contentione certatur; Pugillatus; cursus; Saltus; Disci iactus; Coryci, Follis, & Pilae palmariae lusus. Item summis pedibus ingredi, tensis in sublime manibus; ante & retro agitatis: In plethro prorsum, retrorsumq; currere: vmbratili armorum pugna exerceri: summis manibus concertare: Discum iactare. His adde Venationem, Equitationem, Iaculationem, Nauigationem, Ambulationē, Choream, vocis modulationem, siue cantus, frictionem, & lectionem. *Horat. libr. 2. Satyr.* Quinque enumerat exercitationum genera: Venationem, Equitationem, Militiam, Disci iactum, & Pilae ludū.

Differentiae. Omnes eiusmodi corporis exercitationes multifariā diuiduntur, vel secundum finem: sunt enim aliae, *teste Galen.* tantùm exercitationes, quae exercitii solum & animi, aut etiam honoris gratia suscipiuntur, vt Lucta, Pancratiō, Pugillatus, Cursus: aliae sunt exercitia simul & opera, vt fodere, arare, remigare, vites putare, onera gestare, naues fabricare, domos extruere, venari, piscari, iter facere. Vel diuiduntur secūdum qualitatem; Sunt enim alia exercitia robusta, valida, violenta, mitiora alia. Illorum item differentia petitur à partibus: alijs enim lumbi, alijs thorax, superae alijs, alijs inferae partes, alijs totum corpus agitatur. De quibus omnib9 consulendus *Galen, 2. de sanit. Cels. lib. 1. Oribas. lib. 6. collectan. Heresbachium lib. de educandis Principibus cap. 30. Leuin. Lem. lib. de vita optime instituend. cap. 44.* vbi docet defatigatas vires exercitatione instau-

rari, cùm animi, tum corporis. *Valeriol. libr. 2. locor. com. cap. 10. Christoph. à Vega lib. 2. sect. 2. Hieron. Mercurial. de arte Gymnast.* & *Iacob. Pontan. Progymnasmat. lib. 3. Progymnas. 48.*

Exercitationis cõmoda. Quod exercitationum vtilitatem in genere concernit, certum est animi exercitia, & à pietate, & virtutibus mentem excolentib⁹ dependere. Quãtum autem momenti exercitatio tàm ad vitam propagandam, quàm ad bonam valetudinem conseruandam obtineat, & constanti omnium authorum consensu, & ipsa experientia exploratissimum est. Huc facit in primis grauissima *Hippoc. Epidem. 6. parte 4.* sententia: *Sanitatis studium est non satiari cibis, & ad labores esse impigrũ.* Idem alibi, *Vsus membra magna facit, otium verò tabefacit.* Et *Galen. lib. de Sanit. tuend. 2. Sanitatis tutela à labore est incipienda*: Et mox, *A laboribus exordiendum* Et *lib. de cibis boni & mali succi: Ad sanitatem tuendam mirum in modum prodest moderata corporis exercitatio: at contra Quies, & diuturnum otium maximo est nocumento.* Idem *eodem in libr.* quod ipse cum suo sodali multos ad annos incolumis vixerit, commodis exercitijs fert acceptum, quibus cruditates vitauerit. Idem affirmat *Arist. in Problemat.* vt supra ostendimus. Et *Celsus libr. 1. cap. 1. Ignauia,* inquit, *corpus hebetat, firmat labor: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.* Et *cap. 2. Prima corporis curatio, exercitatio est.* His subscribit *Plato in Thimæo, exercitium roborare, quietem verò contabefacere*; eo quod *teste Galen. 1. de Sanit. exercitationib.* firmitas quædam membris accedat, naturalis calor accendatur, & ex partium inter se attritu, durities quædam & indolentia comparetur; cùm *eodem teste 2. de sanit.* ex idonea exercitatione tria commoda resultent: membrorum, ob vehementiorem partium attritum, durities; gemini caloris augmentum; & cõcitatior motus ipsius spiritus: Ad hæc magna sequuntur commoda: Nam ex duritie, membra ad reliquos motus valida reddũtur, ita vt minus ab iisdem, & similibus lædantur: Nam longo tempore consueta, inconsuetis min⁹ molestare solent. E natiui caloris augmento, omnes naturales functiones felicius perficiuntur, attractio potissimũ, nutritio, & concoctio: deinde vero solidorum mollitudo, ex humectatione; humidæ verò partes attenuantur, & meatus laxantur. Spiritu verò vehementiùs concitato, pelluntur excrementa, & exigui meatus expurgantur. Hæc quidem ex *Galen.* sententia, de exercitiorum commodis. In quam sententiã etiam scripsit *Hippoc. 6. Epid. parte 5. Labor articulis, & carnibus cibus, & somnus visceribus est vtilis.* Labor enim articulos roborat, & carnem auget, delato per vniuersam corporis molem sanguine: cibus verò

recens

recens sumptus, alit viscera, vti ventrem: & somnus viscerũ functiones adiuuat, atq; perficit.

Exercitationes saluberrimæ sunt, & Veri omnium temporum saluberrimo comparantur; & *teste Gal. 4. Aphor. com. 20.* purgationum vices supplent humorum in corporis centro stagnantium, & collectas singulis diebus superfluitates euerrunt. Et *3. Aphor. 15. Vniuersa anima, illiusq́. virtutes & augentur, & robur accipiunt, excrementa soluũt, & per sudoris meatus eijciunt.* Et *1. de Sanit. Exercitijs modicis natiuus & animi & corporis calor intra sanitatis limites conseruatur.* Denique quãtam vim tum animi, tùm corporis exercitia possideant, sequentibus verbis *Plato* omnium Philosophorum facile princeps. *In theateto testatur: Corporum habitus quiete & otio corrumpitur; exercitijs verò & motibus magnopere cõseruatur. Itidem animæ habitus institutione & meditatione quæ motiones quædam sunt, doctrinis consequitur, seruatur, & melior euadit. Otio autem quod ab omni meditatione & disciplina vacatio est, neq; discit quicquam, & si quid didicerit, obliuiscitur.* Hæc vera sunt, planeq; aurea *Platonis* sententia, quæ ad honestam, moderatamq; tum animi, tum corporis exercitationẽ nos merito incitare; cõtraria verò ab otio, & ignauia, ceu maximis vtriusq; partis pestibus auocare, & deterrere debet. Hinc illas potissimũ exercitationes antiqui maxime laudârunt, quæ simul & bonam corporis valetudinem, partiumq; concinnitatem, & animi virtutes efficere, & cõciliare possunt: cuiusmodi est paruę pilæ lusus, quæ *teste Galen.* omnium exercitationum optima est, quæ non modo corpus fatigare, sed & animum oblectare valet.

Quando adhibẽda exercitia.

Corporis verò exercitationes quod attinet, tempus maxime cõmodum, & oportunum, est ante cibi, potusq; sumptionem: postquam ea, quæ in ventre, vasisque subsunt, probe elaborata, atq; cõcocta fuerint, vt iam denuo cibi assumendi tempus instat. Hæc communis est & peruulgata omnium Medicorum sententia, quã etiam *Hieron. Mercurial.* & rationibus, & Alexandri Macedonũ Regis exemplo confirmat *lib. de Art. Gymnast.* Idipsum verò omnium optime docet *Hippoc. 4. Epid. part. 4. Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria. Hic à labore seu exercitatione incipit, quæ cibi quasi prodromus esse debet.* Sic *Galen. libr. de paruæ pilæ exercitio* scribit. Exercitia ad bonam valetudinem conferre, & præstantissimorum tùm Philosophorum, tùm Medicorũ testimonio, cibos antecedere debere, eò quod exiguos meat⁹ expurgent, & excrementa educant. Quod si quis sumpto cibo corp⁹ statim fatiget, exagitetque, illud crudis omnino humoribus implebit; est enim *teste Galen. lib. de cibis boni & mali succi, res perniciosissima*

ſima, omnis, poſt cibum motio: Excutitur enim è ventriculo alimentũ antequam concoquatur: Ante cibum autem adhibita, craſſos ſuccos ſubigit, concoquitque. Et *Celſus lib. 1. cap. 2. Quem interdiu vel domeſtica, vel ciuilia officia tenuerũt huic tempus aliquod ſeruandum curationi ſui corporis eſt. Prima autem eius curatio, exercitatio eſt, quæ ſemper cibum antecedere debet: in eo autem qui minus laborauerit, & bene concoxit, amplior: in eo qui fatigatus eſt, & minus concoxit, remiſsior. Commode verò exercent, clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio.*

Huiuſmodi verò præparatio, quæ fit per exercitationem, cibũ potumq; non vtilem modo, atq; ſalubrem, verum etiam ſuauem, & iocundum eum ſumentibus præſtat. Et ſane labor, exercitij cauſa ſuſceptus, cibi condimentum eſt; nec vllum tam ſuaue eſt obſonium, quam poſt laborem edere. Hinc *Socrates* cùm ad veſperum vſq; (quo cibum antiquitus capere ſolebant) contentiùs ambularet, quæſitus, cur id faceret? Reſpõdit ſcilicet quò meliùs comederet, obſonare ambulando: innuere volens, ſe laborare, vt tãto maiore voluptate, ſalubritateque cibo vteretur. Nam cùm omne voluptatis genus, deſiderio præcedente conficiatur, deſiderijs, vt eleganter *Cicero* inquit, epulæ condiuntur. Itaque Darius Perſarum Rex (qui tamen victus rationem, & exercitationem profitebatur) quem Alexander Magnus bis acie ſuperauit, cùm in fuga aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit ſe vnquam iocundius bibiſſe: nunquã enim bibendo ſitim expleuerat, quam videlicet eiuſmodi principes nũquam expectant. Sic nec Ptolomæus eſuriens ederat, cui cùm AEgyptum peragrãti, comitibus non conſequutis, cibarius in caſa panis oblatus eſſet, nihil viſum illo pane iocundius. Huc facit *Socraticum* illud *Apophtegma: Optimum condimentum fames:* (cui ſimile illud noſtrũ vernaculum, optimus Coquus fames) quo ille Athenienſium luxum perſtringebat, qui varijs cupedijs, & operoſis condimentis efficere conabãtur, vt cibus palato ſaperet, cùm id optimè fames præſtet, condimentum vt optimũ ita & vtiliſſimum. Nihil enim ſuauius edi, quam quod editur ab eſuriente. *Cicero 2. de Finib.* dicebat id quod Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, adduximus loquentem, cibi condimentum famem eſſe, potionis verò ſitim. Huc facit illud *Antiphanis*:

Labor cibi condimẽtũ.

Præter ſeipſam, cætera edulcat fames.

Dulce enim eſt *teſte Athæn. lib. 4.* Mazam, & Naſturtium edere eſurienti (cui ſimile illud peruulgatum, famem efficere, vt crudæ etiam fabę ſaccarum ſapiant) *dulce eſt aquam è fluuio hauſtam ſitienti bibere. Cicero 5. Tuſculan.* narrat in Lacedęmoniorum Phiditijs, cùm

Diony-

Dionysius Tyrannus cœnasset, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatũ: Tum is, qui illa coxerat, minime mirũ, inquit, condimenta enim defuerunt: quæ cõdimenta, inquit, ille? Labor in venatu, sudor, cursus ab eurora, fames, sitis. Hisce enim rebus Lacedæmoniorum condiuntur epulæ. Hinc *Hyppolitus apud Euripidem* ait: Redeuntibus à venatione plenas mensas esse iocũdas, significans nimirum, corporis exercitio & labore, cibi cupiditatem excitari: ideoq; & Principibus, & Regib⁹ venationes (quas Xenophon mirificè commẽdat) ante cibi assumptionem, vel breuio saltem ientaculo exercendæ. Alexander Magnus cùm solitos obsoniorum artifices abiecisset, dixisse fertur: meliores se habere, vel secum ducere Coquos, nocturnam scilicet profectionem ad prandium condiendũ: ad cœnam verò prandij tenuitatem.

Labor ergo ante cibum, vt ex commemoratis constat, Coci est similis cibum optimè cõdientis. *Cyrus teste Xenophont. lib. 2.* ἀπὸ ἐμνημον, nunquam cœnasse fertur, prius quam sudaret, aut laborem aliquem rerum vel bellicarum, vel rusticarum obijsset, ideoq; secunda valetudine perpetuo vsus fuisse perhibetur. Idem quoq; cùm non suæ duntaxat, sed & suorum valetudini optime vellet esse cõsultum, summam curam adhibuit, ne illi vnquam sine præuio sudore, aut labore, ad prãdium cœnamue accederent. Sic AEgyptia Iuuentus Amasi edicto, nõ prius cibum capiebat, quam 180. stadia percurrisset, *teste Herodoto, Galen.* quoq; non præceptis tantum, sed & exemplo suo, ante cibi, potusque sumptionem, laborandũ esse docuit. Nam ipse aliquando in agro tùm ligna findere, tùm fodere, & alia quædam opera rusticana, exercendi corporis gratia, facere deprehensus est. Hinc profecto fieri putandum, vti & quotidiana loquitur experientia, rusticos, opifices, operarios, nautas, baiulos, & alios, laboriosam vitã ducentes, licet mali succi alimentis vtantur, saniores tamen robustiores esse ijs, qui & in otio vitam ducunt, & exquisitissimis alimentis perfruuntur. Illi enim diuino præcepto obsequentes laborib⁹, atq; sudoribus victum sibi comparant, inde fit, vt singulari DEI beneficio bona & longa valetudine fruantur, rarissimeq; morbis conflictentur, etiamsi quandoq; in victu grauissimè delinquant.

Sint autẽ exercitationes quantum fieri potest moderatæ & pacatæ, tales enim si tempore, loco, & modo adhibeantur, natiuũ fouent calorem, roborant, augentque, omnes corporis partes, & membra, solidiora, atque duriora reddunt, fuliginosa excrementa aptè expellunt, insitos spiritus recreant, neruis robur addunt, corpus agile efficiunt, cõcoctionem

iuuant, totumq; corpus ab ingruentibus morbis præseruant. Auctiores verò exercitationes corpus attenuant; Cōtinuæ, corpus reddunt crassius: multæ, siccant; mediocres obæsum faciunt.

Moderatæ item saltationes, siue à cantu, motu, regione, siue ab inuentore, argumento, aut subiecto: siue à corporis partibus, incitatione, instrumentis, habitu, sexu, ætate, & vsu desumantur, prædictas quoq; corporibus & sanitati afferunt vtilitates. A motu enim desumitur stataria & motoria. In illa sunt saltationes diductę contentæ, remissæ, seu molles: In hac verò sunt saltus, flexus, procursus, cōniuescētia, diuaricatio, claudicatio, ingeniculatio, manuum tùm innixio, tùm consertio, tùm compectinatio, commutatio, complosio, elatio, iactatio; pedum item permutatio, alteratio, & trepidatio &c. Quæ omnia si moderatè, tempore & loco fiant, ad sanitatis tutelam plurimū faciunt. Illæ enim exercitationes à Medicis potissimum laudantur, in quibus brachia exercētur, thorax panditur, pulmonumque superfluitates excutiuntur, & peccantes materiæ ad inferiora truduntur. Improbandus interim earum vsus, à Barbaris & Ethnicis ad nos deriuatus, qui non sanitatis, sed voluptatis gratia, sumpto statim cibo, præsertim in Magnatum conuiuijs, nuptijsq; summâ cum licentiâ & libidine, tripudiantium more exercetur. Nunc enim & viri & vini ignaræ virgines inquit *Scribanus*, inter prima pudoris ornamenta, saltus & choreas in vitulantis iuuentutis medio statuunt, inter petuleos oculos, & sola libidine fortes. Nec satis est vultu, nisi & manibus, & pedibus iaculentur cœlo scandala. Nam quid hæc sunt, nisi libidinū incendiua, & prudentissimus, cōtinentissimusq; quisq; publicare vereatur? Quo enim aliquis vel modestior, vel verecundior, eo in his magis publicum vitat. At nunc posito pudore, in omnium oculis

Iuuat & vago rotatu
Dare fracta membra ludo,
Simulare vel trementes
Pede, veste, voce Bacchas.

Quasi verò producendæ valetudini oportunior exercitatio, aut verecundior ludus deesset, & qui minus publicaret ruborem & pœnitendas accenderet flammas. Deerat forsan olim valetudini aut tuendæ, aut reparandæ ratio, quia nusquam chori, nisi in scena, conuiuijs, aut lupanari? & quos nullus duceret, nisi aut sine fronte Comœdus, aut sine pudore Conuictor, aut impudens Leno? aut virgines nostra ætas potentiores dedit, quia valentiores psaltrias? an & olim fractior Romanus miles, robustior Sybariticus, quod illi sine saltu, hi cum tripudio hostem ferirent? Quamdiu hæc vana? cibum & potū excipiunt tripudia, & Corybantum cymbala

cymbala, & rursus pocula, & redeunt mensæ. *Sic itur in orbem.*

---Festasq; reponere mensas
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter
Castor, & hesternas risit Titonia mensas.

Deambulationis effectus.

Suauis tamen, iocunda & lenis deambulatio, sumpto cibo instituta, cibum ad ventriculi fundũ descendere facit: Longior, & cõcitatior, frigoris vim discutit. Vt plurimum autem in apricis locis instituenda deambulatio, hac enim ratione & aër, & venti facilius nos ambiunt, & ad cordis refrigerium, & ad spirituum refocillationem promptius attrahuntur ideoq; melior est sub Dio deambulatio (modo aliud quidpiam non impediat) quam in porticu; melior in sole non vrente, quam vmbra, modo idipsum capitis cõstitutio ferat: melior in vmbra à viridarijs effecta, quam quæ tecta producunt. Hinc illud scholæ Salernit.

Demane montes, de vespere quærito fontes.

Hoc loci laudatur etiam aquæ nitidæ aspectus, hortorum, nemorum, syluarumq; prospectus, & leues nauigationes.

Ludi.

Ad exercitationes etiam varia spectant ludorum genera, vt sunt luctæ, pugillatus (agreste nimis exercitium) de quibus iam supra dictum: Equorum item cursus, & curruum vecturæ, venationis, falconariæ, natationis, ludus item pilæ maioris, trunculorum, & paruæ pilæ.

Moderata Equitatio spiritus roborat, sensus purgat, & stomacho comprimis idonea est: Immodica verò propter frequentẽ iactationem, & membrorũ quassationem, visceribus obest maxime, præsertim non assuetis.

Paruæ pilæ ludus.

Paruæ pilæ ludum tanti fecit *Galen.* vt integrum de eo conscripserit libellum: Hoc enim exercitio non solùm maior corporis agilitas & promptitudo comparatur, sed etiam omnes corporis vires augentur, partes roborantur, & seminales morborũ causæ sudore, & insensibili transpiratione expelluntur, sicq; plurimùm vtilitatis corporib⁹ affert, nisi quod debiliori capiti ob frequentiorẽ depressionem quandoq; obesse possit.

Venationis effectus.

Venationis tamen exercitium nunquam à quoquam satis laudatum fuit: non enim solum vniuersas corporis partes, viresq; ex æquo exercet, sed & animum mira voluptate afficit: facit enim nos ante lucem excusso somno surgere; frigora & calores tollerare; equitando totũ venatoris corpus exercetur, sicq; insitus augetur calor, lacerti, brachia, manusque, venaticos canes ducendo, trahendoq; agitãtur; canum strepitu, clamore, latratu, vociferationibusq; varijs, aurium sensoria acuuntur; vociferatione thorax, & vocalia instrumenta exercentur; dum fugientes feras summo studio venator insequitur cursu, ad quoduis opus peragendum agilior redditur; in velocitatem,

 cele-

celeritatemq; ferarum, atq; in canum incursum, insultumq;, oculorum acies, intenditur, sicq; visus & perfectior & acutior efficitur. Sæpenumero in venando vbi ferox sese fera obiecerit, animus ardore quodam incalescit, deinde tam cupiditate, quam honoris studio captus, ferarum cæde & captura mirifice afficitur, dumque aduocatis omnibus corporis viribus, omniq; neruorum contentione certamen aggreditur, conficitq; feram, tandem laboris victor reipsa lætatur. Membra quoque & reliqua instrumenta venatoris, è mutuo ipsorum attritu, duriora & robustiora euadunt, spiritus vehementius mouentur, musculi, nerui, atq; lacerti valentiores efficiuntur. Tacemus quæ cõsilia in feris indagandis, quàm diligentem in capiendis laborem, in feriendis, & iaculandis studiũ, venatorium requirat: ex ipso eni conatu, ad multa meliores & sapientiores euadimus. Venatio deniq; maximam cum re militari similitudiuem habere videtur, vt videre est apud Xenophontem Imperatorem, huius artis, vt ex edito in hanc rem libello constat, peritissimum. Hæc enim sibi Ducem præficit, cuius dictis omnes auscultant, & obediunt: hostem excursionibus prouocat, exploratores in speculis disponit, insidias abdit, apertum Martem simulat, diuortia ad fugã patentia obscurat, per saltus, perq; auia pedites præmittit, loca plana, & aperta Equitum alis præcingit, cornuũ strepitu progressus, aut egressus, prædam aduenientem, aut effugientem significat, moueri castra indicat: adeo vt omnino concludendũ sit, venationem bello aut pugnę simillimam esse, ex qua triplex vtilitas emergere videtur, sanitatis nimirum, scientiæ militaris, & victus.

Venatoriæ cum Militia comparatio.

Sed quorsum nos venationis & iocunditas, & vtilitas rapit? reliqua persequamur.

Lectionis exercitiũ.

Huc etiam spectat Lectio clara voce prolata, & cantio, seu Musici concentus, cuius mirabilis est vis tam ad corpus, quam ad animos vario modo permouendos, afficiendos, exercendos. Musicã enim mentibus nostris cõnatam testatur *Aphrodis. 1. Problem. 76. & 119. Aristoteles in politicis* affirmat, & ad mores cõuenire, & ad animos facere enthusiasticos. Quantum autem valeat ad animos vel leniendos, vel incitandos, variæ tùm sacræ, tùm prophanæ testãtur historiæ, *Saulis* scilicet, *Elisæi &c. Asclepiades* animorum perturbationes, & corporis varios affectus, ad lyrę modulos curauit: *Xenocrates* Lymphatos carminum modulis à dementia liberauit. *Theophrastus* tradit Ischiaticorum & Arthriticorum dolores, lenibus tibiarũ phrygiæ harmonię modulis sedatos: Tibicineq; scite & modulate canẽtem viperarum morsus persanasse, *Gel. lib. 4. cap. 13.* Nec *Marti-*

Musica

ani

ani Capellæ verba silentio prætereunda: Quid afflictationib⁹ corporeis, nonne assidua meditatione succurri: febres curabant, vulnera, vlceraq; cantione. *Asclepiades* tuba surdidissimis medebatur ad animi affectiones tibias adhibebat, *Theophrastus* Ischiadas quis nescit expelli? *Xenocrates* organicis modulis lymphaticos liberabat. *Thaletem Cretensem* citharæ suauitate, compertum est morbos ac pestilentiam fugasse. *Herophilus* ægrotorum venas rythmorum collatione pensabat. Legimus quinetiam ab *Asclepiade* phreneticos adhibito vel tibiarũ, vel fidicularum cantu sanatos. Dicitur & *Ismenias Thebanus* Ischiaticos tibiæ sonis incolumitati restituisse. In Apulia Phalangium (araneorum est genus, Itali Tarantulam vocant) alio anni tempore ad nocendum nõ magnam vim habet, in magnis verò solis ardoribus, messis potissimũ tempore, pestiferum acerbitatis virus messoribus infligit, cui perniciei vna hæc salutaris inuenta est medicina, vt ictus vario ac multiplici tibiarum cantu, cytharistarum, aliorumue musicorum permulceatur. Sic quãtum olim fuerit apud Arabas, Lacædemonios, & omnes Græcos Musicæ studium tàm ad mentis acumen, quàm ad corporis exercitationes pluribus ostendit *Athan. lib. 14.* vt nunc multiplicem eiusdem vsum tum in sacris, & Ecclesia, tùm in bello & certaminibus, tùm in funeribus, & exequijs, tùm demum & in cõuiuijs, silentio inuoluamus.

Verum iam pridem ante hos omnes *Syracides* diuino inflatus numine præclare, luculenterque & Musicam laudat, & multiplices eiusdem vsus describit: *Nec Musica prohibe: Et vbi est acroama, siue quando carmina canuntur, noli loquaciter obstrepere, & intempestiue sapientem agere: Nam concentus Musicorum in symposio, est quasi insigne carbũculi in ornatu inclusum aureo. Et modulatio cantorum adhibita ad suaue vinum, est tanquam sigillum smaragdi in apparatu aureo, seu in auro fabrefacto positum.* Quibus verbis syracides egregie Musicam, & præsertim cõuiualem cõmendat. In conuiuijs enim varia adhibentur oblectamenta, alia ex cibo & potu, quo venter iocundè pascitur; alia ex cantu, quo aures suauiter afficiuntur; alia è variis spectaculis, ac ludis, quibus oculi recreantur; alia ex vnguento, floribus, odoribus, quibus nares afficiuntur. Sed omnium optima & liberalissima oblectatio, est sermonis, quo vno animus maxime delectatur, & pascitur: post sermonẽ autem Musica primas obtinere videtur.

Musicæ abusus.

Sed vt olim *Esaias Propheta* luxuriosissima Iudæorum & conuiuia, & epulares concentus reprehendit, dicens *cap. 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, ita*

vt vino æstuetis: cytharam, nablum, tympanum, & tibia in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis, &c. Sic hodie profectò tam turpis inter conuiuia esse cæpit, vt ex illis omnino tolli optandum esse videatur: Multi enim Musica (antiquorum Græcorum consuetudine) ceu classico quodam ad immanissimas illas propinationes incitantur: & quod horrendũ magis, nonnulli sacris carminibus è sacris litteris depromptis abutũtur, quibus se mutuo ad grandia pocula tanto citius exhaurienda incitant, inuitantque; vt nunc cãtiones turpes, lasciuas, amatorias (Græcis κωμικὰ dictas) taceam⁹, quibus auditores ad impuros amores, lasciuiam, ac nefandas libidines incitantur. Adhæc instrumẽtorum musicorum mollibus, delicatis, & eneruatis sonis atq; modulis, ad lasciuas, petulantesque saltationes & choreas impelluntur. Vt taceamus verba, quæ non ætatem modo, primam, sed & totum dedecorant hominem, atq; hinc iam illa monita, tanquam ab oraculo prolata:

Frãge thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo
Breuis hic est fructus homullis,
Iam fuerit, neq; post vnquam reuocare licebit.

Nunc quid à beata hac vita reliquum, nisi

Peragat diem cadentem
Dapi, poculis, choreis,
Genialis apparatus.

Vox deinde fractior, incessus mollior, liberiores oculi, & nusquam pudor, qui exulare hinc iussus, quasi in publico nemo peccet, nemo erubescenda palam cõmittat quacunq; licentia, vt solus iam pudor seruetur parietibus, & in occulto tecto. Adde his tibias, choros, psaltrias, turbam Musicam, concentum varium, qui & Hispanicam majestatem, Italam prudentiam, Gallam agilitatem, Germanam grauitatem, Anglam solertiam, maturitatem, Belgicã omnisciam, & omnicanoram modulationem exprimat: ad quam non iam Arcades, Satyri, aut saliant Nymphæ, aut furentis orgia Bacchi; sed qui philosophum pallio, senatorem togâ, matronam modestia, virginem referant verecundia. Fuit cùm nemo sobrius saltaret, cùm solus

Bassaridas, Satyros, Panas, Faunosq; docebat
Ludere Silenus, iam numine plenus alumno.

Relicto itaq; Musicæ epularis abusu, incompositoq; lurconum helluonum ac bouinatorum cãtu; seu strepitu verius, verus, moderatus, & honestus Musicæ vsus & exercitatio retinẽda, quæ olim etiam *teste Virgilio*, & in principio, & in medio, atq; in fine conuiuiorum adhibebatur.

At non in Venerem segnes, nocturnaq; bella,
Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi
Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ,
Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex
Nunciat, & lucos vocet hostia pinguis in altos.

Hucusq; de Musicis concentibus, exercitationum vices obeuntibus. Nunc de legitimo cuiuscunque

cunq; exercitationis modo, & ratione pauca dicenda. Maximus olim, & frequentissimus apud veteres fuit frictionum vsus, vt passim apud *Hipp. Galen.* & alios medicos videre est. Hęc autem exercitationes & antecedebát, & consequebatur; illa præparatoria, seu præcursoria, hec verò curatoria dicebatur, vt habet *Valeriol. lib. 2. locor. com. cap. 11. Christoph. à Vega libro 2 sect. 2. Gal. lib. de sanit. Cels. lib. 1 cap. 1.* Desuetudine abolita est frictio, quæ antiquitus senibus, & sedentariam vitam ducentibus, exercitijs vicaria erat etiam nunc, vt vult *Anton. Niger lib. de bona valetud.* vtilitatem allatura maximã, si in nostros mores reuocaretur: quâ tamen, cùm valetudini procurandæ, vitæ q; propagandæ potius, quàm robori, aut viribus augendis (vt olim Athletæ) studemus, non opus habere videmur, vt quibus nec immodicos labores adire vtile sit, nec ab immodicis laboribus lassitudinem sentire, vt ad eam subleuandam, apotherapiâ, ceu salutari præsidio egeamus.

Frictiones.

Porrò non prius adhibenda exercitatio, quam & hesterno cibo probè confecto, & alui, vesicæque excrementis eductis. *Qui non concoxit*, inquit *Cels. lib. 1. cap. 2. ex toto quiescere, neque labori se, neq; exercitationi, neque negotio credere.* Periculum namque, est, ne priusquam probè concocta sint, quæ cruda mãserunt, in habitum corporis, ipsius exercitationis vi ac potestate deducantur, quo nihil nocentius corpori accidere potest. Concoxisse autem nos, & ad laborem, exercitiumue subeundum rite ac probe apparatos esse, vrinæ à somno redditæ color indicabit: Quæ enim diluta est, & aquæ speciem referet, crudum in venis subesse succum, nec satis elaboratum indicat, tuncq; quiescendum. Vnde illud eiusdem: *Qui bene concoxit, mane tuto surget: qui minime, in lecto quiescere debet &c.* Sin verò ruffa, & biliosa vrina appareat, coctum esse eiusmodi succum demonstrat, tuncq; exerceri conuenit: at exonerare prius & alui & vesicæ excrementa oportet, ne ea spiritus, motionisue impetu impulsa, corporis meatus obstruant, aut solidæ partes excrementis onustæ, noxam ab ijs percipiant, aut conuulsæ, vel ruptæ, vel immodice distentæ.

Quando adhibẽdæ exercitatio- ne..

Habenda insuper, & ipsius personæ, quæ exercetur, & loci, & tẽporis ratio. Quantum ad personã non omnes omnibus conueniũt exercitationes: Gracilibus enim & attenuatis, mitiora atq; remissiora: fortibus & robustis validiora ac robustiora conueniunt exercitia, *teste Hippoc. lib. de salubrium victu.* Sic alia exercitia senibus, alia pueris, ac iuuenibus, alia mulieribus conducunt, *teste Galen. de tuenda sanit.* & *Heresbachius de educand. Princip.* Litterarum studiosis ijsq; qui vel Ecclesiasticam, vel politicam

politicam, vel aliam vitam quietam, grauiq; labore vacuam traducunt, *Plut. lib. de sanitat. tuend.* vocis, sermonis, lectionisque exercitationes adhibendas suadet. Pilæ quoq; palmariæ vsus, qui hodie & in Galliis, & Italia vsitatissimus est, litteratis hominibus maxime conuenire videtur. Nec minus commoda deambulatio, qua *Socrates* fere est vsus, mediocris per amœna & virentia loca, secus strepentes riuulos, placido & sereno cœlo, censeri debet, qua quidem probe & vniuersum corpus exercetur, & appetentia excitatur, & natiuus calor exuscitatur, membra roborantur, ac blandus & suauis color reflorescit, & ab excrementis corp⁹ liberatur. Testatur etiã *Iamblich.* Pythagoreos cùm mane, tùm etiam vesperi deambulationib⁹ vti fuisse solitos; post quas, lauabantur, loti, cœnabant. Nec minus vtile fuerit, mane circa mõtes: vesperi ad amœni fluminis ripas spatiari, vti *Actius Saunatius elegantissimo hoc Epigramm. testatur*:

ol iubet exoriens Faunos, Dryadasq; puellas
Quærere, & herboso ducere monte choros.
eclinis vitreas suadet descendere ad vndas,
Doridaq;, & lusus ô Galatea tuos.
ausa patet: quia sublimes cùm tendit ad arces
Nos quoq; per saltus, & iuga summa rapit.
[illegible] verò Hesperios petit imæ Tethydos amnes,
Exemplo ad fontes nos vocat ipse suos.
Iinc adeo natura hominũ loca mane requirit
Ardua, cæruleis vespere gaudet aquis.

Quoad loca, *Celso* melior sub io videtur deambulatio, quam n porticu, vt iã superius diximus: melior (si caput patiatur) in temperato sole, quam vmbra: melior in vmbra, quam parietes, aut viridaria efficiunt, quam recto. Temporis quoq; habenda ratio; In æstate enim remissior, leuior, atque in vmbra; In hyeme concitatior, diuturnior, atq; in sole conuenit exercitatio. Vide *Hippoc. lib. de salubrium victu:* Exercitijs qui vtuntur, hyeme currere, luctari debẽt: æstate verò luctari quidem parũ, currere autem minime: sed multum deambulare ad ventum & frigus. Consuetudinis quinetiam ducenda ratio, cùm omnis subita mutatio, si modum excesserit, noxia sit, *teste Hippoc. 2. de acutor. vict. text. 5.* Vt autem exercitationibus honestis, vtilibus, & temperatis ante cibum, sanitatis ergo, vtendum est, quibus corpora nostra ad cibum, potumque validius attrahendum, promptius permutãdum & concoquendum: ita eorũ damnanda est consuetudo, qui non sanitatis, sed potius vel auaritiæ, vel voluptatis, atq; ebrietatis causa, eiusmodi progymnasijs vtuntur; quo nimirum maiore cibi potusque copia ingurgitare, & immanissima illa potandi certamina ferre ac sustinere possint: Nec corporis exercitationibus modo, verumetiam antipharmacis & antidotis quibusdam, vt amygdalis amarit, persicorum nucleis, aut expresso, & diluto Absynthij pontici succo, & in primis Brassica, Catoni ad fastidium vsq; nobili-

nobilitata, alijsq; id genus, ad arcendam ebrietatem vtuntur. Exercitationis deniq; finis, plerumque sudor esse debet, *teste Cels. lib. 1. cap. 2.* aut certe lassitudo, citra fatigationem tamen. *Gal. 2. de sanit.* Exercitationis terminum vult esse anhelitus mutationem: Et *Paul. AEgin. lib. 1 cap. 16.* Animæ ad spissitudinem alterationem.

Cui itaq; & sanitatis conseruatio, & vitæ in multos annos propagatio cura cordi fuerit, antequam cibos admittat, sole exoriente surgens, alui, vesicæq; sarcinam deponat, capite pectinato, oculis, dentibus, manibusq; frigidâ ablutis, implorato prius, & pacato Diuino Numine, moderato aliquo exercitio corpus exerceat, excitetq; ad leuem madorem vsq;, seu ad defatigationis initium, idq; magis in phlegmatico, quàm bilioso corporis habitu & magis hyeme, quàm æstate: auctus enim hoc modo natiuus calor, maiori promptitudine & alacritate, cibos mox assumendos amplectetur, & conficiet. Sit tamen moderatum semper exercitium, ne inde corporis aliqua dissolutio subsequatur.

Quies. Quemadmodū è debito, moderato, ac legitimo exercitationum vsu, sarta, tectaq; sanitas, & & vitæ longioris propagatio cōseruatur, ita immodica Quies, & consūmatum otium, non solùm corporis, verum etiam animi vigorem, viuacitatemq; obtundit, vniuersum corporis habitum refrigerat, natiuum calorem hebetat, omnes actiones vitiat, debilitat, totumq; corpus ad obeundos labores torpidum, & ineptū reddit. Contra verò moderata vel quies, vel otium, corpus multis bonis beat, labantes, & labore fractas vires reficit, corpus alit: Inde illud *Nasonis:*

Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,
Immodicus contrà carpit virumq; labor.

CAPVT VII.

De Balneis atq; Thermis ante cibum, & epulas vsurpandis; quid, quantum, quando, & quomodo, tam vitæ propagandæ, quàm sanitatis conseruandæ causâ, ijs vtendum: & quæ hoc tempore magis sint in vsu.

ANTIQVORVM mos erat, Vt antequam discumberent Balneis & vnctionibus vterentur: ideo scribit *Cels. lib. 1. cap. 2.* exercitationem rectè sequi vel vnctionē in sole, aut ad ignem: vel balneum, in spatioso tamen, alto, & lato conclaui: qui mos veteribus *teste Hom.* frequentissimus erat, dū canit ex eodem *Virgilius:*

Vt lauit, sumpsitq; cibum dat membra sopori.

Apud Romanos autem, Galeni etiam tempestate, plurimę erāt balneę: alię quidem in vsum publicum, vrbium ad instar exędificatæ, quæ Xenibalneæ dicebantur pro hospitibus: alię multæ, quas diuites priuatas, in proprijs domibus habebant, magnis impensis extructas. Erant enim præ cæteris sumptuosæ Agrippinæ, Neronianæ, Ciceronianę, Anto-

nianæ, & aliæ id gēnus; erant & pensiles, Asclepiadis Medici ingenio & industria ædificatæ.

Adeò autem magnificæ erant Romanorum Thermæ, referente *Pancirollo*, vt etiam murorum reliquiæ, altitudinem ipsorum intuenti, admirationem mouerent. Antoninæ, & Diocletianæ Thermæ, altitudine & latitudine omnia ędificia superabant, multis instructæ conclauibus, tria tùm potissimum balneis destinabantur, Caldarium scilicet Tepidarium, & Frigidarium, ita tamen disposita, vt ex tepidario in caldarium, & ex hoc, in frigidarium, & vice versa pateret adytus. Frequenter autem veteres balneis vtebantur, eò quod absq; tibialibus incederent. Fiebāt autē vel aqua marina vel aqua dulci, eaq; tùm calida, tùm frigida: primùm tamen marinis, ijsq; frigidis, constipantibus & meatus occludentibus; mox & dulcibus, calidis & poros laxantibus lauabant; tandem etiam vnctiones adhibebant, naturâ gratissimas, quarum vsum Græci, omnium vitiorum genitores, ad luxum, luxuriamq; uerterunt.

Et licet *Clemens Alexandrinus* plures Balneorum causas recenseat, corporis nimirum munditiem, tepefactionem, sanitatem, & voluptatem: In eorum tamen luxum (cùm res profectò & vilis sit, & nullius splendoris) meritò grauiter inuehitur *Seneca lib. 13. Epist. 87. Quies est*, inquit, *qui sic (vt Scipio ille Carthaginis horror) lauari sustineat? pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magis & preciosis orbibus refulserint: nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint: nisi illis vndiq; operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexatur: nisi vitro condatur camera: nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdederit: in quas multa sudatione corpora nostra demittimus: nisi aquam argentea epistomia fuderint. Et adhuc plebeias fistulas loquor. Quid cùm ad balnea libertinorū peruenero? quantum statuarum, quantum columnarum est, nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensæ causa? quantum aquarū per gradus cum fragore labentium? Eò delitiarum peruenimus, vt nisi gemmas calcare nolimus &c.* Sic *Clemens Alexandrinus libr. 3. Pædago. cap. 5.* luxuriosum, & libidinosū sui temporis balneorum abusum acriter reprehendit: Primum quidem quod ædificia nimis sint & sumptuosa, & artificiosè compacta, & perspicua, quodq; circumferri possint syndone tecta: Deinde quod cathedris argenteis, & vasis innumerabilibus escarijs, potorijs, balnearijs ex auro & argento confectis vterentur: tùm quod eousq; intemperantiæ processerint, vt tam mulieres, quàm viri, inter lauandum cœnarent, atque adeo sese vino obruerēt, suamq; supellectilem, ostentationis gratia, in balneis exponerent. Præterea

rea hoc quoq; potissimum nomine mulieres culpat, quod cùm viris, tùm mulieribus communia essent balnea, de qua promiscua virorum cum mulieribus balneandi consuetudine, qua sese nudas extraneis spectatoribus, seu corporum cauponibus conspiciendas præbent, & quodammodo prostituunt, nostro quoque hoc sæculo merito conqueri possemus.

Iam verò si de artificiosorum horum balneorum vsu aliqua dicenda sint, *Hippoc. 3. acutor. text. 55. & Galen. in com.* scribunt, à balneo confestim nec sorbendum quicquam, nec bibendum esse: quæ sententia, in naturalium thermarum vsu, etiam locum habet. Et qui balneũ ingressuri sunt, id non faciant, quin cibus in ventriculo maiore sui parte sit subactus, ne crudum in balnea pauonem gestare dicantur, vt habet *Iuuenalis*, quemadmodum hodie passim fieri solet. Sic & in ipso balneo omni & cibo, & potu abstinendũ: Loto dein corpore, ante lassitudinem, vel fatigationem egressi, totum corpus, præcipue verò caput, lenibus linteis, mastiche suffumigatis (si res ferat) exiccandũ, frigus arcendum, nec prius discũbendum, quam tota balnei caliditas è corpore expirarit. Cibi enim aut potus vel paulo ante balnei ingressum, vel maximè in ipso balneo, vel statim à balneo ingesti, fumante scilicet adhuc corpore, viscerum venas obstruunt, è quorum infarctu, multi in Hydropem inciderunt, alij vel vnico largiore haustu, post balnei egressũ facto, natiuum hepatis colorem extinxerunt, & inopinâ hydrope correpti perierunt.

Verùm balneandi, ante cibi assumptionẽ, vsus, hodie exoleuit: nec iniuriâ sanè, cùm res & vilis sit, & nullius splendoris, & mulieribus tùm sanitatis, tum munditiej ratione, viris verò sanitatis duntaxat causâ concedẽda; non voluptatis gratiâ quò minus minus aut luxui, aut libidini seruientes, ad balneas, tanquam ad omnium impuritatum, & voluptatũ tabernas, & vitiorũ officinas confluant, in quibus multi dies, noctesq; helluantur, comessantur, bacchantur, scortanturq;, multi impudicas domum referunt mulieres, quas si domi reliquissent, inuiolati pudoris candorem retinuissent.

Proderit tamen singulis annis æstiuo tempore, & potissimum assuetis, corpus frigidâ lauare, non tamen statim à cibo, aut à magna exercitatione, luuat item singulis annis ter quaterue caput frigidiusculâ, vel tepente lauare, hac nẽpe ratione: primùm lauetur lixiuio tepido, inde aquâ frigidiuscula, mundâ, ex alto affusa; deinde caput siccis linteolis, non calefactis siccetur. Hæc lotio etsi aliquem incutiat horrorem, quo homo quasi corrigescere videtur multis

multis tamen & magnis commodis hominem beat, coacto enim intus calore, cruda concoquuntur, excrementa digeruntur, spiritus temperantur, caluitium nondum præsens, & cani retardantur, caput, sensusque iuuantur, & ad omnes motus promptiores redduntur. Quæ lauandi ratio, iis maxime, qui catharrhoicis defluxionibus obnoxij sunt, obseruanda venit. Sic frigidæ inspersio caput; & balneum ex tepida pedibus adhibitum mirifice prodest, vt & manuum frigida lotio, à cibo, quæ omnia oculis conducunt, & ad omnia salutaria sunt.

Hactenus de aquæ dulcis tum frigidis, tum calidis Balneis. Superest vt iam de naturalium Thermarum virtualibus succorũ, fossilium, mineralium, metallorumque potentijs ac tincturis imprægnatarum facultatibus, & vsu, ad vitæ propagationem faciente, aliqua proponamus.

Naturales igitur Thermæ tùm calidæ, tum frigidæ, quatenus per interaneos & occultos terræ meandros excurrunt, & varijs terræ succis tùm liquidis, tùm concretis; varijs & metallorum, & lapidũ & mineralium & salium: vt Auri, Argenti, Ferri, Cupri, Plũbi, Mercurij, Arsenici, Auripigmenti, Antimonij, Bismusti, Mysi, Sorij, Chalcithis; Sulphuris item, Bituminis, Solis subterranei, Salis, Nitri, Aluminis, Vitrioli &c. vel vaporibus, vel exhalationibus, atq; virtualibus eorundem potentijs, & tincturis tam simplicibus, quàm mixtis imprægnãtur, varios quoque ad vsus, tam ad vitam propagandam, quam ad sanitatem conseruandam, morbosq; vel grauissimos propulsandos adhibentur.

In harum autem thermarum vsu sedulo obseruandum sulphure & bitumine abundantes, membra plus satis laxare, & emollire, maxime verò hepar & ventriculum: Quæ autem plus ferri, vel aluminis, vel æris, vel gypsi obtinẽt, nimia adstrictione cutis meatus & poros præcludere, vt nihil excrementi vel dissipari, vel discuti queat: mistas autẽ medio quodam modo se habere, tutioremq; semper illarum vsum esse, tales enim digerunt, dissipantque saluo semper membrorum robore ac viribus.

Non semper sunt salubres aquæ medicatæ, sed noxiæ interdũ, vt anno bissextili, aut cùm pluuiæ circa ver continenter decidunt, durantque; tunc temporis enim quidam ex earũ vsu graues noxas, alij quoq; ipsam mortem incurrunt; quod tamen nec vbiq;, nec semper, nec omnibus accidit.

Thermis autem natura calidis verno potissimum, ceu omnium temperatissimo tempore, Martio scilicet Aprili & Maio mensibus, & vbi frigidius est cœlum, subinde in Septembri ad Octobrem vsque; imo verò si vel regionis frigiditas

giditas, aëris, cœliue inclementia, aut loci situs suadeant, alijs quoq; anni temporibus ijs vtendum, semper tamen temperatior & cœli & aëris constitutio in balneorum vsu, ob corporum, habituumq; raritatem & laxitatem, eligenda: licet vrgente necessitate nullum anni tempus ad sanationes sit negligendum, cùm aquæ medicatæ, & hyeme, & æstate suas obtineant & conseruent vires: quod si tunc tēporis aër vel crassior, humidior, frigidior, aut nebulis & vaporibus obsitus fuerit, poterit is excitato luculentiore igne, in conclauibus corrigi.

Bibuntur autem aquę medicatæ, tùm vt humorum sentinam, ventriculo, intestinis, vasis meseraicis inclusam expurgent: tùm vt partiū intemperiem corrigant, pulmonum vitia, anhelitus difficultatem saniemq; pectori, citra vlcus, inclusam euacuent; iecoris item, lienis, coli, ilej, renumq; affectus persanent.

Non tamen illotis, vt aiunt, vel pedibus, vel manibus, accedendæ thermæ medicatæ, sed corpus prius debitis & idoneis purgationibus euerrendum, omnes & viæ præparandæ, & obstructi meatus prius reserandi; imo & si res ferat, vena tundenda, quo maiori cum fructu thermæ suas in corpore curando exerant vires: corpore tandem hoc modo præculto thermas intrare tutius poterit, semotis omni labore, inediæ, curis, venere, cæterisq; animi passionibus.

Quod si Balneis aliquid innatarum virium decedat, vel morbis curandis non satis, superque respondeant, poterunt ea addi, quæ pro curandi affectus natura, & jndole facere videbuntur, vt & efficaciores euadant, & votis tùm medici, tùm ægrotātis respōdeāt.

Thermis autem insidendum, duabus ab ortu solis horis, aëre scilicet à nocturnis vaporibus repurgato: insidendum autem ad vmbilicum vsq; si inferiores laborant partes: vel ad ceruicē si superiores, idq; primo die, vnius horæ spatio: altero die balneū & paulo calidi⁹ sit, & diutius eidē immorādum, & sic consequenter de die in diem & horas, & balnei calorē augendo. Vbi tamen notandum, calidos, raros, macilentos, natura, vel morbo debiles, calidiorib⁹ balneis diutius insidere nec posse nec debere, mulieribus exceptis, quæ diutissime balnei æstus ferre possunt.

Summum autem sit, mane in aurora tribus, vel quatuor; vespéri duabus vel tribus horis balneare, intercedentibus inter vtrumque balneum, sex vel quinq; horis, corpori, viribusq; reficiendis, destinatis. Si enim diutius quam par sit, Thermis immoremur (vt vulgo fere fit, dum totos non solum dies, sed & integras noctes balneando conficiunt, comessātur, potitant, imo & vino obru-

nitur) mirum nō fuerit, nos cruditatibus, colicis doloribus, aliisque grauibus affectibus corripi, vires labascere, aut subita sæpe morte opprimi, presertim qui natura vel debilior est, vel nuper è grauiore morbo cōualuerit. Tam diu itaque thermis insidendum, quandiu id cuiusque particularis natura, & virium constitutio permiserit. Sic etiam nec certū tempus prescribi potest, quamdiu scilicet, & quot dies quis balneando consumere possit aut debeat, cùm illud à particulari cuiusque natura, virium, & corporis robore, morbi violentia, aut diuturnitate potius, quam solius consuetudinis ratione dependeat, experti medici iudicio relinquenda.

Perperam multi eousq; balneandum esse volunt, quoad cutis sequatur rosio, vel exulceratio: tùm quod nō semper cutis rosio, facultati seu laudi thermarum ascribenda sit, cùm omnes thermę hanc facultatem non habeant: tùm quod plurimis eiusmodi cutis apertiones, vel ob rariorem, strictioremue corporis habitum non accidant; vel quod corpus acribus & erodentibus humoribus non redundet, eo quod ante balnei vsum vel debite expurgatum fuerit, vel congrua adhibita sit victus ratio.

Balneo egressus, in tepidario calidis linteis abstergendus, & curiose vestibus inuoluendus, quo minus ab ambiente frigore vel corrigescant, vel cutis pori occludantur: deinde in calido lecto tectus, horis spatium sudoribus concedat, & somno etiam locum det. Tādem corpore, & in primis capite exiccato, adhibitisq; si opus videatur frictionibus, reparatis vel vitro, vel adhibito conueniēti confortatiuo, ad cibum potūq; presenti affectui respondentem, sese sumendum componat.

Sed de his hactenus, & forte plus satis; nec enim nostri instituti est, isthæc ex professo pertractare, sed potiora duntaxat, & nostro instituto inseruientia, primis vt aiunt, labris delibare. Plura qui voluerit, eos adeat, qui data opera Thermarum, aquarumue medicatarum naturas & facultates fuse, & abunde satis tractauerunt, vt est *Andreas Baccius*, *Andernacus*, *Martinus Rulandus*, *Ioan. Iacob. Hugelius*, *Ioanes Gobelius*, *Paracelsus*, *Turnheiserus*, & alij plures. Antequam tamen huic capiti coronidem imponamus, è sexcentis celebriores aliquot Thermas tùm calidas, tùm frigidas proponemus, earumq; mirandas vires, tùm ad vitam propagandam, tùm ad sanitatem conseruandam, morbosque vel præcauendos, vel persanandos in medium afferemus, facto à Fabariis, quas Piperinas vocant, exordio.

FAVORINAE seu PIPERINAE.

Inter aquas medicatas naturâ calidas, hodie Fauorinæ seu Piperinæ facile primas tenere creduntur

duntur. In agro Curiensi inter solis ortum & meridiem, horrendo & alto specu, medijs è saxorum & rupium cryptis, inter duos altissimos montes scaturiunt, & erumpunt, virtuales Sulphuris, Nitri, AEris, Ferri, & Auri tincturas, ac spiritus inuicē cōtemperatos, abundecōtinentes. Vnde ob spirituales prædictorū mineraliū tincturas, tùm potę, tùm balnei loco adhibitæ, prosunt capitis doloribus, deperditæ memoriæ, visus obscuritati, auditus grauitati, articulorum, neruorumq; resolutioni, artuum tremoribus, membrorum lassitudinibus, paralyticis, contractis, conuulsis, podagricis, Ischiaticis, chyragricis, phthysicis, inueteratâ febre correptis, artuum doloribus; membris fractis, contusis, sugillatis, malignis, & male curatis vlcerib⁹ scabiei, impetigini, elephantiasi, lepræ incipienti; vulneribus male curatis, renum & vesicæ calculis; varijs & inueteratis vteri affectibus; diuturnis & renum & vesicæ morbis; cancris item, fistulis, mamillarum vlceribus; cerebri, & neruorum obstructionibus, epilepsiæ, apoplexiæ, colicæ, à morbo cōsumptis; iecoris, lienis, mesenterij obstructionibus, ictericis quartana febre correptis; mensium deniq; intemperiei, quos modo sistit, modo prouocat, modo temperat.

BADENSES HELVETIORVM.

Aquæ istæ calentes multo sulphure, at pauco alumine imbuuntur; in balneo tamen, vt & potæ, magno fructu adhibētur, catharris, coryzæ, reumati, capitis defluxionibus, asthmaticis, pectoris angustijs, dyssuriæ, & vrinæ difficultatibus, pituitosis stomachi affectibus, intestinorum infarctibus; frigidis & humidis cerebri malis, sensuum imbecillitati, memoriæ, visui, auditui, odoratui, concoctioni, renum & vesicæ vitijs, viscerū obstructionibus; matricis tùm suffocationi, tum præcipitationi; retentis mensibus, infæcunditati, & omnibus mulierum doloribus; articulorū item morbis, podagricis, chiragricis, ischiaticis à frigida causa excitatis, scabiei, pruritui, impetigini, & omnibus frigidis ac humidis affectibus.

BADENSES HIRCINIAE, vulgo Marggraffenbadt.

Calentes hæ thermæ virtualibus salis, nitri, aluminis, & sulphuris qualitatibus imprægnantur, ideoq; & in balneo, & in potu exhibentur ad asthma, spirandi difficultatem, capitis defluxiones ad thoracem: aurium & oculorum defluxiones, aurium tinnitus; ad articulos quinetiam, tumores oedematosos, hydropas, frigidos matricis affectus, albos mensium fluores, sterilitatem, maligna tùm vlcera, tùm vulnera, podagram, ischiaticam, membrorum tremorem, torporem, spasmum, cōtractionem, & neruorum conuulsiones

ones; ad frigidam humidam ventriculi intemperiem; Iecoris & lienis infirmitates, intestinorum dolores; renum & vesicæ calculũ, crurum inflationes, scabiem impetiginem cutis vitia, cachexias, vrinæ difficultatem, catharrũ, Colicam; ad omnes deniq; frigidos & humidos morbos.

PLVMBARENSES.

In Lotaringiæ finib⁹ haud procul ab Oppido Roremontio, insignes hæ aquæ, veluti in rotundo lacu, sub dio emanant, spiritalib⁹ plumbi, sulphuris, aluminis, & nitri qualitatibus insignitæ. Ideoq; potæ renum & vesicæ vitijs opitulantur, fluxiones siccant, antiquis febribus medentur, albos mulierum fluores sanãt; & in quibusdam futuros prouocant; matricem expurgant, roborant, & infæcundis mulieribus ob nimiam vuluæ resolutionem, & humorũ copiam, valde prosunt. In balneis verò frigidis vteri affectibus conferunt, obstructas hemorrhoidas reserant; potissimum autem valent ad cancrum, fistulas, elephãtiasin, scabiem; maligna & curatu difficilia vlcera, phagædenas, impetigines, intertrigenas, vulnera male curata; membra fracta, contusa, & resoluta, artuumq; & torpores & dolores, lassitudinẽ, imbecillitatem; panaritium, omnia cutis vitia, omnesq; frigidos corporis affectus,

SYLVESTRES, seu FERINAE.

Prope Oppidum Pfforzheim in Ducatu VVirtẽbergensi sitæ sunt hæ thermę, multis nominib⁹ percelebres, sulphure, sale, & alumine; vel vt aliis placet, ære etiam & nitro imbutæ; Vtiles sunt tùm potu, tùm & balneo, capitis defluxionibus; membrorum paralysi & resolutionibus, spasmo, conuulsioni, stupori, neruorum resolutioni; pectoris angustię, sanguinis sputo, oculis lippientibus; mirifice autem tùm renum, tùm vesicæ calculis; aurium tinnitui; iecoris ac lienis obstructionibus ventriculo crassis ac tartarosis humoribus infarcto, inappetentiæ, icteritię, lassitudini, hydropisi, colicæ, vrinæ retentioni, podagræ, scabiei, externis corporis vitijs, frigidis tùm cerebri, tum sensuũ affectionibus.

CELLENSES.

Alumine, ære, & sulphuris momento constant hæ thermę, vnde tum potæ, tum in balneo vsurpãtur ad caninam appetentiam, pituitosas biliosas, ac chronicas febres, & mirifice ad renum & vesicæ calculum; icteritiam, quartanas, cachexias, hydropem; frigidã ventriculi intemperiem, hæmorrhagiam, aurium dolores, inueterata, & maligna vlcera, immoderatos menses; lienis & hepatis infarctus, choleram, vulnera incurabilia, lassitudinem, scabiem, cutis vitia, frigidos & tenaces, ac glutinosos humores.

EMBSENSES.

Non procul ab Oppido Lau-

ftein profluunt hæ thermæ calidę sulphuris, vitrioli, aluminis & nitri facultatibus præditæ, vnde & potæ, balneatæ faciunt ad asthma crassos, lentos ac tenaces humores attenuant, incidunt, detergēt, spirandi difficultatem curant, colicam discutiunt, renum calculos conterunt, frigidos matricis affectus, & sterilitatem iuuant, antiquis vlceribus, & frigidis abscessibus prosunt, podagrā, & arthriticos dolores sedant, impotentiā naturalem reparant: faciunt item ad ventris fluxus, pulmonis vitia, scabiem, cutis sordes, neruorum contracturas, & omnia corpori infixa extrahunt.

VVYSBADENSES.

Haud procul à Moguntia profluunt calidæ hæ thermæ, sulphure, alumine, & nitri momento cōstantes, vnde & potu, & balneo valent aduersus membrorum refrigerationem, & debilitatē, neruorum rigores, cutis vitia, scabiem, vlcera, asthma, spirandi difficultatem, vrinę retentionem, hydropisin, frigidos & humidos articulorum dolores, podagras, frigidos matricis affectus, albū mēsium fluorem, capitis defluxiones & omnes frigidos cerebri morbos.

MELDINGENSES.

Frigidæ sunt hæ thermæ, non procul à monasterio Beinweyll, & arce Dürstein sitæ, antiquitus celebres, vt ab existentibus adhuc ibidem Balneorum & Cellularum ruinis apparet, sulphuris, aluminis, & salis petræ subtilitatibus imprægnantur, ideo etiā frigidis & humidis matricis affectibus, albis mensibus, conferunt; viscerum, lienis scilicet hepatis, & mesenterii infarctus reserant, humoresq; tum biliosos, tum pituitosos per aluum, vrinam, & sudorem pellunt: membrorum lassitudini subueniunt, artuum, neruorumque dolores, tremores, & imbecillitatem adiuuant; remorantem vrinam cient, capitis defluxiones exiccant, scabiei, & cutis vitijs medentur.

VVADTVVEYLENSES.

Et hæ frigidæ thermæ iuxta oppidulum Wadtweyll, superioris Alsatiæ emanant, secumq; & sulphuris & nitri spirituales essentias vehunt, ideo & stupidis, rigentibus, contusis, contractisq; tùm membris, tùm neruis cōueniunt, vi scilicet emolliente, calfaciente & anodyna. Dolores item & ventriculi, & intestinorum, hepatis, lienis atq; matricis demulcent, & harum partium tumores & inflationes sedant; cachexiam, & prauum corporis habitum curant; scabiem deniq; maculas, phlichtenas, impetigines, vlcera, & alia cutis vitia persanant.

GLOTTERENSES.

Prope Friburgum Brisgoiæ fluunt hæ aquę medicatę, natura frigidæ, quas vulgò Glotterbadt vocant, spirituales & æris, & sulphuris tincturas continentes: vnde

diuturnas & chronicas febres sanant, & iecinorosas ab infarctu viscerum dependentes; curant & ictericos, & lienosos, caninam sedant appetentiam; ventriculi humiditatem exiccant, scabiem, & cutis vitia tollunt, & fæcunditatē sterilibus afferre hodie credũtur. Sed de his hactenus.

CAPVT VIII.

De congrua ciborum appositione, ingerendi modo, & ordine; qua ratione ciborum genera primo sint apponenda: & in genere quis salubrior sit ciborum ingerendorum ordo.

VETERES conuiuium celebraturi, illud in primam, & secundam mensam diuidebant: In ciborum autem seu ferculorũ, seu dapum (quas etiam Missus, & Mensas nuncupabant) appositione, sedulo attendebāt, tùm à quo apponerentur, tùm quot, & qualia fercula, quo item ordine, quæ primo, quæ secundo, aut tertio loco; tùm quo modo, quibusue ritibus apponerentur. Nos, qui non conuiuia tractamus, sed modum, quo quis, mediantibus idoneis alimentis, & sanissime, & diutissime viuere possit, ea potissimũ in medium afferemus, quæ ad institutum nostrum facere videbũtur. Antiquitus famulæ, & ministri cibos mensis apponebant, vt passim apud *Homerum* videre est. Hodie in Principum & Regum aulis Dapiferi, & Gallis Panatiers nominantur: hoc etiam officio Christi Discipuli, cùm ingentem hominum multitudinem, exigua panis & piscium portione pasceret, recte persungebantur.

Quantum ad ferculorum numerum, qualitatem, & ordinem; in magnifico olim Romanorum apparatu, epulæ trinis duntaxat ferculis distinguebātur; qui mos inter veteres Germanos diu multumq́; fuit obseruatus, tres tātum missus mensis apponentes, quo tempore, ingluuiem vitantes, diu multumq́; vixerunt: hinc tamen, crescente gula, ad dena, & plura, imo hodie ad centena fercula itum, & tot, tantis, tamq́; varijs onerantur mensæ dapibus, vix vt sessioni locus detur. In piscibus verò Romani summam luxuriam tripartito distinguebant, vt vna esset murænarum, altera luporũ, tertia mixtionis: & ne frigescerent, focos quoq; (vti & hodie factitatur) vna cum obsonijs offerebant. Augustus potentissimus Romanorum Imperator *teste Suetonio*, cœnam ternis ferculis, aut cùm abundantissime, senis præbebat, vt non nimio sumptu, ita summa comitate. Olim Germani tria tantummodo fercula mēsis apponebant, scilicet Ein Voressen. Ein Mitessen/vnd Nachessen. hodie tamen, vt dictum, crescente luxu, in dies quoq; augetur & crescit ferculorum numerus.

Quantum ad ferculorum ordinem, variæ & olim fuerunt, & hodie sunt multorum populorũ consuetudines: varia item medicorum iudicia. *Turnebus in Aduersarijs*

sarijs scribit, in lautissimis cœnarum conuiuijs, primos ferculorũ missus, primosq́; gustus, & tanquã primam mensam, antiquitus ante cœnam fuisse appellatam; secunda autem fercula, ipsumq́ue veluti solidum, corpus cœnę, cœnam fuisse dictam. Ante cœnam enim *test. Macrobio*, echinos, ostreas crudas, quantum vellent, deinde mox in summa cœna sinciput, aprugnum &c sumebant. Inde illud *Martialis*.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, & porris fila resecta suis.
Et quæ Picenum senserunt frigus oliuæ
Hæc satis in gustu, cætera nosce cupis.
Mentiar, vt venias, pisces, conchylia, sumen.

Primi itaque cibi, seu fercula, quæ apposita fuerunt, antiquitus & principium cœnæ, & procœmium, & antecœna, gustatio, gustus prandium, promulsis, à veteribus, Germanis vero Voressen, Gallis Entree de table, appellata fuerũt: Cœnæ autem propriæ dictæ præcipuum ferculum, caput cœnæ dictum fuit, vti esset v.g. inter cæteros minoris famæ cibos, caput, Gallus Indicus, Phasianus, aut Perdix &c.

Veteres quinetiam in mensæ principio, ostreas; in fine verò lactucas, & herbas offerre consueuerant, vti scribit *Plin. in Epistol. ad Erutium: Heus tu promittis ad cœnã, nec venis. Dicitur ius, assem impendium reddes nec id modicum. Paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, oua bina, alica cum mulso & vino. Nã hanc quoq; computabis, imo hanc in primis, quæ petit in ferculo, oliuæ, betitæ, cucurbitæ, bulbi &c. At tu nescio apud quem ostreas, vuluas, echinos.*

Cœna Plinia-na.

Mensæ insuper frigidas, quas hodie acetaria vocamus, antiquorum epulas finijsse, testatur *Martialis*.

Grataq; nobilium requies lactuca ciborum.

Et alibi:

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes.

Lactucæ vires

Lactuca enim *teste Athen. lib. 2.* æstuanti stomacho omninò confert, refrigerat, ventrem soluit, sõnum conciliat, bonũ sanguinem generat, Veneris vim, & æstum frangit: vnde Pythagoricis εὐνοῦχος dicta: & *Callimachus* finxit Venerem Adonim inter lactucas abscondisse; His adde quod *Aristoxanis*, homo voluptuarius, *eodem teste Callimach. lib. 1.* non dubitarit lactucas in horto suo vesperi atq; mane mulso irrigare, quas virides placentas vocabat, è terra natas.

Cur autem veteres cœnam lactuca claudere consueuerint, causam esse dicit *Christophorus à Vega*, quod antiqui vim quandam ventrem cohibendi, & ipsum roborandi tribuebant lactucæ: quæ verò talis sunt naturæ, ante alios cibos edi non debent, ne eorũdem descensum inhibeant. Nouit tamen *Gal.* lactucam nec astringere nec laxare: ac à natura facile euinci, proindeq; primis mensis illam adhiberi præcepit: præter id quod præparatio ex sale, oleo, &

 aceto

aceto, ipsam per ventrem celerius demittit.

Oua quinetiam in mensæ principio apponebantur, *teste Horatio lib. 1. Satyr. 3. Si collibuißet ab ouo, vsque ad mala citaret.* Et *Cicero libr. 9. Epist. ad Varron. Integram famem ad ouum affero.* Veteres item cœnæ initio mora ponebant; quod nec *Galenus* improbauit; non autem nihil sumendũ præter mora. *Hor.*

—ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris finiet.

Mori enim arboris fructus, *test. Leuin. Lemn.* salubriter expetitur in refrigerandi vsum, æstiuis præsertim mensibus, quibus potissimum viget, idq; in prima mensa, atq; ante cibum assumptus: nam peracto prandio, aut cœna, in corpus admissus, putrescit ac morbis ex corruptione excitatis seminaria ministrat, vt cerasa, corna, pruna, persica, vuæ recentes &c, quæ ante cibum refrigerant, sitim sedant, atq; calidam hepatis intemperiem mitigant, reprimuntque. Nec verò grauatè post cibum etiam admitti possunt, modo horũ fructuum succus deglutiatur, nõ admisso in corpus illo cartilagineo stamine, quod à pediculo, cui fructus adhæreſcit, per morũ se porrigit. Sic enim vino exhilaratis fumos reprimit, vt & poma succulenta, punica, arengia, limones, & mala tum citria, tũ cotonea, quæ absoluto prandio hoc efficiunt, vt quis minus ebrietati succumbat, & mens illi minus vini vel fumo, vel vapore obnubiletur. Sic enim à naturali ratione alienum videri non possit, nec veletudini contrarium, quod *Horat.* superius de moris cecinit. Apud Venetos olim mensæ principiũ fuisse Gobium testatur *Martialis:*

In Venetis sint lauta licet conuiuia terris,
Principium cœnæ Gobius esse solet.

Iam verò medicorum vireta introeunda, & quo ordine cibi ad vitam propagandã, sumendi sint, videndum. *Galen.* igitur *libr. 3. de Symptom. caus. 1. Cibus,* inquit, *parũ conuenienti ordine, aut intempestiuè sumptus, concoctionem vitiat, vt cùm fructus primò, mox alia emollientia, vt oleum ex garo sumuntur.* Et *2. de Aliment. facult. Ex cibis qui subducuntur, posteriores quidem sumendi, qui tarde permeant; omnium autem primi, qui celeriter peruadunt. Celsus lib. 1. cap. 2. Cibus à salsamentis, oleribus, similibusq́; rebus melius incipit, tùm caro assumenda, quæ assa optima & elixa est: secunda mensa bono stomacho non nocet; in imbecillo coacescit. Si quis itaq; hoc parum valet, palmulas pomaq́; & similia melius in primo cibo assumit. Valeriola 2. locor. comm. 6.* Talem instituit ordinem: *Quæ leuia sunt, & aluum subducunt, prius: quæ verò plenius alunt, posterius ingerantur; nec dura mollibus, nec adstringentia subducentibus; nec crassiora tenuioribus; nec concoctu difficilia facilibus præmittantur, vti perperam in Germania fieri solet, dum v. g. hordeata iuscula vltimo loco apponunt.*

nunt Christoph. à Vega eandem rem & acuratius, & diligentius discusit, *lib. 2. Art. Medic. Ordo*, inquit, *præscribendus quouti expediat, in diuersorum alimentorum vsu, in eadem mensa. Quidam enim voluerunt anteponenda alimenta concoctu difficilia ijs, qui facilius digeruntur; eo quod venter in fundo calidior sit, qua parte & carnosior, & hepati est vicinior. Tali igitur ordine alimenta erunt ingerenda, vt æquo tempore omnia concoquantur, nec crudum cocto misceatur. Id fiet, cum concoctu difficilia antecedunt, & imam ac calidiorem ventriculi partem præoccupant: concoctu verò faciliora, superiorem, & minus calidam: Quidam contrarium asserunt, concoctu scilicet faciliora præmittenda esse, tum ne concocta, ex mora corrumpantur, sed facilius descendant; tum vt nondum subactis coquendi locum dent. Si enim concoctu difficiliora præmittantur, concoctu facilia interim subacta, cum descendere nequeant, non coctis permiscebuntur, sed permanebunt confusa, nec ritè elaborata, demùm cum nec à natura gubernentur, corrumpentur.*

Vt ergo veritas magis, magisq; elucescat, sequenti vtendum distinctione: Alimenta quædam liquidam habent substãtiam, quædam solidam: Et ex his, quædam citius, quædam serius à ventriculi calore & coctione superantur: ventriculus autem nõ habet parem in parte suprema & infima calorem; siquidem infima crassior est, carnosior, & iecori vicinior. Vbi ergo alimenta eam habent differentiam, vt quædam liquida sint, tenuisq́ue substantiæ, quædam solida: si simul ingerantur, nihil omnino refert, siue præcedant, siue subsequatur liquida, vt est ius carnis, cum carne ipsa; facile enim miscentur, & in vnam substantiam conuertuntur. Sic si caro præcedat, & hanc iusculum sequatur, totam tamẽ carnis substantiam facile peruadet, eiq; ad amussim permiscebitur. Et hæc est ratio, ob quam citra manifestam noxam quidam ante, quidã post iuscula ingerunt, potumq́ue (quamuis liquida sit substantia) cum cibis, & post cibos accipiunt. Quod si alimenta solida fuerint, sed disparis naturæ; aut liquida, sed crassæ substantię, vti fercula quæ facilius concoquuntur, pręire debent, sequi verò reliqua. *teste Gal. 2. de aliment. facult. cap. de piscibus.* dicens, *Quia & huius edicti meminisse oportet, omnia scilicet cibaria prauum succum cum humiditate obtinentia facilè descendere, ideoq; prima mensa assumenda.* Idem *3. de vict. acutor. com. 2.* ait, *Nam perpetuo ingerenda sunt, & quæ facilius corrumpuntur, & quæ magis subducuntur.* Sed & ratio pro hac militat sententia: Alimentum enim concoctu facile, præassumptum, prius coquitur, & descendit, eo, quod sequitur, quod eò diutius immoratur, quo longiore ad coctionem eget tempore: Nec enim

subactum alimentum, temporis momento descendit, sed quod superiore parte continetur, tardius: decet igitur id tardius coqui, vti tardius descendit, vt diu retentum perficiatur: & tam id quod facile, quàm quod difficulter coquitur, parum à completa coctione descendat. Vbi verò vnum tãtum alimentũ assumatur, quemadmodum pars superior tardius coquitur, ita diutius immorabitur, donec perficiatur. Ex his eorum excluditur sententia, dum dicunt; Si pari interuallo ciborũ naturæ, cum partium ventriculi caloribus distent, is qui magis coctioni reluctatur, antecedere debet, vt vno omnia tempore concoquantur: nam inde fieret, vt totum alimentum breuissimo tempore descenderet, aut superior pars corrumperetur. Primum autem non fit, quoniam quiuis facile agnoscet, ventrem omnia, intra bihorium, in intestina deponere, quo tempore venter sensim leuior redditur. Secundum ergo id est alimentum in ventre corrũpi, accidet, si duarum horarũ spatio coctum in ventre retineatur. Excluditur demum & aliorũ placitum, qui dixerunt, tardioris coctionis alimenta præcedere debere.

CAPVT IX.

Ciborum varietatem, omnibus vitam producere & valetudinem conseruare volentibus maxime infensam esse.

VERA quidem, & indubitata sunt, quæ præcedenti capite de conuenienti & salubri ciborum assumendorum ordine proposuimus, ad tollendas tamẽ omnis generis & difficultates & morborum occasiones, operæpreciũ omnino & consultissimum foret, si relicta ciborũ, & præsertim natura pugnantium varietate, & vitæ & valetudini maxime infensa, simplici & non ita tumultuariâ victus ratione, vitam traducerem⁹, qua primę mundi ętatis homines vsos, & sanissimè & diutissimè vixisse, præcedenti libro abũde docuimus, omnib⁹ sanæ mentis hominibus amplectendam, & ab ipso *Hippocrate Medicorum Principe, Plinio* item, & *Plutarcho* pridem commendatam: quibus saporum aceruatio, pestifera semper, & cõdimenta pleraq; suspecta & perniciosa fuerunt. Idipsum testatur *Gal. comment. in Hippoc. de acutorum victu*, dicens: Ciborum varijs ac diuersis facultatibus prædictorũ varietatem, nocentissimam esse. Idem confirmat *Rhsasi lib. 25. continent*. Et *Auicen. 3 primi doctr. 2. cap. 7.* Et *Aristoteles sect. 1.* Varium cibum recte morbosum, & tumultuarium vocat, nec vna cõcoctione elaborari scribit *Horat.* item *lib. 2. Sermon. Satyr. 2.* Frugalem & simplicem victum laudat, & saporum, condimentorumq; coaceruationem, vt pestiferam detestatur. Vnanimis demùm omnium Medicorũ consensus, ratio, ipsaq; experi-

experientia dictat, quantum hominum & vitæ, & sanitati nocumenti afferat, ferculorũ dapumq; & varietas, & inter se diuersitas: quæ etsi prima frõte ac principio oblectet, gulamque ceu quodam quasi incantamento fascinet, palato, gustuiq; acceptissima videatur, postea tamen dolores, molestias, inquietudines, perturbationes, nauseam, fastidia, innumerosq; morbos parit. Nam vt scribit *Hippoc. lib. de flatibus*, varios, & inter se dissimiles simul sumere cibos, ad prauam spectare victus rationem; seditionẽ enim in corpore mouent, dum aliqui citius, aliqui tardius concoquuntur.

Huc etiam spectat longum & tædiosum illud in ferculorum appositione interuallum, quod plerisq; in locis in longum protrahitur tempus, non sine magna latrãtis ventriculi iactura, ideo & odiosum & damnosum valde: dum enim posteriora alimenta mensis apponuntur, priora vel coctionẽ subeunt, vel iam subacta sunt, & hoc modo cruda coctis miscentur, quæ consuetudo Germanis nostris medullitus connata esse videtur.

Iam verò quid ad nostri temporis & luxum, & cupedias dicemus? quæ passim in conuiuiorum magnifico & superbo apparatu, non citra notabilem & vitæ, & valetudinis facultatumq; iacturam exercentur. Nõ enim sat est noua gulæ irritamenta adinuenisse, nõ sat est appetitui ad insolitos & insuetos cibos fræna laxasse, ad deteriora itur, & quo felicius luxui & cupedijs vela pandantur, conuiuiorumq; magnificentia magisq; elucescat, non solum superfluo exquisitissimorum ferculorum apparatu, vt assis, elixis, frictis iurulentis, tucetis, leucophagis, fructibus, tortis, pastilijs, promulsidarijs, pultariis, crustulentis & quibusuis lautissimis epulis, piscibus, à supero, inferoq; mari, à fluminibus, torrentibus, lacubus euocatis, & arte Apitia præcultis: feris item tùm in syluis, tùm mõtibus defatigatis, nec rarenter seruorum, dominorumque sanguine purpuratis, sexcentis quin etiam auibus mirâ industria ad gulam paratis, mensæ exornãtur; non solum in infima terræ viscera itur, ad exquirendos in hominum necem boletos, fungos atq; tubera; non deniq; ingeniosa ciborum condimenta, nauseanti Domino somniata, exhibentur, sed & plurima sæpe esui non apta apponuntur, digna solum, quæ cum admiratione oculos pascãt.

Atq; hinc morborum tot probè, quot eduliorum & cõdimentorum genera, securibus, ligonibus, & leguminibus ignota: dum non contenti obuijs, leuiq; parabilibus, infima scrutamur maria. Cum viuaria ad hoc claudimus, vt quantum pelago sæuiente, habeat tamen luxuria portus suos, in quibus piscium greges saginẽtur:

tur: & cùm ad manum sit, quod satis est, ad superuacua sudamus, insatiabili gula; vt nullis animalibus, nisi ex fastidio pax sit. Et quantum quisq; per tot nõ rarò manus comparata, voluptatibus fesso ore libamus? Quantum ex fera canibus, seruisque pasta crudi nauseantesque gustamus? Quantum ex conchilijs, per tot maria aduectis, per palmarem stomachum labitur? Quãtum ex incertissima ostrearum carne, cœno saginata? Nec satis est sæuiisse in cocta, nimis hoc plebeum, imus ad cruda; non & viua? Decurrimus deinde ad voluptuarium venenũ lãguentis veneris irritamentum, fũgos scilicet, nocte, aut vna luna natos, tot iã olim Principũ funeribus nobilitatos, quasi inglorĩũ sit, comedere sine periculo. Quid quod limaces factæ delitiæ, & nõ vna in gente rarior illis mensa? Cocti nimis vulgares, tota adhuc anima domo sua decerpta migrant in stomachum, meliore nimirum hospitio donandi. Quid reliquum, nisi vt eamus ad colubros & coruos? Iam auium excrementa, piscium saniem, salsa tabe præcordia vrentem, milleq; alia purulenta, & solis sordibus nota, quoties mensis inferri videmus? Quoties hęc & similia, quæ inuitis ingesta visceribus sunt, per os reddi audimus? Quoties vinum per ætates & genera nominatum vomitu remetiri? Quoties niuem rodi, glaciemq; in æstuantis stomachi solatium? Et innumeras, nouasque miramur ægritudinum formas? Condituras intuere, ad irritandam, nõ ad explendam famem repertas. Hinc pallor, & mẽbrorum tremor, & miserabilior ex cruciatibus, quam ex fame macies: inde etiam incerti labantiũ pedis, & luridæ bilis suffusio, & vultus decolor, & neruorum sine sensu iacentium torpor; capitis, vertigines, oculorum tormenta, ęstuantis cerebri verminationes, fera luxuriæ supplicia, terrarum marisque vastatricis.

Infelices plane in tanta ciborũ varietate, quod non intelligamus tam magno fæda hæc palati oblectamenta stare. Et hæc interim sunt illa magna magnorum nauseanti stomacho comparata, & cogitantur in dies noua. Nimis enim vile vulgaribus pasci: mirum si non indignũ, corpus tegi, quid vulgo id receptum. Hinc etiam dies, noctesq; vertimus, nimis vile plebeis videbatur, vti diebus, ac noctibus, secedendum ab hac regula, errarunt sol & sydera: num & syderum Conditor Deus? Et hæc est illa præsentis seculi prudentia.

Interim in hoc luxu, in hac ferculorum & multitudine & varietate, spretis medicorum consilijs, relicto cibationis ordine, modo cruda coctis, modo crassa liquidis, modo coctu difficilia, coctu facilibus pro libitu, tanta ingluuie, tantaq; voracitate ingerunt

runt, vt & Sardanapalum, & Heliogabalum, & Vguccium (qui *teste Ionio* vnico in prandio, quaternos altiles capos, totidem perdices, assos etiam hœdi clunes, & elixũ vitulæ infarctum pectus, præter salsamenta, recta in cœna, rectè exedere solitus erat) ipsumq; Epicurum hisce voluptatum illecebris, data opera superare videantur. Accedente postremùm graui aliquo morbo, Nephritide, Arthritide, Colica, aut Cõtractura, statim Deũm, hominumq; fidem implorant; oculos ad Medicũ, ad assentatores, ad amicos circumferunt, qui nisi confestim manu Apollinea præsto sint; illũ vt minus clementem & propitiũ, hos vt artis Asclepiadeæ ignaros accusant, parum attẽdentes prædictos morbos, ceu veros carnifices, & vltionis vindices, ad puniendos intemperantiæ luxus, à Deo Opt. Max. merito excitatos. Id enim multorum aulicorum experientia constat, qui postquã iuuenilem & florentem illam ætatem, ciborum varietate, crapulis, & comessationibus tùm diurnis, tum nocturnis (vt cæteros errores silentio inuoluamus) fregerint, senio clam, furtimq; accedẽte, nunc cõtracturis torquẽtur, nunc dolorib9 podagricis excarnificãtur, nunc colicis, aut nephriticis tormentis excruciãtur, quib9 vt *Galen.* scribit, præstaret millies mori, quã continuis dolorũ cruciatibus vitã ducere valetudinariã.

Si ergo & diutissime esse, & sanissime viuere animus sit, illi itineri insistas, quod te ad mediocritatis normam, debita victus ratione insignitam deducet, quæ quidem voluptatis fuga non est, voluptatibus tamen fręna inijcit: vel saltem naturam consule; illa te docebit: nullo alieno opus est aut digito, aut calamo, nihil monitore philosopho. Nam quid quæris in cibo & potu, nisi bonã valetudinem, firma latera, sanguinem probum, qui nec copia, nec vitio grauet; spiritus puros, & à sua fæce secretos? alia si cogitas, aberrasti: At paruo bona stat valetudo; & probatissimus sanguis, modico nascitur: Illa enim quæ mole sua & varietate inijciuntur, eneruant verius & opprimunt, quam iuuent. Iam verò quid facilius, quam pascere ventrem bene instructum? cogita,

Quæ prima iratam ventrem placauerit esca:

Nec opus erit magno molimine, neq; necessum erit scrutari profundum, non vltra phasim capere, quo ambitiosam popinam instruas: infelicis sunt hæc luxuriæ commenta, fastidienti, gulæq; & cupedijs dissoluto stomacho parata: paucis etenim, vilibusq; natura expletur: neq; enim ambitiosa fames est, & desinere contenta, vt ad hanc sedandam, nil necesse sit, vel milliarios quærere apros, vel reliqua luxurię portenta. Vis scire quam paruo fames extinguatur? Stomachũ consule,

ſcies quàm paruo dimittatur: quã poſt pauca, poſt vilia inclamet. Et quid refert, quid accipiat ſtomachus, breui perditurus quicquid acceperit? Delectant te variè condita? cùm ventrem ſubierint, vna eademq; fœditas occupabit. Vis cum philoſopho ciborum & apparatum & varietatem contemnere, exitum ſpecta. Nam licet *Plutarch. 4. Sympoſ. Quæſtion. 1.* ſub Martij perſona, multis rationum momentis probare conetur ciborum varietatem & apparatũ ad cõſeruandam bonam valetudinem, eſſe ſimplici victu meliorem probabiles tamen, & Rhetoricas dũtaxat affert rationes, perſonatas, & oratorio potius more propoſitas, quæ tanti momenti non ſunt, vt nos à probatiſſimorum Medicorum opinione, viuis rationibus è rerum natura petitis fulcita amoueant. Menſæ quippe obſoniorum expertes, tenues, ac ſalubres, medicamẽti locum obtinent, quibus ad ſplendidas, & copia diſtortas cœnas vtimur; eo quod ſimplex victus ratio, non ſolum paratu, ſed & concoctu ſit facilior: quod vel brutorũ exemplo apparet, quæ dum vnius generis cibo vtuntur, & ſaniora, & longioris vitæ ſunt; incluſa verò morbis, & cruditatibus obnoxia redduntur, eo quod vario, & mixto alimento vti cogantur. Idem & Medici obſeruant, qui Febrium curatione, qui ſimplici victu, nidoris experte vtuntur: cùm enim coctionis difficultatem pertimeſcant, alimentorum mixturam, & diuerſitatem, ceu dictæ ἀντιφύσιος parentem, totis viribus euitare ſtudent. Quilibet itaq; illud aſſumat alimentum, eoque ſit contentus, quod ſuæ naturæ congruere, cõpertum habet. Hinc Lunares illi populi, quos *Socrates in Phædone* deſcribit, eminentiſſimam terræ ſuperficiem, & nubibus altiorem habitantes, ſobrij admodum, & paucis contenti, ſecretioris ſapientiæ ſtudio, religionique dediti, vitam ita proſperam agunt tamq; longæuam, vt non tam mortales homines, quam immortales dæmones habeantur, quos multi Heroas vocant, aëreumq; Saturni genus quoddam, aureæ ætatis ſeculo, & regno gaudentes.

CAPVT X.

Quoties in die Veteres, & quo potiſsimum diei, atq; noctis tempore cibum ſumpſerint?

QVOTIES in die, & quo potiſſimum diei & noctis tempore priſci ſeculi homines cibum ſumere conſueuerint, & quæ hodie ſit multorum populorum hac in re cõſuetudo, inter doctos viros hactenus controuerſum fuit, ſemel ne, an ſæpius in die comederint Veteres?

Græci primùm Troiani belli temporibus, *teſte Athæn. lib. 1.* quater in die cibum ſumebant; quod etiam hodie in quibuſdam tranſalpinis nationibus fieri cõſueuit: Primùm quidẽ diluculo ἀκρατισμὸν, non

non dilutum, sed merum, *teste Auson.* sorbebant, nostri *desiuner* vocant; sequebatur ἀριτον, ita dictum, quod postea oporteret ἀριστῦειν, aliquando ab *Homero* δᾶπνον dictum: Inde ἑσπερισμα, cuius hora erat, cùm vesperasceret, antequam tamen contenebrasset: postremo δορπος, seu δᾶπνον.

Palamedes *teste Athæn. libr. 5.* Græcis illis antiquis tres tantum in die vsitatas epulas facit, quod etiam hodie in multis Germaniæ locis vsu receptum est; matutinas scilicet, meridianas, & vespertinas. Quæ taman cõsuetudo Græcis illis Heroibus duntaxat in vsu erat, vt pote qui ob magnos belli labores, largiorem tùm cibum, tùm potum exigebant: aliàs non item. Ex quibus constat, vti & ex *Hippocrat. 2. de acutor. victu.* Græcis nõ vnam eandemq; fuisse in corpore reficiendo consuetudinem. Mirabatur olim Plato & Siculos, & Italos bis die repleri cibis, eo quod rari essent, qui bis in die cibum ad satietatem caperent. Veteres enim *teste Mureto*, mane exiguum quid sumebant, quod prãdium vocabant, & vesperi tãtum saturabantur, dum cœnare dicebantur (exceptis ijs quibus procreandæ prolis ergo, à Medicis vesperi cœna interdicta fuerat, exceptis item Syracusanis, quos bis in die cibis impleri, quasi res noua esset, *teste Plat.*) *Hippocr. loco iam citato* maiori molestia eos affici scribit, qui ter eadem die ad satietatem vsq; cibum ingesserint & multo magis etiam, si crebriùs assumpserint. Hinc Magacreon Abderides *teste Herodoto lib. 7.* magnas aiebat se Xerxi Regi gratias habere, quod non bis in die cibũ caperet; fore enim si Abderitæ iuberentur, vt etiam prandium cœnæ simile instruerent, pessime de ipsis ageretur. Sic quoq; Alexander Magnus dicere solebat, *teste Plutarch.* Ad prandij condimenta nocturnas profectiones optimas esse: ad cœnæ autem prandij parcitatem. Sic *Aristoteles in Problem.* asserit, *Largè prandendum, parcè verò cœnandum*: Et illud *Leonidæ Spartani: Prandete commilitones, apud inferos forsan cœnaturi.* Ex quibus apparet, apud veteres Græcos & prandia, & cœnas vsitatas fuisse. Parca tamen & tenuia fuerunt Græcorum jentacula seu prandia ita vt qui illis ad saturitatem vsq; vterentur, nimiumq; indulgerẽt, infamiâ notarentur.

Romanorum verò in edendo consuetudinem *Cels. libr. 1. cap. 1.* his verbis, alias iam à nobis adductis describit: *Bis die potius, quã semel tantùm cibum capere: & semper quàm plurimùm, dummodo hunc concoquant.* Sed quia aut laborib⁹ corpora fatigant aut pueri, aut senes, aut ex fœminis quàm plures, ientaculum accipiunt summo mane; & quidam ex eis quinta à meridie hora paruã refectionem ex fructibus, aut oleribus. Sunt etiam nonnulli, qui cùm ad meridiem

ridiem ſeſe fatigarunt, tùm demũ cibum capiunt, quemadmodum S. Petrus, *Actuum Apoſt.10.*

Quidam hyemis tempore vẽtriculi calefaciendi gratia, aut ne frigore, aut aëre ambiente occupentur, ſummo mane, parũ panis toſti ex vino meraco (en ακρατισμα) accipiunt, aut oui vitellum; quidam conditum aliquid. Sed hæc præſeruationis potius ſunt, & hominibus aut non admodum valentibus, aut ægrotãtibus debentur: ſanis verò ſimpliciter, quibꝰ ſanitatis cuſtodia proprie debetur, interim dum valent, conſuetudo eſt ſeruanda in refectionum numero. Ab initio verò probe inſtituendi ſunt: ciborũ tamen natura & quantitas pro ætate & anni tempore varianda. Licebit etiã ſenſim pro ætatum mutatione, refectionum numerum mutare, & pro temporum etiam mutatione, ſed id minus. Apud Romanos ergo, maior hominum pars, ſaturari ſemel conſueuit, atq; id veſperi: licet ex veterum monumẽtis facile probari poſſit, eos bis etiam in die cibum cæpiſſe, vt ex *Ciceron. 5. Quæſt. Tuſcul.* Et ex *Plaut. in Anphit.* Ex *Sueton. de Caligula & Claud. Imperatore:* Imo refert *Macrob.* Antiquorum Romanorum morem fuiſſe, vt patentibus ianuis pranditaretur, & cantaretur. Sic *Galen. 5. de valet. tuend.* tradit ex Antiochi medici obſeruatione, ſenes ter die cibandos eſſe, quaſi hoc præter communem aliorum morem eſſet. Licet autem prandia Romanis etiam vſitata fuerint, ea tamen aut breuiſſima, aut parciſſima fuerunt; aut ſi quæ vel ſumptuoſiora, vel liberaliora fuerunt, ea aut feſtiuis diebus vſurpari ſolita, aut nuptialia fuerunt; vel ambitionis & largitionis, vel luxuriç cauſa inſtituta: largius autem cœnabant *teſte Lambino.* Veſperi enim circa horam 9. *teſte Papinio* & largius & liberalius cœnas ſuas inſtituebãt:

Iam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Hora autem ordinaria cœnæ deſtinata primùm apud Hæbreos fuit hora nona *teſte Ioſep. libr. 7. de bello Iudic.* Eadem hora 9. cœnæ, & apud Romanos cœnæ deſtinata fuit, *Alexand.* enim *ab Alexand. lib. 5. cap. 21.* raro Ciceronem raro ante ſolis occaſum diſcubuiſſe ſcribit. Idem liquet ex eleganti noſtro *Martiali Epigrammat. libro,* in quo teſtatur Romanos Cæſares ſolitos ſua curare negotia, vſque ad 6. & 7. horam, deinceps verò reliquas horas corpori curando, animoq; à laboribus reficiendo impendiſſe.

Prima ſalutantes, atq; altera continet hora:
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palaſtris,
Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum,
Temperat ambroſias quùm tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæſar,
Ingentiq; tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos, greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thaleia Iouem.

Demùm

Demùm apud Hæbreos quoq; & prandia & cœnas in vsu fuisse, non solū sacræ passim testantur literæ, sed ex eorumdē quoq; ieiunijs colligitur, in quibus nimirū à prandio, omniq; cibo abstinebant vsq; ad vesperam, seu horam nonam. Sic enim habetur *2. Reg. 1. Ieiunauerunt vsq; ad vesperam propter Saul & Ionatham.* Sic eosdem prandere solitos hora 6. sabbathi testatur *Ioseph.* Sic *Ecclesiast. cap. 10.* eos vituperat, qui mane edebāt: *Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & Principes tui mane edunt:* Ibidem eos laudat, qui in meridie edunt: *Beata terra, cuius Rex, & Principes tui in tempore edunt. &c.*

Hoc autem fere modo veteres vesperi cœnabant: comedebātad mensam citriā rotundā, tribus lectulis auro, argento, & testudine exornatis & pretiosis tapetis instructis circūdatam, quibus insidebāt extensis pedibus, corpore ad mēsam erecto, vnde & locus ille triclinium vocabatur. Cœnabant autem apertis ianuis in atrio, vt introeuntes Censores, nùm secundum leges viuerent, viderent: nulla enim auis, prçter vnam Gallinam apponi, nec vlla cœna plus quam 100. æris insumere licebat; licet leges non diu fuerint obseruatæ, cùm Hortensius Orator, primus cibi gratia pauonem occiderit; & Clodij AEsopi filius sumpto cibo, corollarii loco, cuilibet conuiuarum margaritam aceto liquatam sorbillandam exhibuerit. Honoratior mensæ locus, medius erat: dabatur ad manus lauandas lympha, & mantilia preciosa ad siccandas manus, & panis simul in canistro afferebatur; postea dapes imponebantur; primò duo recentia oua sorbillāda: vnde illud prouerbium: *ab ouo vsq; ad mala.* Cùm ouis cuilibet apponebatur lactuca, quam primam fere sub cœna comedebāt; cum lactuca offerebātur cuilibet ternæ cochleæ, & allia cum mulso, & niue pro potu, & vinum. Et hæc quidem ante ipsam cœnam fiebant. Post varia carnium genera afferebantur, Ostreæ, & porcarum vuluæ, quæ *teste Plin.* in magnis delitijs habebantur. Quandoq; ante cœnam Echinos apponebant, crudas ostreas, quātum quisque vellet & turdum: subtus gallus altilem, balanos nigros, & albos, ficedulas, lūbos, murices & purpuram; In ipsa verò cœna sumina, syncipiut, aprugnum, pisces, anates, lepores, quercedulas frixas, altilia assata, & panes. Apparabant autem duas mensas, carnibus vnam, fructibus alteram, vti & hodie fit. Tandem tibicinibus, musica, solenni pompa vtebantur. Ex quibus apertè cōstat, Veteres quoq; ciborum varietate, & varijs artis Apitiæ irritamētis delectatos fuisse. Sed tempus est, vt videamus quoties in die, & qua diei hora, nostro hoc tempore, tam ad vitam propagandam, quam ad sanitatem conser-

uandam, cibum assumere debeamus.

CAPUT XI.

Quoties in die tùm vitæ propagandæ, tùm sanitatis conseruandæ gratia, cibus sumendus? Prandendum ne, an cœnandum largius? Consultumne, inter prandium & cœnam, aliquid ad haustum faciendum sumere? Et num expediat certas in cibatione obseruare horas?

QVANTVM ad primã quæstionem, Medici gratiæ lumine illustrati, non vitæ, valetudinisq; duntaxat, sed & pietatis, & religionis rationem habere debent: Scribit quidem *Aristoteles in physicis quæstionibus*, Eos, qui vnica cibi refectione vtuntur, cæteris amarulentiores esse, auctã nimirum in ipsis vtraq; bile, mentem magnopere perturbante, illosq; ad melancholiam, & iracundiam incitante: id tamen non de omnibus, sed de biliosis duntaxat, & sicco temperamento præditis, est audiendum. *Plin. libr. 28. cap. 5. ex Hippoc.* sententia tradit, non prandentium exta celerius senescere: vnde & *Celsus* longe ante *Plinium* scripsit, assuetis bis die comedere si semel duntaxat cibis impleantur, aluũ adstringi: quę omnia pridē notauerat magnus *Dictat. Hippocr. 2. lib. de Diæt. Semel in die cibum assumere, extenuat corpus, & aluum compescit, & exiccat: prandium contraria facit.* Ex hisce constat, semel in die cibum capere, non omnibus hominibus esse tutum: quēadmodum etiam noxium & inutile videtur, quotidie bis, terue cibis repleri, quod *Plato* in Syracusanis, Siculis, & Italis reprehendit: & *Celsus lib. 1. cap. 1. Bis die potius quam semel cibum capere, & quam plurimum, dummodo hunc cõcoquat,* prodesse dicit.

Rectius tamen Medici Asclepiadei monent, pro ætatis nimirũ sexus, temperamenti, habitus corporis, temporis, & consuetudinis ratione, aut semel, aut bis, terue in die, plus, minusue cibi assumēdum esse: Ideo *Hippoc. 1. Aphor. 14. Pueri cùm plurimo abundent calido innato, plurimo etiam indigent alimento: sæpius autem comedere debēt, quoniam eorum ventres non possunt semel multum conficere, quod tamen illis tum ad nutritionem, tum ad augmentum maxime opus est.* His itaq; omnium fere populorum & antiqua, & hodierna consuetudine, tùm ientacula, tùm merendę maxime congruunt: sicuti & extremæ ætatis hominibus, qui cùm vires habeant languidas, copioso cibo superãdo & cõcoquendo, nequaquam pares, ideo ciborum partitione opus habent; alioquin ciborum vna vice ingestorum copia, suffocaretur natiuus calor. Mediæ verò ætatis homines, medio modo se habent, inediamq; facilius sustinent: minus tamen iuuenes; omnium minime summã ætate confecti senes, & pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuatiores.

Tempe ramentum.

Quod si temperamenti habēda sit ratio: homines naturâ calidi sic-

di sicci, facile famis tollerantiâ animo delinquunt, & exoluuntur: sæpius igitur alendi, maxime in quibus bilis in ventrem orgasm⁹ & excursus pertimescetur. Frigidæ verò temperaturæ diutius famem tolerant: tùm quod caloris imbecillitate minus celeriter humidū dissoluatur; tùm quod crassi & pituitosi succi, alimenti defectu in nutrimentum cedunt: Ideo *Hippocrat. 7. Aphoris. 59. Corporibus humidas carnes habentibus, famem adhibere conuenit cùm fames corpora exiccet. Et si obesa fuerint corpora & in otio degant, multis quidem alimentis, at pauci nutrimenti opus habent.*

Corporis habitus. Graciles verò (si corporis habitum attendamus) & qui latos, laxosq; poros habent, frequentius sunt alendi: Pingues autem & angustis poris præditi, rarius & parcius.

Anni tempora. Iam verò quantū ad Anni tempora: *Ventres*, inquit, *Hippocr. 1. Aphor. 15. Hyeme & Vere naturâ calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda.* Tunc enim calor natiuus plurimus est (quod aëris antiperistasi acceptum ferendum) calor enim circumstante per hyemem extrinsecus frigore, in corporis profundum sese recipit: æstate verò contra per summum corporis ad cognatum externum calorem expandi, atque eius ita substantia per ætatem dissipari ac dissolui solet; retineri verò & restringi per hyemem, atque altum subire contingit. Ideoq; cōctio & hæmatosis, & nutritio, hyeme, & vere meli⁹ fieri videtur: æstate verò & autumno difficili⁹ ferunt cibos: ideoq; hisce temporibus tàm in prandio, quam cœna, frequentius, at parcius edendum, & horis quidem frigidiusculis, eo quod tunc temporis natiuus calor relicto centro, in superficie & forinsecus per totam cōpagem diffusus, vagetur. Quod si temporum anni, naturalis constitutio, ad aliquod extremorū deflexerit, tunc relicta simili victus ratione, opposita amplectenda erit. V. G. si Ver relicta naturali tēperie ad caliditatis excessum vergat, seruanda quidem temperata victus ratio, aliquantisper tamen ad frigiditatem declinandū. Homines quinetiam *testante Hippocr.* æstate & autumno cibos grauissime ferunt; facilius hyeme; & vere medio modo. Hyeme ergo abunde offerendus cibus, at raro, ita vt semel multa exhibeantur, eritque cibus calidior & siccior, potus verò vinum meracius. Vere impertiendus cibus magis, & vinum dilutum bibendum, & maiori quātitate, quam hyeme. Æstate frequentius, quam alijs anni temporibus exhibendus cibus, potus dilutior & maiore quantitate: Autumno paulo maiorem cibi quantitatem adhibere licebit, quam æstate, vinū meraceus, at minori copia.

Temperamentum.

Consuetudo.

In omnibus tamen & ætatibus, & temperamentis & anni temporibus &c, semper habenda Consuetudinis ratio, quam alteram ferè Naturã vocamus, cuius maior vis est, quàm verbis explicari liceat, ita vt qui luxuriosè & intẽperanter viuere consueuerit, si id protinus facere desinat, cõtinuò se ægrius habere sentiat, *teste Aristotele Problem. 1, Sect. 28. Plin. libr. 28.* Hinc Dionys. Tyrannus, quod in vrbis suę obsidione paulò diutius consuetum potum intermiserit, tabe correptus continuo interijt. Nec iniuria sanè: cùm enim ab vno extremo ad alterum citra medium transire, periculosum sit perperam is fecerit, qui v. g. crassis, duris, & copiosis alimentis vti consueuerit, subito relicta viuendi cõsuetudine, tenues, liquidos, paucos, & parum nutrientes cibos sumpserit. Sic enim *Cels. libr. 1. cap. 3.* scribit: *Periclitatur is, & qui semel, & qui bis die cibum incontinẽter contra consuetudinem assumit: Neq; enim ex labore subitum otium: neq; ex nimio otio, subitus labor, sine graui noxa est. Hippocr. 2. de acutor. victu. Qui bis cibum assumere consueuit, si prandium intermiserit, inflammabitur, & bilis in eius ventre augebitur, & excrementa omnia mordentia fient, & vrina flauescet.* Notum enim est quam ægrè ferant homines sani, qui jentaculum sumere solent, jeiunium, aut eius ablationem.

Hæc quidem ita habent, & Medicorum grauissimorum decretis è lumine Naturæ petitis fulciuntur, non tamen idcirco deprauato & licentioso Hæreticorum nostri temporis more, & effræni libidine Quadragesimale ieiunium, à sanctissimis veteris instrumenti Patrib⁹, Deo id iubente, inchoatum, & exercitatũ; à Christo Seruatore nostro repetitum, & ab eo per traditiones Apostolicas, sanctorum Patrum sanxiones, synodos, concilia, decreta, ad nos vsq; laudatissimâ consuetudine & obseruatione deriuatum, ab omnibus deniq; catholicæ fidei filijs, quantũ per ętatem, valetudinem, publica negotia &c, sanctè & strictè obseruatum, è medio tollendum, vel expungendum venit, sed tunc temporis vnica frugalioris cibi refectione in die, quemlibet pium & vere catholicũ contentum esse decet, & à carnium, aliorumq; prohibitorum ciborũ esu abstinendum; quicquid in cõtrarium afferat hæretico inflatus spiritu, doctissimus alioquin & eruditissimus Medicus Leonhard. Fuchsius, & alij sexcenti, quorum Deus venter & caro est, religio verò libertas, & in quoduis peccatum licentia: Ieiunus interim Adam paradysum possidet; Seth verò eijcitur: Moyses ieiunus in mõte legem accepit: at populus satur vitulum cõflauit: Idem Moyses 40. diebus facie splendidus ieiunat: Niniuitæ ieiunio irã Dei euincũt; Daniel ieiunio voraces

Leones

Leones domat: Elias corpus suũ ad nutum, veluti spiritũ, quo vult trahit, ducitq́;. Ideoq; meritò ritè obseruandum tempus Quadragesimale tùm ad maiorẽ DEI Opt. Max. gloriam, cuius imitatione, fauore & auxilio id præstamus: tùm ad obtinendam criminum nostrorũ remissionem: tùm ad rescindendas pullulantiũ morborum radices, quorum seminaria hoc potissimum tempore, turgentibus cœlesti calore humoribus efflorescere, seseq́; explicare, vel maxime consueuerunt; tùm demùm vt sublatis corporali ieiunio prauis è corpore succis, corporisq́; vigore à carnea mole oppresso, redintegrato, vitia comprimere, mentem ad Deum eleuare, & vitam sanitatemq́; in multos annos producere valeamus.

Largius esse prãdendum. Iam verò vt & alterum quęsitũ expediamus; Num nimirum cœna prandio maior & plenior esse debeat? *Auicenna, Actuarius, Mesue Conciliator Massa,* & alij, prandium cœnâ & maius, & largius esse debere volunt: tùm quod interdiu natiuus calor, à solari calore ad obeundam concoctionem iuuetur: tùm quod exercendi, ad vigilias, diurnosq́; labores perferendos alimento indigeant: tũ quod diurna alimenta, exercitatione facile conficiantur: tùm quod æstate plus cibi sumendum sit, quã hyeme, ob continuum effluxum, & corporis resolutionem; prandiũ autem æstati æquiparari: tùm demùm, quod natura noctu, & somni tempore & noxijs humoribus coquendis, & alimentis distribuendis intenta, impedienda non sit. Hinc illud:

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna,
Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

Sic *Aristoteles in Probl.* vult prãdendum esse largius, parcius verò cœnandum, & ijs potissimum, qui rei venereæ operam sunt nauaturi, vt cruda insint potiora, quam concocta. Ad huius doctrinam Domitianus *teste Sueton.* lauabat de die, prandebat ad satietatem, vt non temerè super cœnam, præter Martianum malum, & modicam in ampulla portiunculam sumeret.

Largius esse cœnandum. Alij verò vt *Fuchsius, Aloysius, Trißina, Rhodigius, Langius, Cardanus, Christoph. à Vega,* validis rationibus, & *Hippocr. Galeniq́;* nixi authoritatibus asserunt, cœnã prandio & vberiorem & lautiorem esse debere: Scribit enim *Galen. 7. method.* leuiorem cibum in prandio, quam cœna sumendum esse, tùm quod sit maius interuallum inter cœnam & prandium, quam à prandio ad cœnam, in quo cùm plus cibi cõfici poßit, plus etiam in cœna sumendum: tùm quod somnus cœnę succedens, coctionem adiuuet, *teste Hippoc. 1. Aphor. 15.* & *5. ac. 6. Epid.* & *Galen. de Sympto. caus. 8. AEgineta lib. 1. cap. 97.* E contra vigiliæ cruditates excitant, *teste Hippocr. 2. de acutor. victu*: tùm quod quietis tempore plurimùm

 concoctio

concoctio fiat, quæ quietem requirit. Et licet rustici statim sumpto cibo exerceantur, & laboribus insudent *teste* tamen *Gal. 1. de aliment.* diu viuant, tamen non rarenter ob validas à cibo exercitationes, validos quoq; incurrunt morbos, adeo quod illis consuetudo altera sit natura: tùm quod Athletæ, Palestritæ Pancratistæ & Pugiles à Græcis βαρεῖς dicti, in prãdio solùm panẽ coliphiũ ederent, non fermentatum cum caseo; in cœna verò liberius genio indulgerent, & carne suilla maximam nutriendi vim habente vescerentur.

Huc facit illud *Hippocr. Ventres* scilicet *hyeme & vere calidißimos, somnosq; longißmos esse: inde efficitur copiosiora alimenta illis temporibus esse exhibenda: atqui verò vt aurora veri, meridies æstati, crepusculum autumno: ita & nox, quæ somno dicatur hyemi respondet: ita etiam eadem pleniore manu alimentum requirit.* Sic *Athæn. lib. 7.* ducto à luna coctionẽ iuuante argumento, probat nocturna conuiuia maxime esse vtilia. Idem testantur Veterum diætæ, quorum maior pars, non tantum nihil, vel parum mane comedebant, sed & parcè prandere, largiter verò & copiosè cœnare, imo verò vesperi solùm saturari consueuerunt. Refert enim *Iulius Capitolinus* Antonium pium Cæsarem, senem iam, & silicernium, mane, antequã salutatores venirent, solo pane sicco virium robur sustinuisse: Perhibet *Aristoxenes* Pythagoricos nõ aliud quam panem cum melle Attico, quod erat placentæ genus, ex butyro, semidale, & melle conflatũ, prandere solitos, gratum vtpote palato obsonium. *Galen. 5. de Sanit. tuend.* affert Antiochi medici experientiam, qui validus & robustus 80. annos excesserat, ter in die cibum capiens: hora diei 3. aut summum 4. panẽ sumebat cum melle Attico crudo, vel cocto: inde post 6. diei horam fricabatur, exercebatur, lauabatur: post prandebat tenuiter, cœnabat vberius. Nec hodie desunt, qui non valetudinis tantum, sed & honestatis, & studiorum, atque negotiorum gratia, matutinum tempus, ingeniorum & sapientiæ studijs aptissimum, partim ad litterarum studia, partim ad publica, vel priuata negotia dicarunt, vel ab omni cibo & potu abstinent, vel parcã admodum & tenui manu illo vtuntur. Sic Deus Opt. Max. *Exod. 16.* Iudæos in deserto vesperi coturnicibus, mane verò manna cœlitùs demisso pauit, refecitque adsignificans cœnam prãdio largiorem esse debere, vesperi scilicet carnibus aut solidiore cibo, mane verò leuiore pane vtendũ.

Verùm in hisce, non solũ semper obseruanda consuetudo, quę quidem optima fuerit, si cœna prandio & maior, & lautior extiterit, cibis tamen concoctu facilibus instructa: licet hac tempe-

state homines neglectâ idoneâ victus ratione, plenius prandeant quàm cœnent. Et si quis excedere velit, expediet id prandij horis facere; quippe quùm postea exercitatione, & à cœna abstinentia ille excessus emendari possit, minusq; grauiter delinquet, quam si in cœna nimio sese vel potu, vel cibo onerasset. Ideo & corporis consideranda temperies, ventriculi robur, partium coctioni obeundę destinatarum firmitas, quę si cœnam pleniore manu sumptã ferre possint, ea vtendum: sin minus, partiore manu ingerendi cibi, præsertim in hominibus delicatulis, quorum debilior natura, & ventriculi Archæus, cæteris paribus, in ciborum elaboratione, paulo languidior est. Sed vt nunquam differenda fames, quo minus latrans ventriculus aliunde prauos attrahat succos: ita nec nimis satianda fames, cùm *teste Hippocr.* Sanitatis studium sit non repleri cibis, & ad labores esse impigrum: Non item sumendus cibus, priore nondum in ventriculo subacto, quod plerumq; 7. vel 8. horarũ spatio fieri solet. Quod si quis in cœna paulo pleniore manu cibos ingesserit, aut statim sumpto cibo ad somnum capescendum sese componat, (vt suo fusius loco docebimus) sed vnam vel alteram horulam honesta recreatione, vel blanda & leui deambulatione consumat, quo minus vapores è primę cócoctionis officina effumantes caput feriant & animales spiritus offuscant. Vberiores huius rei rationes, qui expetit, consulat *Valeriol. lib. 3. cap. 13. Hieronym. Capiuac. lib. 3. de morbo comit. Cardan. de abusu medic. Christoph. à Vega lib. 2. de arte Med. Fuchs. Paradox. 21. 72. Langium Epistol. Medicinal. Nicol. Massam tom. 4. Epistol. Epistol. 4.* & alios quam plures.

Prandij aut cœnæ hora

Iam verò quod statam & certã horam concernit, multæ quoque in vtramq; partem rationes afferuntur; valetudinis tamen, & ordinis, & honestatis ratio omnino suadet, in cibi potusq; sumptione certum diei & horæ tempus esse obseruandum, quod & Ethnicos, & Græcos, Romanos, & Hæbreos factitasse legimus: plurimum enim sanitati officit incerta, inordinata, & tumultuaria cibi capiendi consuetudo, cuius subita & repentina mutatio, maximas sæpe valetudini incommoditates affert, cùm nimirum is, qui certa & stata diei hora cibum capere consueuit, eam præterit, nisi forte aut pietatis, aut valetudinis, vel honestatis ratione, consuetudinẽ interrumpere cogatur: vt cùm quis vel inedia, vel stomachi imbecillitate, aut cruditatib⁹ in ventre fluitantibus conflictetur, huic enim consultissimum fuerit, paulo serius, aut citius, cibũ sumere, vel cum solenne ieiuniũ accesserit, aut honesta negotia tam DEI gloriam, quam proximi emolumentũ concernentia inciderint.

Verùm omnium tutiſſimam & planè regiam viam tenueris (de ſanis, non ægris loquimur) ſi relictis conſuetis hactenus & prādij, & cœnæ horis, mediam inter vtramq;, horam ſcilicet vel tertiā, vel quartam pomeridianam elegeris: Hac enim ratione, tùm humorum ſaburræ à liberiore victu prodire ſolitæ, facile obuiabis: tū altera moleſtia liberabere; cùm bis die comedere, ſit bis die moleſtia affici: tùm à cœna, ad ſomnum vſq; duas lucrabere horas, ſicq; minus cōcoctionis vapores aut fumi caput tentabunt: tùm latrāte fame ad menſam accedes, & maiori appetitu famem ſedaturus, in quoſuis obuios cibos citra noxam ibis: tùm tempus illud prandio deſtinatum, veſpertinis negotijs obeundis cum fructu, & corporis leuamine applicabis: tū mane circa auroram expulſo ſōno facilius, & citra corporis grauitatem ſurges, obuia negotia cum voluptate expediturus: tùm minore diſpendio, & ſumptuum iactura rem domeſticam curabis: tùm citra noxam genio indulgere & pleniore manu cibum capere poteris, futuram cibationem in eandem ſequentis diei horam dilaturus. Rem autem ita ſe habere non ſolum ratio, & ipſa temperies ſuadet, ſed & *Galen. 7. de vſu part. 21.* docet: *Cibis enim ſi ſimiliter egeremus, vita noſtra à Muſis & Philoſophia eſſet admodum aliena, & pulcherrimus rebus non vacaret.* Ex quibus infert, cibationem laborioſum, & imperfectum quid eſſe, à quo quò magis homo ſeſe receperit, eo magis ad perfectionē accedat: Addit idem: *Quem ex reſpiratione fructum percepimus, is diuturnus eſſe non poteſt; At cibo & potu ſemel impleri, diem integrum, ac noctem ſine moleſtia perduramus.* Ex his igitur conſtat, hominem citra noxam bis die cibis repleri non poſſe, at vnica, & cōuenienti cœna, 24. horis tutiſſimum, & citra moleſtiam perdurare. Nō deſunt tamen, qui hyemis tempore ventriculi calefaciendi gratia, aut à frigore vel ambiente aëre occupati, ſummo mane parùm panis toſti ex vino meraco accipiunt: (quod eſt ἀκράτισμα vt veterib' Græcis, ita hodie quoq; Gallis, Italis, Hiſpanis, Anglis, & aliis populis vſitatum) quidam oui vitellum: quidam conditum aliquod. Sed hæc iam præſeruationis potius ſunt, & hominibus, aut nō admodum valentibus, aut ægrotaturis debētur, vt iam ſuperius dictum. Huc ſpectant item, qui mane arduis, aut publicis negotijs occupantur, Profeſſores, Concionatores, Confeſſarij, Medici.

AEſtate, vrgente & ſole & ſiti, præſertim cum quis ſeſe exercuerit, aut ex labore incaluerit, poterit tutò inter prandium & cœnam hauſtus fieri, modo id non longe à cibi ſumptione fiat, & ſenſim pedetentimq; hauriatur, hac enim ratione liquidior in ventri-

culo

culo,&iam concoctus cibus facilius descendet, crassior verò & siccitatis ratione ventriculi superioribus adhuc partibus detent⁹, promptius, facto haustu, coctionem subibit. Nec inconsultū fuerit, tunc temporis panis bolum & præmittere, & etiam post sumere, ne citius quam par sit haustus ille descendat, secumque nondum cocta ad venas rapiat; qui sumpto panis bolo retinetur, spōgiæ seipsam adimplentis more.

CAPVT XII.

De Voracitate, Gula, Ingluuie, ceu periculosissimis tùm animi, tùm corporis & bonorū fortunæ hostibus, vitæ propagationem vel maxume impedientibus, fugiendis, & execrandis.

SAGAX atq; prouida Natura, cùm perenni tenuioris substantiæ effluxu, & insensibili transpiratione vitæ nostræ sulphur, & innati balsami lampada clam furtimq; dissolui & discedere videret, alimentorum vsum proposuit, quorum ope, quod continuo effluxu dissolueretur, reponeretur non modo, sed & vitalis ille balsamus in multos annos fartus tectusq; conseruaretur. Cùm autem ex varia alimentorum natura, & corporis vires, & animi mores, modo meliores, modo deteriores euadant, ideo in debita victus ratione alimentorum etiam & quantitatem, & ordinem; sumendi tempus, & consuetudinis vim & potentiam &c, accuratè cognosci voluit; de quibus omnibus sat superq; egisse videmur: cōsequens est, vt qua ratione voracitati, ad quam natura propensi videmur, obuiare possimus, videamus.

Tātum quidem cibi assumendum, quantum ad vrgentem corporis necessitatem natura requirit, sedulo semper attendendo, ne saturitati, ingluuiei, ac voracitati, ceu infensissimis vitæ nostræ hostibus, fores pandamus, aut circa victum ita nos præstemus, vt bruti verius animalis, quam prudentis hominis imaginem & ideam præferre videamur; cùm potius citra cruditatem edendum sit, & citra ebrietatem bibendum. *Voracitas* enim *test Ecclesiast. inciuilis, illiberalis, bruta, & Deo, & hominibus inuisa, atq; ab omni ratione alienissima; tùm animo, tùm corpori dānosa.* Ex immoderatâ siquidem ingluuie, sequuntur molestissimę atq; laboriosissimæ vigiliæ; cholera item morbus ille & acutissimus, & periculosissimus, bilioso scilicet humore in pectus, aut vētriculum, effuso; varia item & multiplex intestinorum erosio, contorsio, hyppochondriorū distentio, anhelitus difficultas, & omnis generis grauissimi & molestissimi affectus, quorum est fœcundissima parens & procreatrix; imo verò ipsa voracitas per se est morb⁹, testante idipsum canina fame. Hinc illud *Hippocr. 1. Aphor. 17. Vbi cibus præter naturā ingestus est, morbum facit: nunquam enim ad satietatem*

Voracitatis incōmoda.

tatem cibum sumpsisse profuit; sic enim melior fit concoctio, & minor excrementorum prouentus. Idem *Hipp. 6. Epid. & 5. Aphor. 20.* Vnica quidē eaq; breuissima, at arguta sententia sapientissime protulit, vti iam superius meminimus: *Sanitatis studium esse, non impleri cibis:* Idem non minus eleganter, & neruose, quàm verè & docte dixit: *Indigentiam, seu temperantiam in victu, sanitatis esse matrem; & è conuerso, Intemperantiam esse omnium morborū seminarium, parentem, & Medicorū altricem.* Continentia siquidem in victu, tenuisq; apparatus, vires à caloris perennitate imminutas & labefactatas reficit, reparat, recreatq;: excrementorum redundantiam, prouentum, obstructiones, viscerumq; infarctus arcet, meatus liberiores reddit: Loth Sodomitas sobrius euadit: ebrius filias compressit: Noë ieiunus in arca seruatur: extremè potus perijt: Holofernes ebrius, à Iudith capite truncatur.

Continentiæ cōmoda.

Tantum igitur cibi admittendum, vt reficiantur, nō opprimātur vires, sumatur autem cibus citra cruditatem, & potus citra ebrietatem. Nam etsi elixa, assa, fricta, & quascunq; habueris cupedias, aut profusiores & adipales cœnas, nullis tamen vel crapula, aut nausea, aut aliquo morbo laborantibus vllam afferent voluptatem, quæ tamen sano & integro appetitui & iocundissima & dulcissima apparebūt: Nec enim multis quæritandum, recensne, triticeus, calidus, an frigidus sit panis, sed an, qui eo est vsurus nausea vacet, nec hesterna crapula vexetur, & an bene nutriat, vt copiose docet *Hippoc. lib. de veter. medic.*

Socrates suadet illos cibos esse vitandos, qui præter famis sedationem, etiam appetitum prouocarent: nocet enim empta dolore voluptas; quam *Plato* omniū malorum escam vocauit. Multi sane articulari morbo laborantes, ad simplices cibos, & pauperes mēsas reducti conualuerunt. Constat quoque qui vilissimis cibis vtūur, esse opipare & deliciose viuentibus & robustiores, & saniores, atq; prudentiores. Sustentatur enim valetudo, *teste Cicer.* sui corporis notitia, & earum rerum obseruatione, quæ vel obesse, vel prodesse consueuerunt: & in omni victu continentia, atque cultu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent. Qua sententia nihil diuinius, nihil copiosius, nihil demum elegantius dici potest: vtpote qua vniuersa conseruandæ valetudinis ratio lepidissime explicatur.

Porus Indorum Rex *teste Philostrato*, magno mirandus robore, solo se pane & aqua sustētat: Rex Mythridates senex, aperto capite, nudisq; pedibus venatur, nunquā sedens, sed stans vescitur: Rex

Massa *teste Cicer.* pulmento victitat. August. *teste Tranqu.* facilis ac breuissimi cibi sæpe ad medias epulas satiatis iam conuiuis venit, eisq; relictis sæpe è mensa primus surgit. Pythagorici mensam sacrā sobriamq; seruabant, vitam temperantia protrahentes nullo superantis humoris tumultu.

Abstinentia siquidem cōsumptis humorum superfluitatibus, splendēti nitore corpore pulchre colorato, atq; habili reddito, candidissimo cerebri spiritu sensibili acmotiuo, toti corpori infuso suos passim obseruatores exornat, contra omnes morbos, vitia, malosq; dæmonas familiariter munit, atq; tuetur, animū, mentemq; Deo coniungit & quasi templum Deo incontaminatum reddit.

Hinc *Diogenes Cynicus* dicere solebat, *Insanum esse ea à Dijs petere, quæ in nostra essent potestate:* Dum scilicet pro obtinenda bona valetudine, Deum oramus, deinde nos cibo, potuq; ingurgitamus. Sic *Cicero* dicebat *victus iocunditatem, in desiderio, non satietate positā esse.* Cùm ergo rarum aliquid, aut nobile ad vescendum affertur, vt tubera, boleti, fungi, attagenes, perdices &c, abstinendo potius, quàm fruendo, gloria quærenda, & voluptas, cogitandumq; nunquam nobis pœnitudinem, sed repudiatum aliquod obsonium abortum fuisse.

Ingluuies ipsam quoq; mētem offuscat: Corpus enim cibis infarctum, saginaq; grauatum, non solum virtutis, rationisq; imperiū non sequitur, verum etiam mentis altitudinem deprimit, totiusq; honestatis indolem extinguit. Et ijs, qui terque, quaterq; fiunt saturi, seseque anserum instar cibis saginant, magnas incurrunt corporis deformitates; dum scilicet nimio pondere luxuriat, abdomē prodigiose distenditur, labia tument, malæ fluunt, oculi obruūtur, aspectus hebescit, eoq; tādem humana redigitur species (vt nūc molestissimam corporis grauitatem, vix loco mouendam, taceamus) vt nō hominem, sed hominis monstrum intueri te putes. Vnde etsi omnibus hominibus, tùm verò & in primis ijs, qui magna sustinent onera tùm politica, tùm Ecclesiastica, quique res magnas & præclaras moliuntur, à gula & ingluuie, ceu certissima & animi, & corporis peste, & maximo rerum gerendarum impedimento, sibi cauere debent. Cùm ciborum redundātia cruditatem efficiat, vires debilitet, mentis aciem obtundat, animi languorem inducat, desidiam, ignauiam, stuporem, tarditatemq; ingeneret, & vitā demùm breui temporis spatio consumat.

Est profecto Gula omnium vitiorum antiquissimum, omniūq; malorum principium, fons & scaturigo omnis miseriæ nostræ, & omnium malorum caput; Hinc natū mortis initium, quæ crudeli domina-

dominatu omnes postea homines oppressit. Syracides Medici officio fungens, deq; bona & mala ciborum sumptione verba faciens, talia immodicę repletionis remedia ponit. Si fueris ad cibos coactus, surge, obambula, vome, vt conquiescas: moderata enim ambulatio, & quies, crudum concoquunt cibum; vomitus stomachum exonerat. Hinc *Valeriol. lib. 12. locor. com.* Si aut deprauato more, aut ciborũ illectamento, quis se plusculum inuitarit, satagat inedia, longo somno, quiete, vomitu, aut lenta deambulatione demùm, tantam ciborum molem deponere, & cruditati hac curâ mederi. Huic tamen præcepto nobiles Germani, & passim Aulici pleriq; minime aures præbent; vbi enim totas sæpe noctes in exhauriendis poculis exegerint, crastina luce, non expectata concoctione, Equos insiliunt, venationibus antelucanis hesternã crapulam, non citra leuem valetudinis iacturam, concocturi: tãdem sanitatis loco, omnis generis grauissimos morbos, Apoplexiam, Vertiginem, artuum tremores, contractiones, conuulsiones, paralyses, Arthritides, Nephritides, Chiragras, atq; podagras & consimiles tartareos affectus reportant: à quibus procul dubio immunes viuerent, si relicta gula, & crapulis, temperãtiæ legibus obsecundarent.

Tandem gulâ & voracitate ad extremam pauperiem redacti, miseram vitã ducimus. Multi enim opimas opes, lautissima patrocinia breui temporis spatio abliguriunt, tandemq; ad probrosam, & ignominiosam pauperiem rediguntur, manente interim insatiabili illa, vel saltem mox redeunte vorandi cupiditate. Nulla enim vorago, nullum est barathrum, quod magis absorbeat, magisque præcipitet res, quàm gula: quæ quo magis impletur, magis esurit quo melius prãdetur, lautius adhuc cœnare studet. Quàm autem insatiabilis sit voracitas, eleganter sanè *Ouidius* versibus expressit, Erisichtonis insanam ingluuiem describens:

Nec mora quod pontus, quod terra, quod educat aër
Poscit, & appositis queritur ieiunia mensis,
Inq; epulis epulas, quærit, quodq; vrbibus esset,
Quodq; satis poterat populo, non sufficit vni
Plusq; cupit, quo plura suum demittit in aluum,
Vtq; fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosq; ebibit amneis:
Vtq; rapax ignis non vlla alimenta recusat,
Innumerasq; faces cremat, & quo copia maior
Est data, plura petit, turbaq; voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichtonis ora profani
Accipiunt, poscuntq; simul, cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperq; locus fit inanis edendi.

Facetè quondam *Diogenes*, cùm luxuriosi cuiusdam nepotis venalem domum proscriptã legeret: *Sciebam*, inquit, *quod cibo potuq; oppleta, quàm primũ dominũ euomeret.* Idem, cùm nimio luxu ad inopiã redact' adolescens oleas in cœna esitasset, forte præteriens: *Si sic*, inquit, *pransus esses, non ita cœnares.* Sed de his plus satis.

CAPVT XIII.

De secundis mensis, seu conuiuiorum Catastrophis.

SECVNDARVM mensarũ nomine, Veteres quosuis cibos, suaues præsertim ac delicatos intelligebant, qui vltimo loco, cõuiuis iam cibo potuque expletis, atq; saturatis apponebantur, ad illorum famem, sitimq́; extinctã, de integro excitandam, irritandãq́ue. Hic mensæ secundæ finis erat *teste Galen. 1. de aliment.* & *Arist. Sect. 21. problem. 6.* Ideo enĩ Græcis ἀρτίματα, ζωμώματα, ἐμβάμματα, seu ὑλήσματα dicta, gulæ scilicet irritamenta, cupediæ, malorũ escæ, esititiæ, voluptatis solatia appellãtur: Hinc illud vulgatũ Der schlafftrunck ist besser/ dann das Nachtmahl: licet honesta & physica ratione ad ciborũ concoctionem, & digestionem introducta videantur. *Cælius lib. 7. cap. 10.* secundas mensas insigne luxus irritamentum vocat: Quibusdã etiam Trigimata, pemmata, & bellaria attica dicuntur, omne scilicet cupediarum & lautitiarum genus, quibus secundæ mensæ belle & splendide instruuntur: verius forsan & magis ad rem, bellaria: quasi minime bella, ac bona, sed tùm corpori, tùm animo valde perniciosa, & continenter valetudini bellum minitantia; homines scilicet ad voluptatem, ad luxuriam, ad gulam & ebrietatem inuitantia; vnde vehementer optandum, vt ab hominũ consuetudine sublata, ad extremas mũdi oras relegarentur. Vix enim vel dici, vel excogitari potest, quot & quanta ex secundis hisce mensis mala & incommoda tanquam ex equo Troiano prodeant; licet Pontano magnũ conuiuijs splendorem afferre videantur. Hinc illud *Aletis apud Athæn. lib. 14.*

Scitus fuit is, qui prior bellaria
Conuiuij moram venustam reperit,
Habere maxillas, nec vnquam inutiles.

Iones *teste Valer. Max. lib. 2.* secundæ mensæ consuetudinem, magna illa luxuriæ irritamenta, choros, & lasciuas in conuiuijs saltationes introduxerunt. Constant autem hæ secundæ mensæ (vt olim veterum) partim iusculis quibusdam, partim lacte, lacticinijs, caseo, partim trageis mellitis libis, Iouis cerebro, leporibus, turdis, conchleis, conchis varijs, auiculis; partim placentulis melle paratis, crustis, tortis, frictellis, esitis, patinis, ferculis; partim fructibus, pyris, pomis, mespilis, sorbis, ficubus, vuis varijs, nucibus, raphano, & sexcentis alijs. Veterum bellaria *Amphis poeta Comicus* vno quasi fasciculo his verbis est complexus:

Iam forte vbi audiuisti, victum
Vnctum posce, palam consequi licet,
Ametes vinum dulce, oua, sesamum,
Vnguentum, coronam, tibicina, ô Dioscori,
Nomina duodecim Deorum percurristi.

Alij poma & mel secundis mẽsis dedicarunt: alij semen papaueris cum melle & lactuca, ad sõnum conciliandũ: Iberi glandem tanquam sermonis symbolum:

alij vina dulcia huc inferebant, quæ Liberi bellaria dicebant: *Plato* ficus, ciceres, fabas, myrthi baccas, fagi glãdes prunis tostas probat; subinde etiam Veteres inter bellaria attica, Lauri folia posuerunt, tùm vt exiccatoria foliorũ vi fumi, vaporesq; ad caput elati facilius absumerentur; tùm vt vini, ciborumq; grauis odor subinde à saturatis emissus, absconderetur; id quod *Martialis* facetè admodum his versibus significat.

Fœtere multo Myrtale solet vino
Se fallat vt nos, folia deuorat Lauri
Merumq; cautâ fronde, non aqua miscet
Hanc tu rubentem prominentibus venis:
Quoties venire Paule videris contra
Dicas licebit, Myrtale bibit Laurum.

Veteres quoq; Romani bellarijs ex saccaro concinnatis, & ea voluptate, quæ ex edulijs saccaratis resultat caruisse videntur, tùm forte quod illis temporibus saccarũ nondum innotuerit; tùm quod *Celsus lib. 1. cap. 1.* inter secundæ mensæ bellaria nullam saccari fecerit mentionem, sed fructuum tantum arboreorum. Nostro verò tempore, ne quid luxui deesse videatur, tot piscium monstra, tot auium, ferarumq; genera, tot cõdimentorum proritamenta non explent oculos, nisi æmuli naturę quidquid flumina, maria, aëra, terrarumq; omnia, fami saturandæ benignâ dederunt manu, ludat in saccaro: imo nisi non iam pisces, aues, feræ, sed saccarũ sint, mentita genus suum, nihil egeris: natant proinde tanquam in saccareo oceano pisces; procumbũt tanquam inter saccarea pascua, & nemora saccareæ feræ; minantur volatũ saccareæ aues. Quid quod castra, & propugnacula solido fabricata saccaro inferãtur mensis, cum propugnantium, oppugnãtiumq; manu? vtrumq; saccareæ minæ, tormenta saccarum vomẽtia, hastæ & plutei, enses, & saccarea iacula, & ferrum nusquam, nusquam sanguis.

Venationes deinde regiæ vni incumbunt mensæ, saccareos leones, apros, ceruos, lepores, saccarei insectantur canes; saccarea cingunt retia, tegunt saccareæ syluæ, potant saccarea flumina. Nam quæ veteribus marmoreæ statuæ, saccareæ nobis sunt. Animãtium iras & blanditias; indignantium fremitus & iras saccarum mentitur: nimirum, vt comedant oculi, intueantur ora. Quò hæc tàm fatua æmulatio? sed & ne quid natura odoribus desit, perflantur odoribus mensę ex vltima Arabia deportatis, vt in his ad plenum luxuriæ pa rentetur. Nec enim satis fuit ad luxuriæ palatum, odoribus saccaroq; cœnaculum vestire, nisi nouo commento (ita semper ingeniosa cupiditas est) saccareis caueis & retibus viuæ includerentur aues, quæ cantu suo conuiuãtium mulcerent aures: nisi saccareis plagis irretiti lepores, aureis vincti armillis, dum fugam trepidi meditantur, nouo conuiuas spectaculo exhilararent; atq; hinc etiam

etiam retibus saccareisq; dissectis plagis, & cœnacula volatu, & leporina fuga, grata mensæ trepidatione perstrepunt. Quid expectamus reliquũ? nisi vt mensæ stent saccareæ, scutellæ, orbes, mappæ saccareæ, parietes, laquearia denique domusq; tota saccarea, & saccarum omnia. Huc vsq; *Scribanus* sat superq; & dapum saccaratarum, & mensarum saccaratarũ abusum nostro hoc seculo plus satis vsitatum explicasse visus est. Quid aliud iam concludendum, quam secũdas hasce mensas, minime secundas, sed potius aduersas (medicè loquendo) & hominum tùm animis, tùm corpori inimicissimas, & ad luxum, ad gulã, ad voluptatem, ad ebrietatemq; comparatas esse? Non enim ijs solum constant, quæ sanitatis tuendæ gratia concedi possent, sed & alijs tàm melle, quam saccaro concinnatis, conditis, intinctib⁹, mustardis, nucibus, amygdalis, pineis, pistaceis saccaro incrustatis, marcipanibus (& quicquid cupediarum excogitari potest) cõparantur, instruunturq; vt mirum quandoque sit, ventriculum palmarem, tantam ciborum farraginem inter se pugnãtium, citra sanitatis dispendium ferre, & elaborare posse.

Possunt tamen quędam admitti, præsertim quæ sigilli instar, os ventriculi claudant, concoctionem adiuuent, & vaporum caput ferientium impetum prohibeant qualia sunt Diacytonite, Conserua è toto Citro, cortices Citri cõditi, Nux Indica condita, Radices Cichorij, Helenij, Zedoariæ, Zingiberis conditæ, Confectiones saccaratæ, semin. Anisor. Fęnicul. Coriandr. &c. Parcâ tamen manu assumantur. Non enim hoc loci imitãda Italorum, Gallorum, Hispanorum, & Anglorum insolentia, qui secundas mensas saccaratis hisce instructas, nõ solùm plenis buccis vorant, sed iis iam plus satis infarcti, reliquias Harpeiarũ more secum domũ sat impudenter deferentes, desolatas, spoliatas, & omni tùm luxus, tùm cupediarum ornamento denudatas relinquunt, & demum sallarij loco, dentium nigrore, anhelitus fætore, capitis ad subiectos pulmones defluxione, tussi, spirandi difficultate, viscerum obstructionibus, bilis excandescentia, viscerumq; ardoribus &c. non impune afficiuntur.

CAPVT XIV.

De Potu, & Vario eius vsu: De Aquarum poculentarum vtilitate, prærogatiuis, differentijs nutriendi potestate, & salubritate; de aquæ item tùm niuatæ, frigidæ, ac calidæ vsu.

SVMPTO cibo, potandum: nõ autem à potu inchoandæ cœnæ, vt perperã quidam illud scholæ Salernitanæ interpretatur:

Vt vites pœnam, à potibus incipe cœnam.

Nam etsi potus nomine liquidos cibos interpretentur, non tamen vt humida cibaria sicciorib⁹ præponuntur, ita & potus cibis præponen-

ponendus, sed contra & prandiũ & cœna à cibo semper, à potu vero nunquam auspicanda: nec vnquam concedendum, vt ieiuno ventriculo existente, potui locus detur; Nec enim vinum vacuo stomacho ingestum, vnquã proficuum esse potest, cùm neruosis, & membranosis sit infensum, facileq; tremores, & contracturas excitet, vt eorum constat experientiâ, qui æstuantem iecoris feruorem, & biliosi humoris æstuationem, à nocturnis poculis contractam, ieiunis haustibus contẽperare solent. Vnde nec eorum probanda consuetudo, qui mane vel domi, vel oinopolia accedentes, offas vino maceratas comedunt (res Italis, & Gallis familiarissima) roborandi, si Dijs placet, ventriculi causa, cùm potius ventriculi tonum destruant, iecoris scilicet è grãdiore illius vini haustu (nec enim illud tãtum libant) supercalefacto, exilem ventriculi calorem attrahente.

Finis potus. Potamus autem primùm sitis extinguendæ gratia, quem Medici potum sedatiuum, seu sitis extinctiuum vocant, & circa prandij, cœnæq; finem, naturæ maxime congruum afferunt, eo quod tùm ob calidi sicciq; cibi æstuationem, vera nos sitis maxime vrget: *Potus sedatiuus.* Hinc potus pro sitis ratione vel augendus, vel minuendus. Cùm verò sitis (quæ est frigidæ & humidæ potionis appetitus) multò grauius homines afficiat, quã fames ipsa, ideo Deus Opt. Max. varia & multiplicia potionum genera, ceu salutaria quędam remedia, tantum corporis incendium extinguentia suppeditauit; nam vt cibus famis, ita sitis potus optimum & suauissimum est condimentũ. Vnde legimus Dario bis ab Alexandro acie superato, ex fuga defesso, sitientiq; aquam turbulentissimã, & cadaueribus inquinatam, suauissimam visam fuisse. Inde colligenda quorundam dementia, qui vel non sitientes, libidine tamen impulsi bibunt, vel etiam immoderata potus ingurgitatione, sitim non modo non depellunt, & extingunt, sed magis magisq; accendunt, & inflammant, inde postea varij morbi, variaq; & vitæ & valetudinis incommoda oboriuntur.

Potus commixtiuus. Bibimus item, vt tanto facilius & cõmodius assumpti cibi in ventriculo commisceantur, concoquantur, eliquentur, & tandem è ventre in totum corpus distribuantur: Hic medicis potus commixtiuus dicitur, qui vna cum cibis ingeritur, ijsq; alternatim, & modicis interuallis interponitur, ac sæpius permiscetur, ad eorum liquationem & commixtionem faciens. Inde illud:

Inter prandendum sit sæpe, parumq; bibendum.

Vnde merito reprehendi, qui certis aliquot, at ingentibus haustibꝰ addicti, tribus vel summũ 4. haustibꝰ nõ ventriculũ modo distendũt, sed & ingestos cibos quadam.

dã quasi inundatione nõ miscere sed exsoluere & exterminare vidẽtur. Est & potus delatiuus, qui ad cibum primâ iam coctione elaboratum, paulò antequam aliud edatur, è ventre in totum corpus distribuendum bibitur. In vtroq; vinum cæteris omnibus potionibus præfertur, & primas tenet, ob facilem quam in omnibus membris efficit distributionem; vnde & scite admodum ab *Hippocr.* cibi vehiculum nuncupatur; tametsi hodie contrà magnis potatorib⁹ cibus potius est ὄχημα τοῦ οἴνου, vulgò Weinleiterlin/ vini vehiculũ vocatum: cibos enim vel salsamenta, vel panem sale respersum ingerunt, quo plus potare possint.

Potus delatiuus.

Tertius bibendi finis & vsus in medicina latissime patens est, cũ nimirum bibitur, morbos quosuis, aut vitiosos, prauos ac crudos humores, morborum seminaria continentes, depellendi, euacuandi, sanitatisq; recuperãdæ causa, quantumuis insuaues, amaræ, acerbæ, & solo nomine inuisæ videantur.

Bibitur item non modo necessitatis, & sanitatis, sed etiam honestæ voluptatis gratia, cùm nimirum homines quandoq; vel se vel alios plusculum inuitant, animum tristem lætificandi, exhilarandi, atque tristitiæ depellendæ causa. Id si moderate fiat, nec mediocritatis limites excedantur, vitio haud est vertendum; Cùm etiam sacræ testentur litteræ, vinũ non necessitatis tantum, sed & honestæ voluptatis, & lætitiæ gratia creatũ esse, vt habetur *Prouerb. 20. Date vinum his, qui amaro sunt animo bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui nõ recordentur amplius.* Et *Ecclesiast. 3. Vinum ad iocũditatem creatum est, & non ad ebrietatem ab initio.*

Bibitur item vel ineundæ, vel contrahendæ, vel etiam firmandæ, atq; stabiliendæ amicitiæ causa. Hisce deniq; potationibus annumerantur etiam celeberrimæ illæ, si Dijs placet, & frequentissimæ tùm diurnæ, tùm nocturnæ hominum ebriosorum perpotationes, atq; propinationes, quæ licet multis speciosis, honoris, amicitiæq; titulis tegantur, reuera tamen mortiferæ, atque veneficæ sunt: his enim innumeri homines tùm animi, tùm corporis, atq; fortunæ mala ac detrimenta, & ipsã deniq; non temporalem modo, sed etiam æternam sæpe & funestissimam sibi accersunt mortem.

Harum potationum agmen claudere videtur, ille bibendi ritus, quo nimirum hodie super sanitate Pontificum, Cæsarum, Regum, Principum, Ducũ, Magnatum, Amicorum, Amicarumque strenue & inflatis buccis potatur. Speciosa profectò in plerisq; Europæ Prouincijs nata ebrietas, turpi amore omnium pene animos occupans! quibus in votis est Baccho litare. Quasi verò adeo vecors humani generis hostis

Mos bibendi super Principũ sanitate.

 sit, &

sit, & asotus, vt brutorum more eruditiores, & non potiùs putatitię honestatis lacinia in transuersum agat, dum alienæ sanitatis curiosos, proprię incuriosissimos facit, Dei, Diuinorumque immemores, aulicisq; sarcasmis depositis, ad inconcinnũ belluinumq; obbrutescendi morem traducat. Doctus sane hostis, & multorum annorum experientia, à sui conditura dedolatus, vt sciat, quomodo speciosè decipiendi eiuscemodi poculo trahones sint, dũ illos autem bibulos & craterastes insanire, & in symposijs, capacib⁹ obbis & congialibus diotis decertare, atq; hac bracteata ad aliorum sanitatem bibendi parasitatione dementare facit. Saturi enim & iam falerno plus satis calentes, monstrosam hanc bibitionem ordiuntur, in eoq; vincere laudi ducunt, & non tàm cum bestijs in arenam eunt, quam cum ipsis vasis vinarijs, quę tamẽ plus, quam tales heluones capiunt. Et quid sanitatis inde ad alios redeat, vnde ipsemet insaniam accersis? Natura paucis est contenta; ne simus muscis imprudentiores quæ saturæ recedunt: non ventri, nõ Baccho, non libidini, sed Deo obsequendum. Ideo veteres Gręci *teste Athæn.* bibendi furorem, virtutis falce amputaturi, primũ cratera sanitati: amori alterum: tertium somno detulerunt; quartum, vt qui in nostra potestate amplius non sit, incuriæ & calumniarum instrumentũ dixerunt. Sic *Apuleius* infert, primum cratera ad sitim pertinere, secundum ad hilaritatem; tertiũ ad voluptatem; quartum ad insaniam. Si ergo insaniam parit, cur alienam sanitatem procurare niteris? Si tibi venenum est, nùm alijs medicamen erit? Si tibi fel, num alijs mel præbibere cogitas? Christianus es, & in multibibio ingloriam, damnatamq; lauream quæris? Turpissimum profectò adeo Christianum dementari vt omnium flagitiorũ matrem, culparum materiam, criminum matricem, vitiorum originem, sensuum capitisq; subuersionem, linguæ tempestatem, castitatis naufragium, corporis propcellam, & voluntariam insaniam exosculetur; morũ trepitudinem, vitę dedecus, honestatis infamiã, & animæ corruptelam amplectatur, imo & sanitatis, & sapientiæ ipsomet Baccho cum Proserpina iudicibus, indubitatum excidiũ.

Quod si quæramus quem ex hoc super Principum sanitate bibendi ritu fructum capiamus, aliud non inueniemus, quam quod exempta iam & fame, & siti, mensisq; nouis ferculis & sigmatis opulenter instructis, Cacodæmon nouam orexim, nouumq; bibendi appetitum exuscitet, vt incautos in pernitiem inducat. Studio enim placendi dominis, aut amicis, talem insaniam comminiscũtur, vt tãto liberalius se vino proluant. Quis verò aliquando ve-

terum monumenta peruoluens, intellexit vnquam cuiquam vel Pontifici, vel Cæsari, vel Principi, vel Amico, frũctū seu vtilitatem aliquam tùm quoad animã, tùm quoad corpus accessisse? Nil aliud sanè quam quod tandem eius modi ventris mancipia, diuina sic exigente vltione, grauissimis, & diuturnis morborũ tormentis excarnificata, tãdem vel emarcuerint, vel festinâ nimis morte obierint; aut, quod nimis dolendũ, integræ Respublicæ, Regna, Ducatus, Diœceses, monasteria, florentissima collegia, ferali subuersione pessum iuerint. Nihilominus tamen receptam hãc bibendi consuetudinem, etiamnum hodie, non solùm in Regum palatijs Principum, Comitumque aulis, Optimatum conclauibus, Consulum, Quæstorum, AEdilium, Tribunorumq; florere videmus, sed etiam in ciuium domos promiscue, in olidas scrutatoriorum officinas, in fumosa rusticanorũ tuguria victricibus armis inuasisse conspicimus; ibi ad pannosæ Nisæ sanitatem Mopsus præbibit; ibi Corydon in longum porrecto pede respondet strenuè, ibi Nucula inuersa buxeo scypho vitam felicitatemq; suæ Gretæ se ebibisse gloriatur, adeo vt ad insaniam vsq; super sanitate illa duellentur: qui certe plus ex raparum comestione sanitatis, quam vini aut cereuisiæ multiplicatione percipient. Vt iam plebeios opifices, & operarum circulos, citius sanitatis haust⁹ expedientes, quàm preces pensa Deo persoluẽtes. Aulicos item nostrorum Principum suam sanitatem, imo vitam ipsam & salutem, votiuis istis sanitatum perpotationibus in damnosissimum discrimen vocantes, silentio inuoluamus.

Accedit quod insanum hunc & immoderatum super Principũ sanitate bibendi ritum (moderatum enim & nos quoq; amplectimur, & laudamus) maximæ aliquot, & intollerabiles conditiones sequantur, & Deo odiosæ, & hominibus inuisæ: tùm primò quod ad hosce votiuos haustus faciundos cogamur; cùm tamen homini libero nihil magis cõtrarium sit: quàm potando mancipium se efficere, cùm nec canis, nec equus, nec asin⁹ vel repetitis verberum ictibus eo se adigi permittat, vt contra præscriptum à natura modum, corpus vel cibo, vel potu plus satis infartiatur. Magna profectò coactio est, quæ vino epotando fit: maior illa, quæ quãtumuis cuppas vino plenissimas obijciat, etiam fustuarium, lumbifragum, oritusium, pugnorum atq; palmarum tempestatem cõportat, aut nisi bibere velint, cantharos cerebro illidendos expectent, (ita enim memorem compotorem facere solent) parùm attendentes, ante haustum, & vini vim, potentiamq; examinandam & propriæ naturæ robur demetiendum

Quænã bus votiuos haustus exosos reddant.

I.

endum esse, quo minus facta coactione, libertatis naufragiũ patiamur: tùm secundò quod vno tractu, & sæpe citra interspirium maximi crateres ebibendi sint, adeo vt nõ rarenter facto haustu in omnium conspectu quis vomere, totumque & gremium, & mensas, & ipsum triclinium incoctæ cœnæ frustis, vinumq; redolentibus replere cogatur, vt nec Græcia, nec Latium, nec Tarentum, nec Tessala tempe, aut Sybariticæ domus, tale bibacitatis portentum esse videatur, vbi bibonũ Gymnasia, & voluptuariorum palæstræ olim floruerunt. Diotinum Atheniensem hi in arenam vocauere, qui in fundibulo ori imposito, infusum vinum sine interspirio absorbebat. Tales autem haustus maximum vitæ afferre discrimen, dubium nõ est, cum natura spirandi meatus, ne tantillum vel opprimi, vel intercludi, aut portentosis hisce haustibus eiectari patiatur. Hic etiam vix risum tenemus, videntes natura abstemios, quo magis Principes sibi conciliare videantur, minori audacia an potius temeritate, æquales aquæ haustus facere; Id enim tertia votiui haustus cõditio requirit, æquales scilicet vini haustus. In hac quoque turpidinis cloaca, non pauci vitæ, salutisq; discrimẽ adeunt, & sanitatis iacturam patiuntur, præsertim vbi, antiquorum more, festa hilaria & conuiuiorũ delitiæ atq; craterum coronationes, non lauro, non rosis, nõ baccare, alijsue rarioribus floribus, sed vini ad summum adimpletione celebrabantur: quasi in summis poculorum labris nataret vinum, & ad teretes scyphorum figuras coronas exprimeret.

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Impletos ita crateres, vt in spumantis patinæ labris vinum videatur, facto per aliquem initio, in orbem circumferunt, amoris, & beneuolentiæ specimen exhibituri, aut aliquem amicitię, vel notitiæ contractum eo poculo inituri. Verum cur ab inæquali, infirmo, insueto, æquales expetis haustus? Cur inæqualem in arenã prouocas? Cur rationi, naturæ, valetudini repugnas? Num corporis tui viscera, ventrem, venas, potationum tuarum tubos, vtres aut cloacas existimas? Mortiferũ potius tibi culpæ reatum appingis, dum vel tibi, vel alijs ebrietatem superinducere conaris, dum eos, qui capaces tuas pateras nõ ebiberint, læsæ maiestatis reos, regiæq; sanitatis, aut amicorum, aut Principis sui infidum momũ accusas: Quarto demùm quod idem sanitatis & coactus, & inæqualis, & eodẽ spiritu factus haustus, vel ebrietatis periculum, vel ipsam demum ebrietatem inducat: effectus sane & Deo inuisus, & hominibus nocentissimus, imo non aliud quàm peccati labes, mortis triumphus, Luciferi trophæum, & æterna in squallenti infero-

inferorũ carcere captiuitas, infelix sane certamẽ, luctuosa, funesta vereq; Cadmæa victoria. Cùm igitur ex immoderatis hisce votiuis sanitatum haustibus, nec Principibus, nec Magnatibus, nec Dominis aut amicis aliquid vtilitatis vel emolumenti accedat, sed tùm Ecclesiastici, tùm Principes, Duces, Comites, Barones, atq; Nobiles, tùm Magistratus, viri demũ, fœminæq; maximum non rarenter & famæ, & fortunæ, imo & vitæ, sanitatisq; naufragium patiantur, vti docte, solide & fuse satis demonstrauit peculiari libello ad id destinato *Ioann. Fridericus Mateusi*. merito relicto immoderato isto insano, ac fanatico super sanitate bibendi ritu, ad moderatum, temperatum, valetudinique proficuum; animoq; salutiferum & laudabilem redimus.

Duo summa potuum genera. Duo igitur præstantissima, & saluberrima potuũ genera à Cõditore DEO accepimus, Aquam scilicet, & vinum: hisce postmodũ artis ingenio accesserunt Pyraceum, Pomaceum, quæ Sydra dicuntur; Cereuisiæ item variæ differentiæ, seu Zytha, Hydromelita tum simplicia, tum composita, Melicratum, & illud potionis genus, Chinensibus, Goanis & Iaponibus, ipsis etiam Turcis familiare, quod ex frumenti cuiusdam autorizæ succo paratur, de quibꝰ consulendi *Bauyerinus de re cibaria & VVillichius de arte magyrica, Galenus passim*, & alij plures.

Aqua. Antiquissimus maximeq; simplex, & communis potus, & reliquorum fere omnium causa, fuit AQVA, maxime proprius, naturalis, sobrius, maxime necessarius sitientibus, & temperantiæ pharmacum. Sic *Buetius de prima ætate.*

Somnos dabat vmbra salubres,
Potum quoq; lubricus Amnis.

Primitùs enim mortales solo aquæ puræ potu contenti, vitam longæuam, morborumq; expertem ducebant. *Forestus Pompeius* hinc Aquam dici vult, tanquam à qua iuuemur: & *Lactantius* à qua sint omnia. Inde *Thales Milesius* sapientum Græciæ vnus è septem, Aquam omnium rerum principium & originem ponit: vti & *Hesiodus*, dum omnium rerum initiũ, chaos statuit, seu Aquam, quam chaos vocat, ἀπὸ τῆς χύσεως, ab effusione, cùm aqua sit res fusilis, & fluxa: forte SS. Scripruram imitatus in qua statim ab initio fit aquarũ mentio, quibus incubãs Spiritus Sanctus varias & Vegetabilium, & Animalium, & Mineralium formas effinxit, Pindarus quoq; Lyricorum omnium facile Princeps quem *Athæn* μεγαλοφωνότατον appellat, summa eruditione, incomparabili elocutione, & profundo ingenio:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ ἐστί.

Aquam optimam, humanoq; generi summopere necessarium Elementum esse, definiuit.

Aquæ vtilitates. Etsi innumerę sint Aquæ vtilitates tùm ad bibendum, tùm ad meden-

medendum, lauandum, purgandum, coquendum, ignes restinguendos, agros, hortos, & prata irriganda &c, quarum beneficio, *teste Plin.* omnes terræ vires resultare, ipsamq; naturã nobis aquæ liquorem ceu saluberrimum, ad potum dedisse videmus. Nos tamẽ omissis innumeris alijs Aquæ commodis, nos, hoc loco, de ea tantum, quatenus potui inseruit, verba faciemus: cuius potum & antiquissimum esse, sicuti & glandium cibum, credidit antiquitas, vt docet *Vergil. in Georgic.*

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista,
Poculaq; inuentis Acheloia miscuit vuis.

Et sane vt sacræ testantur historiæ, ante Noachi & horrendi illius diluuij tempora, non nisi aquæ potus videtur in vsu fuisse. Quotiescunque enim quis acriore siti vexabatur, ab Aqua eius petebat remedium. Eliazer enim ab Abrahamo pro filio Isaac ad sponsam petendam missus, fõtanâ suam, camelorumq; sitim leuauit: Moyses populum Israëliticum in arenosis Arabiæ desertis, siti elãguescentem, Aquâ è rupe prorũpente refecit. Rex item Saul, Dauid, & alij pleriq; iudices, tùm aquam in delitijs habuêre, tùm amicis de via tractandis, panem, & aquam apposuêre. Docet item Samaritana, quis quotidianus eorum fuerit potus, & quomodo ὑδροποτεῖν, tam apud eos, quam apud Iudæos in more fuerit. Barbaræ olim nationes, vt & nunc Indiæ orientalis, & præsertim Iaponum, aquam meracam biberunt. AEgyptij Sacerdotes Hierophantæ, hydria aquæ ad templum allata, cernui, & genuflexi pro tãto munere dijs gratias egere, quod per aquam solertes & ingeniosi fierent; vnde multi sapientes solam aquam biberunt; vt fuerunt *teste Athæn.* graiæ eloquentiæ sol Demosthenes; Persarum & Parthorum Reges, ex choaspe fluuio adaquantes, *teste Propert.*

--Et regia lympha Choaspes.

Ptolomeus Philadelphus cùm Berenicem filiam Assyriorũ Regi despondisset, magnis impensis Nili aquam afferri curauit, vt huius solius fluuij aqua, filia vteretur. *Plinius* etiam omnes rerum vires aquarũ beneficio fieri scribit; & *Athæn. lib. 2.* ex aqua vinum nasci vult.

Aquæ vsus secundum medicos.

Medici ad tres vsus aquam potari docent: nimirum ad sitim sedandã, ad calorem cõtemperandum, & ad alimentorum elixationem, distributionemq;. Sitim ex intemperie calida sicca absq; humore ortam sedat: quod si biliosus quoq; humor in ventre stagnet, tunc ibidem ex mora facile corrumpitur aqua. Ita ciborum elixationi prodest, vt citra ipsam, aut vinum, aut alium vicarium liquorem, solida elementa elixari nequeant. Ciborum verò deductioni inseruit, tùm ea, quæ cum cibis ad elixationem bibitur, tùm ea,

ea, quæ iam ſubactis aſſumitur. Defert hæc cibos in vniuerſum corpus, quibus rite delatis, iterũ in renes & veſicam recurrit; cùm *teſte Galen. 3. de victu Acutor.* alitioni inutilis ſit. Scribit item *Athæn.* aquam (quæ hyeme & vere caleat, ęſtate frigida ſit) poſt mediocre exercitium, moderate potam plurimũ ſanitati conducere, nam digerendi vim habet, non inflat, (niſi per accidens: imminuto ſcilicet ventriculi calore (mediocriter refrigerat, viſum acuit, caput minime grauat, corpus deniq; & animum mouet. Hæc de Hydroposiæ vſu & vtilitate *Athæneus.* Teſtatur idem Eubullum affirmare ſolitum, ſolam aquam bibentes, ſolertes & ingenioſos rerum inuentores: contra, vinum menti caliginem offundere: Licet *Amphis Poeta Comicus* dixerit, quoſdã aquam bibentes, eſſe ἀβελτέρους, ſtupidiores, adductis Lariſſæj, Glauconis, Anchimoli, Moſci, & aliorum toto vitæ ſpatio aquam potantiũ exemplis, Demoſthenis item & Iberi, qui quamuis omnium hominum ditiſſimi eſſent, tamen propter perſimoniam & aquam tantum bibere, & ſemel in die cibum capere ſoliti ſunt, veſtibus verò ſplendidiſſimis indui.

In tuenda porro ſanitate, vitaq; producenda, aquæ in primis antiquam habent laudem, quæ corporis vires roborant, bonum habitum conciliant, calorem humidumq; radicale augent, carnis, & cutis temperamentum fouent, alimentum ad vniuerſas corporis partes deferunt, & digeſtionem confirmant, vt in abſtemijs & hydropotis videre eſt, qui cæteris fere, longè & ſaniores, & robuſtiores, & coloris elegantia ſuauiores, & ad vitam propagandã ſunt firmiores. Idem & in ruricolis apparet, quorum alij aquæ potus benignitate ad annos 90. alii ad centeſimum acceſſerunt; alij etiam 120. annos ſuperarunt; Teſtantur idipſum Turcæ, Tartari, Perſæ, & antiquiores Germani, qui etſi ὑδροποτῶν, tamen & ſani, & fortes, & longæui vitam traduxerunt. Ideo Perſæ aquam religioſiſſimè colẽtes in ea non lauant, nõ mingunt non inmundum cadauer injiciunt, non inſpuunt, nec vllo modo coinquinant. Tam ſanctum, tam ſalutare, tam pretioſum, tamque vtile ſemper & eſt, & fuit, eritq; hoc elementum, vt eius ſingularem vim atque efficacitatem Euangelicus ille epulo diues prędicat, vt refrigerandæ ſaltem linguæ gratia, vel vnicam aquę guttulam ab Abrahamo expoſcat.

Nec ſolùm Aqua ſanitatem tuetur, aut vitam in multos annos producit, verùm etiam grauiſſimos corporis affectus è medio tollit, vt ſequenti capite aperiemus, de acidulis, ferratis, nitroſis, aluminoſis, cupreis, aliorumque mineralium fõtibus & aquis differentes.

Sed antequam ad aquarũ dif-

ferentias descendamus, obiter hoc loci quærendum, tùm an in genere potus nutriat; tùm verò in specie, an Aqua nutriendi vim habeat? Potum, vt potum, nō nutrire multi asserunt, & vehiculi duntaxat ratione vsurpari volūt. Verùm cùm in vitæ conseruandę ratione, tùm cibus, tùm potus, seu alimenta non solùm, ita comparata & sint, & esse debeant, vt partibus nutriendis temperato & nutriendi potestate conueniant, vt similia à similibus nutriantur, sed etiam vt humidi radicalis, totius vitæ fundamenti ratione, in humiditate aliquatenus excedāt, constabit vtiq; potum nutriendi vi pollere. Cum enim omnes cibi aut in humiditate, vt Lac; aut in siccitate excedant, vt panis; aut medio modo se habeant; si quis vtatur humidiore alimento, vt pueri lacte, non potu opus habebunt, quo radicalis humor reficiatur, cùm id per se & vltro præstet alimentum humidum: At si quis siccis alimentis vtatur, tunc potu opus erit, humidi substantifici reparandi causa: quod si alimenta assumenda medio modo se habeant, medio etiam modo potus adhibendus erit. Vnde si vehiculi tātum ratione potus exhibeatur, nobis iam adultis, in quibus & vasa & venæ, chyli deferendi causa, maxime patent, nullo potu opus esset, cùm tamen pueris multo plus bibamus, vt vel in maioribus brutis videre est, qui ob vasorum cibos deferentium amplitudinē, nullo cibi vehiculo opus habent. Adde si vehiculi tantum ratione biberemus, nunquam nisi sumpto cibo, siti afficeremur, cùm tamen non rarenter, post totalem ciborum coctionem, imo etiam ieiuni sitiamus, natura scilicet quandoq; non vrgente siccitate, humidum expetente; quod vel in febricitātibus, alioque morbo laborantibus videre est, qui etsi aliquot dierum spatio nil solidi cibi comederint, mirâ tamen & ardenti siti conflictentur. Idem & lactantes pueri testātur, qui cum duplici egeant alimēto, tùm quia crescant, tùm vt naturā foueant, non tamen duplici cibo, sed duplici potu nutriente lacte scilicet sæpius exucto opus habent. Adde quod bibonum pleriq; magis vino aut cereuisia, quam cibis sustententur; vti & operarij, & rustici, quorum vires, vel vnico sæpe vini haustu reficiuntur. Item cum humidi radicalis reparatio sit nutritionum optima, hæc autem potu, *teste Galen.* perficiatur, quid ni potum nutrire, & optimum nutrimentum esse dicemus? *Humiditas* inquit, *Galen ad nutritionem maxime est accommodata, ad alias autem functiones maximè contraria: auctione tamen excepta, ad quam magis vtiq; quam ad nutritionem est idonea, debentibus nimirum, quæ probè sunt augenda, tùm tendi, tùm perflari vndique.*

Nam potus nutriat?

Cùm igitur corporis augmentum

tum, ab optimo fluens alimento maximum sit, hoc autem per humiditatem à potu manantē fiat, quis nō potum in nutritione primas tenere affirmabit? Cùm & *Hippoc.* & *Galen.* in acutis febribus ptisanę sorbitiones, cibi loco prę-scripserint. Illud etiam homini conseruando magis necessarium quod prius à natura didicit, potus scilicet, cuius vsum nobiscum à matris vtero in hanc auram attulimus. Hæc eadem ratio esse videtur, cur sitim minus, quam famem ferre possimus, tùm quod *teste Aristot. 2. Sect. Problem. 6.* natiuus calor, quo minimus, plus humiditatem, quam siccitatem expetat: tùm quod sitientes duorū appetitu, cibi scilicet, & refrigerationis appetitu teneantur, quæ duo, potus exhibitione subministrantur. Tandem huius axiomatis veritatem confirmat Dictator noster *Hippocr. 2. Aphoris. 21. Famem vini potio soluit.*

Aquam nutrire. Iam verò Aquam quoq; nutrire (quæ inter cæteras aquæ prærogatiuas, non minima est) & rationibus, & authoritatibus, atque exemplis, & obseruatione demō-strandum est. Potum nutrire abunde docuimus, at cùm inter potuum genera, Aqua primatum teneat, cur eandem nutrire inficias ibimus? Nam potiorem corporis partem, humidi scilicet radicalis substantiam reponit, quatenus scilicet ex aqua cibis reliquis permixta & incocta, oleosa illa & radicalis substantia conseruatur, nō simpliciter solis cibis. Idem ex brutis animantibus apparet, quarum cùm maior pars tantum aquam bibat, à nullo alio, quam ab aqua nutriuntur. *Quicquid enim sicciorис substantiæ defluxit*, ait *Galenus 1. de Sanitat. capit. 2. cibo: & quicquid humidæ substantiæ decesit, potu restituitur.* Requiritur etiam ad debitam & perfectam nutritionem, alimenti cum natura conformitas, quam solidius alimentum, citra aquæ additamentum, è qua perfecta conformitas manat præstare haud potest. Cùm item stramina, fęnum, auena, panis &c, quibus bruta vtuntur, non actu duntaxat, sed & potestate sicca sint, sitimq; excitent, quomodo ergo citra aquæ additamentum deficientis humidi radicalis substantiam reponent? An non potior corporis pars humiditas est, sudore, laboribus, exercitijs continenter diffluens? Cur ea ergo non potu & aquâ, quibus natura potissimum indiget, citiusq; ijs reficitur, reponetur? Aquæ enim additamento & cum reliquis cibis permixtione, fit demum vera & perfecta alimenti cum natura conformitas.

Idem iam authoritatibus confirmandum: Aquam alere, inde patere, dicit *Athæn.* quod quædā animalia ea sola nutriantur, vt cicadæ. *Homerus* eodem teste ὕδωρ τροφιμώτατον esse dicit, maximam habere alendi potentiam, memorās

nemus plenſi alnorum ὑδατότροφίων, aquis nutritarum. Huiuſmodi arborum in ſacris litteris crebra fit mentio, primo nimirum pſalmo & alibi. Multas quoq; & arbores, & plantas pluuijs potiſſimum, vt & affluentibus aquis nutriri videmus. *Ariſtoteles* non ſolùm superius teſtatus eſt potum omnem, & Aquam, tùm cibum, tùm refrigerationem præſtare; Idem *Problemat. 13. ſect. 1.* quærit cur mutationem aquarum grauem, aëris non grauem eſſe dicant? *An quia*, inquit, *aqua corporibus alimẽto eſt? Quod enim ſanguinem generat, in corpore illud nutrit, vt eſt Aqua.* Idem teſtatur *Hippoc. in Aphor.* dicens, *Facilius eſt impleri potu, quã cibis.* Eo nimirum, quod humiditas fluxibilitatis ratione facilius in corporis ſubſtantiam abeat, quàm ſiccitas. *Galenus* quoq; etſi *lib. 3. de vict. ratione. coment. 39. & 4. de vſu part. 4. Aphoriſ.* Aquam alere, negare videatur, tamen in *Coment. 20. de morbis vulg.* id apertè docet. *Vinum*, inquit, *aquæ præſtat, non ſolùm ad concoctionem, quæ in ventriculo fit, adiuuandam, ſed etiã ad iam concocta diſtribuenda, ad ſanguinem creandum, ad nutriendum, ad vrinam ciendam.* Ex quibus inferri licet, Aquam, etſi nec ita valide, nec ita multum, vt vinum, concoctionem quoq; iuuare, cõcoctos cibos diſtribuere, ſanguinem generare, nutrire, & vrinam ciere. *Cardanus* quoq; *lib. de Aqua,* ſic ſcribit: *Mirum eſt, quod Galenus conceſſerit aërem nutrire, aquam non item, licet aëre longè ſit corpulentior.* Solida igitur ex terreis nutriri videntur; & liquida ex potibus, vino & aqua; ſpiritus ex aëre. Sedat autem aqua ſitim non ſolum nutriendo, ſed etiam membra ſupercalefacta cõtemperando. Vnde aqua frigida melius ſitim ſedat quàm calida, aut tepida. Cùm enim vtraque ſitim ſedet, conſtat quòd enutriendo ſitim ſedat, nõ ſolâ qualitate.

Quod ſi ad exempla & αὐτοψίαν veniamus, videmus piſces ſola aqua nutriri *teſte Rondeletio:* Videmus multos homines, & pleraq; animalia, & melius, & longius vitam alimentis & aqua, quam vino traducere: Videmus animalia quæ aquam bibunt, ſerius ex fame perire, quam ſi omnino nihil biberent: videmus omnis generis vegetabilia, plantas, arbores, fruges, vel vnius pluuiæ acceſſione plus creſcere, luxuriare ac ridere, quam ſi longo tempore vel pinguiſſima terra, aut ſolaribus radijs, aſtrorumq; influxibus fouerentur: Videmus deniq; plantas radicitus euulſas, arborum ramuſculos è caudice reſciſſos, ſolius aquæ vel irroratione, vel immerſione longo temporis tractu, virentes, florentes, creſcenteſq; conſeruari. Idem ex Hydropotarum vrinis apparet, quæ abſoluta concoctione, æque bene coleratæ ſunt, æque bene ſuas oſtendũt hypoſtaſes, encoremata &c, atq; ſi vi-

si vinum potassent. Confirmant idipsum pueri, qui & accretionis, & nutritionis ratione multo op⁹ habent alimento; at hi vel *Platonis* auctoritate, nō vino, sed aqua potantur, & optime, bellissimeque habent: cùm per aquam omniū optima, & præstantissima fiat nutritio. Forinsecus deniq; aquam nutrire, vel ex Hecticis Marasmo laborantibus, emaciatis &c, constat, qui dulcis aquæ balneo & reficiuntur, & restaurantur. *Aristoteles de causis vtriusq; sexus & masculini & fœminini agens*, non minimā causam & cibis & potui, præsertim verò alimoniæ aquæ adscribit, aquam nutrire apertis verbis significans: *Huius enim vsus plurimus est*, ait, *atq; in omnibus aqua alimento est*. Adde quod ex ijs nutriamur, *teste Hippoc.* ex quibus constamus, quatuor scilicet Elementis, debitâ proportione mixtis, & adunatis.

Nutrit ergo Aqua; quæritur modo, num vel Aqua, vel vinum tùm ad conseruandam sanitatem tùm ad vitam propagandam præstet? Superius ex *Galeno* docuim⁹, vinum ad alimentorū coctionem distributionem, sanguinis generationem, nutritionem, & vrinā ciendam, aquæ prestare (nō quod aqua idem licet non ita valenter, & exacte, præstare possit) ex quo apparet vinum non sanis, & bene valentibus, sed ægris, caloris natiui imbecillitate laborantibus senibus, frigidis, ac decrepitis vinum; aquam verò sanis, robustis, ac naturâ vegetis optime conuenire. Conuenit autem potissimū vinum ijs primum, qui consistentiæ ætatem attigêre ab anno scilicet 27. 31. 34. & deinceps, in quibus natiuus calor flaccescere incipit, nisi peculiaris quædam naturæ constitutio secus se habere videatur. Secundò ijs vinum mediocre tamen, aut dilutum præscribi potest, qui ab ortu debiles, languidi, & natiui caloris paupertate, & ventriculi debilitate laborant. Tertio ijs, qui vel ob contractum corporis, aut membrorū languorem, imbecillitatem, aut ob cōtinuos tam diurnos, quàm nocturnos labores, defatigationes, peregrinationes, vigilias &c, natiui caloris, & virium imbecillitate laborant, vt sunt Metallarij, Metallifusores, Fabri ferrarij, Lignarij, Lapicidæ, Nautæ, Milites, & id genus Operariorum sexcenti. Huc etiam spectat interiorum sensuum intellectus, memoriæ, imaginationis: sensuum item exteriorum, visus, auditus &c, imbecillitas; item ij, qui consultando, legendo, docendo, cantando sensus, viresq; defatigant: Hisce omnibus, & ad perficiendam coctionem, & ad sanguinem generandum, corpusque nutriendum vinum competit.

Quæ cùm ita sint, sequitur nec repletis, obesis, sarcaticisque corporibus; nec vegeto ventriculo, edendiq; appetitu præditis; nec adole-

adolescentibus ante consistentẽ ætatem; multo minus pueris & infantibus; nec ijs demum, qui ex naturæ lege, & opera, vrinam citra laborem, & molastiam profũdunt, vinum conuenire.

Aqua vino præstãtior.

Aquam verò & temporis, & Naturæ, & dignitatis, & ordinis ratione vino præstantiorem esse, sic demonstratur: A mundi creatione, ad Noah tempora, sanissimi, robustissimi, & maximè longęui homines, citra vini vsum extitêre, quibus si vini vsus vel ad sanitatem, vel vitę diuturnitatem aut corporis robur contulisset vinum, hæud dubie DEVS Opt. Max. non expectato Noë aduentu, eius vsum admisisset. Naturæ ratione, Aqua vino longè & nobilior & præstãtior est, tùm quod ex Elementis, omnibus elementatis, imò & ipsi vino essentiam, existentiam, nobilitatem, facultates & vires exhibentibus, vnũ sit: tùm quod peculiares à DEO benedicente acceperit prærogatiuas, & virtuales omnium rerum tincturas: *Ferebatur enim Spiritus Domini super aquas*: tùm quod aqua sit visibile Dei & naturæ donum cœlitus, cœlestis creaturæ instar emanans, vinum autem de terra, non nisi cœlestis aquæ ope prorumpat: tùm demum quod vini malitia, furor & dementia, nullo alio, quam aquæ affusione comprimi & sedari possit. Dignitatis verò ratione aqua vino præfertur, tùm quod omnibus creaturis, animalibus, vegetabilibus, & mineralibus, imò ipsi vino plurima cõmoda afferat; tùm quod omnibus vini incommodis obuietur; tùm quod præstantissimis & nationibus, & illustribus viris, quibus vini vsus denegatur, undè exhibeatur. Ordinis deniq; ratione, quod aqua nobiscum, & cum tota natura longe maiorem familiaritatem & ordinem habeat, quàm ipsum vinum; cùm aquæ haustu, sitis per quam optime sedetur; vinum autem epotum tanto minus sitim frangat, quanto magis potatur, sicq; nouam semper sitim excitet, hominesq; in vitæ, sanitatisq; discrimen agat, nominis, famę, dignitatis, fortunæq; periculum & iacturam, vt sequenti capite 17. ostendemus, minitetur.

Coronidis loco addamus homines à Mundi creatione ad Noach tempora, non vini, sed aquæ beneficio maiori ex parte & sanissimè, & diutissimè vitam traduxisse: Populum Israëliticum in deserto quadraginta annorum spatio non vino, sed aqua & manna cœlitus depluente enutritum: neminem mortalium, nisi sacri Baptismatis fonte renatum, æternã illam vitam adepturum: Aquam item, ob maximam eius necessitatem & vsum, vbiuis terrarum, tùm in altissimis montibus, tùm in profundissimis terræ abyssis reperiri; quæ prærogatiua, vino, ceu re, non ita necessaria, denegatur, cum

cùm non vbiuis locorum vel crescat, vel habeatur: Salomonem vitæ humanæ initium & pani & aquæ adscripsisse: Deum *Exod.* pani & aquæ, vino non item benedixisse; imo cœlestem illam patriam, non vino, sed aquæ in vitam æternam salienti cõparasse: Hydropotas, oinopotis & virium robore, & formæ elegantia, & coloris nitore, & vitæ diuturnitate, & sanitatis integritate, atq; ingenij sublimitate præstare, eo quod vel *ipso Galeno attestante*, homini natura calidissima prædito, vel naturali, vel ex ætate, vtilius aqua, quam vinum bibatur: cùm enim eodem teste, vinum medicamentis adnumeretur, eo sanè non vt potu ordinario, sed vt medicamento vtendum erit: non enim sani medicamento opus habent, vt est vinum, cereuisia &c, sed ad aquæ potulentæ differentias, & electionem, correctionemq; descendamus.

Aquæ potulentæ differentiæ. Etsi plures sint Aquæ potulentæ differentiæ, à loco vnde emanant, à substantia, & illius qualitatibus desumptæ, ea tamen & potui aptissima, & sanitati saluberrima est, quæ Græcis ἄποιον, seu omnis qualitatis expers dicitur, quæ scilicet nec gustu, nec olfactu nullam alienã præsefert qualitatem, non dulcem, non acrem, non salsam, non acidam, vitriolatam, nitrosam, aluminosam, sulphureã, antimonialem, auripigmentosã, cupream, ærosam, ferratam, nec graui, putriue odore infectam. *Aquæ optimæ descriptio.* Est eadem etiam pellucida, clara, nitens, nullo alieno colore imbuta, tenuis, lenis, quæ ne minimo quidem tempore in præcordijs moratur, facilique via in illa fertur, & citra molestiam, nec inflationes parit, cito calefit, & cito refrigeratur, & si quid in ea calefit seu coquitur, id similiter cito fit, hyeme calet, æstate friget. Eiusmodi aqua *Hippocrat. Galeno, Paulo AEginet. Vitruuio, Plutarc. Athaneo*, & omnibus Medicis optima, atq; saluberrima videtur.

In vniuersum autem quinque sunt Aquæ potabilis species, Pluuialis, Fontana, Putealis, Fluuialis, Lacustris, seu Stagnalis: quas breuiter & generatim sic complexus est *Celsus lib. 2. Aqua pluuialis leuißima est, deinde fontana, tùm ex flumine, tùm ex puteo, post hæc ex niue, aut glacie, aut grandine, grauior his ex lacu, grauißima ex palude: quæ omnes etsi quandoq; potui adhibeantur, sunt tamen aliæ alijs & præstantiores, & salubriores.*

Pluuialis. Pluuialis leuis quidem, suauis, & inter leuissimas, ac tenuissimas habetur, optimis tamen non adnumeratur, quod febricitantibus & regio morbo suffusis infensa sit, cùm serius digeratur, inflet, & excretiones impediat.

Fontana. Fontanæ, etsi inter optimas cẽseantur, quæ tamen vel septentrionem è petris stillant, & scaturiunt, solemq; auersum habent, vel ad occidentem, vel ad meridiem

vergunt, minus laudantur; cùm illæ incoctiles sint, & ægrè permeent: hæ verò tàm refrigeratione, quàm duritie violentæ plus satis: Meridionales verò salsæ, vt & calidiores, serius permeant, tamen promptius ad intestina rapiuntur.

Putealis. Puteales & præsertim quæ viuas è petris habent scaturigines, bonæ quidem sunt, at paulò frigidiores, & ægre satis concoquuntur.

Fluuialis. Fluuiatiles pro locorum vnde scaturiunt vel bonitate, vel malitia, varias quoq; sortiuntur dotes.

Lacustris. Omnium pessimæ sunt Lacustres, quæ loco non mouentur, sed quiescunt, vt & Paludosæ, cœnosæ.

Omnium autem optima ad bibendum aqua *teste Hippocr. libr. de Aëre, Aquis & Locis*: cuius fons, seu scatebra Orientem respicit, pellucida, limpida, clara, omnis vt iam dictum, alienæ qualitatis expers, non putris, aut graueolens, aut mineralium insalubrium tincturis infecta, sed leuis, tenuis, facile viscera penetrans, minime inflãs, facile sitim sedans, quæque facile & calescat hyeme, & frigescat æstate.

Aqua Bruntrutanæ. Tales passim in agro Bruntrutano, & in ipso potissimum Oppido tanta copia scaturiunt, vt non potui solum, sed & versandis molendinis, siccissimis etiam anni tempestatibus sufficiant, & vix domus sit, in qua non aliqua limpida fontis scatebra reperiatur, vt non immerito à fontium fidorum salubritate Vertrawter Brunn, vel Trawt gutter Brunn, Bruntrutũ nuncupatum videatur: Hi sane fontes si debitis ductibus, seu canalibus, per omnes Oppidi plateas diducerentur (quod leuibus impensis fieri posset, præsertim si scatebræ redundantes in Fontenay adhiberentur) toti Oppido, & salubritati perenni, & maximo etiam ornamento forent. Hic obiter notandũ, illum fontem qui ad Portam Germanicam maximâ semper scaturigine & aquæ copiosæ impetu prorũpit, cæteris qui in Oppido reperiuntur, paulo & grauiorem, & duriorem, coctuq; difficiliorem esse & crassiorem, tùm quod ad leuiores etiam pluuias, & aquarum inundationes turbidior reddatur aqua, tũ quod æneis vasis inclusa, aut reposita, statim metalla plumbeo aut cinereo, quandoq; etiam cæruleo, & luteo inficiat colore, argumẽtum profectò illas aquas vel mineralium tincturis imbutas, vel metallari argilla, bolo, seu terra infectas esse; vti facto per Vulcanum spagyrico examine, cuiuis facili labore patescet. Et sane cùm terra varijs & salium & mineralium proprietatibus ac tincturis impraegnata sit, aquæ autẽ omnes per occultos & cæcos terræ, montiumque meandros, aut mineralium & metallorum venas excurrant, secumq; vel salium diuersorum

neruorum, vel succorum mineralium, sæpe etiam venenatorũ tincturas rapiant, vix, ac ne vix quidẽ fieri potest, vt fontes quantumuis famâ celebres, aquas profundant, quæ vel omnino ἄποιοι, vel omnis qualitatis expers sit. Ideo Hermetici rerum essentias simplici aqua extracturi, illam prius destillatione ab omni aliena qualitate liberant. Hinc factum etiã vt & olim, & hodie quoq; ingeniosi quidam, non in montosis dũtaxat, sed & in planis, campestrib⁹ sæpe etiam aridissimis locis, aquæ pluuialis beneficio, perennes fõtes, & præstantissimos, & saluberrimos omnisq; alienæ qualitatis expertes, nec vllis mineraliũ tincturis imprægnatos cõficere doceant. Vtuntur autem ad id opus aqua pluuiali, quæ cæteris leuitate præstat, eo quod antequam è sublimi descendat, prius per modum exhalationis, radiorum solarium virtute nullius vel qualitatis, vel terrestreitatis particeps, ascenderit: Hanc factis prius sub terra receptaculis rite cæmentatis, cysternarum fere in modum, excipiunt, reseruaut, eaq; pro re natâ vtuntur: qua de re videndus *M. Bernardus Palisardus Gallus*, qui hos fontes, quos naturales vocat parare docet, haud secus ac syluestrium arborum insitiones in naturales arbores optimos fructus producentes.

Porro ab ijs fontibus serio abstinendum, quorum aquæ plumbeis, æreis, cupreis, aut etiam è fætido, aut putri ligno factis canalibus, aut ductibus seu tubis deducuntur; cùm enim venenatis plerumq; metallorum impurorem qualitatibus, à crudissimo, & impurissimo vel plumbi, vel æris, mercurio, & fętente sulphure contractis imbuantur, perniciosos non rarenter, sępe etiam pestilentes producunt affectus, calamitosas scilicet pleuritides, peripneumonias, colicas, alui perturbationes, dysenterias, tremores, paralyses, & consimiles grauissimos affectus. Vnde *Galen. lib. 7. de Medicam.* Secundum genera, ait, Aquas plumbeis syphonibus seu tubis deductas, fugiendas esse, quod ijs & plumbi & cerussæ vitiosæ qualitates adhærescant, dysenteriamq; excitent, & Nicander *teste Vitruuio* scribat, harum aquarum potu dentes, gingiuasq; liuore infici, linguam & parysthmia aspredine exulcerari, tussim siccam, & singultum excitari, ventriculum nauseam ructare, & oculos caligine infici.

Aquæ niuatæ. Niuatas seu glaciatas aquas quod concernit, etsi celeberrim⁹ olim, vt & hodie apud quasdam nationes earum fuerit vsus, tamẽ vt omnium crassissimæ sunt, ita & perniciosissimæ habentur, maxime enim pituitam gignunt, alui difficultates, tormina, raucedines excitant, magnos, tumidosq; lienes producunt. *Niuem quidem*, inquit, *Plinius lib. 31. cap. 3. glaciemque subti-*

subtilißimam elemẽti eius videri miror, apposito grandinum argumento, è quibus pestilentißimum potum esse conuenit. Nec verò pauci inter ipsos è contrario ex gelu aut niuibus in saluberrimos potus prædicant, quoniam exactum sit inde, quod tenuißimum fuerit. Hæc Plinius. Probat tamen *Athen. lib. 3. ex Alexi, Xenophonte, & alijs*, antiquos non solùm niuatâ aquâ vsos, sed etiã niues potasse, ipsamq; magnis fossis inclusam, paleis, rudibusq; pannis circumdatam, ab ambientis calore integram, voluptatis in potu ciendæ causa, conseruasse: Vnde & *Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei. Quis*, inquit, *dedit paleæ tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet? vel tam feruidam, vt poma immatura maturet?* Hinc Alexander Magnus cùm præclaram Indorum ciuitatem Petram obsideret, 30. subterraneas scrobes effodit, quas niue, ad infrigidanda militum pocula adimpleuerat: ita luxuria potiuas commenta est reponendæ niuis officinas. In huiusmodi niuium ac glaciei potus, sic inuectus est *Plinius lib. 19. cap. 4. Heu ventris prodigia; Aquæ quoq; separantur, & ipsa Naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt: Hi niues illi glaciem potant, pœnasq; montium in gulæ voluptatem vertunt. Seruatur algor æstibus, excogitaturq;, vt alienis mensibus nix algeat. Decoquunt alij aquas, mox illas hyemant. Nihil itaq; homini sic, quomodo rerum natura placet.* Heliogabalus etiam Romanorũ Imperator, *teste Lamprid.* in domus suæ viridario montem excauauit, in quem hybernas niues, & glaciem ad æstus refrigerium reconderet. Ante eum Nero excogitauit aquam decoquere, vitroque demissam in niue refrigerare, & in piscinis niue refrigeratis, sub caniculæ æstu seruare. Nec niuis algore contenti, eius aquam per vas ex lapide velut pumice percolatã (colũ niuarium vocant) bibere ingeniosa sitis illecebra, Romanos & Græcos docuit. Inde *Mart.*

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem,
De niue commenta est, ingeniosa sitis.

Nostris quoq; temporibus & Bohemi, & Vngari, Morau, Austriaci, Galli, Itali, Hispani, niuem ad vini refrigerium subterraneis scrobibus recondiunt. Hanc autem niualis aquæ potionem quãuis *Gal. 7. Method.* ad curandas æstuantes ventriculi affectiones, plurimùm conferre dicat, frigidæ tamen potionem, tùm *libr. de alimentis boni & mali succi*, tùm *lib. de affect.* scribit adolescentibus primùm insensibilem, morbidam tamen in præcordijs parere alterationem: at ingrauescente ætate, incurabiles articulorũ, neruorũ, viscerumq; affectus afferre. Perniciosissima hæc consuetudo, non solùm Gallis, Italis, Hispanis, vt iam diximus, familiarissima est, sed & hodie nostris Germanis, Bohemis, Vngaris, Polonis, & Morauis, prauos aliarum nationum mores, & consuetudines,

Simia-

Simiarum instar imitantibus, frequentissima, omnibus fere anni temporibus vinum vel niue, vel glacie diluere, cùm tamen ex frequenti aut solius niuis, aut etiam vino permixte vsu, maximum immineat, ob natiui caloris præproperam suffocationem, vel hydropis, vel cachexiæ, vel colicæ, spasmi, cõtracturæue &c, periculum. Vnde qui ad Nestoreos annos aspirant, ab hisce gulæ refrigerijs & sitis illecebris sedulo abstineant.

Frigidæ Aquæ incommoda.

Aquæ frigidæ potus, si & frequens, & copiosus fuerit, præsertim in non assuetis, plus nocere, quam prodesse potest: Innatum enim calorem extinguit, pectus, pulmonesq́; offendit, ventriculi imbecillitatem auget, ciborum appetentiam deijcit, flatus generat, & omnibus neruosis partibus aduersatur, *teste Hippoc.* 5. *Aphor.* 18. & 24. dicens, *Aquæ quò frigidiores, eò deteriores: sunt enim difficilioris digestionis, ob frigiditatis excessum.* Legimus enim homines nonnũquam intempestiuo aquæ frigidioris potu repentinâ morte extinctos fuisse. Scribit quoq; *Athæn. lib.* 2. *ex Aristophane Tiresia*, Cùm ex Tilphosa Boetiæ fonte frigidissimo bibisset, frigusq́; ob senectutem ferre non posset, subito fuisse mortuum. *Asclepiadem* tamẽ *Medicum*, *testis est Plin. lib.* 29. *cap.* 2. admirabili artificio hominũ mentes traxisse, vinum ægris promittendo, dandoq́; tempestiuè tùm frigidam aquam, quò vulgi gratiã venaretur. Aquæ tamen temperatè frigidæ, & maximus, & saluberrimus est vsus, vti paulo ante ex *Cardano* & alijs fuse docuimus.

Quod si quidam, vel per sanitatem frigidæ non sint assueti, vel quod eorum viscera insuetum frigus non facile ferant, vt sunt tenues, & carnibus exuti; quorum item viscera, ventriculus, caput, pulmones, hepar debilia sunt, & corpora prauis humoribus scatent &c, multas subinde pariant molestias, fluctuationes, borborygmos, obstructiones, cruditates & putredines; non rarenter item ægrè permeent, in ventriculo moram trahant, & minus prõpre in hepar, pulmones, & renes distribuantur: ideo rarior sit earũ vsus non solum, sed leui ebullitione earum & cruditas, & durities corrigenda erit, cùm *teste Hippocr. libr. de Aër. Aq. & loc.* coctione omnia dulcescant, & saniorem indolem induant. Aquę enim decoctæ frequentẽ apud Romanos vsum fuisse *testatur Athæn. libr.* 3. *Plutarch.* quoq; 8. *Symposi.* Aquæ prius coctæ, mox refrigeratæ mẽtionem facit, vbi etiam homines τῇ ψυχρότητι seu frigiditate luxuriari dicit. Omnis enim aqua prius calefacta, magis refrigeratur, vt ea, quæ Imperatoribus paratur, igni admota dum ferueat, vase deinde multa niue accumulata circumdato, frigidior redditur. Nostri Hermetici aquæ decoctionem in

Aquæ coctæ.

Maris balneo, vase probe clauso instituunt, sic enim aquæ seruatis spiritib' omnẽ cruditatẽ deponũt sicq; aquæ coctæ, nõ coctis tũ *Gal.* tùm *Plin. lib. 31. cap. 3.* & laudabiliores & salubriores existimãtur. Sic fieri poterũt aquę panatę cũ aqua tùm cocta, tùm incocta, cum pane infriato, sæpius transuasata, & elutriata: aqua item Hippocratica cùm scilicet aqua vel cruda, vel cocta, aliquoties per manicã Hippocratis, cui & saccarum pulue-risatum, & cinamomi momentũ inditum sit transcolatur. Coquitur etiam Aqua cum citri succo acido; Nos oxysaccaratam paramus, ex limpidissima fontana, addendo certâ dosi & saccarum, & tartari cremorem, & acetum, cum cinamomi modico, redditurque aqua dulcacida, gratissimi saporis in ardentibus febribus, internisque viscerum æstibus vtilissima. Paramus etiam aquam nitrosam salem anodynum, seu Paradysi glaciem certo pondere addentes quæ mirificos vsus habet in causonide, febribus acutis, & contagiosis viscerum obstructionibus, hydrope, siti clamosa, vrinæ difficultatibus &c. Adduntur quinetiam nõ rarò felicissimo successu aquis tùm crudis, tùm coctis minerales acetositates nitri, sulphuris, salis, vitrioli, ad fontium acidorum imitationem, licet Medici etiam clarissimi, & in artis operibus exercitatissimi vix, ac ne vix quidem eam proportionem, qua

Aquæ artificiatæ.

Aqua Hippocratica.

Aqua nitrosa.

natura in concinnandis fontibus acidis vtitur, attingere possint, ideo Galenicorum pleriq;, præsertim Itali, licet sat imprudenter, ægros ab aquarum arte acitatarũ vsu deterrere conãtur: solam ptisanam, vel hordei aquã, aut passulatam, proponentes, quibus nos, spiritus illos acidos dextrè permiscentes maiori cum fructu, & ægrorum solatio vtimur.

Aqua calidæ potus.

Superest iam, vt aliquid de calidæ aquæ potu dicamus: Calidæ potum contra naturam esse, *Plin.* brutorum exemplo probare conatur, quæ frigidum persequuntur, tùm etiam quod *Galenus* nuspiam huius potionis, quàm in ægrotis faciat mentionem. Crebra tamen & in Græcorum & in Romanorum cœnis tùm frigidę, tũ calidę aquæ fit mẽtio, ita vt vtrãq; in vsu fuisse constet. Hinc *Iuuenal:*

Quando vocatus adest, calidæ, gelidæq; minister?

Martial.

Calidam poscis aquam, sed nõdum frigida venit.
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Et iterum *Martial.*

Frigida non desit, nec deerit calda petenti.

Athæn. lib. 3. Alexis, Philomenis, & Antiphonis testimonijs confirmat calidæ potum in veterum cœnis fuisse vsurpatum. *Seneca lib. 1. cap. 12. de Ira: Irascuntur,* inquit, *boni viri, si calida non bene præbeatur si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est.* Nec in vsu tantum calida apud veteres fuit, sed, quod mirum, in delitijs habita, ideo apud *Plinium* Thermopolij fit mentio, cùm hilarior inuitatio describitur, aut

solutior

solutior luxus, vt curculione de ebriosis:

Quos semper videas bibentes esse in thermopolio
Satin in thermopolio?
Candalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem.

Verùm in thermopolijs illis nō aquam tantum calidam, puram, putamq́;, sed alias quoq; dulces potiones atq; calidas vendi solitas fuisse testatur *Plautus in Pseudulo*, vt est mulsum, passum, defrutum, & similes potiones, vuæ itē, fici, palmulæ, caricę. Tandem calida thermopolia Romæ à Claudio Imperatore fuerunt sublata, & calidam in cauponis prostare ab eodem interdictū. Caius quoque Caligula Cauponem interfecit, quod per dies funeris Drusillæ calidam vendidisset: quasi impium, seu luxurię, aut lasciuię in publico luctu administrum. Sic Drusus Tiberius apud Dionē ebrietatis accusatur, quod aliquā do cum Prętorianis ad ignem restinguendum, è conuiuio excitatus, aquam illis poscentibus calidam infundi iusserit, nimirū quasi conuiuij res esset, non incendij. Existimat *Mercurialis* Veteres in conuiuijs aquas vel natura calidas, vel calefactas, vsurpasse ad vomitum potius excitādū, quàm ad sanitatem, voluptatemué ciendam; ideo *Plinius* naturę inimicam tradit, quod nec *Galenus* vllā eius vnquam fecerit mentionem. Frequens aquę calidę potus *teste Christoph. à Vega* catharros efficit, vt & ventriculi imbecillitatem, & hecticam. Videntur tamen Veteres calidam tùm meram, tùm vino mixtam, sanitatis causa vsurpasse: *Plato enim lib. 1. de republ.* dicit aquę calidę vsu intestina refrigerari non solum, sed & appetitū concitari. Hinc Gręci Medici *teste Mercurial.* ad reprimendum rerum feruorem, calidę potum ante alios cibos summè commendant: ad remittendam item tùm vinorum, tùm aquarum vehemētiorem frigiditatem: vel etiam quod Veteres ad orientales plagas degentes, ventres frigidissimos habuerint, quos aquę calidę vsu calefaciebant, & ventriculi frigiditatem temperabant.

Aqua calida potus.

Hæc de aquæ poculentæ natura, viribus, & præstantias dicta sufficiant, ad cuius idoneū, frequentem, imo quotidianum vsum (modo id temperamēti ratio permittat) omnes & singulos hortamur, qui sartam, tectamque sanitatem conseruare, qui 120. annos vel attingere, vel superare, qui grauissimorum morborum phalangibus resistere, qui omnium sensuum vigorem tueri, virium robur seruare, coloris, formæque venustatem inculpatam protrahere conantur.

CAPVT XV.

De fontibus calcanthinis, seu Aquis vitriolatis, è calcanthi aliorum salium & ferri minera fluentibus, quid, quantumq́; ad vitam propagandam, sanitatemq́; conseruandam, & varios morbos propellendos præstent.

Prouida

PROVIDA & sagax Natura, iubente Conditore Deo ex abditissimis minerarum thesauris, aquas quasdam à communibus fontanis & potulentis, superiori capite descriptis, & sapore, & gustu, & olfactu, & quauis alia ratione diuersas & alienas producit, quarum aliæ nitrosæ, aliæ salsæ, gypseæ aliæ, aluminosæ aut bituminosæ, ac sulphureæ existunt, imo nō rarenter auri ramenta habentes: inter quas magnis & miris prærogatiuis, atque virtutibus clarent ærosæ, cupreæ, seu vitriolatæ, quibus, loquente idipsum quotidianâ experientiâ, maxima & ad sanitatem conseruandam, & ad vitam propagandam vires & potestates insunt, quas Deo ter maximo sic volēte à planetis terrestribus, quorum sphœras & mineras excurrunt, vbertim acceperunt, verbi gratia, ab auro vim confortatricem: ab argento purificantem; à Ioue deprimentem, à Saturno consolidantem; à cupro, seu Venere mundificantē, à Marte constrictiuam, à Mercurio denique ens veneni: cùm quoduis metallum primitus suam laudem sortitum, debitâq; dote insignitū sit, vt tertio huius operis libro patescet.

Cùm igitur Acidulę, seu fontes acidi virtualibus, seu spiritualib⁹ Vitrioli, Veneris, Martis, vt & nō rarenter aluminis, salis montani, nitri, subinde etiam sulphuris, aliorumue mineralium proprietatibus, ac tincturis imprægnentur, non mirandum si tàm admirandos, & stupendos in corpore humano tùm cōseruando, tùm præseruando edant effectus; si quis enim interiorem vitrioli anatomiam examinauerit, viresq;, quibus à natura dotatum est excussetit, maiora deprehendet, quā vel lingua exprimere, vel calamo cōsignare possit. Cùm enim illud Hermetici primam naturæ metallicæ materiam, & tanquam primum Ens constituat, quis dubitet, eius spiritus nōdum solidâ metallici corporis mole obrutos sed adhuc spiritalis corporis naturam retinentes, viuâ, actiuaque efficientiâ seu qualitate, inexplicabili nimirum, & virtute præditos, & instructos, transeuntes, seu transudantes aquas afficere, & virtualibus mineralium potestatib⁹ imprægnare posse? In vitriolo enim acido illo naturæ fermento omnes omnium metallorum spiritus, vires, ac proprietates potētiâ, tanquam in suâ origine delitescunt, & continentur; in primis verò Veneris & Martis spiritus, ob magnum quem vitriolū cum Marte consensum habet, cum vnum facile in aliud transmutetur altèriusq; naturam induat. Ideo Poëtæ Veneris & Martis amores mystico quodam sensu confinxerunt, rationem ex Philosophis naturæ consultis, & naturæ arcanis expiscati. Tanto item consensu Lunares & solares spiritus cum vitriolo

vitriolo iunguntur, vt in ipsum magnâ sese copiâ transfundant, & ab eo eliciantur, nō solum cerebri affectibus ceu Lunares cōducibiles: sed etiam cordis, renum, partiumq; generationi dicatarum morbis tùm Venereis, tùm Martialibus auxilium ferentes, idq; ob summam eorum penetrandi vim, & subtilitaté, qua promptè, & mométo quasi in cerebrum, cor cæterasq; partes affectas feruntur, vt in Apoplexia, Epilepsia, Syncope videre est, vbi eiusmodi subtiles spirit⁹ cum spiritu vini, vel labiis, vel narib⁹ admoti, suas statim exerunt virtutes, & innatum vitæ spiritum, vitæ nostræ authorem, recreant, reficiuntq; : Ex quibus subtilis, penetrans, attenuans, & instaurans spiritus vitrioli virtus& efficacitas elucescit, qui tam insigniter, tamq; promptè cerebrum ferit, vt vel solo odoratu sternutamenta proritet. Præter dictam iam essentiæ suæ subtilitaté, qua pollet interior vitrioli spiritus, hoc etiam habet, quod magnum sit coagulatiuum, spirituosos illos, malignos vapores & halitus, ab inferioribus partibus, ad superiores effumantes coagulans, eorumq; effectus in nihilum redigens: crassosq; ac viscosos, lentos succos attenuans, & liquefaciens: vt nunc magneticam virtutem in acido hoc metallico spiritu delitescétem silentio inuoluamus, qua acidos illos, vitriolatos ac melancholicos vapores, animalis spiritus œconomiã peruertentes attrahit, domat, euincitque.

Quæ cùm ita sint, vitriolumq; tot, tantisq; polleat viribus (vti supra libro primo docuimus) nō mirum si acidi fontes, vitriolicis spiritibus, tincturis, ac virtualib⁹ proprietatib⁹ imbuti, tot, tãtisq; præstent virtutibus: Nam febres quascunq; præsertim verò biliosas pellunt; quasuis enim obstructiones expediunt, vnde omnibus Iecoris, Lienis, Mesenterii, Ventriculi, & renum morbis eximiè prosunt; Icterum, & Arquatum persanant: Vomitum suâ adstrictione compescunt, viscerum nihilominus infarctus & oppilationes strenuè penetrãtes ac reserantes. Incipientem præterea Hydropem sanant; renum calculos elidunt & atterunt, arenulas eluunt, vesicã & vreteres repurgant, vrinæ difficultati medentur; picrocholorum symptomata corrigunt; lienem extenuant, & nauseabundos famelicos reddunt, & esurientes; immoderatã sitim sedant; Iecinorosis prosunt & quos bilis infestat, vel quibus colera molesta est, ventriculi coctionem instaurant, eiusq; facultates reparant, & si quid prauum in corpore delitescit, euocant; Lotione scabiem, impetigines, lichenas, psoras, incipientes lepras, & quæuis cutis vitia emendant; fœdis, gangrænosis, & fœ-

Fontiũ acidorũ vires

dum pus ructantibus vlceribus auxiliantur: imo earum spuma exiccata dictis vlceribus inspersa, vt plurimum conducit: participat enim vitriolum cum sale, vnde mundificat, & putredines aufert: Item cum alumine, propter quod adstringit; tùm etiam cum sulphure, vnde extergendi facultatem sortitur: ipsum autem per se, & in sui natura consideratum, acidum est, & ab Hermeticis naturæ acetum nuncupatur aperitiuum, incisiuum, penetratiuum, attenuatiuum, & nihilominus adstrictorium, diuersos edens effectus & distinctas facultates possidens, quas etiam *Galen.* suspexit, & admiratus est, calori vitrioli non leuem inesse adstrictionem asserens.

Non immeritò itaq; ad sacros hosce fontes quot annis tot hominum myriades, tùm vitæ propagandæ, tùm valetudinis conseruandæ, morborumq; & curãdorum, & præseruandorum causa confluunt, ex quibus plerique (si modo bene se gesserint) conualescũt, & pristinam sanitatem adipiscuntur: Oportet autẽ corpora (vti superius in thermarum vsu monuimus) ante acidarũ seu vitriolatarum vsum, commodè disponere, nimirũ humores prius præparare, concoquere, expurgare, obstructos meatus aperire, vt viæ his aquis pro liberiore penetratione, & transitu patescant, nullumq; occurrat obstaculum, quod earum transitum præpedire possit.

Conducit etiam summopere intra ipsarum vsum (si vel in corpore morentur, vel aluus restrictior ac pigrior euadat) alternis hebdomadis leue aliquod purgans sumere, vt sunt pillulæ aloes rosatæ, vel pillul. angelic. aut maracost. vna hora ante cœnam 3. 4. vel 5. assumptæ seu grana circiter 8. 10. vel sumantur gr. 4. alternis diebus: vel sumitur mane vna hora ante acidularum potũ vncia vna syrup. rosat. solut. in acidulis dissoluta: vel alternis diebus iniicitur clyster domestic⁹ præsertim cum cœlo pluuio acidularum vis hebescit: sunt qui tunc temporis euanidas acidularum vires, admixtione vel spiritus, vel olei vitrioli ad aliquot guttas reuocent, excitentque.

Hoc autem peculiare fontib⁹ acidis inest, quod pulmoniacos, phthysicos, pneumonicos, & empycos non tollerẽt, hi enim omnes acidorum fontium vsu grauiter offenduntur, imo verò moriuntur, nisi eorum potum protinus detrectauerint. Hinc factum vt cùm ante annum febre continuâ, putridâ, viscerum obstructionibus, Icterisia, tussi sicca, & leuium arteriarũ sat graui obstructione laboraremus, contigit, vt nos clarissimus, experientissimus & in Hippocratico-Hermetica medicina versatissimus vir Dominus Ioannes Casparus Helbling

ling, Philosophiæ & Medicæ Doctor, atq; in Archiducali Vniuersitate Friburgẽsi, Medicinæ professor, dominus & amicus meus singularis (quem hic & honoris & amoris causa nominare volumus) inuiseret, & cum audiret, nos sanitatis reparandæ gratia acidos fontes Griesbacenses inuisuros, hæsit primò, veritus ne ob ingruentis phthyseos affectũ (cuius non leues aderant significationes) in præsens vitæ discrimen iremus, rogauitq; ne, re prius abũde deliberatâ, adhibitoq; aliorũ etiam Medicorũ consilio, nos itineri accingerem9. Verum cùm meræ essent & viscerum, & leuium arteriarum obstructiones, Omnipotentis Dei auxilio, & dictarum aquarum debito vsu, pristinæ valetudini fuimus restituti. Consumatæ quinetiam Hydropi inutiles sunt, nimis enim refrigerant, ideoq; iecori iam à frigore labefactato obsunt, vt & iis, qui frigidâ sicca vẽtriculi intẽperie, & ventriculi hecticâ, atq; marasmode laborant: ita vt licet vitriolum, & remedia ex eo parata plurimis affectibus medeãtur, vti libro primo ostendimus, & ipse *Paracelsus* vitriolum quartam pharmaceuticæ columnam statuerit, vniuersale tamen ad omnes morbos curandos esse nullo modo potest.

Offendunt insuper acidulæ Dysentericos, & quibus exulcerata sunt viscera, ob inexistentẽ tùm aciditatem, tùm acrimoniã, alioquin cæteris fere omnibus corporis affectibus, maximè verò nutritionis membra occupãtibus prosunt. Plurimi acidularum effectus & operationes in oculis comprimis persentiscunt. Ii enim primâ vice, ex earum vsu oblædi videntur, cùm tamen solummodo repurgentur, & confestim politi clarescant; obseruauit enim *Raym. Mindererus*, equos quosdam ex acidularũ potu, quasi suffusione laborãtes occæcatos fuisse, qui tamen secundo vel tertio die lõgè, quàm antea habuerint, clariorem & luci diorem visum sunt adepti; protrudunt enim ex oculis fæces, & purulentas materias oculorum canthis adhærentes excutiunt: quidam item equi acidularũ potu scabri efficiuntur, pilosq; ac si Alopeciâ laborarent, deponunt, mox nouis succrescentibus, nouo iterũ cutis integumento sese vestiunt, & eâ innouatione, non absq; magno sanitatis commodo, quodammodo reiuuenescũt. Horum igitur exemplo, cur non & homines recto acidularum vsu, & senectam ponere, &, vt primo libro docuimus, quasi reiuuenescere videbuntur?

Vsus acidularum.

Quantum ad acidularũ vsum, is ob crebrã & annuam ferè frequentationẽ, passim iam innotuit. Cùm enim frigidi sint fontes, calidioribus anni temporibus, mense scilicet Maio, Iunio, Iulio, Augu-

Augusto & Septembri potantur mane orto iam sole, ieiuno quidem ventriculo, pro personę, occasionis, ac morbi indigentia; vti & vesperi, finitâ maiori ex parte prandii coctione, subsequente mox suaui corporis exercitio, vel commotione, quæ sudorem, vel saltem vdorem prolicere, aut vrinam promouere possit; qui tamen sudor calidis postea linteis abstergendus.

Certa autem eius bibitionis mẽsura definiri haud potest, cùm vni vel semilibra, vel libra sufficiat, alteri vel quatuor, vel quinq; vix satis esse possint: vbi enim acidulæ, vel per sudorem, vel per aluum, vel per vrinā sibi exitum parauerint, nec ventrem grauauerint, aut exsufflauerint, aut hypochondria distenderint, sed felicem, ac promptum trāsitum fuerint sortitæ, tunc liberè & absq; periculo, lautius, liberius, & pleniore manu potari possunt. Dum nuper Griesbacensibus acidulis vteremur, vidimus quosdam, è Medicorum suorum præscripto, acidulas ante potationem calefacere, existimantes acidulas eò felicius penetraturas; & licet ostenderimus acidulas è scatebra ad vicinas etiam domos delatas, vel solaribus duntaxat radiis tātisper expositas plurimū de excellenti suâ virtute, & spirituosâ subtilitate amittere; totamq; suam spirituosam vim amissuras, si igne calefierent, tamen illos ab imbutâ penitius opinione dimouere non potuimus. Certum tamen est calore externo acidulas excellenti, subtili, & spirituosâ vi spoliari, & grato illo acore priuari, cuique etiam acidulas potaturo licitum est, ante haustum illarum, vel sorbilis oui recentis vitellum deglutire, vel quidpiā de tragemate grosso vel morsellis ex specieb. Imperat. confectis præmasticare, quo facilius ventriculus frigidæ potū ferre possit & minus eius vsum auersetur.

Hæc quidē peruulgata & cōmunis est de acidorum fontium vsu sententia: verùm cùm medicamentum sit, cogitabūt vna nobiscum Medici num satius foret semel duntaxat in die horisque matutinis acidos potare fontes, & trium septimanarum loco, sex hebdomadas impendere: cùm enim & vrinam & sudorem strenuè cieant minimè dubitandum quin chylum nec dum ritè subactum vnà secum è ventriculo vrinæ, renumq; vias rapiant, ibiq; varias obstructiones obstructionumq; morbos excitent. Obseruauimus enim non paucos ex intempestiuo horum fontium vsu in vrinæ difficultates & ischurias incidisse, raptis nimirum fōtium istorum vi ad augustos renum & vesicæ meandros alimētis nondum subactis: Nec enim fieri potest, vt alimenta prandii horis assumpta quadrihorii spatio, id est, ad tertiam vsq; horam pome-

pomeridianam in prima concoctionis officina ritè subigantur, sed reassumptis deintegro à prandio acidulis citius quàm par sit è vētriculo ad mesenterium hepar, renum, vrinæq; ductus non citra periculum feruntur. Satius igitur fuerit semel duntaxat in die, horisq; matutinis vt dictum acidulas potare, ne alimentorũ copia impediãtur, sed vacuo vẽtriculo, ceterisq; viis apertis omnibusq; alimentis expeditis & amotis citra aliquod impedimẽtum suis rite operationibus perfungantur.

Quod si morbi ratio etiam balneum ex acidulis paratum exigat, acidulis non simul & semel tum potando, tum balneando vtendum, vt perperam à quibusdã factitatur: sed prius per 15. 18. vel 20. dies potandæ, postmodum in balneas ex iisdem paratas sensim descedendum.

Porro frequens est, & passim diuino hoc munere gaudet Germania nostra, & plurimis eiusmodi acidis fontibus abundat, inter cæteros tamen primatum tenere & bonitate, sapore, atque efficacitate superare videtur Schuualbacensis, vino fermè similis, vnde & hodie **Weinbrunn** dictus; cuius admirandos effect⁹ copiosè admodum describit *Iacobus Tabernamontanus*.

ACIDVLAE SPAENSES seu Spadanæ.

Hæ acidulę prædictiș Schuualbacensibus & bonitate & sapore, atq; efficacitate proximæ sunt, & ab omnibus summopere commendantur, insignem ferri saporem repræsentãtes: inde linguã quam primum adstrictione feriunt, eiusdemq; meatus densant, mox dulcescunt, diutius ore detentæ, grauem, oleaginosum, ac sulphureum odorem spirant; calidas intemperies temperant, sitim restinguũt; calefaciunt item, sed hos magis, minus illos; at insigniter desiccant, ideo incautiores è largiore illarum potu febre continuâ corripiuntur. Prosunt aliàs & Hydropicis, & Ictericis, & inueteratis febribus, iecoris item & lienis obstructionibus: aluum soluunt, vrinã & menses prouocant; sudores eliciunt, si debitâ mensurâ sumantur: humorem melancholicum in primis venis stabulantẽ expurgant, ideoq; melancholiâ hypochondriacâ laborantibus comprimis conueniunt: ob sulphureos tamẽ & bituminosos vapores facile caput tentant, aggrauantq;, ideo & Epilepticis, & Apoplecticis, & paralysi obnoxiis fugiendæ.

ACIDVLAE GREISBACENSES.

Iam dictis proximè sequuntur Acidulæ Griesbacenses, spiritualibus Ferri, Vitrioli, Salis gemmæ, Sulphurisq; tincturis & proprietatibus insignitæ, exiccandi, moderatè calefaciendi, aperiendi, mouendi, & mundificandi facultate pollentes. Hinc omnibus

bus ferè & iecoris & lienis, & mesenterii affectibus, obstructionibus, morbo regio, colicę, ventriculiq; affectibus medentur. Potæ, & balneo vsurpatæ, homines quasi reiuuenescere faciunt, vt modo genitis assimilari queant, natiuam temperiem restituendo quosuis excessus contemperando, viscera corroborando, eorundemque tonum restituendo, reparandoue. Longis item ac inueteratis febribus à putrescente pituitâ & bile profectis medentur: diuturna erodentia, & cacoethæa vlcera consolidant, & cicatrice obducunt; articulorum, podagrę, chyragrę, gonagræ dolores mitigant, & sæpe tollunt, caninam appetentiam pellunt, renum obstructiones, cæterorũque viscerum infarctus mirè aperiunt, renum, & vesicæ calculũ arenulasq; bolos, & tartarum cõminuunt, elidũt, expurgantque; pulmonum infarctus reserant, vrinæ ardores, & difficultatẽ mitigant, resoluuntq;: capitis, & oculorum catharros & defluxiones exiccant; maniã, melancholiam Hypochondriacam bellè sanant, ventriculum roborant; vomitum nauseamque sedant ab Epilepsia, Paralysi, Apoplexia, Vertigine & Scotomia liberant. Membris contractis, ac resolutis mire succurrunt: vterum aperiunt, menses cient, album eorundem fluorem, vt & gonorrhæas, nariumq; & hæmorrhoidum hęmorrhagias sistunt.

Easdem omnes vires possidet Acidulæ Petrinæ vocatæ, non procul admodum à prædictis distantes, quo fit, vt non rarenter inter se diffideant Medici, ita vt aliqui Petrinas, alii Griesbacenses præferant, & suis ægrotis pręscribant. Atqui verò cum Griesbacenses Petrinis subtiliores, penetrantiores, atque spirituosiores videantur, calidis, siccisque temperaturis, multis serosis, biliosisq; humoribus obnoxiis vtiliores erunt: Petrinæ verò iis conuenientiores erunt, qui crassis, pituitosis, viscidis, ac lentis humoribus redundant, cœlo potissimum pluuioso, & turbido, quo tempore Griesbacenses ob spirituum subtilitatem facilius euanidæ redduntur.

ACIDVLAE GOPPINGENSES.

His succedunt Goppingenses Acidulæ, vitrioli, cupri, ferri, & modici sulphuris tincturis spiritualibus imbutę: omnibus viscerum, iecoris, lienis, mesenterii, renum, vteriq; obstructionibus, ictero, biliosis ac ferè tertianis febribus nothis medentur; vermes & lumbricos enecant, expelluntq;, vrinam, mensesq; cient, calculos pellunt, & omnibus internis affectibus à putredine pullulantibus succurrunt; cibi appetentiam excitant, ventriculi imbecillitati occurrunt; à frequentiore tamen & copiosiore vsu, ob inexistentis cupri seu ęris copiam

copiam, facile læditur, & nauseabundus euadit ventriculus.

ACIDVLAE ALSATICAE GEBERSvueilenses, Sultzbachenses, & Sultzmattenses.

In Alsatia nostra, præter vini, frumenti, aliarumq; plurimarum rerum cornucopiam, Deus Opt. Max. acidos quoq; fontes scaturire voluit, nam in Gebersvveiler haud procul ab Oppido Rubeaco fluit fons acidus ex alumine, nitro, & ferro, qui, etsi hactenus incolarum incuria neglectus iaceat, potu tamen & balneo sanat febres Quartanas, spleneticos, ventriculi imbecillitates, putrida & sordida vlcera, albos menses, capitis affectus, scabiem & cutis vitia.

Non procul ab hac scatebra, vltra montem, qua iter ad Vallẽ Gregorianam patet, prope Oppidum Sultzbach, non ita pridẽ inuentus est fons acidus ferri, cupri seu vitrioli, salis gemmæ, aluminis, & sulphuris modici virtualibus spiritibus seu essentiis impręgnatus. Alius quoque repertus est fons acidus, non procul à iam dicto distans prope pagum Sultzmatt, è nitro, alumine, vitriolo, Veneris & Martis spiritu imprægnato & bitumine, seu sulphure scaturiens. Hunc non ita pridem clarissimus, piæ memoriæ Ioannes Georgius Schenck à Graffenberg, Poliater Ensishemensis: Illum verò clarissimus & excellentissimus Ioannes Iacob⁹ Metzius, Serenissimi Archiducis Leopoldi Archiater, graphicè & fuso satis orationis filo descripserunt, admirandas horum fontium vires & effectus ob oculos ponentes, quamuis vterque hederam vtrique fonti plus satis plausibilẽ affixisse videatur. Sed de his hactenus, nec enim nostri propositi est, fusiorem variarum acidularũ descriptionem afferre quam si quis habere aueat, illum ad *Andernacum, Tabernomontanũ, Martinum Rulandum*, & alios, qui isthæc datâ operâ pertractarunt, remittimus.

CAPVT XVI

De Vini natura, Origine, Inuentore, Differentijs Proprietatibus virtualibus, Commodis vasijs; De medicamentis è Vino paratis; Quid, quantumq; ad vitæ propagationem faciat; De Vinis itẽ medicatis, Cereuisia, Zitho &c.

DIXIMVS in superioribus duo præstantissima & saluberrima potus genera hominib⁹ à Deo ter Max. concessa fuisse Aquam scilicet & Vinum: quorum illa homini cæteris animalibus est communis: hic verò hominis quasi proprius est potus, imo & omnium medicamentorum suauissimum, & omnium obsonioriũ gratissimum; præstantissimus ille vuarum succus, qui feruendo vires sibi è musto facit; quem quidam terræ sanguinem; alii aquã in ligno putrefactam dicunt; alii substantiam liquidã ex vuis expressam, ebullitione vires acquirentem, quæ primò dulcescit, proprio

Quid vinum.

proprio & acquisititio calore. *Horat. Augenius* meus olim amãtissimus & præceptor, & promotor, definit vinum liquorem ab vuis domesticis, probe maturis expressum, à suâ fœce repurgatũ, atq; in doliis à proprio & natiuo calore perfectè excoctum. Hunc vitis, seu vuarum succum *Homerus* elegãter ἐριστάφυλον: *Pindar.* ἀμπέλου γόνον vini fæces: *Hippoc.* οἰνάριον: & *Athæn*: οἰνομήτορα, vini matrem nominant. Græci vinum οἶνον vocant, quod mentem nostram vanis & elatis opinionibus impleat; vel quod multos illud bibẽtes opinari faciat sibi mentem esse, qua alioquin carent, vt scribit *Plato in Cratylo*, & eum secutus *Plutarchus in Sympos.* Idem *Plato libr. de Legibus* *Quo quis* οἶνον *vinum pleniore manu hauserit, eo maiori spe impletur, tantoq; animosius de se sentit, idemq; præsentia quadam, & liberalitate, tanquam sapiens repletur: pellitur omnis metus, vt intrepidè quiduis pariter & dicat, & agat.* Ideo enim Latini vinum à vi deriuant, quod scilicet menti vim inferat, & pro diuerso eius vsu, magnam tùm ad bonum tùm ad malum vim habeat. Veteres etiam vinum temetum appellarunt, quod esset grauius; inde ebrii temulenti dicuntur, & ebrietas, temulentia; abstemii, quod temeto, seu vino careant. Merum propriè dicitur vinum solum, purum, absq; aqua, vinum scilicet meracum.

De vitium, viniq; origine, inuentione, primisq; inuentoribus multi multa dicunt: Constans est AEgyptiorum opinio, vitem ex fuso in terras Gygantum sanguine, cùm cœleste regnum affectarent, pullulasse, eiq; furorem & amentiam inesse, vti *Pierius* obseruauit: *Menti enim vino obrutæ*, inquit *Seneca*, *idem euenit, quod curribus excusso auriga*: Hinc illud *Vir.*

Vt cùm carceribus sese effudêre Quadrigæ
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tẽdens
Cogit equos, auriga, nec audit currus habenas.

Vitium, viniq; origo.

Manichæi, *referente D. Augustino lib. de Hæresibus* licet vuis ad ingluuiem vescerentur, vitem tamen, vinumq; fel principum tenebrarum vocabant. Sic Seueriani & Encratitæ vitem absurdo commento è diaboli semine, in serpentis specie germinasse cuius singuli acini, veneni guttę essent, ideoq; vinum mentem turbare, veneremq; illicitam prouocare dictitabant, proindeque nullo pacto bibendum. Rectius sensit *ethnicus Aristophanes apud Athæn.* cùm vinum lac Veneris cecinit; Nos cum *Galeno* etiam lac senum vocitemus: *Iocunda*, inquit *re ad potandum, vinum, Veneris lac.*

Vini inuentor.

Nos, omissis Ethnicorum fabulis, sacris litteris edocti, scim' vitium, viniq; vsum, post horrendum demùm illud vniuersæ terrę cataclysmũ cępisse: vnde Deucalionis temporibus Dionysium finxerunt Ethnici hospiti suo in terra Africa ostendisse, *referente D. Augustino lib. 18. de Ciuit. cap. 13.*

Noachus

Noachus enim *Genes. 9.* ex arca egressus, terram studiosè coluit, vineamq; manu suâ seuit, ex qua cum primū fructū cepisset, lætus factus, bibit ad ebrietatē vsque, somnoq; profundiore correpts, nudus summo cū dedecore atq; ignominia iacuit, vnde maledictio postea atq; seruitus fuit cōsecuta. Hic ergo prims ἀμπελοφύτης seu vitisator extitit, qui, *teste Lanctant. libr. 2. cap. 14.* non modo liberum, sed & Saturnum atque Vraneam multis seculis antecessit: cuius deinceps filij & nepotes, qui hinc inde per totum orbem dispersi, cæteris mortalibus vitis serendæ, atq; colendæ artem, à patre acceptam, tradiderūt, innumeris procul dubio eiusmodi fabulis occasionem dederunt. Principalis tamen, vt omnium bonorum, ita & vini dator, authorq; agnoscends, celebrandusq; est Deus Opt. M. qui Noacho ceu ministro, ad tantum bonum hominibus impertiendum, illosque vites serendi, vinumq; conficiendi rationem docendam vsus est.

Vini virtutes.

Iam verò vini, testantibus idipsum & Philosophis, & Medicis, Historicis, Politicis quotidianaq; experientia, magna vis & efficientia, multiplex vsus & vtilitas est, vt merito Latinis à vi seu virtute dictum esse videatur. Naturæ enim præscripto, & legum tàm diuinæ, quàm humanæ dictamine docemur, vinum, cæterasq; creaturas, homini ad iuge ministerium, vsumq; & cōditas, & subiectas esse. Tantum abest vt Noe ob incognitam vini efficacitatem traducatur, vt eius ebrietas omnis labis expers iudicetur: & ipse Dominus noster Legislator adeo non abhorruerit, vt vini potator audiret passim, & peccatorum amicus haberetur. Veteres Romani olim dijs sacrificaturi, perpetuò vinum offerebant. Hinc illud *Ouidianum.*

Redduntur merito debita vina Ioui.

Dij enim vina dedêre, ait *Plato in Sympos.* tùm vt hominum curas pellant, tùm vt mentem lætitiā diffundant: nam Bacchus afflictis mortalibus requiem affert. Natura siquidem è fœcundissimo suo penu nihil quicquam largita est præstantius vino: vulneribus enī curandis præstantissimum est balsamum: viribus reficiendis eximium cardiacum: corpori nutriendo alimentum optimum: cor hominis lætificat, mentem exhilarat, ætatem floridam facit, mœstitiam aufert, natiuum calorem fouet, viscera calefacit, coctionē iuuat, stomachum roborat, obstructiones tollit, abigendis excrementis viam parat, vrinā menssesq; ciet, somnum conciliat, frigida venena obtundit, spiritus recreat, resarcitque, flatus discutit, crassos humores attenuat, incidit, coquit, discutit, vt merito cū *Androcide* sapientia claro dicendum: *Vinum est sanguis terræ, lac senum, ex vite quasi vita prodiens, vitam in multos annos conseruās, aquā*

vitæ ſuppeditans. Aſclepiades Medicus de vino dando volumen edidit, in quo vini vtilitatem mirificis laudibus extulit, idq; vix deorum potentiæ æquari poſſe, dicere eſt auſus. Non igitur mirum, Ethnicos olim Bacchum, quem vini primum authorem ſibi falſo perſuaſerant, ceu Deum coluiſſe. *AEſculapius & Bacchus*, inquit *Galen. libr. Exhortat. ad bonas artes, ſiue quondam homines fuerint, ſiue dij, ab initio ſummos honores promeruerunt, alter ob monſtratam medendi artem; alter quod nos docuerit vitium colendarum rationem. Athæn. lib. 2.* dixit vinum optimum eſſe deorum donum; affirmans à dijs illud datum eſſe hominb⁹, ceu maximum bonum, ſi eo rectè vtantur: ſin minus, maximum malum. Hinc *Plato teſte Galen.* Vinum neq; permittebat in exercitu, vt illud guſtarent milites; neq, ſerui, neq; Principes, neq; hi qui de re aliqua eſſent conſulturi, quod ſcilicet velut Tyrannus, animæ facultatib⁹ imperet, exceſſuq; ſumptum, vires eneruet, & ſanitatē deſtruat. Olim tamen apud Hæbreos à vino abſtinere nefas erat; & Perſarum mos fuit, vt poſtquam vino madueāt, de rebus maximis decernerent. Legimus etiam poëtā Ennium ſeſe nunquam ad ſcribēda carmina accinxiſſe, niſi prius multo maderet mero: AEſcylus quoq; non niſi potus ad Tragedias exarandas proſiluit; De Lāpride quoq; facetum hoc narratur, qui cùm vino ingurgitatus multa appoſite diceret, & reſpōderet, ſe thuri ſimilem fatebatur, quod non niſi calefactū, ſuauem ſpirat odorem. In vino enim veritas, alacritas, & facundia, vt teſtatur *Poëta*:

Facundi calices, quem non fecēre diſertum?

Hinc etiam illud *Hippocr.* In Vino mors & ſanitas; mentis temperātia, ac feritas; bellum & pax iuxta:

Vinum alit lites, lites diſſoluit eaſdem.

Laërt. lib. 2. cap. 9. de Anacharſi refert, quod dixerit Vitem tres ferre botros: vnum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium moleſtiæ: innuens, parcum vini vſum eſſe iocundum, quia ſitim ſedat: largiorem gignere temulentiam; largiſſimū parere rixas, cædes, morbos, mortem ipſam. Simile quoq; eſt illud: Primum cratera pertinere ad ſitim; alterum ad voluptatē; tertium ad ebrietatem; quartum ad inſaniam. Eſt enim vinum adiaphorum, ac indifferens, quod pro boni vel mali vſus ratione, bonum vel malum edit effectum. *Homerus* Poëtarum princeps, Vinum hominis medullam indigitat: & *Alexis Comicus*: Vini & hominis naturam ſimillimam facit, quod ſordes non minus homō, quàm fæces vinum deſpumet, quod defæcatum potui aptū ſit; deniq; quod cum vino, vbi parua portio reliqua eſt, hominis vitam aceſcere, & declinare videamus in dies. Ex *Platonis* ſententia, vinū ingenij fomes eſt, virtutis incitamentum

mentum,ſi mens & corpus eo flagret.

Vita hominis ſobrio Vini vſu ſuſtentatur.

Totam hominis vitam ſobrio vini potu conſtare his verbis docet *Syracides: Vinum vitæ humanæ accommodatum eſt,ſi moderatè bibatur. Et quæ eſt hæc vita, vbi vinum deeſt? Vini,* inquit *Theogenes immoderata potio,mala eſt; moderata autẽ non ſolum non mala, verum etiam bona commodaq́; exiſtit.* Hinc Bacchus paſſim medicus, & ſanitatis author olim fuit appellatus,& etiam oraculo quodam pręceptum fuit,vt Bacchus ὑγιατωρ ſeu ſanator cognominaretur, *teſte Athæn. l.3.* quo nimirũ cognomine ſignificabatur, vinum ſanãdi vim habere. Eſt enim vinum hominis pariter alimentum & mediamentũ.Hinc *Eulalus apud Athæn.* ſic loquentem Bacchũ introducit:*Prudentibus viris tres miſceo crateres,primum quem ſanitatis:ſecundum, quem amoris, & voluptatis: tertium quem ſomni ergò bibant,quo epoto,ſapientes ad conuiuium inuitati, domum ſe recipiunt.* Vinum vnanimi Medicorum teſtimonio, probè, celeriterq́; nutrit, humectat, ſolidas partes calefacit,omnes corporis vires roborat, atq; confirmat, ſuccorum, colorisq́; bonitatem facit, cõcoctionem, ciborumq́; diſtributionem adiuuat,corporis habitũ calefacit,& aduerſus ſenectutis duritiem, & frigiditatem ſummũ eſt remedium: vt enim igne ferrum, ſic vino ſenum corpora molliuntur, temperanturq́;. Adhæc ſanguinem fouet, bilis amaræ acrimoniam frangit, vomitum ſiſtit, putredini reſiſtit, membris robur addit,fæminis fæcunditatem creat &c.vt apud *Hippoc.Galen.Dioſcorid.Celſum,*& paſſim apud alios illuſtres Medicos videre eſt. *Auguſtin.lib.ad ſacras Virgin.* vno quaſi faſciculo has vini vires eſt complexus. *Eſt quidem in multis,*inquit *vitæ mortalium,neceſſarium vinum; debilem enim ſtomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit,vulneribus infuſũ medetur.* Sic *Plutarchus 3.Sympoſ.Probl.5.* Medicos vino & languenti ſtomacho atq; ob imbecillitatẽ confirmationis indigenti mederi,& fluxus ventris,& ſudoris eruptiones ſiſtere teſtatur. *Galen.3.de Temperam.Vinum tùm roborat, tùm celerrimè nutrit,quod vt aſſimiletur, mutationem requirit minimã.* Itaq́; vinum non ad ſanitatem modo, ſed & ad robur,vireſq́; facit. Inde *Homerus:*

Vinum viro defatigato magnum robur addit.

Idem dicit, virum cibo, vinoq́ue repletum,per totum diem pugnare poſſe. Hinc vinum ab *Euripide* eleganter ἀρηΐσιγυαν, membrorũ cõfirmator appellatur.

Nec verò corpori duntaxat,ſed & animo,mentiq́; moderatus vini vſus,plurimum prodeſt. Nam ipſam primo mentem, ingeniũq́; acuit,atq; confirmat. *Cheræmon* apud *Athæn.lib.2.* Vinum, eo rectè vtentibus,ſapientiam,docilitatẽ, prudentiamq́ue conciliare dicit.

Huc facit lepidũ illud epigramma.

Vinum lepidis magnus est equus Poetæ.
Aquam verò bibens, nil paries boni.

Et illud Propert.

Ingenium potis irritet Musa poëtis.

Et mox:

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Et Horat. ad Mæcenat.

Nulla placere diu, nec viuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus &c.

Hinc *Rufus* testatur Helenos Persasq; differere, ratiocinari, cõsilia gerendæ Reipub. dare, versus condere, aut musicam exercere volentes, vino prius vsos fuisse, seseq; experientia didicisse, vino mentem hilarem reddi, veritatẽ pādi, ingenium & rationem acui. Vinum præterea nutriendo copiosum generat spiritum, imo solo sæpe odore, corporis spiritus recreat; *teste Ouidio:*

Et iam deficiens, sic ad tua verba reuixi,
Vt solet infuso vena redire mero.

Hinc magnam hominis animũ lætificandi, & exhilarandi, tristificis contra, tabificis curis, atque mœroribus liberandi vim habet: *Vinum*, inquit *Syracides*, *ad exhilarandos animos creatum est: cordis lætitiam, animiq; hilaritatem parit potus vini iustus, atq; oportunus: vbi bibendi & tempus oportunum, & modus debitus seu temperatus graphicè designatur.* Qui igitur alieno tempore, mane scilicet ad bibendum surgunt, vt olim Israëlitę apud *Isaiam cap. 5.* aut plus sumunt, quàm naturæ vires ferant, ij nõ optimo Dei dono vtuntur, sed abutuntur, proindeq; iusto Dei iudicio, non lætitiam, sed mœrorem potius sibi accersunt.

De hoc optimo vini moderatè sumpti effectu, multa insuper & præclara tùm in sacris, tùm prophanis litteris monumenta extāt: Nam *Iudic. 9.* Vinum, Deum, hominemq; lætificare dicitur: *Prouerb. 23.* Vinum ijs propinari iubetur, qui amaro, tristiq; sunt animo, quo suæ miserię, egestatis, inopiæ, dolorum atq; laborum obliuiscantur: *Psalm. 104.* Cytharœdus sacer Deum canit cùm alias fruges atq; fructus, tùm Vinum (vnde eleganter tàm in sacris, quàm prophanis litteris, terræ sanguis dicitur) producere, ad cor hominis exhilarandum.

Quæq; hilarant mentes iocundi pocula vini.

Et *Syracides 40.* Ad hominis vitæ vsum, necessaria sunt aqua, ignis, ferrum, sal, farina, mel, lac, vinum, oleum, vestes. Hæc omnia pijs cedunt in bonũ; impijs verò in damnum. Idem *cap. 41. Vinum & Musica exhilarant cor, at Sapientia iocundior est vtroq;.* Et *Esai. 3.* legimus vinũ securitatem, iocunditatem, tristitiæ, debitiq; obliuionem afferre. Quæ tamen de iusto & oportuno vini moderatè sumpti vsu intelligenda veniunt. Ex quibus immẽsa erga nos Dei Opt. Max. clemẽtia & benignitas, qui optimi patrisfamilias adinstar, non solum necessarios ad vitam sustentandam tùm cibos, tùm potus largissimâ suâ manu exhibere, sed etiam ipsum vinũ post diluuium addere

voluit

voluit, tùm vt senescentis & deficientis nostræ naturæ vires conseruaremus; tùm vt animum à laboribus, molestijs, & ærumnis (quibus hæc vita nostra scatet) fractum, interdum recrearemus, & exhilararemus.

Quomodo Vini vires frangẽde.

Quod si quis vel ob capitis imbecillitatem, vel calidioris hepatis intemperiem, indomiti Bacchi ferociam, & impetus extimescat, hunc pulchrè, & maximo sanitatis emolumento, limpidi fõtis infusione frẹnabit, & mansuetissimum efficiet. Nec enim sine causa Poëtæ finxerunt nutricibus vsum fuisse Nymphis, quæ illum aluêre, & fugientem Lycurgi Regis Thracum potentiam, excepẽre. Per Nymphas aqua intelligẽda, qua Vini virtus, & eius cornua infringuntur. Ideo enim aquam vino miscendam docet *Plutarch.* vt furentem deum, *teste Platon.* sobrio altero castigatum, temperemus. Illi enim compedes & vincula sunt, quibus cõstringendus Bacchus.

Compedibus Venerem, vinclis constringe Liæũ.

Sic olim piscatoribus oraculum datum, vt Bacchum mari immergerent, vt nimirum calorem nimium temperarent. Ideo Veteres Ioui duas nutrices, Baccho verò plures assignarunt, quod temulentũ hunc deum, pluribus aquæ mensuris cicurare, mitiorem, atq; prudentiorem reddere oporteat: hoc enim est illum sobrijs Nymphis enutriendum dare. Idem sic expressit *Meleager.*

Bacchus vt in flammis puer exiluisset in vndas:
Nymphæ traxerunt horridum adhuc cinere:
Cum Nymphis ideo gratus fit Bacchus: at ignẽ
Ardentem capies, hunc nisi miscueris.

Idem eleganti epigrammate exprimit *Rhodiginus*, quod eius vis prorsus sit ignea, quæ cuti quidẽ extimæ parcit, in qua tamen furit, clauditq; hac argutia.

Nympha igitur procul ô puerũ ne tangito clamat
Quisquis es, ignis enim est, ni prius imbre lanes.

Hinc ignigenam eundem dixére, & ora rubicunda, flammantiaq;, vitales partes depascentia, rationisque facultates, indomabilis ignis instar amburentia, dederũt. Et qua, eiusmodi incendium, nisi aquâ extingues infusâ? Vidit id Alphonsus Arragonum Rex, adeo vt sitim nunquam meraco restingueret. Vnde quõdam interrogatus, cur ad sitim extinguendam dilutissimo vino vteretur? Respondit, vino sapientiam obscurari, furorem atq; libidinem, ebrietatis filios inde pronasci. De Cleomene Spartarum Rege tradunt Scriptores, cum in insaniam versum, cùm Schytarũ consuetudinẽ in ἀκρατοπόσιον solius meri potatione imitaretur (maxima enim erat infamia apud Lacedæmonios, meri vini potus.) Ideo omnium gentium more prodidit *Diodor. Sicul.* Deum hospitem bibenti optari cùm purum in cœna vinum miscetur; cùm vero aquâ mixtum est, Iouem nominari seruatorem, quod puri vini potus

ad insaniam redigat, aquâ verò mixtum, eandem prohibeat, lætitiam, atq; voluptatem afferens.

Scribit *Plinius* Staphilon Sitheni filium, primum fuisse qui vinū aquâ miscere cæperit: *Athæn.* vult Melampum id primùm fecisse. Idē *lib. 4.* testatur vini κρᾶσιν σύμμετρον ab Amphyctione Rege Athenienses primùm edoctos fuisse. Huiusmodi autem mixtio longis tēporum interuallis non exiguam accepit varietatem, tùm à natura vini, tùm à natura bibentium, tū etiam à tempore quo potabatur. A natura vini variata est mixtio, cùm Maronem vicies tanto aquæ addito ob eius vim miscendum voluit *Homerus*, cuius generis vini facultas & vigor indomitus, etiam Mutiani ter consulis tempore durabat, qui eius sextarios singulos octonis aquę misceri comperit. Sic enim Falernum indomitum vocauit *Iuuenal.* quod vix & ipsum multâ aquâ domaretur; ut *Galenus* aliud oligophorum, quod paucâ aquâ vincebatur.

Plutarchus 3. Sympos. docet tres extitisse communes vini mixturas: *Qui*, inquit. *Dionysii harmonias callebant, tres vini cum aqua consonantias aspexerunt, sesquialteram, diapason, & diatesseron.* Prima efficiebatur cum tribus aquæ partibus, duæ vini adderentur: altera fiebat, cùm uni vini parti, duæ aquæ partes miscerentur: tertia ex tribus aquæ partibus, & una vini exurgębat: tandem etiam sesquitertia potio ceu remissa & sobria ijs in usu erat, qui in Prytannæo dominabantur, & Philosophiæ aut contemplationibus incumbebant, quos sobrios, & mente præditos esse cōueniebat. Temperatura quæ ex duab⁹ aquæ partibus & una vini mixtis conficiebatur, mentem turbare, & leuem quandam ebrietatem inducere existimabatur: quæ verò ex duabus vini partibus, & tribus aquæ mixtis consurgebat, somnum inducere, curarum obliuiones parere, & passiones sedare credebatur.

A personarum bibentium natura, variatur quoq; vini mixtio, seu temperatura; Nam sani, naturâ calidi, & desides, maiorē aquæ quantitatem addunt; ex aduerso frigidi, debiles, & exercitati, minorem. Ideo senes, qui magis mero gaudent, meraciorem semper mixtionem amplectuntur.

Deniq; pro temporum natura, variant quoq; vini cum aqua tēperaturæ; Nam omnes Medici æstate dilutius, hyeme meracius bibendum esse volunt, si de liberis, & ingenuis sermo fiat: Rusticos enim & totam ruris familiam, *Cato* hyeme aquosius & parcius, æstate verō cum laboribus insudādum, meracius, & largius bibere præcipit.

Optima tamen vini cum aqua mixtio ea fuerit, cum scilicet vini duæ, aquę verò tres portiones fuerint, cuius mixtionis Mineruam

ferunt

ferunt authorem, quia propriè sapientiæ illa conueniat. Verùm vt temperata vini dilutio merito laudatur, sic intemperata vitio fertur; hoc enim modo & cum ranis & anseribus biberent sapientes, quibus tamen iure deorum nectar, & ambrosia porrigenda esset.

Vinorũ differẽtiæ. His ita constitutis, tempus postulat, vt ad Vinorum differentias accedamus. Variæ autem constituuntur Vinorum differentiæ, vel ex natura, & propria illorum forma, quatenus nimirum differunt colore, sapore, odore, facultate, consistentia, seu tota substantia.

1. Colore. Colore enim differunt, quatenus alia sunt alba, aquæ adinstar, alia flaua coloris paleæ, aut stipulæ, alia fulua; alia heluella, rubini dilutioris ac viuacioris colorem referentia; alia rubino vegetiori, aut coloratiori similia; alia clariori, alia rubicundiori, & obscuriori granato respondentia.

2. Sapore. Differunt item sapore, quatenus alia sunt dulcia, & gratissimi saporis vt Muscatellina; alia insipida, & ingratissimi gustus; alia austera, pontica, acerba, acida, seu cruda, & minimè cocta.

3. Odore. Tertia differentia in odore cõsistit, quem gratũ, & suauem omnia bona vina spirant; reliqua verò ingratum, insuauem, acetosũ, vapidum &c. Hinc docti bibones vini bonitatem vel prauitatem odore prius, mox & sapore discernere, & de eo sententiam pronũciare consueuerunt.

4. Consistentia. Quarta Vinorum differentia à substantia seu consistentia desumitur, vt cum alia sunt admodũ tenuia, & spirituosa, qualia sunt vina Greca, Canariana, nullas aut paucas fæces gignentia; alia crassa & fæculenta, magnam tartari & fæcum copiam deponentia; alia inter vtramq; hanc differentiam, medium tenent, vt sunt vina Vasconica, Narbonensia, *Vin de caute perdris, Vin de Beaulne*, & alia sexcenta, quæ passim in Italia, Gallia, Germania, & Burgundia crescũt, quæ cùm tenuia & spirituosa sint, sunt etiam crassis & terrestribus & præstantiora & salubriora.

5. Ætate. Differunt quinetiam vina temporis, & ætatis ratione, cùm nimirum alia recentia sunt, alia vetustiora, vnius, duorum, vel pluriũ annorum; pro temporis enim varietate, aut vetustate, variam cõtrahunt qualitatem. Alia enim temporis progressũ & potentiora & calidiora redduntur, calore, sapore, odore, & substantia variant; alia verò viribus imminuuntur, & breui vapescunt.

6. Regione Celo, & Solo. Differunt item sub eodem genere, & penes regionem seu agrũ & penes qualitates, quas specialiter suscipiunt à soli natura, situ, cœli ambientis aspectu, aëris ac certo ventorum cõcursu, cui expositæ sunt vites. Hinc alia sunt vina Hispanica, Italica, Gallica, Germanica, Rhenana, Alsatica, Burgundica, Necarica, Vngarica,

Rhœtica

Rhœtica, Heluetica &c, alia quæ in planis, alia quæ in collibus, mõticulis, & arenosis nascuntur.

7. Facultatibus. Sumuntur demum Vinorum differentiæ ex eorum facultatib⁹: quæ omnia diligenter obseruanda sunt, hæc enim exactè sciuisse, multum Medico interest, vt testatur *AEtius Tetra.1. Serm.1.* v. g.

Rubra vina. Rubra & crassa vina generando sanguini sunt oportunissima, ob facilem in sanguinem cõuersionem; deinde nigra, simulque dulcia, & crassa, vt sunt ferè Burgundica: mox colore quidem ruffa, aut nigra, compage verò crassa, & adstringentem simul qualitatem habentia.

Alba. Hic minus valent alba, simulq; crassa, & acerba ad nutritionem: omnium verò minimè alunt colore alba, compage tenuia, & aquosa.

Dulcia. *Crassa.* Concoquuntur autem in ventriculo, & magis distribuuntur dulcia, austeris, & ventrem magis subducunt. Cęterum valde crassa & tardius concoquuntur, & serius in corpus distribuuntur; vbi autem robustum ventriculũ nacta fuerint, vt probè concoquantur, amplius corpori nutrimentũ præbent. Manifestum autem est, quod & aluum sistunt, & vrinę ciendæ incommoda existunt, & in quibusdam crassum succum generant. Quædam etiam ex ipsis Iecur, Lienem & Renes obstruunt, & inde aliqui Hydrope corripiuntur, alij ex nimio eorum vsu calculo laborant, præsertim verò senes.

Optimū Vinum. Optimum ergo Vinum est tùm sanis, tùm conualescentibus cõmodissimum, quod colore rubellum, sapore leuiter subastringens picante vulgò, compage tenue, & odore gratum existit. Ex iam dictis, vt & ex *Hippocr. 3. de acutor. vict.* & ex *Galen. in eodem comment.* alijsq; Medicorum scriptis discẽdum, quæ vina meliora, salubriora, & conseruandæ bonæ valetudini congruentiora sint, vt quæ in multorum morborum, febriũ etiã quarundã curationibus conceduntur. Nec enim tantum corpori alendo aptum est vinum, aut cordi recreando, & instaurandis roborandisq; nostris spiritibus idoneum: Quin & eius virtutes & facultates ad medicandum, curãdumq; extenduntur, vti *Hippocr. Galen. Celsi, Aratei, Aetij, Trallian. Oribasii* & aliorum grauissimorũ testimonijs comprobari potest.

Præstantiora Italiæ vina. Iam verò vt ad Vini differentias, quæ ex soli natura, seu agri aut monticulorum constitutione ac situ petuntur redeamus, multa præclara vina in varijs Italiæ tractibus reperiuntur, vt sunt vina Falerna in agro Campano; Faustinum, Claurum, Massiuum, Cæcutum, Fundanum, Amycleum, Vestuinum, Nolanum, Massetanum, Græcum de summa, Græcum Isthiæ, Græcum de Turre, de Nola. Vinum Mangiauera, Lachryma, Aglianicum, Fistignia, Latinum, Muscatel-

Muſcatellum, Beneuentinũ, Salernum, Cilentinum, Clarellum Calabrenſe &c.

Nec Germania felix(hoc loci enim breuitatis cauſa, vina Burgundica, Arboiſica, Clareta; Muſcata; Gallica item, Narbonẽſia, Vaſconica, Lotharingica, ſilentio inuoluimus) præſtantiſſimis vinis caret, Alſatico, Rangano Thanenſi, Seringano Gebvveilenſi, Katzenthalenſi, Ammerſvveylenſi, Briſgoico, Rhenano, Reinfeldenſi, Auſtriacis variis, Necarino, Vngarico, & aliis ſexcentis, quæ pro varia ſoli natura, cœli, ſitus, & aeris conſtitutione, ſuas quoq; habent prærogatiuas.

Præſtãtiſſimũ Vinum. Omnium autem præſtantiſſimum vinũ eſt, quod omnes ſenſus delectat, & ſuauiter afficit, mouetque, limpido nimirum, & claro colore viſum; guſtum dulcore; odoris fragrãtiâ olfactum; famæ celebritate, & ſonitu ſtrepente auditũ, dum nimirum infundendo ſtridentem ſonitum edit; tactum frigiditate, quã ſortitur impoſitione vel in puteum, vel niuem, vel conglaciata antra licet eiuſmodi frigefacta vina, rariſſimè citra corporis noxam bibantur. Idem vinum ſit nec recens, nec vetuſtum nimis, fuluũ, clarum, maturum, odoriferum, ſubaſtringens, in montibus Orientem reſpicientibus natum.

Talis vini maximæ & ferè innumeræ ſunt virtutes ad bibendum, coquendum, lauandũ, medendum, purgandum, cor exhilarandum, mœrores tollendos, membra roboranda, ſpiritus refocillandos &c., vt in ſuperioribus fuſo ſatis orationis filo diſſeruimus.

Vinum potus eſt & cibus. Porro vinum & potus eſt & cibus: Potus quatenus materiâ cõſtat humidâ, liquidâ & fluxili: Cibus verò quatenus omnium Medicorum calculo nutrit, diciturque alimentũ medicamentoſum & medicamentum alimẽtoſum. Omnia enim vina craſſa, rubra, nigra, vt iam dictum, ſãguini generando maximè ſunt idonea, vti & dulcia, quæq; conſiſtentiâ craſſâ, & vi adſtringente prædita ſunt, vt vina Burgundica, quæ & optimè nutriunt, & ſtomachum roborant, & alui fluores ſiſtunt, licet ſenibus non adeo conueniant, cùm & iecur, & lienem, venaſq; meſeraicas obſtruant, craſſumque & melancholicum ſanguinem gignant. Alba verò vina craſſa ſimul & acerba, minus ſua natura alunt, ſuperantur enim à flauis mediocriter craſſis, & dulcibus, qualia ſunt vina muſcatellina: omnium minimè nutriunt alba & tenuia, & quò tenuiora fuerint, eò & minorem nutriendi vim obtinent, promptiora tamẽ ad vrinam ciendam. Ergo vinũ rubrum & craſſum plurimum nutrit, *teſte Hippoc. Facilius eſt impleri potu, quam cibo.* Idem: *Famem vini potio ſoluit* Album verò & tenuiſſimũ, vt Oligophonum, minimũ

 ſanguinis

ſanguinis gignit. Et quæ in horũ mediocritate conſiſtunt, pro extremorum participatione plus, minuſue ſanguinis generant. Alit ergo vinum, at non vt vinum, ſed quatenꝰ à ventriculi archeo in chylum actum, mox à ſanguifica iecoris facultate in ſanguinẽ conuerſum (quod celerius in vino, quàm cæteris alimentis contingit) ex quo demũ omnes partes aluntur.

N m vina r·bra refri-gerent.

Eximendus hoc loci vulgaris quorundam error, qui volunt vinum rubrum refrigerãdi vi pollere; quod ex *Galen.* probant, qui *4. Simplic. 13.* ſcripſit, aliquod vinum ſuâ naturâ refrigerare & fridum eſſe. *Lib* item *de Aliment. bon. & mal ſucci.* & *7. Method.* & alibi paſſim, conſimilem tueri ſententiam videtur. Idem probant effectus frigidi à vino excitati, vt apoplexiæ, epilepſiæ, conuulſiones, paralyſes, vertigines, hydropes. Sic extrinſecus applicatum, refrigerat inflammationes, & vlcera. Et ſi *teſte Baſilio Valent.* membro alicui inflammato, ſummè rectificatum & exaltatum vini ſpiritum, qui merus ignis videtur, petiis exceptum, adhibuerit, obſeruabit vi quadam magneticâ ignem attrahere ignẽ, & mẽbrũ ab inflammationis periculo vindicari. Verùm hæc facilè diluũtur, ſumpto ab vltimi argumenti ſolutione, initio. Omne vinum actu conſideratum, per accidens refrigerat, eſt calidum potentiâ accidentali, qua remotâ, fit actu calidum. Vinum etiam tùm eſſẽtiali, tùm paſſiuâ potentia conſideratum, non ſolum calidum eſt ſed & eo gradu, quo corporis noſtri ſpiritus. Nimiâ ergo quantitate hauſtum, ob vaporum copiâ, & acrimoniam viſcidam cerebri pituitam mouere, eamq́; ad cerebri ventriculos fundere, & frigidos illos capitis affectus excitare vel etiam nimiâ copiâ languentem iecoris calorem natiuũ ſuffocatione extinguere, ſicq́; hydropẽ inducere poteſt; prodeſt vlceribus non refrigerando, ſed exiccando. Et quia actu eſt frigidum, nec forinſecus à natiuo calore actuatur inflammationibus adhibitum refrigerat & prodeſt vel fluxiones expellendo, vel calorem attrahendo. Cùm autem *Galen.* dicit, vinum ſuâ naturâ refrigerare, vt & alii, qui idem de vino nigro aſſerunt, id de Oligophoro, ſeu Paucifero, aquoſo, diluto, frigido, inſipido ſeu minus vinoſo (vt ait *Hippoc.*) audiendũ. Dicitur autem Oligophorum vinum, quod colore, ſubſtantiæ tenuitate, ſapore & odore multum aquam repræſentare videtur, in vinorum latitudine exiſtens, & tale vinum *Galen. 7. Method.* aquoſum vocat, quod eſt tenue, album vel rubellum, ſplendidum, purũ, & oligophorum; & hoc *Galen.* inter vina imbecilliſſimũ, & aquoſiſſimum, non quidem abſolutè, ſed in comparatione vocauit. Idem

dem voluit *Hippocr. 3. de vict. acut.* vbi non solum præsentis vini caput ferientis vsum in his morbis redarguit, sed vinum prorsus aquosum, & inodorum præscribit. Ergo omne vinum in sua naturâ calidum est, licet magnâ habeat secundum maius & minus latitudinem: Est etiam humidum vinũ tùm actu, tùm imbibitione: Et siccum potentiâ accidentali, & per se vt vrina. Hinc illud:

Ab igne sum genitus, lymphis nutritus, vtrinq;
Humidus euasi perq; patrem calidus.
Infanti Nymphæ Bacchũ quo tempore ab igne
Prodijt ignitum, sub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est
Seiunctus quod sit ignis, & vrat adhuc.

Maxima vini proprietas, non est inebriare, quia id nõ semper, nec omni vino conuenit, vt olygophoro dulci &c, at solum quatenus calidum, odorum, & vaporosum est; sed maximè proprium est vino, lætificare cor hominis, *teste Psalm. 103. & lib. Iudicum 9. Nũquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & hominem?* & *Ecclesi. 31. Vinũ ad iocunditatem creatum est ab initio non ad ebrietatem.* Nec iniuria: Vinum enim maximam cum humana natura habet similitudinem, statim spiritus reficit cor moderatè calefacit, fundum laxat, inde lætitiæ fontes scaturiunt, mirâ quadam celeritate cor reparat, ob indicibilem cum corde sympathiam, hominiq; idem præstat, quod ipsa vita cùm hominem viuificet.

Huius rei occasione rursus quæri potest, nùm febre correptis tutò vinum exhiberi possit? *Iacobus Schallingus in sua Oculistica*, dicit Mera atq; pura vina nemo prudens Medicus ægrotis prohibuerit: Nitrosa verò seu Nitrocalchantica, aluminosa seu austera, & sulphurata, seu nidorosa, nemo permiserit. Hæc enim vel salubrem incẽdunt bile sanguinem: Illa verò biliosum ex impuritate liberant. Vt autem corrupta putredine vina sanguinem penitius corrumpunt: sic incorrupta altius humano sanguini sanitatis symbolum perhibère ratiocinandum. *Hippocr.* sanè *lib. de cibo & potu. Natura non sustinet repentinas mutationes*: ergo vinũ bibere assuetis, licet febre corripiantur, non subitò vini vsus prohibendus. Item febris cùm sit calor præter naturam, humido erit tollenda, non tamen aquâ, cùm stomachum relaxet, sed vino oligophoro, albo, tenui, & aquoso vt habet *Galen. in comment. eod. Aphoris. Facilius est impleri potu, quam cibo.* Natura in vino tenui, aquoso, maior est humiditas, quam caliditas, quæ ab illa superatur. Si enim ob calorem non deberet vinum exhiberi, non deberent quoq; exhiberi alimenta cætera quæ naturâ calida sunt, humanũ sanguinem corrumpunt. Sic enim scribit *Galen. in comment. de temperamentis. Nutrimentum animalis calorem auget, etiam generaliter omnia assumpta in corpus, vt nu-*

An vinum febricitantibus conueniat.

trimentum calfacient. Hippoc. verò *de vict. acuto.* De variis tractat vinis, albis, nigris, generosis, tenuibus, subastringentibus, dulcibusque, eorumq; qualitates recenset, non tamen ibi prohibet vini vsum in morbis acutis exceptâ Cephalalgiâ, Delirio, aut graui perturbatione. Imo quotiescumq; tractat de febre tertiana, quartana, quotidiana, aut ardente, aut singultiente, nunquam vinum prohibet, sed dicit: *Vinum bibat album, dulce aquosum.* At in febre pestil. quæ 7. die interimit, vinum prohibet, & exacto 7. die, iterum vino vtitur, cuius rei hâc affert causam *lib. 1. de morbis. Qui à febre ardente corripiuntur, internis partibus exurũtur, & lingua, & fauces ab interno spiritu exasperantur, & arescunt, & cùm internæ corporis partes fuerint resiccatæ, moritur homo.* Et 2. *de morbis in cura pleuritidos.* Sic habet. *Sorbeat ptisanæ succum bis in die, & vinum inde bibat album & aquosum.* Et *eodem lib. in cura peripneumoniæ*: Huic primis diebus vinum dare cõuenit, dulce, album, aquosum, paulatim frequenter bibendum. *Eodem* quoque *libr.* in cura febrium ab humore bilioso, nec solum in intermittente, sed etiam in continua: *Si febris,* inquit, *remiserit, ptisanæ succum, aut mulsum bis, terue sorbeat, & vinum album, odoratum, vt aquosum insuper bibat, si verò febris neq; noctu, neq; die remiserit, & ad contactum æger supernas partes habeat calidas, venter autem & pedes frigidi sint, & lingua aspera huic medicamentum ne dederis, sed molli infuso per clysterem subluito, & ptisanæ succum bis in die frigidum dato, & vinum aquosum insuper bibendũ dato* Sic *Galen. 1. Comment. in Hipp. de vict. acutor. Vinum potens vehementer celeriterq; corpus calfacit, caputq; ferit imbecillum è contrario agit modo.* Et paulo post: *Verum vt verbo dicam vinum dulce in acutis morbis ad expulsionem tùm propter dictas operationes, tùm propter communem omnium vinorum conditionem, quam vires roborat idoneum existit & maxime his, qui quæuis humida, quæ tùm in thorace tum in pulmone continenter expuunt.* Et paulo post: *Prauum autem febri auxilium est vinũ fuluũ quod vehementer calidũ sit verũ post vinũ dulce nõ admodũ carſſũ ad eorum quæ in pulmone sunt eductionẽ conueniens est aquosum vinum virtutem roborans, & humores humectans tùm madefaciens mediocriter.* Et iterum paulo infra: *Caput autem & mentem fuluum magis ferit quod & calidinis nigro existat, febresq; eadem ratione auget, quibus idonea ea sola sunt, quæ sunt aquosa.* Et in fine sic concludit: de vinis hæc locutus *Hippoc. Prætermisso vino quod non absoluit, & ego obiter percurram quod scilicet febrientibus maximè idoneum sit aquosum.* Et infra vini igitur vinosi notas tùm perspicuè, tum exactè recensens, percurrensq; quonam pacto tùm caput, tùm mentem feriat de aquoso ipsi contrariam disciplinã suffici-

sufficientẽ verò existimauit, cùm aduersa cõtraria q; ipsi inesse ratiocinari possumus.

Et *8. method.3* vbi de febre scribit Vinum vero ipse cõscius, omnibus me huiusmodi naturis concedere; sed quod tùm aspectu, tùm viribus sit aquosum. Id enim vtilius est quam aqua ipsa, vtpote quod & concoctionem iuuet, & vrinas, & sudores prouocet: Cõstat autem ex *Hippoc.* non in Drariis modo, sed in acutis febribus ex his quæ de acutorũ victu prodit vinum dari. Et *1. Meth. vbi de febribus acut. Sanè fugere in his conuenit iuuandis ea vina, quæ multum nutriunt, cuius generis crassa sunt, vti verò vel aquosis id est colore albis, & subsciam tenuibus, vel quibus mere admixtum est de aqua.* Et *8. de cõpos. medic. 7.* Vinum conuenientissimum est citra inflammationẽ aut Erysipela, nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit, etsi intemperies ex humiditate & frigiditate facta est, eam citra omnẽ molestiã & securè persanat. Et *5. de loc. affect.* de oris ventriculi affectibus sic loquitur. *Vinum album modicè stringens ventriculum robustum efficit, nec caput tentat, sicuti facere solent ea vina, quæ vehementes vires obtinent.* Et ad Glauc. *9.* de curatione *exquisitæ tert. feb. A vino antequam morbus cõcoquatur, omnino abstinẽdum, at vbi concoqui cœperit, dandum est ab initio tenue aquosum paucum: vbi verò iam prope est, vt morbus soluatur, amplius est offerendum.* Morbus autem tunc incepit cõcoqui, quando apparet, id est, in proprio augmenti, ideoque in morbi cogniti principio exhibendum erit vinum. Sic *Auicenn. lib. 1. Fen. 3. doct. 3. cap. 8.* varia habet de vini & aquæ regimine, & diuersitate, nunquam tamen absolutè negat vini vsum in morborũ curatione, nisi iis exceptis, qui capitis & cerebri debilitate laborant. Et *Fen. lib. 4.* vbi de febribus agit, ferè in omnibus concedit vinum. Nam *Tract. 1.* vbi agit de Ephemera, sic scribit. *Degluti at cibum infusum in aqua & vino, vt sit magis penetrans.* Et *cap. 12. Sumat vinum plurimæ comestionis est verò bonum remedium eis.* Et *cap. 18. Et vinum ex magis conterentibus rebus eis & sumant in potu eum sine timore nisi fuerit dolor capitis.* Et *cap. 24. Et sumant in potu vinum plurimæ comestionis si fuerint assueti.* Et *cap. 30. Et si indigueris, vt des in potu vinum fac.* Et *cap. 37. Et vinum sit eis plurimæ comestionis.* Et *Tract. 2. cap. 38* vbi agit de febribus acutis, & putridis, sic de tertiana loquitur: *Et non timeas post declinationem potare vinum plurimæ comestionis, vinum enim habentibus caliditatẽ confractã per commistionem prodest eis.* Et *cap. 55. de febr. phlegmatica: Et vinum subtile confert eis cum subtilitate sua, quia confortat calorem innatũ, & quia prouocat, & sudare facit.* Et *cap. 57. de feb. humorosa cum syncope. Et necessarium est vinum eis, post cibum*

bum. Et *cap. 64.* de cibo Quartanæ interpellatæ: *Et vinum sit paruum subtile* Et *Tract. 3.* vbi de Hectica febre ait. *Nõ inferatur ei violentia in cibo, potu & siti* Sic *Mesue libr. de ægritud. membr. nutr. cap de siti. Si visum quod vinum bene permistum est salubrius in siti extinguẽda, quam aqua frigida defert enim citius ad loca generantia sitim potando aqueum & natura magis contenta est potare hoc, quam illud, & ne dubites sitientem febrili discrasia, potare vinum sufficienter permixtum, propriè post digestionem aliquali materiæ, cuius color albus sit, & origo eius montana.*

Constat ergo authoritate grauissimorum horum authorũ, cõuenire & dandum esse vinum infirmis: & præsertim, cum ipsi hoc suadeant, in quorum regionibus generosissima quoq; vina nascũtur; vnde cùm noscentia vina, illorum respectu minus generosa sint, tutius quoque ęgrotantibus exhiberi poterunt, excipiendo tamen magno delirio, cephalalgia, angina, erysipelate, & febre pestilente, laborantes. Sedde his plus satis, ad pensum re deamus.

Passum seu maluasia. Tribus insuper vtimur vino cognatis generibus passim in victus ratione; Passo nimirum, Defruto, & Sapa, quæ sub sole vel igne decocta tres habent differẽtias. Simplex quidem passum est, cùm sub sole decoctum mustum, & maluasia Hispanis Aroba dicta, nonnullam præseruandi vim obtinet, præsertim cerasa, pruna, pyra, persica, vuas, omnesq; fructus arboreos. Est autem duplex: I. Ex Candia aduchitur amabilis, ex vua Apia, & quę Muscatella vocatur. II. Garba, quæ interdum è diuerso & maximo vuæ genere exprimitur. *Defrutum.* Defrutũ verò fit musto ad dimidiam partem relicto. *Sapa.* Sapa autem adhuc magis, musto nimirum ad tertiæ partis casum recocto: quibus ad varia ciborum condimenta ars Apitia vti consueuit.

Vina cruda. Cruda vina noua appellantur, cùm statim à vindemia, nullâ adhibitâ coctione, aut cultu, cruda simpliciter reponuntur, vel per ebullitionem, aut aliis mangoniis defæcantur: quæ vina sanè valde insalubria sunt, & morborum feracissima; *Mustum.* vt & ipsum mustum, quod liberalius haustum, cruditates, colicos dolores, aliosq; alui fluores, & cataclysmos excitare solet: Licet quidam ad pauca respicientes, temerario quodam ausu pronuncient, è liberaliore musti haustu, omnis generis diarrhæas & dysenterias persanari posse.

Spanwein. Est & vini genus, quod fit è tenuissimis ligni vel fagini, vel betulini, aut tamariscini ramentis ex amussim leuigatis, & in doliũ musto plenum impositis, quibus omnes musti fæces subitò adhærent, vocatur Italis vino de Tacche, Germanis Spanwein. Hoc primis ferè diebus clarescit, &

pota,

potabile redditur, at debile satis quod nisi primis statim mensib⁹ bibatur, vapescit, etiamsi è meraciore & potentiore paretur musto: cruditates & flatus generat, vrinas tamen sat festiuè ciet, stomacho gratum est, & vi quadam subastringente crassos succos incidit, deterget, viscerum infarct⁹ reserat, subito tamen caput & cerebrum petit, vti & illud vini genus, quod vulgo Räppis dicitur, præsertim si maturis vuis generosum vinum vetus affundatur, & in cœna paulo pleniore manu hauriatur.

Räppis

Loræ.

Fiunt item Loræ seu deteriorum vinorum varia genera: quãdoque enim adduntur aliquot aquæ partes vinaceis multo adhuc musto madentibus, simulq; macerantur, digeruntur, torculariq; expressa, & doliis conseruantur, vocantur vulgo Trinckwin. Aliud Loræ genus fit, è vinaceis omni musto spoliatis, & multâ aqua superfusa quæ doliis reposita, à pauperibus hyemis tempore potatur. Quæ sanè & cruditatum, & flatuum plenissima sunt, potus genera, ventriculum mire inflant, hypochondria distendunt, & ventris tormina excitant.

Trinckwin. *Traberwin.*

Pomaceum. Pyraceum.

Fit item Pomaceum, Pyraceum, Græcis, Apytes; Hæbreis Sicera, & Sydra; Germanis verò Päsimmost dictum. Quod si è domesticorum probeq; maturorũ vel pyrorum, vel pomorum succo paretur, debitaq; artis industria, & fermentationis ope digeratur, ad illum quandoq; bonitatis & excellentiæ gradũ accedit, vt cum quouis maluatico certare videatur, multisq; & saporis iocunditate, & odoris fragrantia imponat, è quo etiam arte spagirica flagrans vitæ spiritus elicitur, vt & varia inde concinnata menstrua, proliciendis & extrahendis rerum essentiis opportunissima.

Præter iam dicta potuum genera, duo adhuc sunt tritissimi & vulgatissimi potus, apud eos præsertim populos, qui vel vitibus carent, vel vini inopiâ laborant, qui vinis quoq; factitiis non iniuria annumerari possunt: prim⁹ ex hordeo conficitur, quo AEgyptii primùm vsi fuerunt. AEgyptii enim *referente Herodoto lib. 2. in Euterpe*, vino vtebantur, facto ex hordeo, deficientibus in ea regione vitibus: Gecateras *teste Calen.* de AEgyptiis scribit illos panis esse voraces, & hordeũ in potum coniicere. Et ibidem in Europæ periodo: Pæonas, ait, brytum bibere ex hordeis; & parabiam ex milio & conyza. Zythum *AEgineta* & recentiores Græci Phucam vocant: Et *Strabo lib. 17. de AEgyptijs* scribens: *Cereuisia*, inquit, *quãquam proprie apud illos fiat, tamẽ communis est & apud quemq; diuerso modo cõficitur.* Multus eius in Germania, Brittannia Neustria, Picardia, & Belgica,

Zythum.

Gallia

Gallia est vsus. Cóficitur ex hordei,&tritici succo& lupo salictario, aliàs Lupulo nuncupato, a-qua multa feruefactis, & spumatis,vehementerq; agitatis.Potus hic vulgo Biera, seu Cereuisia à Cerere seu fruge dicta; quod nimirum sit potus ex frumenti seminibus,vario modo confectus, quem *Galen.* Zythum vocat. *Dioscor.lib.2.cap.311.* duo eiusmodi ex hordeo potus genera describit, alterum quod Zythum appellatur; alterumCurmi à poetis quãdoq; potus Pelusiacus dictus: licet Hermolaus idem esse velit Cerui cum Cereuisia: eodem *teste Aristotele*,Pinum vocat vinum, quod ex hordeo fit. Sic Suidas vinum ex hordeo cõfectũ, quod Sophocles & AEscylus βρῦτον vocârunt. Eius primum authorem apud AEgyptios aut Dionysium Hammonis filium,aut Osyridem quem ille sibi in filium adoptauit,cuius vxor Isis fuit, *teste Diod. Sicul.*omnes fere fatentur. Quare à loco primæ inuentionis, potus Pelusiacus à Pelusio Nili AEgyptiaci ostio nominatur,*teste Colum.*

Cereuisia.

mel.

Et Pelusiaci potabit pocula Zythi.

Inde ad alias nationes vini natiui penuria laborantes, fuit delatus propagatus,& pro varia variorum locorum natura, vsu, consuetudine, variis quoq; nominibus appellatus. *Aristoteles* etiam πῖνον,vinum hordeaceum vocauit quod temulétos, aut pronos decumbere, aut supinos iacere cõgat. Qui enim *teste Cicerone,* reliquis potionibus, inebriandi vim habentibus replétur, in omnem partem,& in dexteram,&in sinistram, & proni, & supini cadunt, sed soli qui vino sunt inebriati, retrorsum,atq;supini decumbũt. Helanicus eodem teste etiam βρῦτον ex radicibus confici scribit. *Plinius* autem *lib.14.cap.22.*luculẽtam huius potionis mentionem facit: Est & occidentis populis sua ebrietas, fruge madidâ, pluribusq;modis per Gallias,Hispaniasq;nominibus aliis,sed ratione eadem.Hispaniæ iam & vetustatem ea ferè genera docuerũt. AEgyptus quoq; è fruge similes sibi potus excogitauit, nullaq; in mundi parte cessat ebrietas: meros quippe tales hauriunt succos,nec diluendo, vt vinum, mitigant. At hercle tellus illic fruges parere videbatur.Heu mira vitiorum insolentia, inuenta est quoq;quomodo aqua inebriet.Hæc ille.*Cornel.* quoq; *Tacitus, lib.31.* deGermanorum victu verba faciens: *Potus,*inquit,*est humor ex hordeo aut frumento, in quãdam similitudinem vini correptus*: De quo vide *Villich. in comm.ad Tacit.*

Huiusmodi autem vina hordeacea, seu ex Cerealibus confecta,valde & *Dioscorid.& Galenus* damnat, vtpote flatuosa, praui succi,& ex putredine genita, vnde partim acrem,calidumq; potestate fieri eius generis potum: partim

partim frigidum, aqueum, & aridum volunt, vt testatur *Galen. 6. Simpl. cap. de Zytho. Dioscor*, verò eò vrinas impelli, neruosque affici, cerebri membranas tentari, elephantiasin cõtrahi, malosq; succos eo potu gigni, *lib. 32. cap. 31.* affirmat, Cereuisiam seu Zythum sic cauillator quidam irridet:

Bacche quis? Vnde venis? Verum tibi dicëro Bacchum,
Te haud noui, tantùm est cognitus ille Ioui.
Is nectar redolens, hircum tu, dic age, num te
E spinis finxit, Gallia, vitis inops?
Non igitur Bacchum te dixero, sed Cerealem.
Et frumentigenam, nec Bromium, imo Bromum.

Verùm licet & hoc epigramma, & priscorum medicorum authoritas, potus ex hordeo constantes improbare videatur experientiâ tamen constat & Brittannos, & Gallos, & Germanos, Austriacos, Pannonas, aliosque Septentrionis Incolas Zythi potores, & saluberrimos, & pulcherrimos, & robustissimos esse. Nec enim fieri posset, si tam damnosa, tamq; insalubris Zythi potio foret, vti prisci medici arbitrabantur, quin ex assiduo illius vsu, grauissimam valetudinis iacturã patiantur potores; cùm contrà nulli sint præ his, aut formosiores, aut colore, aspectuq; pulchriores, nulli valetudine firmiores, aut corporis habitu salubriores. Idem testatur *Valeriol. loc. com. Manard. lib. Epist. 5. Epist. 2. & lib. Epist. 27. Epistol. 5. Anton. Niger de tuenda valetud.* De Cereuisiæ autem cõficiendi ratione, eiusq; temperamento, variis differentiis, ex coctionis modo, consistentiâ, colore, sapore, odore, ætate, locoque petitis, de eiusdem vsu, commodis, incommodis, & conditura, vide *Villichium in Tacitum. Henricum Ranzouium de sanit tuend. Hadrianum Iunium lib. de histor. Bauarica.* Hic potus cùm æstiuis temporibus facile acescat, ne id facile eueniat, sua quoq; habet medicamenta: Ouum crebris acu foraminibus pertusum, additis lauri baccis, lupulo pauco, & hordei granis, in sacculum inuicem colligatis, in cupas demittunt. Aliqui saporis mutationem anteuertunt tædæ segmentis calẽti inditis. Immittunt & tritici tosti polentam. Acidam restituunt sale & cinere aquâ dilutis: vel im mittunt cinerem artemisiæ & fagi, pro amphora manipulos medios, mistos cum cereuisia, vt offa fiat, cuius 4. vel 5. libræ satis sunt pro 12. amphoris.

Vina factitia, medicata.

Innumera quinetiam vina factitia, seu arte parata habentur, quæ vina medicata vocãtur tùm simplicia, tùm composita, quando scilicet vel mustum, vel vinũ iam defæcatum herbis, radicibus corticibus, fructibus, seminibus, aut baccis, & aromatibus, doliis exceptis infunditur. Inde vinum Scylliticum è Scylla paratũ; Cytonite, Hyssopite, Absynthite, Centaurite, Hypericonite, Helenite, vinum item Zedoariæ; Ireos

reos, Tussilaginis, & Enulatum, ad detergendos pulmones, expectorationemq; iuuandam.

Vinum granor. Halicacab. Senelorum, Iuniperi & Eryngiorũ, ad calculosos, nephriticosq; iuuandos, partesq; principes roborandas.

Vinum absynthite; Cardui benedicti; Hyperici, Centauri minor. ad vermes, lumbricos, omnesq; corporis putredines arcẽdas, & obstructiones tùm iecoris tũ lienis, mesenteriiq; reserẽdas.

Vinum passulatum admirabile ad reparandas senii vires, iecorisq; æstus mitigandos.

Vinum Scylliticum, ad præparandos, digerendos, incidendos & attenuandos viscosos, lentos, tartareos, & melancholicos humores efficacissimum.

vinum item foliorum Senę, ad melancholici humoris expurgationem, vti & vinum Helleboratum.

Vinum radic. turbith. & Hermodactylorum ad serosos & pituitosos humores è corpore & iuncturis euacuandos.

Vinum Ebullinum & Sambucinum, ad aquas Hydropisicas potenter educendas. Vt iam vinum Anthosatum, Saluiatũ, Buglossatum, Euphragiatum, Calẽdulatum, Fæniculatum, Acori, item & Angelicæ &c, silẽtio prætereamus.

Parãtur item vina composita, tùm purgantia, tùm alterantia, tùm roborantia, & variis affectibus conuenientia, quale est hoc.

VINVM HIPPOCRATICVM.

Recipe vini albi, vel rubri generosi lib. 10. Cinamomi acutiss. ℥j ß. Garyophill. ℈ij. Cardamo. Gran. paradisi a. ℈iiij. Zingiber. ʒiij. lign. Agaloch. & Rhodij a. ʒij. crasso modo tusa macerentur aliquot horis in prædicto vino, adde tandem saccari finiss. lib. j. ß. & aliquoties per manicam Hippocr. agantur.

Quod si Hippocraticum ex tempore habere velis; Recipe Cinamo. acutiss. ℥iij. Garyophill. ℥j. Zingib. piper. long. Cardamo. Granor. paradis. Galang. a. ʒij. Nucist. ʒj. Affuso vini spiritu rectificato, macerentur in balneo Mariæ, tandem extractio inclinatione separetur, coletur Ad vini optimi mensuram j. adde huius extracti liquoris ʒij. olei saccari q. s. & habebis Hippocraticum optimum.

CLARETVM PRAESTANtissimum omnes corporis facultates roborans.

Recipe vini Maluatici, aut Falerni generos. lib. 5. Pelicano inditum, adde Garyophill. Macis, Nucist. a. ℥ij. zingib. Cardamo. a. ʒvj. Coriand. Anisor. Fæniculi ʒij. Lign. Agaloch. Rhodij a. ʒj. Flor. anthos. Tunic. Salu. Bugloss. a. p. iiij. Tabellar. aromat. rosat. ℥j. saccari finiss. lib. j. digerantur 3. vel 4. diebus prius tusa, in balneo tepido vase probè clauso. Tandem aliquoties per manicam Hippoc. acta. vitreis lagenulis ritè obturatis in longum tempus reponuntur. Dos. mane cochlearia 2.

Hoc claretum omnes facultates roborat, spiritus reficit: omnibus cerebri affectibus, vt & cardialgiæ, lypothymiæ, syncopi, &

palpi-

palpitationi occurrit, omnes cruditates, flatusq; discutit, ventriculum firmat, iecur, & lienem; cachexiæ, melancholiæ Hypochondriacæ, affectibusq; Hystericis medetur, à peste, putredine & vermibus liberat, specificis aquis vehiculi loco additis.

CLARETVM LAXATIVVM pro delicatis.

Recipe vini generosi lib. 4. saccari opt. polypod. recent. a. lib. ß. Cinamo Garyophill. Galang. Zingib. a. ℥ß. Agaric. torchiß. ℥ß. Folior. Senæ purgator. ʒv. Piper. Cardamo. a. ʒj. vitro indita, bulliant in balneo Mariæ tandem colentur, exprimantur, & aliquoties per manicam Hippocratis agantur.

Vinum Hippocraticum laxatiuũ.

Recipe Esul. radic. præparatæ lib. j. Epithymi. Polypod. a. ʒvj. Fibrar. Hellebor. nigr. ʒij. Folior. Senæ ℥j. cinamo. passular. a. ℥j. Mastich. Zingiber. Zedoar. Cardamo. Cortic. Citr. Garyophill. a. ℥ß. crasso modo tusa, vino infundantur, digerantur in feruente balneo, colentur, & addito saccaro, aliquoties per manicã Hippoc. agantur.

Confert febribus quotidianis tertianis, quartanis: concoquit enim & pręparat humores, eosq; mox per aluum educit.

VINVM CATHOLICVM purgans, facilis præparationis.

Rec. Radic. Acori, Polipod. querc. a. ℥ß. Semin. carthani contusi ℥ij. Semin. fænicul. dulc. anisor. a. ʒij. Mechoac. albiß. Turbith. gummos. a. ʒiij. Cinamo. Garyophill. Macis a. ʒj. cõseru. flor. genist. violar. maluat. a. ℥ß. Hermodact. mundator. ʒvj. Folior. senæ ℥ij. vini albi opt. lib. 4. omnibus probè tusis & mixtis vitro ritè clauso, in balneo calido aliquot dieb. digerantur, tandem colentur, & addito saccaro per manicam Hippoc. agantur. Dos. ℥ij. clementer omnes humores purgat.

Vel ad ℥ij. folior. senæ & cinamo. tusi ʒij. Garyoph. ʒß. affunde vini opt q. s. stent in loco frigido, donec tingatur optime. Huius colatæ tincturæ dantur cochlearia 2. cum saccari oleo aliquot gutt. clementer purgat.

Sic etiam paratur vinum purgans ex floribus prunorum, tùm domesticorum, tùm syluestrium, cerasorum item, persicæ arboris, rosarum item pallidarum, debito tempore, verno scilicet collectis, & vino, vel musto, cum aliis purgantibus maceratis, & digestis.

Ad eundem planè modum fit vinum Anti Apoplectiuũ, Ant'Epilepticum, Antipleuriticum, Hydroticum, AntiNephriticum Antiparalyticum, Ophthalmicũ Chalybeatum, de quibus consulendi practici.

Medicamenta vino parata.

Nobilissima deniq;, arte spagyricâ, è vino præparantur medicamenta, vt sunt arcana, magisteria, elyxiria, spiritus, quintæ essentiæ, salia, olea &c. Spagyri enim è vino generosissimo, lenissimo externi ignis calore, organisq; vitreis ad id destinatis, sublimi artis ingenio, primùm secretissimum illum, & magicum naturæ ignem: mox igneam illam vitæ aquam, æthercam, ac verè quintam essentiam, totam spiritualem, & ferè incorruptibilem,

sali suo armoniaco volatili impraegnatam; è faecibus verò calcinatis occultissimum, & fixum vini salem prolectāt: quibus demum arte spagirica in aureā monadem debitis ignis fomentis, redactis, veram illā naturæ Mumiam, balsamiticamq; medicinam, innatum vitæ nostræ balsamum conseruantem, restaurantemq; concinnant, qua & vita ad 120. annos propagatur, & optima corporis valetudo in multos annos sarta, tectaq; conseruatur, atque grauissimi morbi tùm præseruantur, tùm profligantur: Hoc demum naturæ igne, duorum illorum terrestrium luminarium corpora, resciscis compedibus reserantur, aperiuntur, viuificātur, animanturq; sicque demum ad secretos illos Hesperidū hortos via aperitur. Sed τὰ ἱερὰ ἱεροῖς.

SPIRITVS VINI.

Vini spiritus, è generosissimo vino prolectus, & artis ingenio ad amussim, & perfectè elaboratus, mira profectò in natura præstat: eius namq; analogica natura radicali, maturantur omnes fructus salutares: poma, pyra, pruna, persica, cerasa, baccæ, aromata, triticum: proinde & herbæ (qualis artemisia, botris, fæniculum, anisum, coriandrum, rosmarinus, saluia, amaracus, rutha &c) & flores, rosæ, vinoso essendi spiritu vegescunt, vel & eius odorē demonstrant: ideoq; vino inditæ soluuntur, & meliorem essentiæ vim sibi extrahi patiuntur. Idem spiritus in rebus preseruandis est efficacissimus, siquidē carnes, & pisculenta quæuis illo imbuta à putredine tuta sunt: olea item tùm expressa, tùm destillatā, infuso vini spiritu clarefiunt, depurantur, atq; contra fæces, amurcas & fuscedines defensantur; Idem lentis ac mollibus vinis, herbarumq; succis essentificandis affusus, præstat.

Hunc ergo vini spiritum, hoc cœleste sulphur ita parabis.

Spiritus vini destillatio.

Ex duodecim vini vel albi, vel rubri fortissimi libris per vesicam destilla lento ignis calore quatuor spiritus crassioris adhuc mensuras. His adde tartari albi, crudi, & crasso modo tusi vncias tres, digere in ventre equi, vel eius vicario per septimanam philosophicam; mox impone cucurbitæ vitreæ amplæ lōgioris colli, adde alembicum capax, foramine prius porci vesica occluso, tandem rimis vndiq; probe clausis lento balnej calore, æthercam hāc essentiam euoca; quamprimum autem striæ in alembico apparuerint, tunc & recipiens muta, & ignem paulo plus augeto; signū enim est, & spiritum iam prodijsse, & phlegma subsequi, quæ omnia seorsim excipienda sunt. Spiritum habebis ad multos vsus perfectum. At si eundem adhuc subtiliorem exoptes, eundem spiritum alteri oblongæ cucurbitæ impone, & singulis spiritus libris adde ℥ß. tartari albiß. crudi pul uerizati, adde alembicum & rimis probe clausis, lento iterum, bis, & tertio, vel si lubet sæpius, at cautè admodum destilla vt prius, vltima vice, sine tartari additione, idem opus repete

pete, sic purum putumq; habebis vini spiritum, qui in cochleari accensus nullum phlegmatis vestigium post se relinquet. Aliqui in vltima rectificatione cucurbitæ os duplici chartâ emporeticâ cum panno, vel etiã spõgia oleo prius irrigata & expressa obdurant, sicq; spiritum meracissimum destillant, non tamen ad perfectã siccitatem.

Relictum in fundo vasis tartarũ, ad preparandum tartari spiritum, vtilem reseruabis.

Spiritus vini tartarisatus. Si prædictum vini spiritum, in secunda, vel tertia destillatione cum cohobio super eundem tartarum per retortam rectificaueris & in fine (intermedium phlegma seponendo) vrgentiore igne, tartari spiritum simul excipiendo, propelles spiritum vini tartarisatum, quibusdã aqua philosophica indigitata.

Nostra aduersaria sic Quintam Essentiam tartarisatam parare docent: Ad libram j. spiritus vini opt. rectificati addunt tartari ad albedinem calcinati lib. j. destillant per balneũ, tandem aucto etiam igne spiritum quoque tartari simul pellunt.

Vsus spiritus vini tarsati. Vtriusq; tùm simplicis spiritus vini rectificati, tùm etiam tartarisati imprimis ad tincturas & extracta metallorum, vegetabilium & animalium facienda: obstructiones item viscerum contumacissimas expediendas, velut in tartaro hypochondriorum, vsus est lõgẽ præstantissimus. Et hic spiritus vini, verè cœleste est sulphur, seu balsamum volatile, à liquore catholico, specifico, cardiaco per baln. Mariæ destillatum, & ab omni superfluitate depuratum; tartarisatus ad spiritum purgãtem, vitæ aureum Rulandi, non cõtemnendos vsus præstat.

Cæterum quæ curiosè potius quam vtiliter, spiritum vini perficiendi artificio absq; igne, modo beneficio pellentis gelu seu frigoris, vt habet *Paracelsus*; modo aquæ frigidissimæ, modo argenti viui accepti, non tam facienda, quam admiranda. De admirandis spiritus vini facultatibus consule *Conr Kuon. in medul. destillat. Leuin. Lemn. Libauium in praxi chymic. & Euonym. Gesner.* Guttulæ aliquot liquoris salis perlarum dulcificati, & in cellam per deliquium resoluti, miro & iocundo spectaculo optimum vini alcool in butyrum scissile coagulant, vt testatur *Croll. in Basilico chym.* Idem vini alcool si cum volatico aquilæ albæ spiritu debitâ proportione iũgatur, non solum solis corpus aperire, sed & eiusdem animã, sanguinemq; extrahere scribitur. Idem vini alcool debita proportione spiritui tùm salis, tùm vitrioli virescentis iunctus, & solis anima impræggnatus, medicamentũ præstantissimum euadit, quo *Paracels.* non grauissimos duntaxat morbos curasse, sed & iam animã pene agentes resuscitasse scribunt eius sectatores. Sic etiam efficacissimum & reconualescentium, & imbecillium, senumq; restauratiuum medicamentum, sitisq;

haud vulgare sedatiuum hoc modo parabis:

Elyxir senum. Recipe spiritus vini alcoolisati & tinctura vel rosarum, vel florum tunicæ impręgnati lib.j. saccari cum spiritu rosar. soluti lib.j. extracti confect. Alchermes ℥ß. liquoris auri ℈j. mosci amb.a.gr.x. misce, in pellicano ad suũ tempus circula, filtra, vsui repone. Sic

Elyxir citriatũ Recipe flauedinis cortic. citr. recent. lib.j. in mortario lapideo probe tundantur, affunde spiritus vini communis lib.6. macerentur 24. horis, mox lento igne per vesicam destillentur; destillatum additis nouis corticibus post macerationem, lento balnei calore destillentur, huic adde tincturã croci, & elyxiris proprietatis Paracel. q.s. Habes insigne elyxir ad pestẽ, morbosq; contagiosos, & cordis roborationem, dosis mane cochlear j.

E vini quoq; tartaro præclara præparantur medicamenta tam ad vitam propagandam, quam ad sanitatem conseruandam, variosque & difficiles morbos propellendos, qualis est in primis Sal Samech, quem tartari cremorem vel crystallos vocant, cuius talem candido Lectori præparationem damus:

Cremor tartari Recipe tartari vini albi splendentis & lucidi q.s. aquâ tepidâ probè à fæcibus repurgetur, exiccetur, & crasso modo puluerizetur: vasi figulino lato impone, affunde aquæ pluuialis purisimæ magnam copiam, coque ad ignem, vt soluatur, solutum filtra, filtratum ad dimidium coque, & in loco frigido crystallos seu cremorem expecta: Hunc si candidiorem exoptes, recenti aqua solue, filtra, incoque crystallos expecta, idq; toties, quoad candidissimus euaserit. Huius in pollinem acti datur vel ℈j. ℈ij. vel etiam si purgari velis ʒj. cum iusculo, in quo si ferueat iusculum, saccari instar liquescit, & iusculum acidiusculum, & palato gratissimum reddit.

Hic totam sanguinis massam purificat, aluum apertam tenet, renes emundat, vrinas ciet, arenulas prolicit, viscerum infarctus reserat, & suâ aciditate maximas etiam putredines continuato vsu corrigit, acidularum vices adæquat. Potest eius vsu tota sanguinis substantia corrigi, & à putredine vindicari, cùm omnia, quæ sanguinem inquinant, resecet, atque tutissimè dimidio vel etiam integro anno sic quotidie vsurpari potest. Vt enim Aurifabri, Monetarij, citra huius vsum nequeunt argentũ, monetamue ad debitum nitorem & splendorem redigere; ita etiam humores sine hoc, vel æquali, aut æquipollente splendidi, lucidi, ac clari reddi possunt. Quantos hic cremor effectus præstiterit, loquãtur ij, qui ex Hippocratico Hermeticorum medicorum consilio crebrò eundem assumpserunt: vino enim vẽdibili suspensâ hederâ non est opus.

Spiritus tartari. Ex eodem tartari cremore, aut crystallo retortæ probè lutatę imposito, adhibitoq; capaci recipiente, rimisq; arctissimè ferruminatis, aperto igne, primùm leui, mox auctiore, non tamen vehementissimo, destillatur spiritus, & oleum fætidum. Ille vitro inditus & ali-

& aliquot diebus in cella frigida arenæ madidæ inditus, mox addito colcothare proprio bis vel ter per alembicum ex arena rectificatus, bonam fætoris partem amittit, aut si cum proprio sale è capite mortuo profectò destilletur: nec enim citra virtutum iacturam, omni fætore spoliari spiritus hic potest. Fætidū verò oleū totum fætorem amittet, flauumque & purum euadet, si cum aceto per retortam destilletur. Nec enim à spiritu, vel ab oleo totus demendus fætor, cùm non ad pestem, & contagia, sed & ad grauissimos morbos curandos signaturam habeat. Nam præ omnibus alijs medicamentis, & arcanis, in hoc excellit, quod & in viscerum obstructionibus, & in putredinibus tollendis, primatum teneat. In paralysi ter quotidie exhibitū, corpus penetrat, neruos confirmat & ab imminente contractura præseruat. Cum aq. Soldanell. exhibitus, hydropem arcet; cum oleo vitrioli exhibitus, aquam vbertim per vrinam pellit: retentorum menstruorum vitia tollit: lepræ primordia impedit: in Erysipelate, cum idonea theriacæ quantitate propinatus, præmissis præmittendis, mira præstat: Icterum, & inde nascentes morbos expedit; in lue venerea, præmissis turbetho, aut alijs generosis vacuantibus singulare est remediū: Omnem scabiem, lentiginē, serpiginem, è centro, ad superficiem pellit: febribus & pleuritidi prodest, & præsertim contracturâ laborantibus; pleuriticis item. Dos. à ℈j. ad ℈ij. cum aquis specificis.

Tartarum vitriolatū hoc modo conficies:

Tartarus vitriolatus.

Recipe Olei tartari, è tartaro ritè ad albedinem calcinato, soluto, filtrato, iterum coagulato, & in oleum per deliquium in humente cella resoluto, confecto, vncias 4. olei vitrioli debito etiam modo parati vncias duas oleo, tartari capaci vasi indito guttatim affunde vitrioli oleum, ea tamen cautione & lege, vt & tumultuarius stridor infuso sensim vitrioli oleo vitetur, & exurgens vaporum exhalatio quantum fieri poterit, prohibeatur. Residebit tandem in fundo calx niuea, quæ decantato liquore supernatante, exiccatur. Dos. ℈j. ad ℈ij. mane in iusculo per aliquot dies; Præparat enim, digerit, mūdat attenuat, deterget, & expurgat. Ideo in hemicrania, ictero, & viscerum obstructionibus magnum est remedium. Efficacissimum est renū deopilatiuum & detersiuum, si ℈j. cum syrupis, aut aquis appropriatis exhibeatur. In contracturis, & venarum obstructionibus exhibentur guttæ 6. 8 10. cum decoctis, aut aquis appropriatis. Cum aqua Cardui benedicti exhibitū sudorem mirè prouocat. Scrupulus vnus cum aqua hydrotica, & melle rosato solutiuo mixtus, hydropicas & serosas aquas ducit. Scrupulus vnus cum aqua vel artemisiæ, vel lilior. albor. vel Bryoniæ mixtus, retentos menses potenter elicicit: per inferiora pur-

gat

gat & omnes obstructiones reserat: catharcticis mixtum, purgandi vires & auget, & stimulat. In spleneticis, & melancholia hypochōdriaca laborātibus mira præstat. Omnium autem tutissimè in hydromelite vinoso, aut iulepo è rosarum tinctura facto exhibetur.

Ex eodem tartaro paratur Diatrium Hermeticum simplex, ad plurimos morbos aptissimum, & ad præparandos, digerendos, discutiendosq; per sudorem humores felicissimum remedium. Cōstat autem ex tribus spiritibus ad tres corporis nostri spiritus naturalem, vitalem & animalem accōmodatis: spiritus scilicet aquæ theriacal. camphoratæ partibus 5. Tribus verò spiritus tartari ritè rectificati, & vna spiritus vini rectificati parte. Sic autem aquæ theriacalis spiritum cōcinnabis:

Diatriō Hermeticum.

Spiritus aquæ theriacalis.

Recipe Spiritus vini opt. rectificati, & in tenuissimam essentiam omnia peruadentem redacti vncias 10. Myrrhæ rubeæ vncias ijß. Croci oriental. ℥ß. imponantur omnia cucurbitæ rectæ, tegatur orificium panno lineo, superspergantur camphoræ ʒij. & apposito alembico, rimisq; optimè clausis, ex balneo mariæ lenissimo igne destillentur 3. vel 4. diebus, ita vt toto tempore exiguum tantum extillet; digerantur, tandem leuissimo ignis gradu liquor extillet, tandem aucto ad aquæ ebullitionem igne, totus liquor destilletur: refrigeratis omnibus, apertisq; iuncturis, liquor extillatus materiæ in fundo vasis residenti affundatur, clausisq; iterum iūcturis, prior labor repetatur, tam digerendo, quam destillando, idq; tribus vicibus. Ita præstantissimum aq. theriacalis spiritum obtinebis; cuius aliquot guttulæ olei theriacalis penetrantissimi & optimi, per infundibulum separari & preciosissimi balsami instar reseruari poterunt, ad omnis generis venena, pestemque edomandam. Spiritus autem vitrioli ad hoc medicamentum requisitus, paratur è vitriolo purificato repetitis solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus, addito tandem optimo vini spiritu è cucurbita, seu retorta aperto igne destillatur: tandem ab eo vini spiritus per balneum Mariæ separatur. Iam talis fiat horum trium spirituum mixtura:

Rec. Spirit. aq. Theriacal. Camph. ℥v.
Spirit. Tart. rectific. ℥iij.
Spiritus vitriol. opt. correct. ℥j.

Indantur omnia vitro angusti orificij, & optime clauso digerantur lenissimo hypocausti calore, mensis spatio.

Sic habebis ad prædictos vsus præstantissimum medicamentū, ad sudores pellendos, in peste, ictero, ventriculi debilitate, catharris, vermibus, & in melāchōlia hypochondriaca, non cuiuis reuelandum.

Oleum tartari.

Paratur etiam oleum Tartari per deliquium, è Tartaro scilicet ad albedinem calcinato, qui sacculo inditus, & cellæ frigidæ humidæ impositus, tandem per deliquium in oleum abit, repetitis filtrationibus clarificandum. Id cùm aliquando sat magna copia cōfecissemus, vitro inditum, post aliquot menses, in vitri fundo salem posuit crystallinum, & pellucidum

cidum. Ex quo demum addita debita olei vitrioli quantitate, nitidissimum fecimus tartarum vitriolatum. Hoc oleum serpiginibus, & vlceribus venereis, tineis, scabiei & verrucis optime medetur. Huius olei guttulis aliquot acuamus menstrua, ad illicò extrahendas rerum essentias. Sed de his hactenus.

CAPVT XVII.

De Ebrietate, infensissimo omnium & animi & corporis, & fortunæ bonorum hoste, omnibus populis, & omnis ætatis, sexus, ordinis, conditionisq; hominibus exitiali, omnis deniq; officij, societatisq; perturbatrice, & vitæ, sanitatisq; depopulatrice euitanda.

QVEMADMODVM temperatus, moderatus, & oportunus vini vsus, plurimùm & ad vitam producendam, & ad corporis firmam sanitatem, animiq; iocunditatem facit: ita è contra immoderatus eiusdem vsus, seu abusus potius, qui hodie per totum ferè terrarum orbem dominatur, furitq; deterrimam, ipsiq; tùm animo, tùm corpori funestissimã pestem, Ebrietatem scilicet, omnium malorum Lernam, mẽtis, iudicij, rationisq; perturbatricem exsuscitat. Tanta profectò & tot sunt huius belluæ incommoda, vt nullius vel cogitatione cõprehendi, vel oratione enuntiari possint. Nullum enim hodie vitium magis est vel commune, peruagatum, vel quod magis toto fere orbe grassetur, quam immane hoc, & funestum Ebrietatis vitium, è cuius quasi sinu, & gremio ceu equo Troiano, reliqua ferè omnia vitia emergere videntur. Et vt olim totus orbis, omnesq; illius Incolæ, paucissimis exceptis, ab vniuersali illo & calamitoso cataclysmo fuit deletus, & extinctus, ita postremis hisce & perditissimis temporibus vniuersum ferè orbem, paucis exceptis, hoc vini, ebrietatis, compotationumque diluuio, obrutũ, oppressumque videmus, quo plurimi in dies & perduntur, & absumuntur. Ab hac nos sacrę litterę vehemẽtissimè, grauissimèq; dehortãtur, varijs nobis & incõmodis & detrimentis ob oculos ponentes, quæ hoc ebrietatis vitiũ cõsequũtur. Quid enim hodie vita hominis aliud est, quam comessatio, crapula, temetum, matulæ, otium, balnea, potus? Quid mirum, hodie tot mala, tot clades, tot calamitates tùm publicas, tùm priuatas toto ferè orbe grassari? Tot, tamq; horrenda futurorum etiamnum malorum signa, prodigia & portenta, tùm in cœlo, tùm in terra edi, dum in luxuriosissima hac nostra vita, insolentissimaq; prauorum morum consuetudine nullum prouocandi diuini furoris finem facimus? Sed paulo altius rem ipsam consideremus, videamusq; quid Ebrietas tùm corporis, tùm animi, atque fortunæ bonis, damni & incommodi in dies afferat.

Ebrietatis incõmoda.

Pontianus apud *Athæn. lib.* 10. Vinum

Quæ incōmoda ebrietas afferat in genere.

num intemparãter haustum, omnium malorum metropolin, non minus eleganter, quàm verè appellat; ibi etiam Ebrietatem malorum omnium maximum dicit. Hinc vinum impiorum *Deuteron. 32.* felli draconum, & insanabili aspidum veneno comparatur. Sic *Lucretius* & alij vinum virus, seu venenum eleganti paranomasia vocarunt. *Augustinus lib. ad sacras virgin.* Rusticanum, sed verum est dictum, vinum medicamentum, plus iusto sumptum, venenū cognoscitur. *Seneca lib. 12. cap. 84.* Vinum Opio, Helleboro, & veneno comparat, quod nimirum mortiferum, somniferumq; sit, & secreta pandat. *Syracid. Prouerb. 23.* Vinum colubro venenato atq; mordicanti comparat: *Ne contempleris, inquit, vinum, quando rubet, & cùm in phiala suū diffūdit colorē, postremū enim eius velut serpens mordet, & veluti regulus.* Vinū quoq; tū à sacris tùm à prophanis litteris, igni cōparatur, eo quod edacis ignis instar, breui tēporis spatio multa bona conficiat, cōsumatq;. Vnde illud *prouerbium*: Ignem in gremio eum gestare, qui assiduo potu vtatur. Potest etiam non iniuria pandoræ pyxidi comparari vinū, ex qua omni tempore omnia mala in terram eruperunt, & in dies erumpunt, promanantq;, quibus homines grauissimè affliguntur, diuexanturq;. Ideo *Seneca lib. 12. Epist. 84.* Ebrietatem omniū & publicorum & priuatorum malorū fontem & causam statuit: perdit enim primò animum, & illius bona, mentem scilicet, rationem, ingenium, iudicium, memoriam, docilitatem, virtutes omnes, affectus, atque sensus corrumpit: perdit deinde corporis sanitatem robur, formam & pulchritudinē: perdit hominis authoritatem, dignitatem, gloriam, decus, opes, atq; fortunas omnes: perdit non singulos modo homines, sed totas Nationes, Regna, Imperia, Respublicas, atq; Ecclesias. Nec verò temporalis modo, verùm etiam æternę perditionis est causa. Et vt bona quæuis perdit, ita id, quod est cōsequens, contra causa est, radix, atq; scaturigo omniū malorum, vt & sacræ, & prophanæ testantur litteræ.

Animi bona ebrietas infesta.

Nam vt ab animi damnis ab ebrietate illatis exordium ducamus, sic loquitur *Syracides: Caminus probat aciem gladij in tinctura: vinum in corde superborum in ebrietate, vel pugna.* Sic *Philothorus apud Athæn. lib. 2.* dicere solebat, nimium bibentes, non seipsos modo, sed & alios patefacere, postquam dicendi libertatem ex vino sunt adepti. Huc facit illud *AEscyli: Et formæ speculum est, vinū mentis.* Est enim vinum hominibus instar dioptræ, qua eorum mores cognoscimus. Hinc *Plutarch. Sympos. 7 lib. Probl. Probl. 10.* Vinum libertatis, veritatisq; dicendæ facundissimū oratorem vocat; quod enim est in corde sobrij, id est in ore ebrij.

Fraudulentorum enim hominũ mores *teste Clement. Alexand.* maxime in vino prospici solent, vt qui sine omni simulationis inuolucro nudati propter illiberalem loquendi licentiam ex ebrietate obortam, qua quidem ipsius animæ ratio, vino oppressa, & grauata sopitur, affectusq; illiberales & scurriles excitantur, animum infirmum & imbecillum, impotenti dominatu oppressum tenẽtes. Sic *Plato*, in vino, ceu speculo multorum ingenia videri & cognosci posse ait. Sic *Antiphones*, duobus exceptis, inquit, poteris omnia celare, vino nimirum & amore: vtriusque enim visu & sermone prodit homines licet negantes & dissimulantes. Scitè admodũ *Plato lib. 1. de legib.* dixit vinũ esse morum tormentum; imo nullũ tormentum esse min⁹ sumptuosum, minusq; noxium atq; periculosũ, quàm vinum, ad explorandos, & exquirendos hominum affectus, & mores. Nec iniuriâ sanè, prodit enim seipsum homo, vino saburratus, & mores suos ostendit, arcana etiam in apricum proferens, quæ ab illo sobrio vix vllis tormentis, & acerbissimis quæstionibus extorqueri potuissent; subsidente quippe vino, verba supernatant. Nam sobrios aut metus, aut pudor cohibet, quò min⁹ ea propalent, quæ satius putarint supprimere: At vinum & pudorẽ discutit, & timorem abigit. Sic *Horat, lib. 3. Ode 21*, Platonem imitat⁹, vinum leue tormentum appellat:

Tu leue tormentum ingenio admones
Plerumq; duro.

Huc etiam facit illud Propertianum *lib. 1. Eleg. 9.*

Ipse Deus tacito promisit lene ministro
Ederet vt multo libera verba mero.
Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Iussit, & inuitos facta tegenda loqui.

Animi bonus christus infensa.

Produnt itaq; homines temulenti suam naturam, mentem ingenium, mores, affectus, consilia, arcana suæ fidei commissa, fronte vultu (qui tacitus quidam est sermo) gestibus (qui corporis sunt sermo) atq; factis ridiculis, turpibus, ac inhonestis, imprimis verò oratione, & sermone, qui mentis est interpres. Est enim Ebrietas loquacitatis, garrulitatisq; non modo temerariæ, inconsideratæ, vanæ atq; ridiculæ, verum etiam turpis, inhonestæ, & impiæ causa, ex qua plurima sæpe mala proficiscuntur. Bias quondam in conuiuio cùm sibi tacenti à garrulo quodam stoliditas obijceretur; *Quis verò stultus*, inquit, *inter pocula tacere posset?*

Vinum præterea postquam caput & cerebrum calidissimis suis vaporibus impleuerit, ipsam primò mentem, rationemque ceu principem & planè diuinam humani animi partem, qua solâ brutis animalibus præstamus, proximeq; ad Dei, Angelorumq; similitudinem accedimus, tyranni immanissimi instar, de sanitatis, dignitatisq; suæ statu deijcit, atq; deturbat, hominemq; non modo

quadrupedi, sed trũco etiam, atque stipiti simillimum reddit. Quemadmodum enim, inquit, *Clemens Alexandr.* Elpenor calcaneum fregit, cùm cecidisset propter ebrietatem, ita ebriosorum cerebrũ caligine offusum in hepar, & cor, voluptatem scilicet & iram maiore casu decidit, quam fingunt Poetæ Vulcanum cœlitus à Ioue in terram fuisse deiectum.

In inferiores quoq; animi partes, in quibus appetitus, affectus, motus, iræ, cupiditatesq; sceptra tenent, impetum facit, iisq; horrendam stragem, vastationemq; infert, omnes affectus, quasi furia quædam violento impetu concitat, perturbat, & in transuersum rapit. Hinc toto animo & intellectu corrupto, & perturbato, immanem quendam stuporem, memoriæ mortem, brutam, atq; belluinam omnium tam diuinarũ, quam humanarum rerum ignorantiam, turpissimos errores, mõstrosas opiniones, feros denique & feroces affectus atq; cupiditates, furorem, deniq; & diabolicam insaniam consequi est necesse. Merito igitur ab Osea vinum & ebrietatem cor auferre; à Christo cor aggrauare; à *Plinio* mentem mutare, ac furorem gignere; à *Pythagora* insaniam meditari; à *Theodoreto*, *Augustino*, *Seneca*, voluntariam insaniam ciere dicitur.

Omnium sanè virtutum expultrix est Ebrietas, vitiorumq; proseminatrix, omnium flagitiorum mater, culparum materia, criminum radix homines ad Dei imaginem efformatos non modo belluis & feris, verum etiam immanissimæ & furiosissimæ illi infernali bestię quamsimillimos reddit. Tetro igitur & funesto impuri huius dæmonis afflatu & instinctu in rabiem acti, ad omnis generis vitia, scelera, atq; flagitia præcipiti quodam impetu rapiuntur. Hinc audaciæ, temeritas, impudentia, inuerecundia; Hinc socordia, securitas, atq; ignauia; Hinc leuitas, inconstantia, petulantia, atq; libido; Hinc iræ ardentes, odia acerbissima, inimicitiæ, simultates grauissimæ: Hinc inuidia, liuor, æmulatio; quibus affectibus ceu facib⁹ quibusdam tartareis homines incẽsi & inflammati, perniciem sibi inuicem verbis, factisque cùm apertè, tùm occultè moliuntur, machinanturq;. Apuleius quoq; Veneri ebriam cœnam affingit, cùm interim esuriat Psyche. Et sanè magna est Veneris, & Bacchi cognatio: Vnde & apud *Oseã cap. 4.* Vinum atq; ebrietas, cum scortatione coniungitur. Inde *Virgilius*:

Nec Veneris, nec tu Vini capiaris amore
Vno namq; modo Vina, Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia vini
Et tentat gressus, debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe parit, ferrum exitiale Cupido.

Sæpe

Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Troiā Venus improba bello
At Lapithas bello perdis Iache graui.
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæū,
Ne te muneribus lædat vterq; suis.

Nunquid ambæ filiæ Loth, prolis concipiendæ gratia, alternis vicibus patri suo vinum, vel merū, forte & mādragora mixtum, ceu Veneris lac, & irritamentū, propinarunt, quo facilius, tutius, & fructuosius, patris somno, vinoq; sepulti complexibus fruerentur? An non forsan eodem stratagemate, vini scilicet aut meri, aut mandragorici succi exhibitione vtebantur ambæ sorores Rachel & Lia, quę prolis suscipiendæ desiderio, ambæ maritū Iacob deperibant, eiq; hilaritatis & Veneris illud poculum exhibebāt? Constat enim & vinum, & somnum duos esse amoris fontes, & comites, ideo rectè superiori capite, vinum, lac Veneris fuit appellatum. Somnus etiam (vt in sequentibus docebimus) corporis vires, vigiliis, laboribusq; fractas, debilitatas, & exhaustas, rigando, humectandoq; mirificè reficit, & restaurat, quo postea homo ad repetendas actiones prolemq; suscitandam & alacrior, & promptior euadat.

Quæ incōmoda ebrietas corpori inferat.

Iam verò quāta damna, & quæ incōmoda eadē inferat Ebrietas nemo est qui cogitatione explicare queat. Hæc tamen à *Syracide* breuiter & neruosè perstringuntur: *Vinum*, inquit, *sine modo sumptum vires imminuit, corporis & sanitatem & robur, & formam conuellit, & labefactat: Ebrietas enim stomacho cruditatem inducit, hepar succēdit & inflammat, pulmones putrefactos dissoluit, totum corpus tremore concutit, caput vertigine rotat, pedes certis greßib⁹ incedere prohibet.* Hæc ipsa dum spiritus violēti superna petunt, & inde repercussi venas implent, atq; obstruunt, frontis rugas, narium mucorem, nasi ruborem, coctili cancro similem, acutissimos calculi dolores, sæuissimos podagræ & chiragræ cruciatus, fœdissimum aquæ intercutis fluxum, & infinitos alios affectus, qui ex hoc seminario, luxuriantium segetum instar enascuntur. Hinc olim ita cecinit *Lucretius:*

Consequitur grauitas membrorū, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt.

Hisce similia apud *Iuuenal. Satyr. 6. leguntur.*

Quum bibitur concha, cùm iam vertigine tectū
Ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis.

Ex Ebrietate pulmones quotidiana vini vstione putrescunt, & fætentes per ora velut mortuorum spiritus emittunt. *Vino immodico*, inquit *Clem. Alexandr. lingua præpeditur, labia soluuntur, oculi detorquentur, & præ humiditatis redundantia tanquam in piscina natātes, diuertuntur, & mentiri coacti, existimant quidem omnia in orbem rotari, numerare autem haud possunt quæ procul distant; greßus ceu impellente fluctu subsidunt, nec loco stare possunt: ructus, singultus atq; vomitus*

& deliria, ludi, atq; oblectamenti vices agunt. Quantum corpori Ebrietas noceat, *Plinius* quoq; *libr. 14. cap. 22.* hisce verbis docet. *Hinc palor, genæ pendulæ, oculorum vlcera manus tremulæ, plena vasa effundentes, & (quæ sit pœna præsens) feriales, somni, & inquies nocturna. Postero die ex ore fœtidi halitus.* Quid ergo vino perniciosius? Quid pestilẽtius? cùm id immodicè sumptum vitam deprædetur, valetudinem perdat, paralysin, stuporem, apoplexiam, epilepsiam, conuulsiones, neruorum cõtractiones, rabiem, vertiginem, arthritidem, cæcitatem, cachexiam, omnium denique frigidorum morborum colluuiẽ inferat? & vt verbo dicatur, verissima sit homini pestis? Ennius sanè articulari morbo fuit cõsumptus, quem ex immodico vini vsu contraxerat, *teste Sireno Dioscorid. lib. 5. cap. 7.* scribit iugem & continuam ebrietatem valde pernitiosam esse, eo quod nerui copioso vino singulis diebus obsessi, trucident manus, totiusq; corporis soluant cõpagem. Hinc eleganter *Propert. l. 2. Eleg. 4.*

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Vt ergo sobrietas atq; temperãtia mater est, & nutrix tùm vitæ, tùm sanitatis: ita è contra Ebrietas, parens, procreatrix, blanda, perniciosaque nutricula omnis generis morborum, vt merito illos grauissimè hallucinatos fuisse dicamus, qui Ebrietatem semel in mense adhibitam morbis præcauendis vtilem fore dixerunt.

Ebrietas etiam fortunæ bona perdit.

Nec solùm animi corporisque bona perdit Ebrietas, verum etiam in opes & fortunæ bona, ad vitam sustentandam necessaria grassatur, absumit perditq;, vnde egestatem, mendicitatem ignominiosam consequi necesse est. Nulla profectò pestis est, quæ rei domesticæ tantum obsit: quæ enim multis diebus alẽdę familiæ sufficere possent, vno die, paucisue horis abliguriuntur. An nõ videmus Ebrietatem amplissimas sæpe familias labefactare, & parentum, auorumq; multo sudore parata pessumdare? Hinc *Diogenes* cùm videret hominis vino deditissimi ædes, ex ianuę inscriptione, venales esse: *Sciebam* inquit, *te præ vini crapula, tandem domum euomiturum. Qui enim vinum amat, & pinguia,* ait *Salom. non ditescet, sed ad inopiam redigetur, & pannosis vestiet se.* Neq; verò priuatæ duntaxat, sed & publicæ egestatis & inopiæ causa est Ebrietas: Quò plus enim vini absumitur, tantò magis vini & annonæ caritatem crescere, & augeri oportet. Nec verò egestatem tãtum, sed & dedecoris, atq; ignominiæ notas plurimas Ebrietas inurit, propter multa turpia dicta, facta, quæ ab ebriosis designari solent. Nullum enim vitiũ est, quod hominis honorem, famam, existimationem, dignitatẽ

autho-

authoritatemq; magis deformet, quàm ipsa Ebrietas; vt nunc preciosissimi & nunquam reparandi temporis, honestis disciplinis, vtilibusq; actionibus impendendi reuolutionem, silentio prætereamus. Hinc *Augustinus* Ebrietatem temporis amissionem vocat. In ebriosis enim non vlla ratio, non vllum vitæ peragendę consilium, non gestorum, aut lectorum memoria, nec vlla artium, aut industriæ prouidentia: vtpote quem prandio accumbentem solis orientis videat occasus & cœna pernoctantem, insperatus occupet dies; & dum iugi amentia dies, noctesq; discumbendo dormitat, bibitq;, in hac vita adhuc positus sepelitur, Vt deniq; omnium malorum cumulum afferamus, ebrietas homines æterna cœlestis patriæ hæreditate priuat, & in tartaream ęternarum calamitatum regionem præcipitat; nec enim *teste Paulo*, Ebriosi regnum cœlorum possidebũt: Nec iniuria, est enim Ebrietas omnis & impietatis, & improbitatis epitome, diuinarũ humanarumq; legum & iuris violatrix, vitiorum, flagitiorumque procreatrix, Deo, hominibusque infesta. Et vt rem hac anacephaleosi concludamus, Ebriosi primum in ipsum Deũ grauiter peccant, dum idolo suo, seu Baccho dediti, verum Deum, legitimumque eius cultum negligunt, imo etiam despiciunt, contemnunt, irrident; nomen, numenque eius augustissimũ blasphemo ore, immanibusq; deierationibus polluunt, contaminantque: Festiuos dies cultui diuino destinatos suis potationibus violant; vt nunc mẽdacia, periuria, diffamationes, cædes, stupra, raptus, adulteria, & alia sexcenta mala, quæ Ebrietate committuntur, alto silentio inuoluamus.

Ebrietas etiam fortunæ bona perdit.

Nec his contenta limitibus Ebrietas, vlterius quoq; pestifera eius vis sese diffundit, sed etiam vniuerso humano generi insidiatur: Constat enim totos populos huius vitij cõtagione ceu pestifera lue infectos perdi, deuastariq;: Tabiri in primis, qui *teste Athæn. l. 10. c. 4.* qui tantâ vini auiditate capiebantur, vt nullo vnguẽto, nisi vino vterẽtur: Phigalenses, qui in cauponis semper habitarunt, timidi & imbecilles: Argiui inter pocula pugnaces fuerunt, in prælijs verò strenuè fugerunt: Elienses vinolenti, atq; mendaces: Bizantij, mercaturæ licet dediti, totas noctes perpotare consueuerunt: Thraces omnes bibacissimi extiterunt: Chalcidenses, neglectis optimis institutis, se totos potationibus ignauiæ, atque intemperantiæ dediderunt: Assyrij, qui mulieres secum ad cauponas, & publica conuiuia duxerunt, quas cuiuis ad potandum prouocare liberum atq; concessum erat, ipsique demum à mulieribus domũ deducebantur, vnde & ob insignem luxuriam κραιπαλοι fuerunt appellati

Ebrietate vniuersos populos vastari

pellari. His addit Ariços, qui singulis diebus inebriari, atq; epulari fuerunt soliti, tandemque à Celtis victi. AEgyptios item. qui vino destituti, vinũ hordeaceũ, aut ex oriza conficiunt, quo poto haud secus atq; vino obruti, lætari, cantare, saltare consueuerunt. Turcæ quoq; licet Alcoranis legibus cautum sit, ne quis illorum vinum potaret, constat tamen illos vini, & dulcis præsertim auidissimos esse; Inde *referente Augerio Gislenio Busbequio*, cùm calicem potaturi manibus excipiunt, magnos prius clamores edere; rogati cur id facerent? Respondent, se his clamoribus cõmonitas velle animas, vt se in aliquem corporis angulum reciperent, aut prorsus emigrarent, ne eius delicti, quod admissuri essent, reę fierẽt, neue vino, quod admissuri essent, polluerentur. De Parthis vetere prouerbio dictum est, quò plus biberent, eò plus sitire. Habet enim hoc temulẽtia, vt postquam obsurduit palatum, magis ac magis haurire cupiant. Sic Leontini semper iuxta pocula, & crateras hærere dicuntur, quos olim cùm Phalaris expugnasset, ne deintegro rebellionem pararent, ademptis armis, ad compotationes, & voluptates reiecit. Indorum quoq; φιλοινίαν *Athæn. lib. 10. cap. 12.* describit apud quos Alex. Ma. ἀκρατοποσίας certamen restituit. Sic *Clemens Alexand.* scribit Schytas, Celtas, Iberos, & Thraces gentes bellicosas, maximè ebrietate vti, quibus pulchrum hoc, & beatæ vitæ studium & institutum esse videtur. Apud veteres Germanos, *teste Tacito*, totos & dies, & noctes potando continuare, nulli probrum erat: De Græcorum etiam bibacitate plenæ sunt Veterum historiæ, inde græcari, pergręcari, seu Græcorum more bibere. Harum tamen, vt & aliarum gentium luxus, & ebrietates, vt ex historiarum lectione passim cõstat, tãdem & exitii, & interitus, multorumq; malorum causæ extiterunt.

Ebrietas quinetiam omnis sexus, ætatis, conditionis & ordinis hominibus maximè est exitialis. *Plato 2. de Legib.* Senibus quidem liberaliorem vini potum & vsum concedit, ceu auxiliare aduersus senectutis austeritatem pharmacum, quo reiuuenescere videntur, & mœstitiæ illos capiat obliuio, ipseque animi habitus è duro mollis factus, vt ferrum igni impositum, tractabilior fiat. Sic *Clem. Alexand.* eousq; Senibus permittit vino indulgere, dum & rationem, & memoriam adhuc vigentem habuerint, & corpus inconcussum. Idem testatur *Gal 5. de Sanit. tuend.*

Idem *Plato* pueris non citra rationem, vini vsum ante 8. annum interdicit, ad furiosum iuuentutis habitum compescendum: deinde vt vino moderatè vtantur

ad

ad annum 20. vſque ſuadet; ab ebrietate verò,& immoderata vini intemperãtia abſtineant, cùm abſurdum ſimul & periculoſum ſit,ignem igni addere.Immoderatus verò vini vſus,non iuuenili tantum, ſed & ſenili ætati indecorus eſt, turpis & periculoſus, aggreſtes enim inde & immanes appetitiones,ardenteſq; cupiditates, & ignei mores erumpunt. Idem docet *noſter Gal 5. de Sanitat. tuend. & libr.* quod animi mores ſequantur corporis temperamẽtum,quæ omnia iam dicta,etiam de vtroq; ſexu audiri volumus. Apud Maſſilienſes enim & Milleſios vini vſus mulieribus fuit interdictus, *teſte Leonit. libr. 3. cap. 8* vti & apud Romanos, *teſte Athæ. lib. 10. cap. 13. Valer. Max. libr. 2. Plutarb. in Problem.* Nec iniuria ſanè: Mulieres enim immodico vini vſu captæ, & omnibus virtutibus ianuam claudùnt,& delictis aperiunt.Inde illud prouerbium. In triclinio choæ, de muliere biboſa,nimiſq; garrula.

Omnibus item ordinis & ſtatus hominibus & pernicioſa, & maximæ fraudi eſt, at iis potiſſimum peſtilẽtiſſima eſt Ebrietas, quos Deus ad ſublimes dignitatum gradus euexit, vel aliis præpoſuit, vt ſunt Reges, Principes, quiq; Reipublicæ clauum tenẽt, aut Eccleſiaſticis dignitatibus præponuntur. Vnde illud *Eccleſiaſt. Væ terræ, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane commeſſantur.* Et *Prouerb. 31.* Regib⁹ dare vinũ prohibuit, ne nimirum iuris obliuiſcantur. Hinc Solon Principem morte mulctandum cenſuit,ſi ebrius deprehenderetur. Nec inſcitè à muliere iniuſtè à Rege Philippo temulento damnata, prolatum: *Prouocarem*, inquit, *ad Philippum, ſed ſobrium.* Nec enim vel Philippum, vel Regem arbitrabatur, qui per ebrietatẽ mente alienatus, pro tribunali ſedebat. Laudandus ergo Auguſtus Imperator,qui rebus bellicis incumbẽs, ter tantum inter cœnãdum bibebat. *teſte Sueton. Plato, Ariſtot. Euſeb. Galenus,* Carthaginenſium leges laudant, qua nullus in militia,& caſtrenſibus rebus occupatus, vinum vllo tempore guſtare permiſſus eſt, ſed toto militiæ tempore aquam potabant. Apud Indos Regi nullo tempore licebat ebrium fieri: apud Perſas, vno ſaltem die, quo Soli ſacra faciebat,& inebriari& Perſico more tripudiare erat cõceſſum, *teſte Athæn. libr. 10. capit. 11.* Multa in antiquis hiſtoriis & Regum,& Principum temulentorũ exempla extant, quos cõſtat omnes ſuâ temulentiâ & Regnis, & Rebuſpubl. maximum vulnus inflixiſſe,tandemq; tragicum, & ignominioſum vitæ exitum fuiſſe ſortitos! Ela Rex Iſraelis in Thyrſa potans,temulentus occiditur: Holofernem vino, ſomnoq; ſepultum, Iudith trucidat: Balthaſar Chaldæorum Rex poſtremus

temulentus, ebrius, violatis sacris superbè vasis, vnâ nocte & vitâ & Regno spoliatur: Alexander ille magnus, tot rebus præclarè gestis, tot victoriis clarus, toto fere Occidente armorum vi occupato, tandem temulentiâ in Cliti, aliorumq; fidissimorum amicorum cædem prolapsus, magno demum poculo, quod Proteas propinauerat, exhausto, vitā turpissimè finit. Philippus Alexandri pater tùm naturâ, tùm ob ebrietatem furiosus, in quæuis pericula temerarius, & moribus intemperans scurris & tibicinibus semper stipatus, multa per temulentiam indecora, & regia maiestate indigna patrauit. Dionysius iunior Siciliæ tyrannus, aliquando per 90. cōtinuos dies potare solebat, vnde ob ebrietatem hebetiorem visum nactus, vnde eius adulatores, se nihil cernere, neq; epulas, neq; appositos calices agnoscere, & ab illo manu duci fingebant. Mythridatus Rex bellicosissimus, ob nimiā & bibacitatem, & voracitatem Bacchus dictus, tùm ebrietatis, tùm voracitatis certamina, propositis præmiis instituit. Quid item damni, quid periculi, quid confusionis, & M. Antonii Consulis, & Tiberii, Neronis, Caligulæ, aliorumq; Rom. Imperatorum ebrietas, Romano Imperio dederit, sat superque ex historiis constat, qui ferè omnes, vt non fuerunt sicci, ita nec siccā morte hinc ad inferos migrarunt. Filiolmus Gothorum Rex milites suos non commilitones, sed & combibones effecit, ad Saturnaliorum exemplum, quæ seruos dominis in mensa coęquant, vnà cum eis comedere, & in longam noctem potare solitus: Cùm solito more cum suis potando noctem duceret, ab ipsis ebrietate oppressis, in ingens dolium cereali liquore repletum quod pro explenda bibacium gula, in media aula collocatum erat, per ludibrium præcipitatus interiit. Hannibal fœlicissimus Pœnorū Imperator, tùm demū vinci cœpit, cùm & seipsum, & exercitum totum campano luxu atq; temulentia, eneruari passus est, *teste Liuio 3. Decad.* Non immerito igitur *Plato*, vt iam dictum, Militibus, in castris, Iudicibus, Gubernatoribus, Magistratibus, Seruis viris & Mulieribus liberis operā daturis vinum prohibebat: Vinum, vt inimicum vitandum censet, quod si semel corpus inuasit, & gubernatorem vetat, quò minus Nauis clauos, vt conuenit, verset & milites in acie minus sint sobrii, iudices in exercenda iustitia errare, præsides malè moderari, & nihil sani iubere facit; Inde illud *Iuuenal.*

Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blæsis, atq; mero titubantibus, &c.

Multa hoc etiam loco adduci possent, quid, quantumq; damni & incommodi tùm in veteri, tùm in nouo

in nouo testamento statui Ecclesiastico, & præsertim in rebus religionem concernentibus, hactenus & attulerit, & in dies magno nocumento afferât, quæ tamen omnia breuitatis amore, nostris Theologis, & discutienda, & corrigenda relinquimus. Quæ cùm ita sint, quis mortaliū, Ebrietatem nō cane peius & angue fugiat? Quis non detestetur? Quis non eandem Schytis, Celtis, Indis, Thracibus, & Tauro-minitanis ceu propriam relinquat? Quis non à Christiano orbe, ad extremas mūdi partes relegandā concludat? Mens enim crapulosa non sursum, sed deorsum vergit: Anima sicca, & siccissima est, & sobrietatem, ceu omnium virtutum ianuam ingreditur, & continentiæ limitibus inclusa, carnem domat, humilitatē parat, temeritatem fugat; castitatis lucem accendit, mentem eleuat, intellectum acuit, salubria consilia suggerit, quosuis morbos arcet, vitam in longæuos annos producit, totum deniq; hominem diuinæ gratiæ plenitudine adimplet. Et hic est ille à tot Philosophis, à tot veterum monumentis decātatus, & ænigmatico calamistro delineatus lapis philosophicus, Cōtinētia nimirum, seu Temperantia, qua primæ ætatis homines potiti, & sanissimè, & diutissime vixerunt.

CAPVT XIIX.

An cœna potu terminanda: An poculum, seu propinatio vltimæ cœnæ exhibita, vt olim, ita & hodie vsitatissima, vitæ, valetudinique conuenire possit? & quem bibendi modum salutarem Medici præscribant?

VT ab vltimo quæsito præsens caput exordiamur, Medici accuratè profectò ipsius potus substantiam, qualitatē, quantitatemq; cum bibentis natura, habitu, ætate, sexu, consuetudine anni temporibus, cumq; alimentis, assumptis, quibus potus permiscendus, cōferentes, saluberrimum hoc, & maximè naturæ conueniens statuunt pręceptum, vt nimirum ad necessitatem, nō ad voluptatem, aut intemperantiam, aquam, vinum, aliumue potum sumamus, parcitas, modusq; adhibeatur, & omnis intemperantia vitetur: inter edendū ad ciborum tùm mixtionem, tùm distributionem, potus debita ratione permisceatur: nihil vel ieiuno stomacho, vel etiam à cibo, nondum peractâ coctione, bibatur. A cibo enim potasse, concoctionem peruertit, multos & flatus & cruditates generat. Ieiuno verò ventre vinum potasse, tùm neruos, tum caput lædit, & multorum malorum seminarium existit. Nec post fructuum, malorūque ciborum ingestionem adhibendus est potus, pręsertim multus, & generosi vini, tùm quod vitiosos succos præcipiti lapsu in vasa ire cogat, tùm quod eadem

vasa prauum & corruptum humorem recipiant, & febribus putridis ianuam aperiant. Si tamem fructus horarij fuerint, humidi, & putredini obnoxij, vt cerasa, mala persica, melones &c, aut prorsus nihil bibendum, aut meri potentis momentum: licet tunc *Valeriola* aquam vino salubriorem existimet, ne scilicet vini potu feruor & ebullitio accedat, præcoxque cibi in viscera raptus, & putredo, obstructio, cruditatesue è vini haustu sequantur; aqua vero suâ frigiditate tùm feruorem, tùm putredinem inhibet. Præstiterit tamen ad celeriorem fructuũ subductionem, post illorũ esum optimum & calidum carnis iusculũ sumpsisse, vt facilius mali succi cibus labatur, & exiguam in ventriculo moram faciat. Dormituris porro & à cœna (nisi valida admodum sitis vrgeat, aut vinum forte paulò pleniore manu haustum fuerit) nocētissimus est; vnde rectè *Hippoc.5. Aphor.271.* Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus, si superdormierint, bonum: Somnus enim illam sitim (quæ vt plurimum falsa, mendax, & noxia est) sedat. Potio item tùm vini, tùm aquæ, si frigidissima sit, & mox vel exercitationem, vel balneum sequatur, exitialis esse solet: *A labore enim sudanti*, ait *Celsus lib.1.cap.3. aduersissima est frigidæ potio*: Et *Dioscor.lib.6.cap.33.* Aqua frigida abundè pota, aut meracũ vinum liberalius epotum, præsertim à balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatione, dolores & strangulatus.

Nec minus Regionis natura, varias bibendi leges præscribit. In frigida enim regione liberaliùs vinum potandum (quod nostri Germani, Belgæ, Poloni, aliæque nationes probè norunt) in calida autem parciùs bibendum. Sic & cõsuetudinis habenda ratio: multo enim potu assueti faciliùs inassuetis pleniores, & largiores haustus ferunt: Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, *ait Hippo. 2. Aphoris. 50.* etsi deteriora sint insuetis, tamẽ minus molestare solent. Qui imbecillum cerebrum habent, vinum non tollerant: optimi enim & robusti cerebri signũ est à vini generosi vaporibus non lædi, viniq; potentiam sustinere. Quod si quis immodico vini haustu temulentus fiat, consultũ fuerit, vomitum ciere, inediam somnumq; imperare, & malorum punicorum succum, aut oxicratum dare, aut caulium rubeorum succum, vel aquæ frigidæ (si ventriculi constitutio permittat) haustum exhibere. His enim remedijs ebrietas sanari, & vini vapores, quo minus cerebrum feriant, reprimi, & retundi consueuerunt. Fusiorem huius rei rationem si candidus Lector expetat, legat *Leuin. Lemn. lib.2. de occult. Naturæ miracul. cap.38 & Christoph. à Vega. lib.2. Section.3.*

An autem expediat mensas seu

cœnas

An men- cœnas potu claudere & termina- sæpotu re, antiquorum more, qui cœnas clauden- suas potu & inchoare, & claude- dæ. re cõsueuerunt, nos ad *Christoph. à Vegæ* imitationem *lib. 2. Art. Medic. Sect. 4.* sic paucis rem definimus: Qui os ventriculi laxum habent, aut quorum caput à vini potu facile læditur, hi cibo aliquo adstringẽte, postremo loco opus habent, quem nullus pot⁹ sequatur. Quorũ autem venter siccus est, aut noctu vehementi siti molestantur, non longè à cibo, sed parcâ manu ad mensæ finem bibere debent. Sic & ijs, quibus nulla praua adest ventriculi affectio, conuenit: finito vel prandio vel cœna, parum vini, si ita assuerit sumere, vt postremus ille cib⁹ è gula descendat, liquetur, & alijs cibi partibus cõmisceatur: Alijs verò æque similis potus conuenit, deinde os, & dentes vino colluendi; quod si vinum facile caput tentet aqua diluatur, aut oliogophorum bibatur. Idem *Celsus* docuit: Vbi aliquis est expletus, facilius concoquit si quidquid assumpsit, potione aquæ frigidæ includat tum paulisper inuigilet, deinde bene dormit. Idem dixerat *Hippoc. 3. acutor.* vbi timueris ne vel caput vehementer vino morboue grauetur, vel etiã mens tentetur, tum vel aquam, vel vinũ aquosum & album, & neutiquam odorum exhibere, deinde paulu- lum aquæ superbibere conuenit; sic enim vini potentia nõ tam facile mentem & caput ferit. Non etiam perperam fecerint, qui aquæ loco (ob nimium ventriculi languorem) è Cydonij conditi mali aut corticis citri conditi, portiunculam, aut confectionis coriandri aliquid, aut citriorum vel limonum succum, vel oxyacanthæ, aut punicorũ liquorem, aut pomum aliquod maturum subastringens sumpserint, sicque languentis ventriculi os occluserint & vini impetum refrænarint. Idẽ *Celsus* hæc habet: Confert quoq; neq; cœnam, neq; prandium vnquam potu finire, quin aliquid ex superioribus, aut quid escę superedatur; siquidem innatant cibi illico post cœnam, si quis biberit, ita vt eos ventriculi corpus propter interpositum humorem non contingat. Quanquam rursus, si quis sit sitibundus, prohibere illũ in tantum graue est, ita nec expediens, sed tantillum indulgendũ, quod & molestiam soletur, & sitim leuet, postea verò quam is nutrimentum concoxerit, abunde tamen bibere quoq; sinendus est, quippe potio celerrime si quis ita faciat, per corpus digeretur, à qua si mensam rursus inchoet, proflu- it, nec sitim, cui dicata est, animali sistit.

Hoc etiam loco, illorum perniciosa fugienda cõsuetudo, qui post crapulosa conuiuia, nõ ante lecti ingressum, sed finito iam primo somno, ciborumq; concoctione partim expleta, nunc vinum,

nunc aquam, prout ad manus fuerit, plenâ manu ingurgitãt, feq; de plurimis morbis obnoxios reddunt; nam præter id quod & vinum & aqua in conuenienti eo tempore sumpta neruosis partibus infensissima sint, sicq; membrorum tremores, & debilitatẽ excitent, multi etiam morbi ex praua hac bibendi cõsuetudine oboriuntur, vt cachexiæ, viscerũ infarctus, icterus, hydrops, colicæ passiones, nephritides, capitis defluxiones, & ventriculi debilitates &c.

De vltima propinatione.

Veteres quoq; poculo quodã certo, seu propinatione cœnas suas, partim religionis, partim amicitię ergo claudere seu terminare consueuerant: Qui mos hodie etiam religiosè apud Brittãnos obseruatur, post manuũ ablutionẽ, & sanitatis Metaniptridem vocant. Dicitur etiam poculum ὑγιίας, nostri Sanct Johannis Segen vocant, forsan boni ominis ergo, sibi inuicem bonæ valetudinis ergo propinantes. Apud *Athæn. lib. 15.* alii boni dæmonis, alii Iouis Saluatoris, alii sanitatis, siue valetudinis poculum nominant: vel etiam ideo dictum est poculũ ὑγιίας quod ὑγιία sanitati, quam Græci ceu Deam coluerunt, cuius simulachrum apud Sicyonios insigne erat, fuit dicatum. Idem illud vltimũ poculum, Iouis Seruatoris fuit dictum, quod ei fuerit dicatum, & in Iouis honorem biberetur. Erant enim *teste Polluce* tres crateres, primus Iouis, Olympii, seu Deorum Olympiorum ac cœlestium; secundus Heroum; tertius Iouis Seruatoris perfecti, à ternarii numeri perfectione, in quo sit principium, medium, & finis. Dictum item est poculum boni dæmonis, quod ab initio cœnæ, & in extremo conuiuio, antequã surgerent asportarenturue mensæ, à conuiuis vsurparetur. Moris enim erat, vt omnes in conuiuiis mensæ, post vltimam illam dæmonis potationem, remouerentur, vti ex impio, & sacrilego illo Dionysii tyranni facinore videre est; Is enim cum Syracusis in AEsculapii fano, aurea ante simulachrum mensa reposita esset, patera mero repleta, *Propino tibi*, inquit, *AEsculapi, boni dæmonis calicem*, & cum dicto, auream statim mensam auferri iussit.

Poculũ sanitatis.

Verùmenim verò non tantum in Deorum honorem, boni ominis, auspiciiq; causa, vltima illa potio fieri solebat, sed & mutuæ amicitiæ testificandæ, sanciendæq; gratia, vnde & φιλοτισία appellata fuit, dicebatur & Tantali poculum, siue philotesía. Apud Indos etiam *test. Philostrat* amicitiæ firmandæ & cõciliandæ causa, eiusmodi compotatio est inuenta: ita vt maioribus poculis sibi inuicem cubitum ituri propinarent. Apud Hebræos quoq; & ab initio cœnæ, & in extremo poculum mero repletum circũfere-

ferebatur, ex quo omnes biberent, Pater quidem familias primo, præmissa oratione degustabat, deinde omnibus mensæ accumbentibus porrigebatur. Tādem ille & Græcorum & Hebręorum mos, religioso quasi & amico poculo claudendi, ad nostros quoq; Germanos, qui eo ferè vtũtur, promanauit. Peractâ enim cœnâ, & conuiuis iam iam vel discessuris vel cubitum ituris, ingens poculum meratioris, ac generosioris vini circumfertur, ex quo omnes bibunt, sese inuicem vltimo hoc poculo inuitantes, salutantesq; boni ominis, amicitiæq; ergo, quod poculum S. Ioannis vel etiam Domini benedictionē, vulgo S. Johans Segen / item der Schlaafftrunck appellant, ceu ὑπνοποσίαν dicas: quasi somni cōciliandi causa, illa fiat potatio, sitq; somni prodromos: quę si moderatè fiat, nō est reprehendēda, cū sit amoris, & amicitię symbolū. Verū turpissimus est hodie eius abusus, vt non φιλοτησίας sed ἀφιλίας; non boni, sed cacodæmonis poculum, seu propinatio dici mereatur. Cogunt enim se mutuo eiusmodi poculis vltimis quæ crebrò ingeminant, plus vini, quam par sit, ingurgitantes, & sub amoris, amicitiæq; prætextu tùm Deum offendūt, tùm seipsos tùm & alios perdentes, & demū benedictionis locum maledictionem, infortunia, morbos ipsam deniq; mortem incurrentes.

CAPVT XIX.

De Somni, Quietisq; & Vigiliarum natura, origine, commodis, & incommodis; deq; exercitationibus post cibi, potusq; sumptionem, vitæ propagandæ causa, vel admittendis, vel etiam prohibendis.

QVemadmodum labor cibum præcedit, ita somnus rectè sequitur, qui *teste Plin.* est animi in medium corpus: vel secundum *Hippoc.* in seipsum recessus, animalium facultatum quies motus, sensuumque exteriorum vinculum, & vacatio. Veteres tùm ipsi Somno, quem Deum putarunt, tùm Mercurio, quem somni datorem ac præsidem credebant, vt virga sua hominibus pro arbitrio somnum vel daret, vel adimeret, à cœna vinum, atque linguas libare consueuerant. Ritus huius meminit *Apollonius* 1. *Argenant.* & *Homer.* vnde etiam & Somno, & eius rectori Mercurio sacra fecerunt, cùm tamen vnicus & verus Somni author sit Deus Opt. Max. cuius optimum & præstantissimum est donum, humano generi in Quietis locum datum, pacis & trāquillitatis nomine ab antiquis insignitum. Inde *Ouidius*

Somne quies rerum placidissime, somne Deorum
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasq; labori.

Hunc Orpheus in suis hymnis & canticis, Deorum, hominumque Regē; *Hesiodus* noctis filium; *Virgilius* etiam mortis sobolem nuncupauit.

Virgilius 4. AEneidos ſic ſomni naturam & modum deſcribit.

Nox erat & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſyluæq; & ſæua quierant
Æquora: cum medio voluuntur ſidera lapſu:
Cùm tacet omnis ager, pecudes, piƈæq; volucres:
Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aſpera dumis
Rara tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Lucretius Marone antiquior ſomni naturam, vim, & materiam, *lib.* 4. accuratè ſic ſcrutatur:

Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem
Irriget, atq; animi curas è pectore ſoluat;
Suauidicis potius, quam multis verſibus edam.
Paruus vt & cygni melior canor ille, gruum quam
Clamor in ætherijs diſperſus nubibus auſtri.
Tu mihi da tenues aures, animumq; ſagacem:
Ne fieri negites quæ dicam poſſe: retroq;
Vera repulſanti diſcedas pectore dicta:
Tu temet in culpa cum ſis, ne cernere poßis.
Principio ſomnus fit vbi eſt diſtracta per artus
Vis animæ partimq; foras eiecta receßit
Et partim contruſa magis conceßit in altum.
Diſſoluuntur enim tum demum mēbra fluuntq;.
Nam dubium non eſt, animai quin opera ſit
Senſus hic in nobis quem cum ſopor impedit eſſe,
Tum nobis animam perturbatam eſſe putandū eſt
Eiectamq; foras non omnem: iamq; iaceret
Æterno corpus perfuſum frigore lethi:
Quippe vbi nulla latens animai pars remaneret,
In membris, cinere, vt multa latet obrutus ignis
Vnde reconflari ſenſus per membra repente
Poßit, vt exigui tecto conſurgere flamma.

Claudianus quoq; ad eiuſdem *Lucretÿ* imitationem, ſolertem cauſæ ſomniorum indaginem, varietatemq; edocet:

Deinde cibum ſequitur ſomnus: quia quæ facit aër,
Hæc eadem cibus in venas dum diditur omnes,
Quem ſatus aut laßus capias: quia plurima tū ſe
Corpora conturbant magno contuſa labore.
Fit ratione eadem coniectus porro animai
Altior, atq; foras eiectus largior eius,
Et diuiſior inter ſe, ac diſtractior intus.
Et cui quiſq; ferè, ſtudio deuinctus adhæret:
Aut quibus in rebus multùm ſumus ante morati
Atq; in qua ratione fuit contenta magis mens:
In ſomnis eadem plerumq; videmur obire.
Cauſidici cauſſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare.

Omnium autē optimè de ſomno & vigilia ſcripſit *Ariſt.* peculiari libello de ſomno & vigilia inſcripto, ad quem lectorem remittimus. Somnum certè omnium ſenſuum nodum ac vinculum eſſe, vigiliam verò eorundem exolutionem, & relaxationem, dicūt philoſophi; talem verò illius eſſe naturam, vt & viuendi, & non viuendi, velut interliminium ſit, & neq; omnino ſit, qui dormit, neq; non ſit. Inde illud *Ouidianum:*

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?

Vnde Gorgias Rhetor, cùm mortem ſibi inſtare ſenſiſſet, & ſomno profundo mergeretur: *Iam me mortis frater occupat*, ait. *Homero* enim mors, ſomni frater dicitur. Viuitur tamen potiſſimum vigiliâ, propter ſenſum, quem ſomnus vtcunq; ſopit & obtundit: licet & experientia, & grauiſſimorum virorum authoritate conſtet, dormientes quandoque ſurgere (vt noctambulones) ambulare, & pleraq; domi, foriſq; oberrantes agere, qualia ſunt vigilantium munia.

Cauſa ſomni.

Cauſa autem ſomnifera, à qua nimirum ſomnus excitatur, eſt inſiti caloris vniuerſim ad primum ſenſorium cōfugientis ἀντιπερίστασις quæ

quæ corpulenti vaporis à natiuo calore subuecti operâ prouenit, somnum, primi sensorii, cerebri scilicet nexum, & vinculum, salutis, & concoctionis gratia producens; fit autem cum natiuus calor, aut ex fatigatione, & nimia siccitate, se ad alimentũ conuertit: aut cùm ob immodicam humiditaté foras progredi nequit: quorum ille salubris & naturalis est somnus: hic vero posterior non naturalis, qualis in Comate, Lethargo, Caro, deprehenditur. Cùm enim indigeat, simulq; desideret naturalis animalium calor humiditatis copiam, ideoq; in viscera conueniat, & in ventré fit somnus, quũ simul ea satis fruitus est; cumque naturalem iam qualitatem recuperauit; expergiscimur.

Somni effectus. Somnus multus neq; corporibus, neq; animis, neq; rebus gerendis natura cõducit, dicit *Plato, 7. de Legibus.* Nemo enim dum dormit, alicuius est precii, non magis quam si non viueret. Quare quicunq; viuere & sapere cupit maximè, quam longissimo tẽpore vigilet, sola sanitatis commoditate seruatâ: ad hanc verò non multo opus est somno, si bene assueueris. Hinc *Hippocr. 2. Aphor. 3.* Somnus & vigilia, vtraque si modum excesserint, malum: immodicus enim somnus & corpus exoluit, & capitis grauitatem parit: sicut immoderatæ vigiliæ siccant, & coctionem fieri prohibent. Est autem somnus, si moderatè & oportunè capiatur, tùm animo, tùm corpori valde vtilis, & salutaris: nam alimentorum coctionem optimè iuuat; quo enim tempore dormimus, natiuus calor ad intima viscerum penetralia conuersus, totusq; collectus, in cibis elaborandis egregiam nauat operam, *teste Hippoc. 6. Epid. 5.* Labor articulis & carnibus: cibus verò & somnus visceribus, Viscera enim roborantur, è quorum numero est ventriculus, qui per somnum calidior, per vigilias vero frigidior redditur, *teste Hippocr. 6. Epid. 4.* Animali igitur virtute tùm quiescente, tùm verò vehementius operante, nutrimentum, non in ventre modo, sed etiam in tota animalis mole concoquitur, *teste Gal. 3. de Sympt. caus. & 2. de Musculor. motu.* Vnde scitè & eleganter admodum *Plin.* somnum definiens, animi quendam in medium corpus recessũ dixit. Humectat ergo somnus: Vnde illud poeticum:

Fessos sopor irrigat artus.

Nutrit, pinguefacit, & quod planè corruptum est, vel sudore, vel vrinâ expellit, & si quæ semicocta sunt, perficit, & vtilia reddit; bilem deniq; mirificè compescit, contemperatq;, quæ multorum morborum causa existit. Vt autem somnus cõcoctionem iuuat, & acuit, ita vigilia retundit & obstupefacit, *teste Hippoc.* & saturos lædit: at somnus, eum qui

comedit, calefaciens humectat, alimentumq; per corpus diffundit. Vnde non mirum, Veteres post cœnam, Somno & Mercurio libasse, & sacra fecisse, & Homerum post epulas sæpe somni mẽtionem fecisse. Somnus insuper non humectat modo, sed etiam refrigerat, vt habet *Hippoc. libr de Diæt. 2* Somni ieiunum attenuãt, & refrigerant, si nõ longi fuerint præsertim humiditatem euacuantes: qui verò magis calefaciunt, carnes colliquant, & corpus diffundentes exoluunt, ac debiles faciunt. A cibo verò sumpto calefacientes humectant, alimẽtum in corpus diffundẽtes: à matutinis autem deambulationib⁹ somni maximè siccant.

Somnum item mortis fratrem ex Poetis superius adduximus, vna enim illi hæc conuenit cum cæteris animantibus, alimenti nempe confectio, reliqua mortis sunt simillia: non videre, non audire, nihil intelligere, vel cogitare, nihil sentire, ratione carere proiectum esse. Et verò quid aliud, nisi recta ad mortem via dicatur?

Somni tempus. Certum somni tempus vix ac ne vix quidẽ definiri potest; cùm cibi quantitas, & ἀναπνεῦμα, caloris natiui paucitas, coctionis debilitas, ventriculi infirmitas, cibi cõficiendi difficultas, hybernæ noctes, longius tempus somno indulgeant: & quod plerisq; omnibus vulgo septem horis circumscribitur.

Septem horis dormisse sat est, iuueniq; seniq;

aut octo ad summum, valde & ridiculum, & ab omni ratione alienum est: *Galenus* enim ipsemet *6. de Sanit. tuend.* etiam ad nouem horas somnum extendit. Iuuenes, pueri, mulieres, quiq; humido temperamento præditi sunt, quiue multo vtuntur alimento, aut qui in frigidis ac septentrionalibus plagis vitam degunt, lõgiore profectò somno opus habent iis, qui bilioso sicco temperamento constant, aut calidiore cœlo fruuntur, nec multis cibis vtuntur. Senes item paucis sæpe horis somnum absoluunt. Nouimus magnos Principes, qui triũ vel summùm quatuor horarum spatio totã somni historiam expediunt, reliquas & noctis & diei partes grauissimis negotiis, occupationibus variis, laboriosissimisq; venationibus, firmis semper & vegetis corporis viribus transigentes.

Sciendum item Somnũ alium esse nocturnum, diurnum alium: & hunc vel antemeridianum, vel pomeridianum: antemeridianus ieiuno stomacho factus tollerabilior est, minusq; nocet, nec enim ieiuno ventriculo, exhalationum materiæ gignendis morbis suppeditantur: hic tamẽ somnus ieiunos attenuat, frigefacit, corpus exhaurit, & debilitat. Sõnus autem pomeridianus & longus, inassuetis ceu capitalis sani-

tatis

tatis hostis fugiendus: Inde illud *Plautinum:*

Non bonus somnus est de prandio.

Nec enim cibos in ventriculo cōcoquit, sed corrumpit, acidos ructus, flatusque parit, cerebrum multâ crassâ, mordaciq; humiditate, & fuliginibus adimplet, vnde grauedines, oscitationes, pādiculationes, vertigines, cathar-ri, cephalalgiæ, incubus, apoplexiæ, anginæ & alii frigidi, ac mortiferi morbi promanant. Nec enim omnibus idoneus est somn⁹ diurnus, *teste Gal. 4. Aphoris. comm. 67.* tempus enim quo obdormiscunt, ad absolutam ciborum cōcoctionem non sufficit; interrupta enim ante horam suam concoctione, à meridie resurgentes subinde acidos ructus edunt, & flatibus replentur: nonnulli verò ventris fluctuatione infestantur; nisi vel ex consuetudine, vel sufficienti somno vsi, eiusmodi mala effugiant. Nonnulli tamen, vt Galli, Hispani, Itali, & Germanorum non pauci Italianizati, certis adhibitis cautionibus, somnos pomeridianos, sibi vtiles, minimeq; noxios efficiunt: primum consuetudine, & longo vsu: deinde non protinus à cibo, neque capite demisso dormiendo: præterea vel somno plenius indulgendo; vel parùm longo vtendo: postremò non subitò ac raptim, sed paulatim vigiliam reuocando. *Democritus* dicebat diurnos somnos, corporis turbationem, aut animæ mœrorem, aut pigritiam, aut imperitiam significare.

Somno autem accomodatissimum tempus est nocturnum, quoniam nox naturali sua humiditate & silentio, somnum accersans, absolutam molitur concoctionem: item post somnum nocturnum plurima parte ad excrementorum excretionem instigamur: id vidit etiam *Virgilius 2.* dum canit:

-. Et nox humida cœlo
Præcipitat, suadentq; cadentia sydera somnos.

Somnus nocturnus optimus.

Somnus itē citius in tenebris obrepit, *teste Aristotele 6 problem. 7. Hippoc.* etiam *2. prognost.* interdiu vigilandum, noctu verò dormiendum esse docet, *à qua consuetudine si quis aberrauerit, peior erit somnus,* inquit, *qui inter quartam horā, & noctem, quam qui matutino tempore ad quartam.* Quamobrem ne quid peccetur, & vt Deum sequamur, quoad fieri potest, interdiu vigiletur, noctuq; dormiatur æque sanis & ægris: quamuis mane ad tertiam diei partem dormire quam reliquo die, minus malum videatur.

Inter cœnam autem & somnū semper aliqua sit intercapedo, ne cibis in corpus congestis, spirituq; oppresso, confestim crudo ac feruido alimento, vim concoctricem aggrauemus, sed respiratio, & relaxatio aliqua concedenda, suaui deambulatione animi, nec curis, aut negotiis, sophisticisue decertationibus, sed

honestis recreationibus& colloquiis demulcendi. Paruam quoque & lētam motionem post cœnam instituendam esse docet *Auicenna*, talis enim cibum in stomacho quiescere facit. Hoc præceptum secutus Cato Vticensis, post cœnam solitus est ambulare qua peractâ, in cubiculum se recipiebat. Domitianus quoq; Imperator à cœna ad horam somni nil aliud, quàm secretò solus deambulabat, *teste Suetonio*. Somno cibos concoquere, ait *Plin. libr. 11. cap. 53.* corpulentiæ, quàm firmitati vtilius: ideo Athletæ cibos deambulatione perficere malũt.

Quidam volunt somnum statim à cœna sumptum, natiuũ suffocare calorem: Alii quiete iuuari concoctionem, motu perturbari, ideoque aliis vt à cœna statim deambulent; aliis vt quiescant, imperãt. Verùm vtriusq; consilii scopum nõ ineptè attingere videntur, qui quietum à cœna corpus seruant, nec animum illico otio concedunt, sed dicẽdo, vel audiendo ea, quæ iocunda, & grata sunt, spiritus digerãt, & attenuent: Mirum enim dictu, quam vtile exercitationis genus tàm ad sanitatem, quàm ad vires confirmandas, frequens sumpto cibo, sermonis voce prolati vsus, eò quod Principib' corporis partibus, penes quas vitæ facultates potissimum vigent, naturale robur, vigoremq; ingeneret. Vox enim cum sit animæ motus, non

Vocis vires.

in superficie, sed intimis visceribus tanquam fonte inualescens, calorem auget, sanguinem tenuem reddit, omnes venas expurgat, omnes arterias, & presertim thoracem aperit, nullum superuacuum humorem coire, cõcrescere, aut tanquã fæces vasis alimentũ, tàm excipientibus quã conficientibus adhęrere permittit. Sumpto itaq; cibo, paulo ante cibum suauibus colloquiis, spiritus excitantibus tempus terendum.

Qui tamen, *teste Celso lib. 1. cap. 4.* infirmiore sunt capite, aut alterius partis imbecillitate laborant, iis neq; legendum, neq; scribendum post cœnam, nec voce contendendum; postquam nec cogitatio quidem satis sit tuta: Idem: Si lucubrandum, non post somnum, sed post concoctionem id faciendum. Ergò à cibo, donec is consederit, atque à cruditate vindicetur, nihil est agendum, quo vel animus vel corpus paulo vehementius, incitatiusue agitetur, neq; legendum, neq; scribẽdum, neq; voce contendendum, nec vlla de re ardua, graui, statũ publicum concernente (vti ferè nostri Principes hodie in more habent, qui sumpto prandio, statim de reb' grauioribus, ne quid temporis frustra pessum eat, tractant) attentius cogitandum, ne dum lucubrandum, saltandum, aut currendum: sed pauco tempore duarum ad minus horarum inter-

Quibus noctu nõ lucubrandũ.

interuallo interposito. Spiritus enim plerique & natiuus calor, soli vtpote & cōcoctionis, & nutritionis opifices, tum ex ventriculo, tum ex reliquo corpore euocantur, in eius semper partis præsidium, quæ summopere in laborem incumbit, vt in pedes, in cerebrum, thoracem, artus, siquid illis præcipuè fiat, aut exerceatur, quo fit vt cruditas cum primis periculosa subsequatur. *Apollonius* tamen *lib. de Diæt.* iis, qui calido sunt temperamento mandat, vt sumpto cibo actiones obeant, sic enim temperatus cibi calor, eos stabiliores, ac rebus agēdis aptiores reddit.

Quo in loco dormiendū. Naturalis porro somnus, quē *Homerus* blandum & dulcem vocat, quiq; coctioni sufficit, & viribus naturæ reparandis destinatur, nō in profundioribus ac humidis cellis, non in stabulis, non in stuphis aut calidis hypocaustis, sed in cubiculis amplis, orientem, vel septentrionem respicientibus, debitisq; fenestris aëra respicientibus, distinctis, suauibusq; vel odoramentis, vel suffitibus perflatis, aut luculento igne perpurgatis, longeq; à fætidis cloacis, & fumo dissitis. In lecto sat quidem molli, at non nimiis plumis infarcto, sed molliore culcitra instructo, viridiq; cortina circumsepto. Dormiturus quoq; vna cum vestibus & cogitationes omnes, arduaque negotia, quoad fieri poterit, deponat, sic enim melius somno vacare poterit, non tamen omnino nudus se ad somnum capiendum componat; & si fieri possit, solus dormitet, non supinus ad dorsū, nec pronus in faciem iaceat, sed primum decubitum in dextro, secundum in sinistro latere perficiat (nisi consuetudo aliud suadeat) capite non nimis alto puluinari eleuato, & tecto: dormiatque vel 7. vel 8. horis: turpe enim & inhonestum est *teste Plat.* totam noctem dormiendo ttaducere, cùm parùm inter dormientem & mortem intersit. Augustum Imperatorem testatur *Sueton.* nunquam vltra 7. horas dormire solitum, quo quidem spatio somnus ferè circumscribitur.

Somni terminus. Verus tamen somni terminus est perfecta ciborum concoctio, quæ tùm ructibus, tùm subflauis vrinis, tùm ventris contractione deprehenditur, secundum quam vigilantia non inutilis, vt quę recrementorum ex concoctione deiectionem moliatur. Sunt tamen, vt iam diximus, qui breuiore somno sunt cōtenti, vt senes, aridi, fame enecti, & parùm defatigati. Sunt qui longiore opus habent somno, vt pueri, infantes mulieres, crudi, & laboribus fracti.

Iam verò vt moderatus somnus coctionem iuuat & acuit, vires roborat, corpus reficit, morbos obliuione delet, lassitudinem leuat, internas corporis partes hu-

Immoderati somni incommoda.

mectat, & ad omnia naturæ opera plurimùm facit: ita modũ excedens somnus, maxima est tùm animi, tùm corporis pestis, hinc illud *Martialis:*

Numerare pigri damna quis potest somni?

Immoderatus enim somnus corpus pessimis & humoribus, & vaporibus, non modo in cerebro, sed & in toto corpore accumulatis, valde grauat. Inde compertũ est pueros impuberes, fieri hebetiores, si cibo, potuq; nimio, somno immodico vtantur. Quid ergo de iis dicemus, quos humanas noctuas rectè appellare possis? quiq; cum gliribus decertantes, diem in noctem vertunt, & contra, noctem in diem, id est noctu vigilant, & non tàm musis quàm poculis, ludis, lasciuis actionibus? Veri profectò Endymiones, non honoribus, non virtutibus, non patriæ, non reipublicę sed desidiæ, pigritiæ, inertiæ nati, inutilia telluris pondera. P. Scipio tantæ authoritatis vir, illud belli fulmen, tot victoriis clarus heros, ob nimiam tamẽ somnolentiam à populo Roman. publicis oppropriis, & contumeliis est affectus. Aristoteles in politicis, ad vitandam somnolentiam, grues est imitatus, sphærulã manu tenens, subiecto æneo lebete, quæ per somnũ delapsa, suo strepitu dormiẽtem excitaret. Idem de Alexandro Magno narrat Ammian⁹ Marcellinus, qui cùm dormitaret, brachio extra cubile protenso, pilam argenteã manu tenuit, subiecta pelui, vt cùm neruorum rigorem laxasset sopor, pilæ prolapsæ tinnitu, somnum abrumperet. vigilauit vterque, dispari tamẽ fine, hic armis, ille litteris. Iulianus August. tanto flagrabat philosophiæ amore, vt arma contra Persas & Teutonas gerens, à quibus licet variis impedimentis irretitus teneretur, alacriter tamen, summaque dexteritate suo perfungens officio, dormiturus humi iacebat, totas ferè noctes & scribendo & legendo impendebat. Contra verò Epimenides Cretensis, cùm rus ablegaretur, oues pasturus, & ob nimios solis meridiani æstus, in frigidum quoddam antrum ingrederetur, somno oppressus 57. annos dormiuit, *teste Plin Pausania, & Apollonio.*

Vigilia.

Quantum demùm ad vigiliam attinet, nullus est, qui hanc somno non anteferendam censeat, (licet quandoq; horum alterum alteri sit anteponendũ) & in admirandis, contemplandisq; summi Conditoris operibus, in eiusdemq; laudibus decantandis, in artium, scientiarum inuentionibus maximam laudem, & prærogatiuam obtinere: Nam

Luce vigent operosæ artes, it miles in arma
Luce, gemunt fessi sub iuga luce boues.
Delia non noctu venatur: nocte quiescunt
Pulpita: sed luce est docta Minerua vigil.
Luce minax Pallas: vigilatæ quot bona lucis,
Corpora, Dij, sensus, ingenium, arsq; vigent.

Est autem vigilia expansio animi

nimi, à principio ad omnes corporis partes, & partium particulas: Cum è contra in somno natiuus calor, à corporis circumferentia ad centrum feratur, cibādi gratia: in vigilia autem iam pastus extenditur, & à cētro ad circumferentiam remigrat. Fit autem vigilia verius peracta alimēti concoctione discussis frigidis, crassisq; vaporibus, qui primum sensorium cerebrum nimirum detinebant.

Vt somnus, ita vigilia si modū excedant, malum; cum omne nimium, *teste Hippoc.* sit naturæ inimicum. Ambo si sibi certâ ratione & modo succedant, multis cōmodis hominem beant. Moderata vigilia plurimum ad sanitatem facit, mētem acuit, vires recreat, corporis facultates, & spiritus auget, sensibus torporē excutit. Quod si modum excedat, natiuum calorem & spiritus dissoluit, totum corpus resoluit, & lente exiccat, cōcoctionem impedit, perturbat, cruditates parat, sanguinem bilescere facit, molem & figuram, characteremque tum faciei, tùm totius corporis immutat, & macie contabescere facit, frontem vel serenissimam deflorat, rugisq; deturpat: cerebrum & ab eo manantes facultates, sensum, motumq; labefactat, virtutes deiicit omnes, tàm naturales, quàm vitales, & animales, lāguidum corpus lentâ macie ad mortem ducit, animū à statu suo dimouet, ac deiicit, & à ratione alienat, certa hominum studiosorum pernicies, quos incautos opprimit, & sensim litteris impallescentes, ac mortuis concolores, Zenonio more, redditos, tandem ad tumulum deducit, & ad orcum præcipitat: aut aliàs iisdem studiis intenta, aut sine vlla intermissione semper occupata cogitatione, mentem adimit, Id quod de Aristotele legimus, quem dum rerum naturas penitius scrutaretur, septies in die earum difficultatem, magnitudinem, ac diuinitatem demiratus, in eum tādem animi morbum incidisse ferūt, ex quo postea nunquam conualuerit, eamq; illi mortis causam extitisse perhibent. Hæc & eiusmodi incommoda ab immoderatis vigiliis prodeuntia, ferè ad amussim, in rustico Delemontano, dum hæc scriberemus, obseruauimus, qui vigiliis integrum annum durantibus, absque vlla intercapedine misere conflictabatur; concomitantibus intollerabilibus auriū tinnitibus, susurris, sibilis, fistulationibus, murmurationib⁹, incantamento magico, vt ferebatur, introductis, nullam opē medicam admittentibus.

Vigiliæ incommoda.

CAPVT XX.

De Repletione, & Inanitione, deq; Veneris vsu, quid, quantumq; Vitam in multos annos propagaturis, sanitatemq; conseruaturis vel prodesse, vel etiam obesse possint.

Pleni-

PLenitudinis fons & scaturigo est alimentum, quo corp⁹ dum plus satis nutritur, nimiâ humorum saburrâ repletur. Contigit autem eiusmodi repletio, & in venis, & ventriculo, intestinis, cæterisq; vasis, quæ nonnunquã ita obstruuntur; implẽtur, infarciuntur, atque distenduntur, vt quandoq; vel disrumpantur, crepent, vel materiæ supernè infernèq; ferantur, vel periculosæ hęmorrhagiæ sint pertimescendæ. Pessimam & periculosam in morbis vasorum repletionem esse dicit *AEgineta*; ventris autem repletionem, quandoque sursum, quandoq; deorsum vacuari. & tamen neq; hanc admittendã esse; sed si quis plura, quam par sit, ingesserit, vomitu reiicienda: indignum profectò homine ratione prædito, remedium, ad canes potius, & porcos remittendum. Satius enim foret frugali victus ratione vitam propagare, quam talibus remediis, non alimentorũ saburram modo, sed & vitam ipsem vomitu reiectare.

Medici tamen repletionis incommodis obuiaturi, plura excogitarunt præsidia ad repletionem tùm quoad vasa, tùm quoad vires curandam, vt sunt euacuationes tàm naturales, quàm arte paratæ, per consueta corporis emunctoria, per aluum nimirum, intestina, vterum, vesicam, hæmorrhoidas, cutis spiracula, seu poros, vlcera aperta, fistulas; per eas denique quas ipsi moliuntur medici, vt sunt venæsectiones, scarificationes, fonticuli, vesicatoriæ, purgationes, clysteres, vomitus, errhynna, sudores, apophlegmatismi, de quib⁹ omnib⁹, sequenti libro 3, abunde disseremus.

At qui verò cùm sobrietas sit verum repletionis pharmacum, qua vel sola duce, primi æui homines vitæ diuturnitatem nullis morbis contaminatam traduxerunt, solis frugibus, & arborum fructibus victitantes; veriùs ad eorum imitationem, frugalitati & parsimoniæ studendum, quam repletionis saburra infarcti, & ob nimiam distentionem ægrè spirantes, ad vomitus, canum instar & omnis generis purgationes, odiosa redundantiæ pharmaca, refugiendum, vt pleriq; hodie, non sine Numinis ira facere cõsueuerunt, qui vacuationis gratia corpus replent, & de integro repletionis causam contra naturæ præceptum exinaniunt, non minus repletionem, quàm inanitionem ferentes: imò prorsus & plenitudinem ceu fruitionis impedimentum ægrè tollerant, & vacuando subinde voluptatibus receptaculum parant, licet inde maxima damna, corporis nimirum conuulsiones, & perturbationes subsequantur.

Si tamen nimiâ repletione aut excremẽtorum saburra scateat, procuranda erit naturalis euacuatio,

euatio, cùm ex ea corpus velut sarcina leuetur, & ad obeundas functiones robustius, aptiusque reddatur; quod haud fieret, si vel naturali euacuatione non subducerentur, aut parcius, aut non talia, qualia oportet, aut quãdo expedit: Plurimum enim tùm ad vitam propagandam, tùm ad sanitatem conseruandam, debita ac sufficiens omnium excrementorum vacuatio; quæ si fortè subsistat, medici arte & industriâ procuranda, non tamen purgantibus remediis (nisi vrgens aliqua necessitas postulet) horum enim vsu, corpora malâ consuetudine afficiuntur, nutritionis opus impeditur, venter peracta euacuatione de integro pigrescit, & præmaturo senio ianua aperitur: sed ijs duntaxat, quæ ventrem mollire & laxare apta nata sunt, vt pot⁹ cibusq; citra repletionem tamen auctior, vina aquosa, & mediæ ætatis: cibaria item, & præsertim olera humida, & subacria, quæ tepidiora tamen & flaccidiora exhiberi debent: fructus item recẽtes, cibi oleosi: iuscula item calida, sæpe ante cibum hausta: pingues & flaccidæ iuniorum animalium carnes, ante aliquot dies mactatæ, & præsertim illarum iura: cibi leues, magis elixi, quam assi, aluum item subducunt, lentore quodam præditæ, vt est malua, atriplex, blitum, animalium extrema, ptisana, moderatus motus, erecto corpore factus post cibum, quo facilius fæces descendant: idem diu stare iuuat, quod si natura ad euacuandum stimulet, nunquam vel differenda, vel cohibenda. Adstricta aluo, diuretica seu vrinam cientia exhibenda nõ sunt, cùm succos ventrem humectantes, ad renes rapiant. Nimius & labor, & sudor & vigilia, tùm ventrem, tùm ipsum corpus plus satis exsiccant. Sic etiam crebra balnea, frequentes natationes, ventiq; aquilonares fugiendi, vt & frequens vomitus, repetitę purgationes, & clysterum infusiones quotidianæ, nisi è rebus pinguibus, oleosis, viscosis, ac lentore præditis parentur; & ne hi quidẽ assiduè infundendi ne natura his assueta, spontaneæ tandem euacuationis obliuiscatur. Quod si prædictis aluus suo fungi officio nolit, excretionesque tùm mane, tùm vesperi frustra tentẽtur, mane, vel vesperi tepidus clyster ex oleo, butyro recenti, vel vtroque mixtis ad 10. circiter vncias paratus inijciatur, additis succi maluæ vncijs 4. hac enim ratione & excrementa vacuantur, & aluus lubrica diu multumq; seruatur.

Quemadmodũ autem nimia vasorum repletio periculo non vacat, ita & immodica inanitio, quæ vel spirituum resolutione, vel balsamitici nectaris defraudatione, vel excrementorum euacuatione modum excedẽte tàm sponte, quam arte factâ, cõtingit, & vitæ, & sanitati maximè est in-

sensa. Quare spirituum resolutio, & humoris substantifici paupertas, tùm salubri aëris, odoramentorumq; inspiratione, tùm alimẽtis euchymis, substantificis, naturam corroborantibus, tùm etiam medicamentis & potissimum medicamentosis, viuificum illud nectar reparantibus restauranda: nimiæ verò excrementorum euacuationes, violentæq; tàm aluo, quàm vomitu, vrinis, aut sudore procuratæ, idoneis præsidiis vel coërcendæ, vel penitus omittẽdæ: licet lubricus venter plurimũ & vitæ, & valetudini cõferat, præsertim si spontaneæ ac naturales fuerint euacuationes, aluo scilicet quotidie mane & vesperi excrementa deponente.

Venus. Ad hanc quoq; classem Venus spectare videtur, cuius cùm immodico vsu, puriores corporis succi vitalesq; spiritus exhauriantur, & euacuato rossido illo humore, omnes solidas corporis partes irrigante, vitæ breuitas facile subsequatur, paulò altius hac de re differendum.

In actu Venereo profunditur semẽ, quod inter cæteros humani corporis humores primas tenet, velut nostræ tùm generationis, tùm perpetuationis fundamentum: eo enim in vterum maternum coniecto, & innato tùm partium, tùm solis calore vegetato, tùm generis humani, tùm reliquorum animantium rediuiua soboles perennat, atq; indiuiduis quotidie commorientibus, cõtinuâ nouæ generationis successione, mortalium genus, velut immortale perdurat.

Seminis autem origo iure ab esculentis & poculentis petitur, siquidem ex optimi alimenti cibo & potu laudabilis gignitur sãguis, cuius syncerior & magis elaborata portio, naturæ ductu atq; opificio ad partes generationi dicatas transmissa, suis receptaculis & vasis spermaticis recepta, iisq; obliquis & anfractuosis diutius reseruata, cohibitaq; & peculiari testium vi & robore elaborata, in seminis prolifici & fœcundi naturam permutatur, deq; rubeo colore albidum, postremâ illâ actione, & amplectentium, alterantiumq; vasorum similitudine induit, nouæ generationis futurum argumentum. Cur autem semen excrementum (vt multi & volunt & scribunt) dixeris, illum scilicet humorem, quo null9 in toto corpore præstantior, siue generationis naturam spectes, siue concoctionis modum, siue præstãtissimi operis vsum, siue mirifici in exercendo titillatus, atq; voluptatis incredibilem effectum? Sed esto, maneat intus in corpore, nec excernatur, non tamen vt cætera excrementa, vrina, pituita, bilis vtraq; (quandiu suis naturalibus cõceptaculis continetur) vel tormina, vel rasuras, exasperitatesq; parit, sed animali viuidum colorem, & vegetum calorem conciliat,

liat, robur addit, & mirificè opimat, vt in adipem conuerti, & partes sibi dicatas, substantiæ similitudine alere credibile sit, vti & lac ipsum: cùm *Galen. lib de semin. cap. 12.* arterias, venasq; spermaticas semine ali profiteatur, ita vt illarum partium alimentum dici, & deniq; quod superest, excrementum haberi queat *Cicero 2. de Nat. Deor.* seminis vim tantam esse scribit, vt id quenquam sit perexiguũ tamen si inciderit in concipientem, comprehendentemq; naturam, nactumq; sit materiam, qua ali, augeriq; possit, ita efficiat, effingatq; quidquid in suo genere, partim vt tantummodo per stirpes alantur suas, partim vt mouerі etiam, & sentire & appetere, & ex sese sui similia gignere possint.

Aristoteles semen vltimi alimẽti excrementum definiuit, quod in se vim conficiendi tale contineat, quale est id, à quo est proiectum: *Pythagoras* optimi sanguinis spumam, seu superabundantem nutrimenti partem: *Alcmæon* cerebri particulã: *Plato* spinalis medullæ profluuium: *Epicurus*, corporis & animæ euulsum quiddã: *Democrito* semen ab omnibus corporis partibus emanat: *Hippoc. lib. de Genitura*: Genitură à toto corpore vult secerni, & a solidis, & à mollibus partibus & ab omni humido, in toto corpore: vult item in ipsa genitura egredi & fæmineum, & masculinum, & ab omni corpore, & à debilibus debilem, & à fortibus fortem. *Galen.* quoq; hominis semen, ex omni corporis humore è subtilore 4. humorum natura consurgente, descendere, & neruos, & venas proprias attrahentes se à toto corpore ad partes genitales, habere docet qui nerui & venæ, ex viri & mulieris fricationis calefactione illud emittant. Vnde non mirandum, eos qui immoderatâ Venere vtuntur, imbecilliores reddi, cùm vniuersum corpus sanguinis, & spiritus purissima, & nobilissimâ parte defraudetur. Accedente voluptate, quæ vel sola vitales vires dissoluere potis est, vt nõ pauci ob nimiam voluptatem interierint. Ideo enim Venerem damnauit *Democritus*, vt in qua homo alius exiliret ex homine (*Epicuro* species quædam epilepsiæ dicebatur) Est sanè rarior eius vsus, vtilior: torpentes tamen Athetæ, *teste Plinio*, Venere restituuntur: medetur & lumborum dolori, oculorum hebetationi, & mente captis atq; melancholicis.

Ex iam enumeratis abunde constat, quanta sit seminis, nobilissimi illius ac roscidi humoris præstantia, & è quibus corporis partibus in venereo congressu, magno vt plurimum virium detrimento & iactura decidat; quæ cùm ita sint, cautissimè ijs dunta xat, qui viriũ robore valent (mo do licita, & concessa sit) exercenda Venus erit: Qui enim frequẽtius quam par sit, aut corporis vires,

Immodicæ Veneris incõmoda.

res, ætas, anni tempus, ferant, in Paphum nauigant, atq; vxorum embolia frequentant sæpius, præsertim si viribus minus valent, exangues, emaciati, sicci, ac flaccidi vitam, valetudinemq; supra modum deijciunt, exangui, giluo, plumbeoq; colore, fractis etiam articulorum viribus conspiciuntur, Venere venustatis florem, & humorem balsamiticum deprædante, & emungente.

Quod si moderata fuerit Venus, seseq; intra mediocritatis limites continuerit, corpus ab humorū sarcina, liberabit, frigidos ac pituitosos morbos arcebit, meatus dilatabit, mentem, rationemque hilariorem reddet, iram, furorēque melancholicum mitigabit. Nimius verò vsus, multorum malorum est occasio, spiritus resoluit, visum destruit, licet contrariū scribat *Plinius* cerebrum, totumq; corpus desiccat, animos effæminat, omnium membrorum robur frangit, pulmonibus, jecori, & inprimis ventriculo, si sumpto statim cibo exerceatur, nocet, vitalem facultatem exhaurit, melancholiam à spirituum animalium exhaustu parit, prematurum senium, canitiem, & ipsam denique mortem accelerat. Vnde interrogatus Pythagoras, quando Venere vtendum esset? cùm quis ægrotare velit, respondit.

Paulus AEginet. & Aëtius lib. 3. c. 8. volunt veneri statim à cibo & ante somnū indulgēdū esse, cùm enim hunc laborem statim somnus & quies sequatur, minor inde verenda virium iactura, aut si quæ facta sit, per somnum facile resarcitur. At verò *Hippoc.* & *Gal.* volunt eam à cibo, & post somnum exerceri: sic enim habet *Hippocr.* oraculum: *Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria; quo rectum conuenientemq; ordinem tradere videtur, ita vt labor cibum; hic potum, potus somnum, & somnus venerem præcedat.* Venus ergo concocto iam cibo, post somnum moderatè, exercenda. *Celsus lib. 1. cap. 3.* vult Venerem neq; æstate, neq; autumno vtilem esse, tollerabiliorem tamen autumno; æstate omnino relegandam: hyeme verò non æque, perniciosam, at vere tutissimam.

Quæritis an Veneri liceat parere vocanti?
Hic quoq; erit certus (sicut vbiq;) modus.
Multa Venus vires exhaurit, spiritibusq;
Noxia, consumit corpora mille modis.
Rara leuat, corpusq; iuuat venus: optima vita est:
quæ neq; casta nimis, nec nimis est petulans.
At tu, cui studij flores, fructusq; petuntur,
Coneris venerem spernere, sanus eris.
Namq; nec Aonidum venus improba ludit in hortis,
Nec turpes flammas Musa pudica probat.
Ipsa gubernatrix studiorum casta Minerua est,
Artibus ingenuis est inimica venus.

Quærendum tamen hoc loci, cùm Veneris & bonum vsum, & malum esse adduxerimus, nùm ad vitam propagandā sanitatemque cōseruandam prodesse quoque possit? Qui in vasis spermaticis seminis abundātia redundant: æque bene atq; salubriter, seminis, atq; reliquorum humorum in corpore redundantium excretionem.

tionem ferunt, modo & legibus, & iussu naturæ fiat. Est enim naturæ opus, seminis turgescentis excretio, subsequente postmodum totius corporis leuamine, & faciliore spiritu. Quæ verò Veneris impulsu & congressibus accidit, nisi tempore, debito modo, & cōuenienti vsu exerceatur, vix ac ne vix quidem, citra damnum adhibetur, cùm & vitam breuiorem, & homines imbecilliores reddat, & ad præmaturos canos præcipitet, vti experientia in salacioribus animalibus demonstrat, cùm veneris vsu substantifica humiditas qua vita in multos annos fulcita durat, exiccetur: ob eandem causam fœminæ marib⁹ ferè sunt diuturnioris vitæ, vt in passerculis videre est; cùm *teste Hippoc.* à Veneris vsu, paucula re amissa, ob id imbecilles reddamur, eo quod ab omni humido genitura promanet, & id quod robustissimum est, vuacuetur. Idem confirmat *Gal. 4. de sanit. tuend.* dum à Veneris vsu corpus laxius, frigidius, imbecillius, atq; siccius reddi, cerebrumq; multum labefactari scribat, eo quod vniuersum corpus purissimâ parte, defraudetur, accedente voluptate, qua vel solâ corporis vires dissipantur. Comparatur idem Veneris actus, Epilepsiæ paruæ, quod mentem percellat: consequitur enim manifesta corporis dissolutio, atq; imbecillitas, & omnium corporis partium frigiditas. *Plus nocet*, inquit *Auicenna, quantumuis exigua seminis citra natura volunt atem profusio quam si quadragies tantundem sanguinis profudisses.* Ideo scribit *Plin. lib. 7.* Cornelium Gallum, Quint. Heretium Romanos Equites, nimio veneris vsu extinctos; nam copiosâ seminis excretione, & spirituum vitalium effusione, totum corpus concutitur, & incalescit: tanto enim maiori abundantiâ emittitur semen, quantò maiore voluptate excernitur, vehementiore accedente imaginationis potestate, Venerem sopitam exuscitante. Quotusquisq; in licita etiam venere proprios frænat appetitus? Quotusquisq; matrimonio iunctus, nō voluptate potius, quam ratione ducitur, & vitæ, valetudinisq; iacturam, carnis illecebris postponit? De bestiis illis, & ferialibus Lupanarium mancipijs nihil dicimus, præstat enim verecundâ fronte horum lasciuiam plusquam porcinam tacere, quam scriptis aliorū oculis proponere: interim & bellissimè esse diutissime viuere, nullis morbis conflictari, at viribus pollere, & formæ venustate superbire, Deū, homines q; contemnere, & quiduis pro voluntatis iussu impunè patrare, sperantes. Quis enim ignorat in dies plures Venere, quā gladio perire? An non ob violatam vnius Leuitæ concubinam vltra 40000. hominū in acie cæsa, totamq; fere tribum Benianitarum deletam legimus. Quod si

quis hisce contentus esse nolit, tùm sacras, tùm prophanas historias euoluat, & ad stuporem vsq; cognoscet, quot mala, quot incōmoda, quot cædes, quot bella, quot incēdia, quot vrbiū euersiones, agrorum depopulationes Rerumpubl. dissidia, Regnorū vastationes, ex vnica hac bestia, ceu è Pandoræ pyxide promanarint, vt nunc vitæ propagationem, tantū mortalium thesaurū, ad quē tot⁹ aspirat mundus, silentio inuoluamus, quæ toties, huius impetuosissimi maris fluctibus naufragiū patitur, nulla artis ingenio, aut vix ac ne vix quidem magnis laboribus reparandum.

Vitam igitur in multos annos sartam, tectamq; propagaturus, si cœlebs sit, adhibitis primum spiritualibus præsidijs, omnibus Veneris irritamentis sese acriter opponat, impudicas cantiunculas, obscœnos libros, inhonestos sermones, cogitationes, visus, tactusque indecoros cane peius & angue fugiat frugali victus ratione, inediâ, abstinentiâ, pœnitentiâ gliscentes Veneris igniculos sopiat, extinguat, suffocet; laboribus, vigilijs, studijs assiduis hāc belluam opprimat: à carnibus, ouis, vinis generosis, cæterisq; alimentis Veneri fomenta subministrantibus abstineat, quantum pro conseruanda corporis salubritate par fuerit. Quod si aliqua corporis vitiosa constitutione, aut morbo, & gonorrhæa, vires plus æquo labascant, morsellis sequentibus è saccaro & seminibus agni casti, portulacę, plantag. acetos. menth. & camphoræ, oleo paratis, sub lecti ingressum vtatur, renumq; regionem, vnguento è succo solatri, semperuiui, portulac. plantag. & oleo rosac. myrtin, omphacio, & pulu. santal. rubeor. rosar. sem. acetos. &c. conflato inungantur.

CAPVT XXI.

De varijs animi perturbationibus, quid nimirū, & quantum concitatiores animi motus, qui præter rationem indomito impetu feruntur; vitam propagaturis, & sanitatem conseruaturis nocere poßint?

NVNC paucis de Animi perturbationibus, vitæ, valetudinisque rectum cursum impedientibus, agendum, (quas animi passiones, seu feruidos, turbulentos, ac inquietos animi motus, atq; fluctus, à recta rationis via deflectentes nūcupant) quas quidam ad decem, alij ad septem classes referunt: Ambitionem nimirum, Auaritiam, Voluptatem, Inuidiam, Curiositatem, Iram, & Metum: Pleriq; tamen quatuor duntaxat in genere agnoscunt, Gaudium, Dolorem, Spem & Metum: inde illud *Virgil.*

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentq;, dolentq;.

Hi affectus tam à causis externis, famæ nimirum & honorum iactura, inimicitijs, rancore, indignatione &c, quam internis excitantur, varijs scilicet corporis doloribus & morbis corpus excrucian-

ciantibus & ab ipsismet pathematib' animos nostros vario motu incitātibus exercentibusq;. Nam vt animæ passiones, corporis perturbationes sequuntur: sic è cōtra ex mentis passionibus corpora ad consensum trahuntur: Hinc *Horatius*:

Nam corpus onustum
Hesternis vitijs animum quoq; prægrauat ipsũ,
Atq; affigit humi diuinæ particulam auræ.

Passionum effectus. In homine profectò, cui passiones dominantur, omnium vitiorum radices existunt; ex illis innascitur superbia, pullulat libido, cupiditas, odium, inuidiæ acerbitas, rerum pereuntium amor, Dei & æternorum obliuio. Sint in homine virtutes, vna vehementior passio, omnia tollit. Vniuersam domum, vrbes, regiones, regna subuertit, conuellit, solo æquat, omnia sternit, nihil ordinatum, quietum, sartum, tectumq; relinquit: Os eius, dentes leonis, hominum animas interimentes. Sicut rugitus leonum, ita terror eius. Manus eius contra omnes, vtinam omnium contra ipsam, ne miseri, vel ad interitum trahātur, vel immaniter torqueantur: Hominem iumentis insipientib' similem facit, & in bestiam commutat, & in varias, Prothei instar formas conuertit; vt nunc libertate anagri pullum; nunc lasciuiâ equum & mulum, impudētiâ canem, pertinaciâ serpentem, astutiâ vulpem, furore leonem, timiditate ceruum, leuitate auem, nugacitate simiam, simplicitate mustellam, calliditate felem, verborum mordacitate vespam, detractione viperam, turpitudine porcum, rapinâ lupum, acediâ asinum imitari videatur, vt fusius libro primo docuimus. Vehitur enim homo in cupiditates & passiones, qui suis sese imposuit. Et sanè licet varia & portentosa naturæ monstra reperiantur, nullũ tamen homine passionibus turpiter subiecto, deforme magis, & abominabile est, horredum omnino, informe, ingens, cui lumen, rationis, ademptum; poëtico cētauro simile, sursum hominis, deorsum equi formam referentis, plangens vt draco, ineluctabili catenarum nexu ligatum. Passiones item hominem diuina non rarenter gratia, (bono, cui nihil neq; in homine, neq; extra hominem in toto naturæ ambitu exæquari, necdum præponderari potest) vel eius dulci fruitione priuant, compedibusq; degrauatam in terra detinent: Hominis dignitatem, qua ad Dei imaginem cōdita est, miserrimè deformant, & viuos eius characteres obscurāt, Dei similitudinem, valdè dissimilem reddentes. Tyrannidem in eum etiam exercent, quatenus eidem suâ caligine diem eripiunt & luminis claritatem iniectis hirundinum stercoribus obscurāt, mentis aciem, circumfusâ nebulâ obtundunt, rationem, imperij præsidem, omniumq; actionum reginā

Passiones animo dānā inferre.

In ratione.

reginam & regulã, è sua sede deturbant, consilium exterminant, iudicium pertinaciâ accendunt, mentis virilitatem effæminant, altumq́; adeo & immane illi ignorantiæ telo vulnus affligunt. Hinc homo quasi vas confractum, sapientiam non tenet, & quasi dolium pertusum intus ã reijcit, desiderabilem thesaurum glutiens. De supernis bonis, à Deo promissis, deq́; beata vita nihil cogitat, fugit eum finis vltimus: cæcutit in earum rerum cognitione, per quas ad beatam vitam, omnium bonorum complementum, perueniri potest. Seipsum item non noscit, & ab eo, illud γνῶθι σεαυτὸν, lõgissimè distat; vitans nimirum, vti elephas, aquam, ne horribilem suipsius effigiem intueri cogatur: interim tamen dum in suis cæcus est in alienis scrutandis oculatissimus est; quod stultitiæ propriũ esse dicit *Cicero*, *aliorum vitia cernere, obliuisci suorum*. In rebus itẽ agendis & gerendis ita errat, vt errores sibi dici nolit, nolitq́; recta videre, terrena solum, & fluxa huius mundi solùm lynceis oculis videt, gustat, præcipitiq́; ad ea cursu fertur.

Paßiones in Voluntate.

Passiones item profundè voluntatem confodiunt, grauiq́; & immani telo sauciant; faciunt enim vt diuinæ non consentiant, quod omnino multum est. Passionum impulsu vaga & instabilis est voluntas; impellunt enim vt quasi momento in malum, sub specie boni, iudicium sensus, non rationis sequendo inclinetur. Inclinetur autem? feratur, & magno quidem impetu, vt furens vnda torrentis, quæ omnia vel deuoluit, vel euertit. Bonis item & donis omnibus prædones vastitatẽ afferunt, & innumerabilium malorum segetem inuehunt: Faciũt insuper in homine, vt illa infausto sui primùm amore, noua in ipso vulnere tela proferat; vitia, vitiorumq́; fontes, carnis cõcupiscentiam, diuitiarum cupiditatem, & vitæ superbiam arctè complectatur, eaque latissimè generatione propaget, vt vix vllis comminationibus, flagellisque propositis, & inflictis, ab ea abduci possit.

In memoria.

Intelligentiæ quoq; matrem, rerumq́; magistram memoriam, passiones memoriâ priuant, eiusque loco damnabilem illi obliuionem, primum illud Adami malum, infidelitatem infideli inducunt, Dei inprimis, & multitudinis misericordiæ eius, beneficiorum scilicet tàm eorum, quæ naturæ complexu continentur, quã quæ ipsam excedunt, gratiæque nomen merentur, tàm generaliũ, quàm particularium, tùm collatorum, tùm cõferendorum, sicq́; infamis mali, ingratitudinis nimirum causa existunt; quæ homini summè detestandę, iustitiæ inimica, legibus opposita, naturæ contraria, & Deo est inuisa; sordida sanè vitiorum cloaca, & omnium iniuriarum epilogus.

In Sensibus. Sensibus quoq; plura damna inferũt passiones, eos enim portæ faciunt, per quas & anima egreditur, rerumq; corporearum delectatione inescatur, & hostis antiquus per species, ceu rerum externarum nuntios, in eam vel apertâ vi irrumpit, vel clãculum irrepit, sicq; sensus à Deo aberrant, malisq; omnibus prostituũtur. Interim earundem passionũ operâ, variarũ imaginum turbã menti offerunt, & zelphæ garrulę instar, per varia discurrẽtes, cordisque domum importunis clamoribus complentes, domesticã tranquilitatem perturbant, & otium. Externi verò quinque illi sunt Reges, qui ingressum terræ promissionis impedire nitebantur; & quinq; fenestræ, per quas dum illi, difracto rationis imperio, liberè insolenterq; vagãtur, & ad quæuis haurienda effundũtur, quosuis hostes, quantumuis noxios, ad hominis arcem, & diuinorum thesaurorum arcam, & certissimum exitium perfidè & proditoriè intromittunt, sicq; supernatantem animam exagitant & ad quæuis vitia surrepto thesauro pertrahunt: veneficii omnino vasa succis venenatis plena ferentes, verbisq; magicis verius quam nectare & ambrosia. Oculi quibus vix nequius aliquid creatum est, ex rebus, per quas foris vagantur, venenũ hauriunt, quo ad mentis perniciem abutuntur, & animam deprædantur, quique AEgyptii vxorem corruperunt; Dauidem confoderunt, vinxerunt, interfecerunt; duos adulteros senes fascinarunt; Dianam violarunt, sexcentos ad terram affixerunt, vitaq; exuerunt, amoris duces. Aures, quæ spinis erãt obstruendæ, patulæ prauos hauriunt sermones, nugamenta, fabulas, Helenæ raptus, AEneę errores, Didonis querelas, Deorũ adulteria, bella ficta, somniatas fortitudines, & quæ sunt de genere eodem. Gustatus voluptuarius efficitur, & in ventrem, Veneris amicum abiicitur. Nares odoramentis & vnguentis effæminantur, sicque tetro nonnunquam vitiorum fœtore inficiuntur. Tactus deniq; toto corpore fusus, corporearum voluptatum, libidinis inprimis seminarium efficitur.

In hominis corpore. Præterea in hominis corpus plurima damna inducunt passiones, earum enim operá peccatum, in thalami socium sibi corpus coniungit, sicq; quod debet, animæ non seruit, sed intemperãtiæ inprimis, cuius ratione homo cum Apicio, Philoxeno, Apamo, cæterisque bestiarum in morem viuit, lautas culinas, elaboratas carnes, Męandri anguillas, murænas ex freto Siculo, & qui in Melo sunt, hœdos in cibũ conquirit; & in vino commoratur, calicibusq; epotandis studet. Libidini deinde quam venenatus Dæmonis flatus inflammat,

sic ille seruit, vt contumeliis corpus afficiat, templum Dei violet, Christi membra disperdat, gen⁹ Dei, stabuli cura commutet: Sus omnino in luti volutabro, & scarabæus in stercore. Atque hæc succinctè quidem, & non genere de passionum animi detrimentis nunc de præcipuis duntaxat singulatim, & in specie, pauca disseramus.

Ambitio Ambitio in primis, ardens illa ad supernorum honorum gradũ insania, quid non tentat: quid nõ in dies in Principum, Regumq; aulis, & in cuiuscunq; status hominum animis, clam, palamque molitur? Hæc sanè vitio datur, quod immoderato inanis glorię studio teneatur, nõ quod publicam vtilitatem spectet, sed cæteris cum tumore, fastuq; dominetur: vnde & maiore ratione damnatur, si obliqua via, & nocendi potius, quam proficiendi studio, ad eos gradus contendat. Luculenta huius passionis, quæ prima quasi in humanam scænam irrupit, testimonia & insignia eiusdẽ supplicia, omnibus ferè sæculis apparuerunt. Quoties Deus hominum superbiam & arrogantiã non puniuit? An nõ Lucifer ambitione inflatus, cum asseclis à summo cœli, ad inferni ima pręceps est actus? & in profunda inferorum barathra detrusus? An non primi nostri parentes, ambitionis stimulis acti, seseq; Deo æquales, superbè, redditari, tantum fecêre lapsum, vt maximis tùm animi, tùm corporis dotib⁹ quibus insigniter excellebant, exuerentur? Ad horum exemplum, vt & sacræ, & prophanæ testãtur litteræ, Reges, Principes, Monarchæ, & cuiuscunq; ordinis homines, cristas Thrasonum & Salaconũ more attollentes, miserè tandem periêre: Ob nimiam superbiam Goliath capite truncatur; Senacherib, Holofernes, furibunda ferocia, & superbissima in Deum insurgentes, & vitâ, & castris, fuso illorum exercitu, exuti, spoliatiq; fuerunt: Ozias non contentus regiâ dignitate, sacerdotium ambiens, eandem pertulit mulctam: Nabuchodonosor Rex & Herodes diuinitatis titulum affectantes, ille ratione hic regno priuatur: Nec Monarchæ illi Caligula, Domitianus, Heliogabalus, & alii quam plures, diuinos sibi honores deferri volentes, manum Dei effugere potuerunt. Hoc ipsum ingeniosissimus *Ouidius* in suâ Metamorphosi de Phaetonte diuinitatem affectante, sic pulchrè canit:

Altius egressus cœlestia signa cremabis,
Inferius terras, medio tutissimus ibis.

Qui tamen eo ipso momento tãtæ ambitionis, & superbiæ, & sui conflagrationis pœnas dedit.

Inordinatus rerum terrenarum amor. Inordinatús rerum caducarũ amor, animum ad perniciem vocat, ad ima præcipitat, in profunda demergit, & visco turpitudinis

nis detentam, ad Deum peruenire non ſinit. Intellectum obcęcat, & fraudulenter eius conceptis ſe immiſcens belluarumque in morem rapiens, efficit vt diuitias, honores, gloriam, vel bonas vel meliores, quā ſint, opinetur: rationē faſcinis ſuis de ſtatu deturbat: volūtatē, à Dei amore, virtutumq; ſtudiis auocat, & omnibus vitiis, ſpiritum, vitamq; largitur, bonorum memoriam elidit, malorum verò inducit, DEI imaginem deterit, ſimilitudinēque vel deformat, vel penitus euertit, honeſtas actiones ſuffocat virtutes elidit, leges infringit, omnia pro libidine agit, frænum mordet, omnes ſenſus extinguit oculos arctiſſimè vincit, aures malorum lernâ complet, odoratum corrumpit, guſtatum deprauat, tactum libidinis ſeminarium efficit, corpus in ſpurcam haram, & vile iumentorum ſtabulū permutat. Quid multis? ab immoderato hoc amore oritur æmulatio, ab æmulatione ira & furor, à furore vindicta; ex hac poſtmodum iniuriæ & læſiones naſcuntur, quę ſupplicii demùm metum incutiunt. quem perpetuò triſtis reminiſcentia, tædium & mœſtitia conſequuntur. Quod ſi morbos enumerare velimus, plures tùm animi tùm corporis morbi inordinatum hunc amorem ſequuntur: lāguores, lypothymiæ, palpitationes, ſyncope, paralyſes, omnis generis cruditates, arthritides vigiliæ perennes. Omnem item treptices facultatem, & œconomiam euertit, vitiatq;, & homines ſubtumidos, pallidos, liuidos, macilentos, rugis deformes, & omni vegeto colore deſtitutos conſpurcat, & contagioſis ſæpe morbis defædat. Et hæc ſunt ornamenta, hæ dotes, quibus ſatellites ſuos voluptas exornat, quas tamen præ amoris inſania non reformidant, & ſapientiſſimi hoc amoris philtro ineſcantur: Salomon enim omniū rerū cognitione à Conditore inſignitus, veruſq; omnium ſcientiarum torrens, turpiſſimis tamē amoribus irretitus, Idololatra factus, ſummum bonum turpiſſimè amiſit. Marcus Antonius & togâ & armis clariſſimus Heros, tanto tamen Cleopatræ amore accenſus, totus tandem effæminatus, & rei militaris peritiam, & animi magnitudinem, corporiſque fortitudinem amiſit. Quis ignoret Herculem tot monſtrorum domitorem, totiuſq; fortitudinis ſpeculū, indomito huic monſtro vinctas tradidiſſe manus? & amatorio Omphales veneficio ſuccubuiſſe? An non fortiſſimus & robuſtiſſimus Samſon, vnius Dalilæ amore, & fortitudinem, & libertatem, & viſum, ipſam deniq; vitam amiſit? Lucius Vitellius, Vitellii Imperatoris pater, ſtrenuus, ingenioſus, & prudentiâ clarus, vſqueadeo tamen libertinæ cuiuſdam amore

irretitus fuit, vt nihil non homine indignum patraret, vt vilissimi scorti saliuam melli permixtam seruaret, qua velut oportuno restaurandæ vitæ balsamo, arterias & guttur crebro, & publicè, abiecto omni pudore, ad eiusdem gratiam aucupandam perfunderet. Eodem hoc amore homines non rarenter pecudum instar hebetantur, sed & lymphaticis similes redduntur, seseque præcipites agunt, & crudelē suæ vitæ lanienam exercent. Huius generis monstra fuerunt Phillis, Iphis, Hæmon, Sapho, Calluce, Phædra &c, quibus mors à seipsis illata, quod tantæ passionis insultus, ferre non possint. Galeaceus Mantuæ Dux Patauii degens, à puella, quam deperibat, iussus, vt se in Brentam fluuium cōiiceret, admissis statim generoso equo calcaribus, se in flumen præcipitem dedit, vt illi morem gereret posito omni mortis terrore, cùm tamen sola huius rei lectio, sanæ mentis hominem percellat. Caligula vsqueadeo ab vxore sua Cesonia amatorio poculo est infectus, vt nullam postea nec animi, nec corporis sanitatē sit consecutus. Cornel. Galus temporibus Augusti AEgypti præfectus, consimili poculo furiosus est factus. Lucretius poeta eodem poculo ab vxore Lucella exhibito, tantis fuit furiis agitatus, vt sibi ipsi mortem consciuerit: de quo sic *Politianus*:

Hic, qui philtra bibit, nimioq; insanus amore,
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnē.

Auaritia.

Iam verò quantis fluctibus omnium ferè hominum animos inquietudine, vigiliis, curis, sollicitudinibus, periculis terrâ, marique occurrentibus metu, spe, imò & desperatione sæpe, nō exagitat, concutit, & prosternit furialis Auaritia, sacra illa auri fames, & omnium malorum radix? Copiosè id sanè diuinæ edocent litteræ; *Qui enim diuites fieri volūt,* ait *D. Paulus, in tentationes, & diaboli laqueos incidunt: Desideria multa, inutilia & nociua, quæ mergunt in interitum & perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quā quidam appetentes, errauerunt à fide & multis se doloribus inseruerunt.* Hæc *Paulus.* Confirmant hoc varia & scripturæ, & historiarū exempla: Desiderarunt olim Israelitæ carnes in deserto, eas dedit Deus, sed cùm adhuc dentibus illorum frangerentur, percussit eos plagâ magna, nimis, vocatusque est locus ille concupiscētiæ sepulchrum. Esau lenticulæ desiderio, primogenituram vendidit: Iacob Rachelis desiderio æstuans, duros sustinuit labores: Ammon tanto sororis Thamar desiderio captus, vt & stuprū admitteret, & vitam amitteret: Iudas lucri desiderio Christum vēdidit, & facti lucrū fuit laqueus: M. Crasso mortuo à Parthis aurū est infusum, vt quo viuus præ cupiditate nō poterat, mortuus saltem

tem auro ſatiaretur. Sic enim de eo *Plutarch.* & *Florus* ſcribunt: M. Craſſus cùm eſſet ditiſſimus Romanorum, haberetq; tantũ agri, quantum nec Miluus oberraret, ſibi tamen modum præſcribere, aut temperare non potuit, quin Parthos (quorum opes ſitiebat) agrederetur: à quibus cum toto exercitu fuſus, immodicæ libidinis pœnas dedit. Idem fecit Cyro Tomitis regina, & Aquillio Mytridates. Iuſtitiam ſi ſitiſſet, voluptatis flumina bibiſſet, ſeq; ab vbertate domus Dei inebriaſſet: cupiditas cupiditatem accendit, acuit, & flammæ ſimilis, ægrè præfixis terminis coercetur; & rapacis fluminis inſtar, inundatione euagatur, & alia quæuis inuadit, ſecumq; rapit, ita vt non immerito inter violentiſſimas & ferociſſimas animi paſſiones numeretur, cùm infinitis fluctibus hominum animos exagitet, vt nullo non turbine, nocte, dieq; perpetuis eos vigiliis concutiat, emaceret, proſternat: Freti enim & auguſtiarum Lybicarũ inſtar ſe habet, vbi perpetuis flatibus, fluctibuſque & iis quidem contrariis inter ſcyllam & charybdim, mare cõturbatur, & ſurſum, deorſumque conquaſſatur: variis enim ſtipatur furiis Auaritia, diffidẽtiâ ſcilicet, metu, ſollicitudine, vigiliis, inter ſpem, metumq; & deſperationem fluctuans perpetuis curis torquetur & ſæpe non niſi gulâ laqueo fractâ quieſcit. ſed de hoc monſtro libro etiam primo ſat multa attulimus. Hanc omnium ſcelerũ matrem ſic deſcribit *Tibullus*:

Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quam ferus ac verè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via eſt.
At nihil ille miſer meruit nos ad mala noſtra
Vertimus in ſæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc vitium eſt auri: nec belle fuerunt
Faginus adſtabat cum ſcyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, ſomnumq; petebat
Securus varias dux gregis inter oues.

Auaritia.

Inuidia & Odiũ

Quid autem de portentoſo, horribili & execrando Inuidiæ monſtro dicemus? Quod nõ malorum flumen excitat? Quas non clades, bella, morticinia, carnificinas ciet? Quos non tacitis igniculis deprædatur? Quos non occultis venenorũ poculis è medio tollit? Multis quidem damnis, & incommodis afficiuntur, qui vanæ gloriæ ardore rapiuntur: Multis quoq; paſſionum fluctibus ſe exponunt, qui Auaritiæ & Cupiditatibus vela pandunt: at Inuidia haſce paſſiones multis ſuperat paraſangis, nam charitati primò, omnium virtutum reginæ arma mouet, diuinæ diſpoſitioni reſiſtit, & proprio gladio propriam ſanitatem deprędatur. Nec enim fœdiſſima hæc lues ex naturæ imbecillitate, aliarũ paſſionum more, ſed ex propriæ voluntatis peruerſitate prorumpit, ita vt ex aliorum felicitate, ſuum contrahat infortunium, & ex alterius infortunio ſuam quærat felicitatem. Imo dum alios odio perſe-

persequitur, seipsum perdit; *Qui enim* ait *D. Ioann. odit fratrem suum homicida est:* per odium scilicet propriam animam occidens. *Qui enim* ait *S. Ambrosius, inuidet, vel odit, non alium prius, quàm seipsum occidit: Qui in proximi aduersis exultat, & in prosperitate illius affligitur, alieno se proximum petit gladio.* Hanc odii & inuidiæ calamitatẽ eximio schemate depinxit *Ouid.*

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno
Risus abest nisi quem visi fecere dolores,
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo
Successus hominum, carpitq; & carpitur vna,
Suppliciumq; suum est.

Hinc variis rebus comparatur à *S. August.* naui assiduis fluctibus agitatæ, quę semper perturbatur: Lupo item immaniter insanienti, *S. Chrysostom.* dæmoni: alii pisci Polypo, qui subinde propria mẽbra corrodit, Tygridi quæ se occidere solet, eo solùm, quia cytharæ concentum ferre non potest; Viperæ, vt enim illa prolem cõcipit, quæ perrupto matris vtero nascitur. Sic odio tabescẽs cõcipit inuidiam, quæ illi interitũ machinatur: Actæoni, qui à propriis canibus, vt odio prægrauatus, rabidis suis morsibus dilaniatur; Tineæ, quæ lignum, in quo gignitur, corrodit, & consumit. Sicut etiam vultures, relictis amœnis pratis, ad tabida loca feruntur; Muscæ relictis sanis mẽbris, ad vlcera conuolant; Sues luto exultant; Scarabæi stercore nutriuntur; Noctuæ tenebras sectantur: ita qui odium, inuidiamque concipiunt, malis alienis intendunt. Rectè proinde Menander, odio flagrãtem, suiipsius hostem; alii carnificem appellant, vt & infernum. Nocet deinde aliis inuidia; *Omnis enim, qui odit fratrem suum homicida est, teste Ioan.* Sæpe enim ex odio homicidium nascitur. ait *Hieron. Quicunq; odit, etiamsi nec dum gladio percusserit, animo tamen homicida est.* Odio vẽdiderunt fratres Iosephum; Saul Dauidi insidias struxit; Aman Mardochæo patibulum parauit; Palestini Israelitarũ pueros obstruxerunt; Iudæi Christum Seruatorem nostrum crucifixerunt; odio Chrysostomus in exilium agitur; Athanasius stupri accusatur; Nazianzenus cathedrâ priuatur; Belisarius exosculatur; malè voluit Alexand. Mag. Perdicę, Lysimacho, Seleuco, Ptolomæo; quia bellicâ virtute, magnanimitate, & felicitate eum superarunt. Caligula pulchros & comatos (ipse verò raro capillo) quoties sibi occurrerunt, occipitio raso, deturpauit. Torquato torquem; Cincinato capillos; Cn. Pompeio Magni cognomentum abstulit. Cur ita verò? Quia eos odio prosecutus est. Cambyses Persarum Rex fratrẽ suum Smerdim innocentissimum, ęmulatione eius roboris interfecit. Odiũ, vno verbo, peccatum in mũdum inue-

inuexit, mortem infelix mater peperit, infernum aperuit. Odii ergo honestissimus esset occasus.

Ira.

Sed quid de crudelissima, cruentissima, audacissima, & omnib⁹ maximè terribili Megęra; Ira scilicet, vt *Seneca* & *Plutarch.* scribũt, quæ manu, linguâ, dentibus, vngulis, cornibus, truculentoq; aspectu, seditionum, turbationum, litium, tumultuum, bellorum, homicidiorum, excidiorum, euersionum, ac omnium malorum abyssum, tempestatem, diluuium, ignem, ac pestem inundantem, submergentem, vrentem, diruẽentem, fulminantem, occidentẽ atq; omnia euertentem excitat, dicemus? Quę homines, quos inuasit, ad quoduis flagitiorum genus, præcipites agit, deplorandis affectibus exercet, illosque non solùm in belluas, & truculentissimas tygres, sed & in dæmonas quasi transmutat? Tam atrox sanè est hæc infernalis bestia (non hic de altera & laudabili iræ specie, in diuinis etiam litteris concessa, ardenti illo zelo, omnia in officio cõtinendi, verba facim⁹) solutis vinculis, non solum totã rabiem in ferrum, cædes, ignem, & sanguinem exerit, sed & furiosæ bilis commotione & fluctib⁹ tùm mentem, spiritus, tùm ipsum corpus mirè diuexat, concutit, omnes humores conturbat, variaq; morborum & symptomatũ genera, febres, pleuritides, cardiacas, cardialgias, cholerã morbum illum crudelissimum, dysẽterias, diarrhæas, icteros; Erysipelata, serpigenes, & varia excitat vlcera, nihil non impium, nõ crudele, non truculentum, non horrendum molitur. Huius affectus sedem sic depingit *Claudian.*

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis auidamq; nocendi,
Præcipitemq; sui rabie succensa tumescit,
Contrahitur stupefacta metu, cumq; omnia secũ
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidumq; fluenti
Præbuit, vt tumidæ ruerent in mollia fibræ.

Affert profectò, infertq; hæc truculenta passio innumera homini damna, *Spiritus Sancti splendorem excutit*, inquit *S. Ambros. qui super humilem & quietum conquiescit*; Hominem *teste Lactant.* hominis nomine spoliat; in furore suo animam illius perdit; tenebras intellectui offundit, vt fum⁹ aspectum turbare consueuit, voluntatem ad omne facin⁹ armat, vitiisq; omnibus ianuam aperit; Dei imaginem, cum dæmoniaci hominis effigie, externam verò formam, cum ferę specie permutat; effectricem potentiam turbat, vt impotenti impetu feratur haud secus ac furens vnda torrẽtis, quæ non modo glebas & saxa deuoluit, sed arbores quoq; villas, & obuia quæque, ne vestigio quidem relicto, euertit. Corpus lædit, dehonestat, laniat, conficit, faciem irrugat, vultum pallore immutat, decoremq; illius, & omnem decentiam inuertit; oculos obumbrat; linguam in clamorem

morem format; pulchrum os fædat; dentes acuit; brachia ad vltionem armat; manus in verbera vibrat; crura tremefacit; pedes in fœdos motus, gestusq; ridiculos agitat; cor accendit; sanguinem immutat; fel auget; grauissimos & periculosissimos morbos excitat; & *teste Sapiente*, dies imminuit, ante tempus senectã adducit, & præmaturam mortem accelerat; iuxta illud: *Verè stultum interficit iracundia.*

Proximum quoque lædit, eritiiq; instar secum conuersantem pungit vulnerat: concordiã rumpit, irasq; prouocat, & canum instar allatrat, vt scorpius pungit, vt serpens mordet. Senectus apud iracundum venerabilis non est, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non deniq; quidquid aliud quamuis æstimãdum in honore est. Infame profectò vitium ira, & puerile: leui enim de causa aliis necem infert. Rex quidam Persarum iratus totius populi nares recidi in Syria curauit, nouo pœnæ genere delectatus. Alcamores Græciæ Rex Pannonium propter pilæ iactum interfecit: Constantinus Imperator Hortensium in amicis sũmum occidit, quod calamum nõ admodum commodum obtulisset: Vedius Pollio cùm Augustũ Cæsarem inuitasset, & Pincerna poculum crystallinum fregisset, eundẽ more suo in piscinas abiectum murænis dandum curauit. Cęsar omnia eius pocula perfregit, ne tantæ crudelitatis occasionem haberet. Commodus Imperator balneatorem in fornacem ardentem coniecit, quod balneum intraturus tepidiusculum offendisset. Lucius Sylla Mario, leui de causa, crura perfringi oculos erui, manus amputari iussit. C. Cæsar villam in Herculanẽsi (puta in Campaniæ ora) pulcherrimã iratus diruit, quia mater sua aliquando in illa custodita fuerat. C. Caligula multis occisis senatoribus, cũm nec adhuc ira eius placari posset, optabat populum Romanum vnam ceruicem habere, vt scelera sua tot locis ac temporibus diducta, in vnum locum & in vnum diẽ cogeret: quo demum occiso tantâ lætitiâ affectus fuit Senatus, Populusq; Romanus, vt repleta statim auia non temperaret, quin mortuum contumeliosissime, atque acerbissimo acclamantium genere laceraretur: id quod etiã de Imperatore Domitiano refert *Athenæus*. Syrus Persarũ Rex flumini Gynde iratus, quod vnus ex albis equis sibi charis, qui regium currum trahebat in eo abreptus periisset, totum belli apparatum in flumen transtulit, & tamdiu operi assedit, donec centum & octoginta cuniculis diuisum alueum in trecentos & sexaginta riuos diduceret, & siccum relinqueret, in diuersum fluentibus aquis, vt sic eius famam & nomen

men è rerũ natura auferret. Pontem Hellespõto instratum, tempestas aliquando deiecit, eâ re, Xerxes incitatus trecentis illum verberibus mulctari, notis threcijs inuri compedibusq; iniectis suo modo constringi iussit, idem monti Atho epistolã misit in hæc verba: *Atho infœlix ad cœlum vsque porrecte, nec meis operibus facias lapides magnos, & ad eruendum difficiles, alioquin excisum te proyciam in mare.* Vnde rectè *Sapiens* dixit, irã in sinu stulti requiescere: Et alius: Iram breuem esse insaniam, nihilq; interesse inter insanum & iratum, nisi vnum diem. Ira item in mortem impulit Valentinianum Imperatorem: Wenzeslaus Bohemorum Rex ira excandescens, paralysi causam dedit, qua paucis post dieb⁹ absumptus est: Matthias Coruin⁹, eadem de causa propter ficus clam surreptas, nimium indignatus, in apoplexiam incidit; vt nunc alia sexcenta exempla, miram irę truculentiam ostendentia; silentio prætereamus.

Sed & Saturnum ipsum & Venerem percunctemur, hæc portenta, quæ non mortalibus damna inferunt. Hæc enim tam in gustandi, quã tangendi blandimentis insidiatur, ille verò assidua mẽtis contemplatione mortem minatur: illa vitam quam tibi detrahit, alteri donat, nil pro detrimẽto restituens, noua semper affectat, vetera odit, facta destruit, vt facienda destruat, ille non raren ter filios deuorat suos, dum enim hos sublimiorum contemplationum illecebris rapit, ac illic vt suos agnoscit, interim falce sua è terris amputat, vitamq; terrenam incautis surripit: illa suam in superficie, ille vero in centro posuit voluptatem, ambo vitam celeriter abrumpunt, & expugnant: Saturnus enim voluptatum esca spiritus ad centrum coarctat, vt mẽbra exteriora vitæ minus sint idonea, tandemque velut ignem cineribus obruit, & suffocat: Venus verò ad extima euocat, vt intima vel vacua, vel vitæ sint aliena, atq; demum velut flammam ventis dissipatam, difflat, extermi nat, sicq; citam senectam interioribus Venus, Saturnus exterioribus important; Venus vanas & varias excitat tristes recordationes, tædium, mœstitiam, absentis boni cupiditatem, metum, stupiditatem, dementiam, insaniam, bestialitatem, ac desperationem tandem; sic multos corporis affectus mouet, mollitiem, lãguorem, lypothimiam, syncopen, paralysin, cruditates, omnis generis arthritides, perpetuas vigilias, naturalis œconomiæ deprauationem, luem illam veneream, & consimiles morbos parit: Saturnus verò citra vllam causam sæpe timorem incutit, & mœrorem, quibus suos filios perpetuò lacessit, nõ solum omni quiete priuat, sed & mentem & rationem

percellit, omnesq́; sensus implicat, confundit, & quasi immobiles ac prorsus stupidos reddit. Hinc videas alios aquas formidare, alios audito tonitru mirè percuti: Nec solum timore, sed & tristitiâ suam afficit prolem Saturn⁹ & quietis omnis expertes reddit, è forti, scilicet meticulosũ, è viuido somniculosum, & continuâ sollicitudine affectos, liuidos, cõsternatos, errabundos, caliginosos, & cogitabundos. Hinc videas alios circa loca deserta, & sepulchra oberrantes, lachrymas citra manifestam causam profundentes, lucem fugientes, alta suspiria trahentes, & solam solitudinem, atq; latebras quæritantes: Alios absurda imaginatione, & inopinata phantasia deceptos, dum nimirum hic se vas figulinum, ille se vitreum aut testaceum; alius se lupum, canem, gallum gallinaceum opinatur; sunt qui verentur, ne mundus aut cœlum ruat, Atlante pondus non amplius sustinente: Alij se Vates augurantur, deque futuris multa pollicentur: Alij se Reges, Duces, Imperatores (vt Venetijs olim in quodam nobili adolescēte obseruauim⁹) imaginantur; Alij se capite, cruribus alij, & brachijs truncatos putant; Alij se nasum in maximam molem prognatum gestare opinantur. Alij se mortuos existimãt omnis generis alimenta auersantes, vti Pataüij olim in praxi clarissimum, excellentissimum, famosissimumq́; Herculem Saxoniam Dominum ac præceptorem meum amantissimum in praxi secutus vnà cum alijs condiscipulis obseruauimus. Et quis innumeros vixq́; credibiles phantasias, & deliria, in quæ isti Saturnales & melancholici tetrâ hac animi perturbatione diuexantur, sat abundè recensere sufficiat? in his profectò & ratio turbatur, & intellectus confunditur, & sapientia expectoratur, voluntati fœda inijcitur seruitus, vires & actiones impediuntur, sensus stupidi efficiuntur, corpus contrahitur, miserè tractatur, metu capilli horrent, rigentq́; pallent ora, titubat lingua, & vox faucibus hæret. Inde sic canit *Ouid. 2. Fastor.*

Illa nihil (neq; enim vocem, viresq; loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.)
Sed tremit vt quondã stabulis deprensa relictis
Parua sub infesto, cùm iacet agna lupo.
Quid faciat? pugnet? vincetur fœmina pugnans
Clamet? at in dextra qui vetet ensis erat.
An fugiat? positis vrgentur pectora palmis,
Tunc primum externa pectora tacta manu.

Hæ passiones Saturnales, seu melancholicæ totum hominem abijciunt, coniiciunt, consternũt, Pisandro timidiorem efficiunt, flagris cedunt assentatorem, pigrum, desperantem reddunt, exanimant. Id quod vel in Nabal verum esse intelligitur; timore enim irati Dauidis concepto illico mortuus concidit; & in Theodorico Ostrogothorum Rege: cœnanti enim cùm mirè magnitudinis piscis ministri decoctum

caput

caput apposuisset Symmachi nuper occisi caput illi est visum, prefixis & extantibus interiore in labro dentibus, & torue intuentibus oculis, furibundè sibi & acerbè comminari, vnde monstri nouitate territus, membrisq; præter modum tremebundus & rigens, in cubiculum statim, cito gressu secessit, & paulo post de vita decessit. Heli sacerdos cladis deterrimæ Philistæo bello acceptæ, captæq; Domini Arcæ nuncio consternatus, auditâ triginta millia Iudæorum, & duorum qui in ea acie steterant, filiorum cæde solio præceps datus, mortem obijt. Antiochus Epiphanes è Perside fugatus, cùm Lysiam quoq; ducē à Iudæis victū cognouisset, mœrore animi in varios morbos incidens, misere perijt. Refert Cælius Rhodig. Aristotelē in Chalcide Euripi septies die ac nocte reciprocantis naturam admiratū causas altius secum librantem, cùm minus voti compos euaderet, animi ægritudine contraxisse morbum, ex quo non conualuit amplius. Sunt qui prodant in fræ tum dedisse præcipitē se; hincq; natum Eloium: Quoniam Aristoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Aristotelem. Publius Rutilius spe cōsulatus, quem Romæ ambierat, deiectus tanto mœrore obrutus fuit, vt subito animam efflarit. Dantes Florentinus poëta in sua lingua insignis, cùm Veneti Guidoni Potētano bellū inferrent apud quem in otio vixerat, pulsus à suis in exilium missus legatus de pace, minime à Venetis accept⁹ est, nec auditus; itaq; re infectâ ex animi dolore extinctus est. Tandem ad desperationis barathrū deuoluti eiusmodi Saturnales melancholici nefarias sæpe sibi manus Achitophelis, Iudæ Ischariotis & aliorū sexcentorum exemplo inijciunt, æternam & animi, & corporis iacturam patiuntur. Quæ cùm ita sint, etiam atq; etiam eiusdem animi morbi sanitati vel maxime infensi, omni adhibitâ diligentiâ, & solertiâ, ex hominum animis eruendi, remedijsq; tam spiritualibus è R. Patris Ioannis Peletij libello de animi morbis tractante, petendis, quam corporalibus expellendi, vt iocundis recreationibus, deambulationibus, ludis choreis, saltationibusq; honestis, venationibus, natationibus, peregrinationibus, musicis, modulationibus, exhortationibus, & admonitionib⁹, tam serijs, quam iocosis, & facetis, historijs item, & exemplis tam sacris, quam prophanis, omnis generis corporis euacuationibus, prauos corporis humores, eiusmodi passiones excitantes, euerrentibus, alijsque cōfortantibus medicamētis, naturæ robur, viteq; spiritus reparātibus, vt demū mens sana in sano corpore existēs & vita in multos annos propagari, & firma valetudo ad præfixum terminum sarta, tectaq; conseruari possit.

CAPVT XXII.

Quomodo quilibet pro temperamenti, habitus, corporis, sexus, ætatis, loci, temporis officij, & status ratione, quouis die, septimana, mense, & anno, obseruatâ temperatâ victus ratione fusè superius enarrata, & vitam prolongare & firmam valetudinem conseruare possit.

SECVNDO huic libro tandem coronidem imposituri ne cãdidum Lectorem, vitæ propagãdæ itineri iam accinctum, tot prę-ceptis oneremus, tot obseruationibus, tot cautionibus, circa cibi potusq; naturã, qualitatem, quantitatem, & cæteras res non naturales assiduâ sollicitudine custodiendis obruamus, lubuit ex omnibus, quæ duob⁹ hisce libris fusè pertractauimus, ea tantum in medium proferre, in quorum debitâ & facili obseruatione, & vitæ longioris, & sanitatis firmioris cardo versatur.

Vt ergo diutissimè incolumen firmam, validamq; sanitatem in multos annos protrahere, publicisq; & priuatis negotiis operam nauare quis possit, in primis omnibus animi passionibus, præsertim verò & Martis, & Saturni, & Veneris impressionibus missum factis, manè, surgente aurora, blãdè peracto conueniente somno, è lecto surgens, omnia membra suauiter extendat, vt hac ratione spiritus animales membris influant, suoq; fulgore cerebrum illustrent, & subtile reddant, totiusq; corporis molem, virium infusione roborent. Corpus ipsum tùm palmis, tùm linteis perfricetur, vt cutis spiraculis inde apertis, nocturni vapores facilius exhalent. Caput digitis, aut pectine ab anteriore ad posteriorem partem leniter exerceatur, ad faciliorem fuliginum exclusionem. Omni studio caput, ceruix, pedesque, à matutino frigore, vt potè humidiore & neruosis partibus, inimico arceantur. Corpore postea mundis & odoriferis vestib⁹, pro aëris, cœli, loci, temporis, aut cõsuetudinis ratione probè munito, caput diligenter, & moderatè pectendũ, à fronte ceruicem versus; omnium sensuum organa, oculi, aures, nares, os, lingua, dẽtes, totaq; facies, non solùm frigidiuscula abluenda, sed & dentes idoneis dentifriciis defricandi, mundandique; os apophlegmatismis colluendum, & ab adhærẽte sæpeq; putrescẽte pituita, somni tempore glandulis insidente abluendũ; nares lenibus errhynis, vt & os masticatorijs repurgandum. Hæc enim omnia corp⁹ confirmant, visum acuunt; animumq; hilariorem & alacriorem reddunt.

Omnia corporis excrementa, per destinata naturę emunctoria, per aluum nimirum, vrinam, nares, os, & cutis spiracula, quantũ fieri potest educenda, ne sensim crudis & noxijs corpus repleatur succis, qui non solum diuturnitate augentur, sed & putrescunt, & maligniores redduntur, adeo, vt

vt oblata leui occasione, & excessu, accendantur, & in lethales morbos facessant. Quod si aluus pigrescere videatur ea non medicamẽtis statim, sed iusculis emollientibus, è malua, acetosa, brassica, lactuca, violis, passulis paratis, vel recenti butyro, aut dulci oleo &c, vti capite 19. huius libri monuimus, stimulandæ.

Eadem excrementorum, & superfluorum humorũ euacuatio, quotannis semel, atq; iterum, sollennioribus anni temporibꝰ vere nimirum & autumno, si expedire videatur, in corporibus præsertim & cacochymicis, & plethoricis, maximè si assueti fuerint, molienda erit, tùm venæsectione, scarificatione, tùm purgantibus medicamentis, blandis tamen & benignis, nullam naturæ vim inferentibus, vti tertio huius operis libro abũdè ostendemus.

Sensuum itaque organis dicto modo expurgatis, dispositaq; alui & vesicæ sentinâ, ad Deum Opt. Max. fundendæ preces, regnum cœlorum præ cæteris omnibus quærendum, cùm cætera deinde vltro sequantur: Mox consuetis vel studijs, vel negotijs, tùm publicis, tùm priuatis incumbendũ. Et quoniam labor semper cibum præcedit, antequam cibi assumãtur, leuibus deambulationibus in aprico, aut sub dio factis, alioue iocundi exercitij genere, ad lenẽ vsq; madorem, vna, vel altera hora impendenda, mox circa decimam, aut vndecimam, cibis facilis digestionis & optimi succi prãdium, leue tamẽ, & frugale, si cœnandum quoque fuerit, instituendum.

Non liberè omnibus vescendũ quæ palato grata, nec quantum appetitus desiderat; nec vnquam satienda fames; cùm sanitatis studium sit, nunquam repleri cibis: Potissima enim producendæ vitæ ratio, in recto victus ordine, in certa naturæ conuenienti, cibi, potusq; moderatione consistat: quum scilicet non amplius vel cibit vel potus assumitur, quàm corporis constitutio in ordine ad animi functiones postulat. Pro varia tamen corporis constitutione, ætate, robore, consuetudine ventriculi facultate, variãda quoque ciborum assumendorũ mensura & proportio; cum alia florẽti ætati, senili alia; alia robustiori, alia debili, alia sano, alia ægro, alia corpori bilioso, alia pituitoso conueniat, modo corpori alendo sufficiat.

Quod si quis bis die cibum sumere consueuit, ita tamen appetitui fræna inijciat, in cœna præsertim, ne mediocritatis limites excessisse videatur: medio quinetiam inter prandium & cœnam tempore à poculis omnino abstineat, nisi id quandoq; vel necessitatis, vel cõsuetudinis, vel honestatis ratio requirat. Non quidem difficilè est, dum illecebræ absunt temperantiam præstare, at inter

pocula ſilentium obſeruare, & præſentibus irritamentis ventris ingluuiem cohibere; hoc opus, hic labor eſt, pręſertim iuuenibus & alijs nondum domitam gulam habentibus, & proinde magni apud Deum meriti.

Nunquam amplius aſſumendũ quam ventriculus nullâ relictâ cruditate, perfectè concoquere poſſit: quoties enim tantum ingerimus, vt inde notabile facultatis animalis, ſenſuumq́; impedimentum ſequatur, à vaporibus nimirum è ventriculo in caput emiſſis, iam temperantiæ limites excedimus; cùm aliàs ſobriè victitando, ad obeundas omnes animæ functiones tam ante, quàm poſt cibum ſumptum, expediti ſimus.

Non ſolum largioris cibi, potuſq́; vapores functiones obnubilant, ſed & ſanguinis ipſius & humorum in hepate, liene, meſenterio, veniſq́; ſtagnantium & magnam fuliginum vim ſurſum mittentium copia, quæ tamẽ adhibitâ victus temperantiâ ſenſim caſtigari, & ad debitum modum tàm in quantitate, quam in qualitate reuocari poſſunt. Quando enim natura perfectè ſuos humores per facultates vegetantes regit; ita omnia diſpenſat, vt neque vlli naſcantur morbi, neque functionibus ſuperioribus præbeatur impedimentum.

Non tantum cibi, potuſque ſumendum, vnde corporis vel torpor, vel grauitas, vel laſſitudo, ſecedente agilitate, & alacritate, ſubſequatur, niſi forte ex morbo, morbiue reliquijs proueniat; cũ ciborum ſit, corporis vires recreare & reficere, non aggrauare: niſi impura fuerint corpora, talia enim quo plus cibis alimentoſis vtuntur, plus etiam læduntur.

Ab inordinata victus ratione, non immediatè, ſed ſenſim, paulatimq́; ſuperfluitatem ciborum reſcindendo, ad exactam vitæ regulam tranſeundum. Omnes enim ſubitæ mutationes, ſi notabiles fuerint, periculoſę ſunt propter conſuetudinem, à qua violẽtè receditur, & quod illi contrarium eſt, inducitur.

Perperam tamen hac in parte faciunt, & ad pauca reſpicientes, cito pronunciant, qui in debilibus, & ad ſenium vrgentibus, nõ modo, ſed & alijs quoq; ad certũ vnciarum numerum victum præſcribunt: cùm certa, & omnibus accomodata alimenti quantitas, propter ætatum, viriumq́; varietatem, conſuetudinem, locorum differentiam, & ciborum diſcrimen, omnibus præſcribi non poſſit: optimum tamen ſemper fuerit, parum comedere, & cibis nũquam ſatiari. Hac enim victus ratione, pane ſcilicet modico, ſicco abſq; vllo obſonio, Patres antiqui ſæpe ad extremam ſenectutẽ, ſani, & ſenſibus integri peruenerunt.

Omnes ferè cibi, ſi debita in il-

lis mensura seruetur, naturę bene constitutæ congruunt, ideo non ita ad amussim, & scrupulose nimis, eorum curanda qualitas, si sano sis corpore, nisi tale alimenti genus, specifica forte, & occulta antipathia naturam tuam offendat. Ideo videmus plures solo pane, cum lacte, butyro, caseo, & cereuisia diutissime, & sanissime viuere, præsertim si à puero id assuerint.

Ab ijs, quæ nocent, præsertim si in copia sumantur, etsi palato gratissima fuerint, abstinendum, vti sunt pinguia, quæ ventriculũ laxant, eiusq; vires in astrictione sitas dissoluunt, reliquorum ciborum concoctionem impediũt, & semiconfectos, semiq; crudos ventriculo excidere faciunt; copiosos fumos in caput emittunt, inde suffusiones, nebulæ, tusses, asthmata, & alia pulmonis mala: in prauos & putres vertuntur humores, inde febrium prouentus. Hisce adnumerãtur, quæ capiti suffusiones, vertigines, & destillationes adferunt; vel ventriculo cruditates, inflationes, tormina, morsus, lancinationes faciunt; vel alia ratione corporis statum, aut animi functiones perturbant. Absurdum enim est, tantis incõmodis, tam vilem, tamq; breuem nundinari gulæ voluptatem. Nulla re magis profitetur quis, se gulæ mancipium, quàm si, vt illi satisfaciat, noxia ingerat.

Pinguia vitãda.

Inter omnia ciborum genera, senibus, & debilibus nihil conuenientius Panatella, qua sola, cum vno vel altero ouo, saluberrime quis, & diutissime viuere potest. Panatellam Itali vocant, pulticulam ex pane, & aqua, vel caponis, & carnium iusculo, & ouorum vitellis, quandoque & vuis Corynthiacis simul coctis constantem. Talis sanè Panatella & concoctu facillima est, parũ à chylo distans; & qualitatibus temperantissima; tùm quia putredini, & corruptioni minime est obnoxia, copiosũ & probum sanguinem generans. Hinc illud *Sapient. 29. Initium vitæ hominis, aqua, & panis.* quibus vita fulcitur, ceu duobus maximè cõuenientibus vitæ conseruandæ fulcimentis: vt frustra preciosas carnes, pisces & alia gulæ irritamenta quæramus.

Panatellæ laus.

Potus ipse, nisi id vẽtriculi debilitas, aliæq; causæ prohibeant, sit aqua fontana, limpida, clara, pura, vti suo loco diximus; vel cereuisia ritè defæcata; vel vinum rubellum, aut album, maturum non generosum; non sulphuratũ, subadstringens, parcâ admodum manu sumptum.

Porro quibus & vita langa & sanitas curæ est, ijs maximè vitanda ciborum varietas, & exquisita condiendi ratio; ideo superius capite primo ex *Macrob.* & *Socrate* adduximus illos cibos, potusque vitandos, qui vltra sitim, famemque sedandam, appetentiam producerent: Qui item *teste Seneca,*

nec

nec parent familiæ, nec ſpectent, non multos ante dies parati, nec multorum manibus miniſtrati, ſed paratu faciles, nihil accerſiri, precioſiue habentes, vbilibet nõ defuturis, nec patrimonio graues nec corpori, nec, qua intrauerant redeuntes. Multa enim fercula, multos faciunt morbos: Illa enĩ varietas, ſemper nouo modo gulam prouocat, & appetitum excitat, vt nunquam videatur ſatis ſumpſiſſe, quo fit, vt iuſta menſura enormiter excedatur. Adde quod diuerſorum ciborum, diuerſa quoque & inter ſe pugnans ſit natura, diuerſum, & ſæpe contrarium temperamentum, quo fit vt alij citius, alij ſerius concoquãtur. Hinc mira in ventriculo cruditas, & concoctionis perturbatio, deprauatioque: hinc inflationes, tormina, colicæ, viſcerũ obſtructiones, renum dolores, & nephritides.

Vt autem facilius & appetitui fræna inijciamus, & ciborum varietatem euitemus, præſtiterit ſe ab epularum & menſarum inſtructiſſimarum conſpectu ſubducere, ne vel imaginatio excitetur, vel odoris fragrantia gula alliciatur; multo enim difficilius eſt præſentibus epulis appetitum continere, quam abſente, non concupiſcere: tùm imaginari epulas, nõ vt odoratas, ſuaues, & palato gratas, ſed & fædas, olidas, deteſtabiles, quales mox futuræ cùm in ſua principia reſoluuntur.

Quibus itaq; bona valetudo, & vita longa cordi eſt, & à ciborũ varietate, & ab ebrietate, crapula & voracitate omni ſtudio & diligentia abſtineat, eius verò loco vitam ſobriam, & temperatam amplectatur: Hæc enim hominẽ ab omnibus pene morbis liberat præſentes curat; futuros retundit omneſq; cauſas morbificas, & repletiones potiſſimum reſcindit; cruditatem omnium ferè morborũ ſeminariũ radicitus euellit, quæ ex imperfecta ciborũ pleniore manu ingeſtorũ concoctione reſultat. Aduerſus externas cauſas, & iniurias corpus arcet ſobria vita; nec enim ita facile ab externis iniurijs afficiuntur, qui & corpus purum, & humores bene temperatos à vita ſobria prodeuntes obtinent; deſperatos & incurabiles morbos mitigat, lenit, & tolerabiles reddit; ſuos cultores ad vitæ diuturnitatem, & extremam ſenectutem, ſanos & incolumes perducit; mortem non morborũ violentiâ, ſed ſimplici humoris ſubſtantifici reſolutione manantem, facilem, & doloris expertem reddit; corpus agile, leue, vegetũ, & ad omnes motus naturales expeditum efficit; externis ſenſibus vigorem præſtat; mentis, ſeu animi paſſiones inſigniter mitigat; adhibita enim ſobria victus ratione, praui humores animi paſſiones excitantes, natura eos conſumente, vel expellente, ſenſim minuuntur, memoriã confirmat; ingenij

ingenij vigorem acuit, spiritus illustrat, & ad capescendas disciplinas hominem idoneum reddit; libidinis ignes extinguit, cuius materiam, & causam impellẽtem subtrahit.

Si quandoq; corpus ciborum varietate & immodico, intemperatoq; vsu grauetur, per integrum diem à cibis abstinendum, aut inedia, contracta crapulæ vitia edomanda.

Expletis epulis temperatis, os mero: manus, facies, & labia, frigidâ abluantur; dentes, non ferro, sed dentiscalpio, vel lentiscino, vel è libanotide, alioue aromatico ligno detergantur; & os ventriculi saccarata aliqua confectione, vel condito aliquo adstringente, aut digestiuo tragemate claudatur.

Non statim finito vel prandio, vel cœna, è mensa surgẽdum, sed aliquantisper, relictis serijs tùm animi, tùm corporis negotijs, iocundis conuersationibus, vel grata aliqua recreatione, non tamen ingenium exercẽte, vel suauibus concentibus tempus fallendum.

Cubitum iturus (quod fiat vna vel altera post sumptam mediocrem cœnam, hora) caput, brachia, dorsum, totumq; corpus, leni manuum frictione, exerceatur ad faciliorem ciborum distributionem moliendam. Noctu hiante ore dormiendum, quo minus vapores è primæ concoctionis officina effumantes, caput feriant; corpus pro ambientis aëris qualitate tegendum, stratis non plumeis, sed lanuginosis, qualia sunt matellatia, ne scilicet jecur, renesq; plumarum calore, plus satis incalescant, & calculis generandis fomenta ministrent; caput item aduersus frigus idoneis cucuphis muniendum: In dextro latere inchoandus somnus, perficiendus in sinistro; supinus verò aut in faciem pronus decubitus maximè fugiendus.

Non absre fuerit, singulis septimanis, frigidioribus præsertim anni temporibus autumno nimirum & hyeme, semel optima vti theriaca, aut confectione Mythridatica, aut confectione Alchermes, aut de Hyacintho, aut cœlesti Hermeticorum theriaca, poculenta auri solutione, vel cardiaco aliquo extracto, aut præstanti aliquo vitæ elyxire, præsertim in iam ætate confectis, cum panis tosti mica, & saccari momento: Vt hac ratione corporis vires suscitentur, & viuificum vitæ nectar restauretur.

Suadent quidem tùm *Hippocr.* tùm *Auicenna*, vt bis quouis mense vomitu humorum sentina immodico victu contracta vacuetur, præsertim si vel crapula, vel ebrietas præcesserit. Verùm etsi turpe hoc repletionis pharmacũ, maximè si duobus se consequentibus diebus repetatur, multum vtilitatis & emolumenti afferre

possit, cum tamen ab homine & valetudinis, & pietatis Christianæ studioso valde & alienum & indecorum sit, longè satius fuerit, temperata, sobria, & toties à nobis decantata victus ratione, subinde etiam vel inedia, vel abstinentia vti, quam vomẽdo, voluptatis receptaculum, non sine dedecore, & Numinis ira euacuare. Et hæc ad summi Dei gloriã, & proximi salutem dicta sunto.



COPI-

COPIOSVS RERVM ET VERBORVM INDEX, IN QVO NVMERVS PAGINAM; LITTERA *a*, PRIMAM.

Littera verò *b*, secundam paginæ columnam designat.

A.

D.

E.

Ebri-

F.

G.

Largin

Q.

R.

S.

Ff 2 spiritus

T.

Trium

Vinum

Potiora menda, sic emenda.

Pagina.
7.b. *macula, lege mascula.*
15.b. *lege Recipe succi Veronicæ.*
17.a. *Valle volatilibus, lege Valleriola.*
20.b. *cacabeo, lege cacabo,*
Ibidem. coluuntur, lege soluuntur.
25.b. *nutricam, l. manicam.*
35.b. *cardiagino, l. cardiagmo.*
51.a. *concoctionem, l. concoctionis.*
71.a. *medebatur, adde vlceribus.*
80.a. *vitro, leg. vino.*
82.b. *probe, leg. prope.*
128.a. *elutriata, leg. enutrita.*

Pagina.
129.b. *rerum, leg. renum.*
151.a. *Drarijs, lege Diarijs.*
Ibidem. subsciam, leg. substantia.
151.b. *proprio, lege principio.*
163.b *varijs incommodis, detrimentis, lege, varia incommoda, detrimenta.*
171.b. *qua, leg. quatenus.*
177.b. *locum, leg. loco.*
187.a. *vacuatio, adde facit.*
195.a. *portæ, leg. portas.*
196.a. *non, lege in.*

Finis libri secnndi.

D. O. M. A

PANTHEI

HYGIASTICI HIPPOCRATICO-HERMETICI,

DE

HOMINIS VITA, AD CENTVM ET VIGINTI ANNOS SALVBRITER producenda

LIBER TERTIVS.

Nouis, raris, admirandis, reconditæ Naturæ mysteriis, pretiosis Hippocratico-Hermeticorum Arcanis, Essentiis, Tincturis, Elyxiriis, Spiritibus, Oleis, Salibus &c, Longæuitatis Balsamum, in multos annos conseruaturis, politico-historica, & Medico-Spagyrica narratione exornatus.

Omnibus, omnis ætatis, sexus, conditionis, & status hominibus, ad Mathusaleos, & Nestoreos annos aspiraturis, & sacræ Hygeinæ stipendia facturis, iocundus, vtilis, necessarius.

Auctore, & Collectore Claudio Deodato, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, necnon Reuerendissimi & Illustrissimi Principis, & Episcopi Basiliensis Physico ordinario &c.



Cum gratia & priuilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis.

BRVNTRVTI, Excudebat Wilhelmus Darbellay, Anno MDCXXVIII.

Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου



Hippocrates libr. de veteri Medicina.

Ars Medica ab initio non quæsita, nec inuenta, nec ea etiam opus fuisset ægris hominibus, si eadem victus ratione vterentur, qua qui valent, vtuntur, quin etiam alia victus ratio contulisset, nisi istis, alia essent meliora. At nunc homines necessitate coacti artem Medicam inuenerunt, & inuestigarunt, quod ægrotis oblata, beneualentium victus ratio, nihil contulerit, vt nenunc quidem confert.

Merito igitur Medicus vitæ protrahendæ studiosus, ab ipsis alimentis simpliciter dictis, ad alimenta (cùm opus fuerit) medicamentosa, & ab his, ad ipsa medicamenta (quæ Herophilo, Deorum manus vocantur) vitæ prorogandæ causa progreditur.

Elenchus

ELENCHVS CAPITVM LIBRI TERTII.



Cogitanti

Perillustri atq; Generoso Domino, Domino

IOANNI ERNESTO FVGGERO,

COMITI IN KIRCHBERG ET VVEYSSENHORN; DOMINO IN POLWEYL, WEYLERTHAL, MASMVNster, Bluomberg, Stættenflus, & Hildtgarsperg; Equiti Ordinis S. Iacobi, d'ella-Spada; Sacræ Cæsareæ Maiestatis, atq; Regis Hispaniarum, nec non Serenissimi atq; Potentissimi ArchiDucis Austriæ Leopoldi è Secretis Consiliis &c. Domino suo gratiosissimo.

COGITANTI mihi, pauloq; altius perpendenti (Illustrissime COMES) cuinam tertium hunc Panthei Hygiastici librum consecrarem, extempló insignis virtutũ tuarum splendor, pietatis erga DEVM hominesq; feruor, rara illa, & vix imitanda morum comitas, summæ & humanitati, & affabilitati cõiuncta (quibus omnium animos, antiquissimi illius Orphei instar ad te rapis:) multarum item & secretiorũ tum scientiarum, tum disciplinarum cognitio, quam & Principes, & Duces, Reges, Imperatores, Summi denique & Pontifices, & spectatissimus ille purpuratorum ordo in te suspiciunt, venerantur, admirantur: Hæc inquam, & alia sexcenta virtutum in te radiantium ornamenta statim occurrerunt, & vt protectioni, patricinioq; tuo hunc librum dedicarem, multis me nominibus inuitarunt.

Cùm

Cùm enim tertius hic liber, non pauca, rara, admiranda, nec quibusuis adeo peruia, reconditioris spagyriæ metallicæ arcana, & mysteria, vitæ nostræ balsamũ &, viuificum illud nectar, in multos annos producentia contineat, te autem abstrusarum illarum rerum cognitione supra modum teneri, affici, atque delectari, superiore anno, cùm vnà cum admodum Reuerendo, nobili, clarissimoque viro, illo nimirum scientiarum abstrusarum torrente, Domino IOANNE FALLERO S.S. Theologiæ Doctore, atque Reuerendissimi, Illustrissimique Principis, & Episcopi Basiliensis Vicario Generali &c, Domino meo obseruantissimo, te ad Acidulas Griesbaccenses sequeremur, abundè satis è doctissimis discursibus intellexissem, amplius mihi temperare haud potui, quin hunc librũ tuo & fauori, & protectioni deuouerem: Nisi enim meus me fallit animus multa, præclara, & ardua, (vt nunc summos honorum titulos & dignitatum gradus silentio inuoluam) tibi Astra polliceri videntur, non quidem exterioris firmamenti, seu cœli megacosmici astra, sed propria in cœlo tuo Microcosmico lucidissimè radiantia, magnisq; virtutum, dignitatumque titulis fœcunda, modo non sinistris terrifici Saturni, & ignei Martis aspectibus, & congressu, benigniorum Planetarum influxus suo fine frustrentur. Cùm itaque Astra etiam Micro-

cosmica non necessitent, sed more Astrorum Firmamenti maioris mundi inclinent duntaxat, Medicique officium sit, infœlices propriorum Astrorum corporis humani impressiones quantum fas est præpedire, & declinare, benigniorum verò inclinationes iuuare, promouere, vt in offenso cursu vires suas exerere, & viuifico nectari fomentum subministrare possint, ne medio cursu vitæ nostræ lampas extinguatur; operæ precium me facturum speraui, si vltimum huius Panthei Hygiastici librum; insignioribus Hermeticæ Medicinæ flosculis, præclaris item remedijs arte spagyrica præparatis, atque vniuersali illa, totique mundo decantata Medicina è Chrysopœiæ abstrusissimis fontibus & abyssis desumpta, vitæ nostræ balsamum in longos annos sanum, tectumque conseruante instructum (vt nunc specificas præcipuorum morborum curationes, præclaris tam Hyppocraticorum, quàm Hermeticorum pharmacis dotatas, & coronidis loco ad libri huius calcem annexas, taceam) tibi consecrarem; tum quod non ignorem te, in eruendis secretioris naturæ mysterijs, in perscrutandis reconditæ Medicinæ magnalibus, quantum otia, negotia, grauissimæque proprij officij occupationes permittunt, nec laboribus, nec sumptibus parcere; tum quòd beneficiorum acceptorum, beneuolentiæ, amoris, & cando-

ris

ris perennis memoria, me ad id faciendum iure merito instiget, sollicitetque.

In perpetuæ igitur, & singularis propensionis, debitæque gratitudinis, & obseruantiæ monumentum, tertium hunc Panthei librum accipe, Illustrissime Comes, eo & amore, & frontis serenitate excipe, qua à me mittitur, & tuo amore, fauore atque gratia amplectere, foue, meque, meosque tibi, commendatos æternum habeto. Datum Bruntruti, 3. Februarij, 1628.

Perillustri Dominationi tuæ

Deditissimus

Claudius Deodatus
Philosophiæ & Medicinæ
Doctor.

Panthei

D. O. M. A.

PANTHEI

HYGIASTICI HIPPOCRATICO HERMETICI DE HOMINIS VITA, AD CENTVM VIGINTI ANNOS SALVbriter producenda,

LIBER TERTIVS.

prodromus.


HACTENVS DEO duce, fuso satis orationis filo, de varia & multiplici alimẽtorum, nobis à præpotente illo cœli terræq; Conditore, è ditißimis naturæ thesauris, ad fluxam, caducamq; vitam nostram tùm sustentandã, tùm protrahendã erutorũ natura, virtualibus facultatibus, condimẽtis, artificiosa & præparatione & appositione, ingerendiq; modo & ordine, cæterisq; rebus nõ naturalibus ad absolutã huius operis coronidem facientibus, sat perspicue disserui mus. Verum cùm vitæ producendæ, valetudinisq; conseruandæ ratio, & historia, non ijs duntaxat, quæ hucusq; à nobis tradita sunt, absoluatur, sed & medicamentis non rarenter opus sit, quibus titubantem naturã ob intemperantiæ errores, fulciamus; ordinis ratio postulare videtur, vt & de præcipuorum medicamentorum, intemperantiæ vitia corrigentium cruditatum prauorũq; humorum cataclysmos, humani corporis œconomiam obruentes, euacuantium, & totã naturam redintegrantium proprietatibus facultatibus præparationibus, & vtẽdi modo verba faciamus.

Quotiescunq; enim ob intemperantis vitæ progressum futuri alicuius morbi signa, & iudicia apparuerint spontaneæ nimirum totius corporis aut membrorum laßitudines genuum tormina, lumborum dolores, oculorum caligines superciliorum grauitates, aurium tinnitus, cibi fastidia, copiosi per somnum dolores, citra manifestam causam prorumpentes, oscitationes, pandiculationesq; insolentes, cephalalgiæ consuetarum euacuationum suppreßiones, vel immodicæ excretiones, & alia eiusmodi: nec eã sobria victus ratione, præcedenti libr. descripta, è medio tolli poßint, tunc inuocato prius diuini Numinis auxilio, ad artificiosas euacuationes ceu verißima intemperantis vitæ pharmaca cæteraq; præsidia arte medica inuenta, descendendum.

Si exigua aliqua vel cruditatis, vel peccantis humoris sensim excrescentis portio in corpore resideat, poterit hæc accedente vitæ sobrietate à natiui caloris actione & efficientia superari & euinci quo minus collectis sensim viribus, vitæ valetudinisq; fundamenta hostiliter aggrediatur: at si eousq; excrescat, vt vel plethoram, vel cacochymiam duo illa morborum ferè omnium fulcra,

excitet, maioriq́ mole, & inundatione in corpus feratur, quam vt sola adhibita sobria victus ratione edomari possit, tunc debitis euacuationibus, ceu subsidiario milite, laboranti, & vix tantos impetus ferenti naturæ succurrendum, & tumultuantium humorum furores reprimendi, eorumq́; & orgasmo, & metastasi, & anadromi, & catarrhopi anarrhopi, & synardrismo obuiandũ, ne facto in principem aliquam partem impetu, totam hominis œconomiam destruant; impura enim corpora quo plus nutriuntur, eo plus quoq; læduntur.

Quæ cùm ita sint, veros euacuationum vsus ex Hippocraticorum fontibus manantes, quantum quidem instituti nostri ratio requiret, paucis aperiemus, & quid, quantumq́; vitam producere, & valetudinem firmam seruare volentibus, conferat, ostendemus, Reclusis postea mineralium, & vegetabilium thesauris, Hermeticorum vestigijs insistentes, ea in medium afferemus medicamenta, longo vsu, & experientia comprobata, multis etiam secreti loco recondita, quibus vitæ balsamum roborare naturæ vires restaurare, & vitam in multos annos producere valeamus. Tandem coronidis loco, & in candidi Lectoris gratiam, præcipuorũ morborum historiam, & curationem specificis remedijs ditatam, succinctè, & paucis aperiemus, vt quisq; pro re nata, propriæ naturæ, quæ sola morborum est curatrix, subsidiarias manus, & præsidia præstare possit &c. Quæ omnia tertio hoc & vltimo labore nobis sunt expedienda.



Caput

Caput I.

De Vniuersalium Euacuationum natura, differentijs, indicationibus, locis conferentibus, commodis, incommodis, & vario earundem abusu.

Quid euacuatio.

EVACVATIO est eorum, quę in corpore stagnant, vel arte, vel naturâ, per loca conuenientia procurata expulsio; siue ea sit vniuersalis, qua totum corpus: siue particularis, qua determinatæ corporis partes euacuantur.

Hęc vt naturæ iussu & lege, recteq; à medico instituatur, multa diligenter præmeditanda & pensitanda supponit: Corporis nimirum plenitudinem, vires, temperamentum, habitudinem, superuenientia accidentia, ætatem, anni tempus, regionem, vacuandi consuetudinem, & ipsam deniq; artem; inter quæ tamen, duo primas tenent, ipsa scilicet plenitudo, & vires: primi & potissimi cuiuscunq; euacuationis scopi.

Quæ vacuationem indicet.

Plenitudo quippe modũ, mediocritatemq; excedens, semper vacuationem indicat: Vires verò eandem vel admittunt, vel prohibent. Virium hoc loci nomine, facultas tùm animalis in cerebro, tùm vitalis in corde, tũ naturalis in hepate, residens audienda: quarum robur, vel imbecillitas indicabunt propriæ cuiusq; actiones, vt sunt motus, sensus, respiratio, pulsus, & concoctionis bene vel male instituta œconomia; ita vt virium, & præsertim vitalium robor, vacuationem admittunt, earum verò in essentia imbecillitas, omnino prohibeant.

Licet autem plenitudo vacuationem indicet, eamq; viriũ robur admittat, non tamen illicò vel ad purgationem, vel ad venæsectionem, vel ad ciendũ vomitum, sudores, vrinasue proliciendas descendendum, cùm *teste Hippocr. 2. Aphor.* & *Galen.* quibusdam inedia sufficiat; aliis tenuis victus ratio; his frictiones, illis digerens aliquod fundamẽtum.

Porro humorũ plenitudo tùm à sanguinis multitudine, tàm ad vasa, quam ad vires, quam plethoram: tùm à prauis succis exorta, quam cacochymiã vocant, vacuatione curatur, tàm in sanis quam ægris corporibus: at non qualicunq; vacuatione: cùm illa sanguinis, hæc verò prauorum succorum euacuatione indigeat modo vniuersali, modo particulari, pro præsentis, vel imminentis affectus, lociq; affecti naturâ, qualitate, & quantitate. v. g. Cùm in toto corpore, vlceris cuiusdã sensus, potissimum cum motu agitari deprehenditur, cacochymiæ vniuersum corpus occupãtis, vniuersalemq; vacuationem exgetentis, est argumentũ: quod

 si vel

si vel solum caput grauari, tendiue, aut iecur, lienẽ, renes, ventrem, septum, costas, thoracem, vlcerosa lassitudine; aut ventriculi orificium grauitate, morsu, nausea, cibi fastidio &c, diuexari percipiamus, particularis cacochymiæ, determinatam, & loco affecto conuenientem vacuationem postulantis indicium erit.

Habet siquidem corpus suos ductus & meandros, per quos tàm naturalis, quàm particularis euacuatio exercetur: vt caput, propria habet sua emunctoria, os, nares, aures, oculos, quibus redundantes materiæ euacuantur: vẽtriculus, œsophagum, pylorum, & intestina: Iecoris caua, & lien, certis canalibus, materiã ad aluum præcipitant; Gibba iecoris, & renes suos habent anfractus, quibus serosos humores ad vesicam expellunt; sic venæ omnes suapte natura transpiratione exonerantur, vt & artis ope per venæsectionem; totus deniq; corporis habitus suos & poros & spiracula habet, quib⁹ sordes, sudores, & alia excrementa, sensum effugientia euacuantur.

Sed & viæ omnes, per quas instituenda euacuatio, diligentissimè cognoscendæ sunt: Hoc fiet, si alterũ oculum ad naturæ propensionem, alterum ad partem ipsam conuenientem, per quam fit euacuatio, conuertamus. Cùm igitur omnes humores, per omnes partes vacuari possint; v. g. bilis vomitu, sudore, vrinę deiectione, ad naturæ propensionem respiciendum, quæ si ad superiores tendat, nauseam, vomitumue ciere conetur, per superiora vacuanda erit: sin ad inferiora vergat, aluum, & intestina, ea quoq; incedendum erit via, *teste Hippoc. 1. Aphor. 21.* Quæ ducenda sunt, eo ducantur, quo maxime natura vergit, per loca, lege naturæ cõuenientia. Hinc enim sæpe vomitus vomitu curatur, & alui fluor, acri clystere sanatur, sublata nimirum & excisa causa mali, talem effectum fouente.

Loci conferentes.

Loci verò conferentes sunt, qui peccantes humores euacuandos, citra aliquam noxam excipiunt, in quibus tamen & partis natura, ad quam fit expulsio, & eiusdem consensus, cum aliis, considerandus: Ne nimirum illa sit è principalium partium numero (ad quas nũquam citra periculũ fit humorũ excursio): & vt sit pars à natura vacuationi destinata, vt sunt intestina, venter, cutis pori, palatum, nares, vterus, vesica, & totius corporis venæ.

Ex partium consensu & sympathia, facile etiam via cognoscitur, per quam instituenda vacuatio: Hinc iecoris caua pars, ventriculo & intestinis consentiens, per vtramque viam tuto euacuando fieri potest: pars verò gibba, renibus & vesicæ conspirans, vt plurimum per illas instituitur vacuatio. Interdum vbi multi

multi crassos humores à ventriculo, mesenterio, & cauis iecoris eo deducti, stabulantur, qui à perito Medico ad aliam viam (ne & multitudine, & crassitie angustos renum & vesicæ meatus infarciant) ad amplos scilicet intestinorum canales, maiori cõmodo deducuntur.

Loci item conferentes, per quos fit euacuatio, nõ sint exquisitioris sensus, ne inde animi deliquia, cardialgiæ, syncope, aut subita viriũ prostratio subsequatur; vt iis accidere solet, quorum os ventriculi exquisitissimo sensu præditum est, & acrẽ bilẽ funesto & calamitoso vomitu eructat.

Sic etiam quantum fieri potest cauendum, ne vacuanda materia, per nobilem aliquam partem excursum moliatur, vt est cerebrum, cor, iecur, pulmo ex quarum læsione, maius sequitur damnum quam ex tentata vacuatione corrigi possit. Licet enim id quandoq; à natura tuto fiat, vt in crisibus apparet, per hæmorrhagiam factis, humore per cerebrum transeunte; in pulmonũ vomica, per vrinarios meatus, & inferiorem aluum, sicq; etiã per cordis sinus expulsa; in parotidibus, alui deiectione persanatis, materia ad cerebrum recurrente: Medicus tamen quantum fieri potest, id non tentauerit, nisi duobus occurrentibus malis, è quibus tunc minus eligendum.

Cauendum tandẽ ne peccantis materiæ metastasis, per partẽ morbo occupatam fiat. Quod si per locum minime conuenientem, euacuationem tentet natura, tunc motus is citissime coercendus, & ad aliam partem reuellenda materia, nisi quid prohibeat. Vnde *Hipp. 2. Epid Sect. 3.* & *1. Aphor. 21.* & *1. de Humor. 2.* Humores crassi, viscosi, & multi, facilius, minoriq; noxa, per aluum & vomitum, quam aut sudore, aut vrinis euacuantur: At tenues serosi & acres, festiuius per vrinam, & cutaneos meatus excluduntur. Biliosi eodem *Hippoc. teste 4. Aphor. 9* facilius per superiora: melancholici plenius per inferiora vacuantur. Idem *4. Aphor. 4* æstate superiores partes; hyeme, inferiores magis vacuandæ veniunt; quod & de regionibus audiendum.

Quod si subinde morbi incurrant, sintque acuti, ii facilius, & plenius sudore, vomitu, diureticis, aut hẹmorrhagia & aluo subducta sanãtur, nisi forte tales affectus contagiosi & venenati fuerint, tacitam malignitatem secum ferentes, vt in peste, febribusq; pestilentibus, & malignis, videre est, tunc enim tutius & facilius materiæ morbificæ malignitas, exhibitis statim Alexipharmacis, sudore, quam aliis vacuantibus expelletur: diuturni verò vt plurimum facto abscessu, aut excitata per inferiora excretione soluuntur.

Conſiderandum etiam hoc loci temperamentum, corporis habitus, & conſuetudo: Bilioſi enim & rara corporis textura præditi, facilius vomitu, & ſudore vacuantur: Melancholici verò & pituitoſi, denſum & durum corporis habitum circumferentes facilius per inferiora. Conſuetudo ſępe locum demonſtrat. cùm plerumq; natura ad partes aſſuetas viam inflectet.

Conſiderandũ demùm quantum & quo tempore vacuandum ſit, quod & plenitudinis, & cacochymię differentiæ, oculato medico facile indicabunt. Magna enim plenitudo & cacochymia, magnam; mediocris, mediocrẽ; parua, paruam indicabit euacuationem: vbi tamen in cacochymia, non ſolum peccantis ſucci quantitas, ſed & eiuſdem qualitas diligenter obſeruanda; licet enim quandoq; exigua ſit illius quantitas, eiuſdem tamen malignitas nõ rarenter maiorem requirit vacuationis quantitatem, naturæ ſuæ conuenientem. Ergo tantum vacuandum, quantũ ſuper corporis conditionem excrementa, vel ſanguinis, vel humorum quantitas, aut malitia requirunt: niſi vires contra indicent, quæ interdum hanc operationem vel omnino impediunt, vel ſaltem diminuunt. Vacuandi demum tempus tàm in ſanis, quam ægris corporibus obſeruandum, quod cognoſcitur, cùm indicans ſua præſentia vel turget, vel vrget.

Quæ cùm ita ſint, multorum hominum temeritatem, an potius inſaniã, mirari ſubit, qui nulla habita vel peccantis materiæ, vel virium corporis, vel temperamenti, vel habitus, ætatis, temporis, ac conſuetudinis ratione ac differentia, illotis, vt aiunt, manibus nunc ad hanc, nunc ad illam vacuationem moliendam deſcendunt, parùm conſiderantes, quantum interſit, idoneam inſtituere corporis vacuationẽ. Nam vt hæc ſuo tempore, modo & ordine inſtituta, multos perſanat morbos, & imminentes arcet, vitæ ſtamina protrahit, extẽditq; & corpus ſanum, validumq; conſeruat: ſic eadem perperam adminiſtrata, non raro morbos excitat, corpus eneruat, balſamiticos vitę humores exhaurit, ſed ſæpe & morbos, & vitam ipſam variâ ſymptomatum acceſſione deprædatur. Nihilominus hac in parte, quilibet, quantumuis imperitus, & virium naturæ ignar⁹, ſe Medicum iactat, & AEſculapium crepat; hic ſecreti loco ab auis & atauis, inſigni potitus purgante pharmaco, in quod, ſi Diis placet, omnes gratiæ conſpirarunt, gloriatur: ille à magni nominis Medico arcanum prece, & precio nactus crepat, quo omnes homines nullâ habitâ differentiâ, vel temperamenti, vel ſexus, ætatis, temporiſue euacuat: Ia-

ctat hic lilium ♁: ille vitæ, vel potius mortis ♀: alius præcipitatum, alius crocum metallorũ miris parasangis efferunt; Hodie nostri tùm chirurgi, tùm pharmacopæi, quos gloria vexat inanis, sibi ab eiusmodi Mercuriatis, & Antimoniatis pharmacis temperare haud possunt, qui sui officii immemores (quod est medicamenta à Medico præscripta, omni studio præparare, non exhibere) purgantia vni vel alteri à Medico præscripta, effectus fælicitate excæcati, omnibus indifferenter exhibent, sese Asclepiadas insignes iactare minimè erubescentes, parum considerantes probas & laudabiles euacuationes, non deiectionum numero, vel quantitate esse metiendas sed si, *teste Hippoc. 1. Aphor. 2.* talia euacuentur, qualia vacuari expedit, ægerque alacriter perferre possit.

Nouimus hodie quendam cuiusdam globuli purgantis serico rubeo inuoluti possessorem, quẽ traditionis serie a suis maioribus retinet, hunc cuiuis expetẽti purgationem commodat, per noctẽ in vini generosi poculum macerat, mane infusionem sorbendã præbet, sequitur mox effera & per inferiora, & per superiora biliosæ & amarulentæ, acerrimæque materię euacuatio, imo quãdoq; nec sanguinis violentæ reiectationi parcitur. Interrogati quid esset? aliud non nos augurari diximus, quam globulũ è magnesia Saturnina, eiusue regulo, & præcipitato fusionis beneficio conflatum. Sed de his forte plura inferius.

CAPUT II.

De Venæsectione, primo vniuersalis euacuationis membro, breuis, & succinctus discursus.

ANtequam de Venæsectione agamus, pauca de sanguine insigni illo & carnium & totius corporis pabulo, per venas ceu riuulos in vniuersam massam delato, & passim cuncta exhausta, irrigatione, & distributione replẽte, differemus: quem Latini sanguinem, ceu sanguen, quasi sanitatis genitorem vocant. Neq; enim salus, ac ne vita quidẽ absque sanguine cõstare potest: cùm & animam in sanguine, quidam collocarint. Vnde illud *Vergil.*

Purpuream vomit ille animam.

Gignitur præstantissimus hic humor ex Hepate, in venis, & arteriis cõtinetur, & soli corpori distribuitur, a corde perfectionẽ quandam adipiscitur; alendo toti corpori, eiusq; partibus sufficit; quantitate omnium congenitorum humorũ longè plurimus, & verno tempore copiosissimus; in pueris dominans, & largus, è vino, bonisq; alimentis, ac temperatis vberrimè generatur: qualitate quidem penes colorem (si naturali se modo habeat) rubeùs; alioquin multis modis degenerans, in omnem propemodũ

Officina sanguinis

colorem,

colorem, albicantem, pallẽtem, flaueſcentem, croceum, viridem æruginoſum, glaucum, nigreſcẽtem, atrum, & quæ his ſunt affinia per mixtionem pene infinita: diciturq; ſanguis pituitoſus, bilioſus, melancholicus, ſeroſus, putris. Ex quibus plurima morborum genera emergunt. Guſtu, & ſapore, dummodo naturaliter ſe habeat, dulcis, à mediocri calore elaborat⁹: idem ſi vitiatus degeneret, varios & peregrinos ſaporum modos induit, acidum, acrem, ſalſum, amarũ; vel vt Hermeticis placet, vitriolatum, baurachialem, aaronicum, arſenicalem; & ſimiles alios quoſcunque. Atque vna cum iſta ſaporum diſcrepantia, peregrinos etiam ſibi odores aſciſcit, quibus ex affinitate, de propinquo nomina affingunt. Et hæc quidem vis eſt ſanguinis penes corpus. Præſtat & ad animi mores, & prudentiam, *teſte Hippocr. lib. de morbis*: *Sanguis*, inquit, *qui eſt in homine, maximam partem ad prudentiam confert*. Et *lib. de Flat. Opinor autem omnia inter, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem. hic ergo ſi in conſtanti habitu per'iſtat, conſiſtit, & prudentia: ſanguine verò permutato, concidit ſimul & prudentia.* Hactenus *Hippoc.*

Varij ſanguinis colores.

Sanguinis optimi ſapor dulcis.

Quidſã guis in corpore præſtet.

Ad prudentiã ſanguis maxime confert.

Cùm igitur ex *Hippocr.* ſententia, tanta ſit ſanguinis prẽſtantia, tantuſq; vſus, & ex multorum opinione vita ſeu anima in ſanguine, ſucco illo ſingulari, & vnico, vitalibus ſpiritibus impræg-nato, vitam ac nutrimentum ſingulis corporis partibus, & membris præbente conſiſtat, non defuerunt, nec hodie deſunt, qui phlebothomiam non ſolum non laudarunt, ſed hiſce ducti rationibus è tota medicina relegandam, & exterminandam voluerunt: tùm quod nondum inuentà phlebothomia, aliquot hominum myriades, citra venęſectionis vſum, & longiorem & ſalubriorem vitam tranſegerint; tùm quod & noſtra, & patrum noſtrorum memoria conſtet, eos qui in vena ſecanda vel crebriores fuêre, vel eandem quotannis reiterare conſueuerunt, & breuiorẽ vitam duxiſſe, & de dubia fere, inconſtantique valetudine conqueſtos fuiſſe: cùm tamen viceuerſa pleriq;: qui phlebotomiam vt ruſticolæ paſſim, vel neglig ũt, vel non ad amuſſim obſeruant, robuſtiore, vegetioreq; corpore, vitam ſaniſſimam, ad ceruorum ætatem propagent, vitales ſpiritus, humidumq; illud balſamiticum, vna cum ſanguine, theſauri loco cuſtodientes.

Opiniones venæſectionẽ improbantium.

Verùm cùm generoſiſſimum hoc præſidii genus, & antiquiſſimum ſit, & ab omnibus veræ medicinæ, cultoribus comprobatũ, longo vſu & experientia ſtabilitum, prægnantibus rationũ momentis, è veritatis vrna, & naturę fontibus petitis confirmatũ, tantum abeſt, vt in prędictorũ ſentẽ-

Superioris opinionis refutatio.

tiam,

tiam, nullis rationibus fulcitam descendamus, vt illam verius, ceu humanæ vitæ infensissimam reiiciamus. Licet enim aliquam veritatis vmbram, vel speciem præseferre videatur, quod nimirum & antiquitus, & nostro hoc æuo plurimi viuidam, robustam & inculpatam vitam citra phlebothomiæ administrationẽ duxerint; si tamen nostri temporis victus rationem, viuendíque licentiâ perpendamus, quæ relicta Veterum sobrietate, & viuẽdi frugalitate, sese in omnes gulæ illecebras, & irritamenta effundit, & corpus turgentium humorum sarcina, & periculosa vasorum distentione opplet, exercetque; haud iniuria venæsectionem, loco, tempore, & probatorum Medicorum præscripto administratam admittemus: ad quam tamen non facilè, non temerè, nec inconsideratè (prauâ inertium chyrurgorum consuetudine, qui nullâ præuiâ consideratione, non pensitatis ægri viribus, non ponderatâ præsentis iudicantis naturâ, sed leui duntaxat Calendarii aut Diarii signo, vel ægrotantis petitione moti, illotis ad venæsectionem manibus properant) est deueniendum, sed omnia acri ingenio ponderanda, videndumq́; num ea, quæ venæsectionem indicant adsint, priusquã generosum hoc remedium executioni demandetur; quod non nisi in magnis morbis, à sanguinis plenitudine excitatis, vel præsentibus, vel imminentib⁹, siue euacuationis, siue reuulsionis, aut deriuationis gratia, adhibeatur.

Quæ venæsectionẽ non indicẽt.

Quid ergo indicat venæsectionem? Hanc non indicat morbi magnitudo (vt nostro tempore Pataüii volebat acri ingenio vir Alexander Massarias, contra amantissimi mei & præceptoris, & promotoris Horatii Augenii placita, firmissimis rationũ momentis fulcita) non vires, non ætas; Morbi enim magnitudo, seu quoad partis affectæ nobilitatem, seu quoad propriæ essentiæ magnitudinem, aut eiusdem cacoethian, aut symptomatum vehementiam, nõ statim exigit venæsectionem, sed magnũ præsidium: cùm magnus morb⁹, magnum; paruus paruum; mediocris mediocre exigat auxilium: at morbi magnitudo & vires, (ad quas ætas ipsa, vt signũ, spectat) sunt principes, & primi scopi, ad magnum aliquod præsidium excercendum, esse descendendum, illa quidem pro sui ablatione, hæc verò pro sui conseruatione.

Adde quod hæc tria simul iũcta, non possunt indicare venæsectionem, cùm naturam communem non habeant, in qua cõuenire non possint, & à qua indicatio sumi queat: vnde nec vnũ indicare possunt, cùm tamẽ omne quod indicat, pro sui natura, vnum indicet. Et licet hæc tria

 adsint

adsint, non tamen venæsectionē indicabunt, cùm tam ad venæsectionem, quam ad purgationē sese indifferenter habeant. Vnde si hæc tria iunctim sumpta, nō indicent venæsectionem, sequitur etiam horum aliquo absente non esse ad venæsectionem, deueniendum; cùm tamen pręsente morbo magno, constantibus viribus, citra ætatem consistentem, tutò sanguinem mittamus, vt in pueris cōstat, quorum ætas non semper indicat, à venęsectione abstinendum, sed quantitatem limitandam esse.

Nec vires, nec ętas propriè indicant venæsectionem; vires enim duntaxat sui conseruationē indicant: nec enim quicquam ab eis sumimus, vt vel valeamus, vel à morbis liberemur, sed vt viuamus; ita vt nec curationem, nec phlebotomiam, nec purgationem indicent, sed prædictos scopos vel prohibeant, vel admittant.

Sic ætas nullam vim habet indicandi vel curationē, vel phlebothomiam, vel purgationem, vt nec ipsa florens ætas, alioquin præsente florente ætate, semper esset vena secanda, semperq; curandum, etiam florentia, & sana corpora. Verùm omnes ætates quandoq; generosum hoc ferūt remedium; nec enim annorum numeris præfiniēda venæsectio: nō enim alia ratione pueris ante 14. annum sanguis non mittebatur, nisi quod Veteres largissimâ vterentur sanguinis per venam profusione, ita vt ipse *Galen.* pueris a 14. anno, ad libram vnā sanguinem emiserit. Audebim⁹ ergo etiam ante 14. annum pueris venam aperire, in modica tamen quantitate, ad naturæ imitationem, quæ in pueris quandoque profusissimas hæmorrhagias molitur. Et cum iisdem sæpe purgationes exhibeamus, cur non etiam iis in modica qnantitate sanguinē detrahemus? Hæc enim cùm in nostra sit potestate eam etiam pro ratione regere valemus. Iisdem nō rarenter tutissimè hirundines affigūtur. Sic & multi sexagenarii, non ferunt sanguinis missionem, cùm eandem tamen sæpe & septuagenarii, & octuagenarii strenuè perferant.

Venæsectio annorum numeris non metienda.

Ex hisce constat venæsectionem non annorum numeris, sed corporis habitudine esse dimetiendam: non enim quæ sit ætas, interest, aut quid intus in corpore geratur, sed quæ sint vires: firmus enim puer, robustus senex, & valida mulier vtero gerens, & valens, tuto hac ratione curātur. Sic *Auēzoar* magni nominis Medicus, filio suo trimo, *teste Auicen.* sanguinem misit.

Plenitudo, vt plenitudo non indicat venæsectionē.

Sic plenitudo, vt plenitudo, non per se indicat venęsectionē sed euacuationem duntaxat absoluté dictam, quarum cùm variæ sint differentiæ, ab vna plenitudine

nitudine indicari nequeunt: cũ sola frictio interdum plenitudinem curet, interdum balneum, inedia, purgatio, interdum etiã venæsectio, non præsente etiam plenitudinis affectu, vt cùm hæmorrhagiam, vel sanguinem è maristis fluentem reuellimus.

Neq; demum sanguinis vitiũ venæsectionem indicat; si enim sit intemperies facta, alteratione in contrarium curabitur; si putredo, quatenus talis, non curatur venæsectione, sed suis idoneis remediis, putredinis causã, & generationem tollentibus.

Verum indicãs venæsectionis.

Sãguinis ergo plenitudo modum, mediocritatemque excedens, quam plethoram vocant, verum & legitimum est venæsectionis indicans; siue ea sit exacta & ad vasa: siue ad vires, vel ad vtrumq;, solo sanguine, aut omnibus humoribus, vel aliquibus auctis: siue non exacta, seu cacochymiæ permixta, cùm bonorũ vel prauorum humorum, intra, vel extra vasa, dominio. Tali igitur præsente sanguinis plenitudine, modum, mediocritatemq; excedente, semper viget mittẽdi sanguinis indicatio, & è conuerso.

Plenitudinis signa.

Hanc autem plenitudinem tibi indicabunt sequentia inditia: Eusarca seu optima corporis cõstitutio; temperamentum calidum humidum; naturæ ad sanguinem generãdum propensio; tempus vernum; Regio & cœli status æqualis; suppressa consueta mensium, aut hæmorrhoidum vacuatio, aut mutilatum insigne aliquod membrum, vt crus, brachium &c.

Signa plenitudinis quoad vasa.

Signa autẽ plenitudinis, quoad vasa, sunt color rubeus, ortus vel à causis externis, solis æstu, balneo, labore, vel internis, venarum scilicet tumore conspicuo, insigni tensione, & amplitudine, pulsu plenissimo, firmo ac robusto, veloci, maximo. Signa autem quoad vires, sunt grauitas, lassitudines spontaneæ, pigritięs; ita tamen vt causæ sanguinis incrementum augentes, cum cõspicuo quasi tumore adsint, insequente in corpore aliquo morsu, & sensus acrimonia. Carnis verò moles cum rubore, & venarum satietate mixta, tàm vasorum, quàm habitus corporis plenitudinem indicant.

Signa plenitudinis quoad vires.

Vtriq; plenitudini tàm ad vasa, quàm ad vires, interdum cõuenit venæsectio, tùm putredinis curandæ, & arcendæ, tùm reuulsionis, & deriuationis gratia. In plenitudine tamen quoad vasa, maximè adhibetur sanguinis missio, euacuationis ergo qua tùm venarum disruptio, tùm hominis suffocatio arcetur, reuulsio exercetur.

Anacephaleosis.

Vt ergo præsens caput cõcludamus, paucis omnia sic repetimus: In omni plenitudinis affectu, sanguinis detractio conuenit: at non semper ea, quæ vena

secta exercetur: Sanguinis copia venæsectionem indicat; at euacuationis modum, indicat plenitudinis motus, & ægri conditio. Vnde si magna non fuerit plenitudo, sed quæ mitioribus præsidiis curari possit, temerè ad magnum presidium accedemus: ideo minuendus, seu digerend⁹ potius sanguis, inediam, frictiones, exercitia, balneas calorificas, insensibilesque vacuationes adhibendo. Quod si magnus vel adsit, vel immineat affectus, tunc sensibili vtendum euacuatione; quæ statim, & tuto necessitati occurrit, cùm in magnis morbis tardare, & malum sit, & periculosum.

In magnis morbis tardare, malum.

Fit autem sensibilis hæc euacuatio, vel venæsectione, vel cucurbiculis scarificatis, vel hirundinibus seu sanguisugis; vnde si debiles fuerint vires, vt in mulieribus, mollibus, pueris, eunuchis, & in omnibus, in quibus tenues venę apparent; his saluberrima fuerit scarificatio, de qua inferius. Si nihil impediat, morbusq; magnus vel adsit, vel immineat, tunc vena pertundenda erit, licet humores nonnihil à sanguinis natura deflexerint, & sanguinis vel biliosi, vel pituitosi, vel melancholici copia redūdet.

CAPVT III.

De Reuulsionis, Deriuationisq́; Natura, adhibendi modo, & vtilitate.

DVplici de causa sanguinem mittimus, tùm vt sanguinis impetum & orgasmum reuellamus, tùm vt turgentem luxuriãtem eiusdem copiam vacuemus: Inde duplex sanguinis missio emanat: Vacuatiua, & Reuulsoria. Est autem reuulsio illabãtis, seu excurrentis humoris in contrarium ad distantissimas partes retractio; nimirum sursum, deorsum; à dextris ad sinistra; intus, extra; ante retro; & è conuerso: vbi tamen semper venarum, fibrarumque rectitudo (quantum fieri potest) & societas attendēda, sumpta semper indicatione, ab affectę partis positione, & cōsensu; non ab humoris motu.

Duplex sanguinis missio.

Quid sanguinis reuulsio.

Debetur autem Reuulsio iam fluentibus, & nondum fluentib⁹, sed ob aliquem corporis affectũ fluxioni paratis humoribus. Triplex autem hic est humor: I. qui iam in partis substantiam est effusus: II. Qui in venis partis continetur: III. Qui ad affectum locum mouetur, ipsum, nisi impediatur, aucturus. Vnde fluenti, & impetum facturo, simplex reuulsio debetur; In partis verò venis contento, deriuatio, & à parte affecta, euacuatio. Quæ omnia, vt supra dictum; tùm venæsectione tùm cucurbiculis scarificatis, tū hirundinibus, clysteribus, frictionibus, ligaturio, & purgationibus fieri possunt. Non enim semper, & statim ad venæsectionem recurrendū, sed solum cùm mag

Quibus humoribus reuulsio debeatur.

Quibus deriuatio deriuatur.

magnus adfuerit fluentis humoris, impetus, aut talis immineat.

Quando ad venæ sectionē descendendum

Quatuor autem sunt Reuulsionis leges: I. Vt humores longissimè à parte phlegmone affecta retrahantur: II. Vt semper ante reuulsionem, dolor mitigetur, si vrgeat: III. Vt fiat per cōmunes sanguinis ventres, cum loco affecto conspirantes: IV. Vt fiat secūdum rectitudinem, quæ est proximus partium secundum longitudinem consensus, in vno quouis situ, & positione, idq; quantum fieri potest. Sæpe enim hæc venarum rectitudo seu illud *Hippoc.* κατ' ἴξιν, vsque adeo obscurum est, vt *teste Galeno 6. Epid. comm. 2. text. 14.* nihil ex situs partium διακόσμω pronunciare valeamus.

Reuulsionis leges.

Hippoc. κατ' ἴξιν

Reuulsionem sequitur Deriuatio, quæ humoribus in inflammationibus detentis, & affectib⁹ inueteratis debetur, cùm sit illapsi humoris, in vicinum latus retractus, aperta scilicet vena, parti affectæ inserta.

Deriuatio quid & quib. affectib. debeatur.

Fluentibus ergo humoribus & in partem impetum facientibus, in inflammationum principiis, reuulsio, siue simpliciter, siue secundum quid, dicta, debetur: Cùm autem lentè fluunt, aut iam maiori ex parte restitit impetus, tunc præstat per vicinum locum deriuare. Et licet omnis deriuatio per loca vicina fiat, id tamen perpetuum non est, cùm non omnes affectus venas habeant proximas, quibus deriuatio institui possit. Tunc autem opportunè deriuatio instituitur, cùm præmissa reuulsione, fluxionis impetus, & ardor iam resedit, humorq; adhuc liquidus in parte stagnat.

Quando deriuatio rectè adhibeatur.

CAPVT IV.

Quænam sanguinis missionem, vel hortentur, vel dehortentur? & quibus morbis debeatur?

MORBOS, quos sanguinis vbertas, vel eruptio progenuit, præsentes quidem sanat venæsectio, impendentes arcet, Vnde venæsectio debetur omni inflāmationi, phrenitidi, hepatitidi, splenitidi, nephritidi, pleuritidi, patotidi, peripneumoniæ, sanguinis sputationi, & vomitui, anginę, ophthalmiæ, odōtalgiæ; vteri, pudēdorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum articulorum, omniumq; tàm internarum, quàm externarum partium phlegmoni, contusioni, dolori & ardori vehementissimo; lethargo, vertigini, morbo attonito, epilepsiæ, à sanguine ortis; carbunculis item, furunculis, scabiei humidiori; multarum item causarum complexui; sanguinis item violentæ eruptioni aurium narium, mariscarum, vteri & intestinorum; synochis quoq; tàm putridis, quàm sanguineis, biliosis, continuis, ac intermittentibus, in quibus nimirum sanguis redundat, vt & quartanis eadem

Quibus morbis debeatur phlebotomia

de causa; distentionibus item ex repletione, lassitudini phlegmosæ, suppressis consuetis sanguinis vacuationibus, cephalalgiæ, & cephaleæ sanguineis, hydropi ex sanguinis suppressione factæ; stranguriæ, ischuriæ, ac dyssuriç, à calidis humoribus excitatis; cordis palpitationi, sanis citra causam accedenti. Saluberrimũ demum est, in omnibus venam tundere, cùm cacochymiæ, sanguinis plenitudo est permixta, aut cum symptomatis ratione, sanguinis plenitudinem remouemus. Semper verò tutius *teste Hippoc.* imminente, quàm præsẽte morbo emittitur sanguis, vtiliusq; est futurum prospicere, atque præcauere, quam insilientẽ infixumq; morbum profligare: Nam

Ægrius eijcitur, quam non admittitur hospes.

Quibus morbis non debeatur venæsectio.

Sanguinis autem missionem contra indicant, seu dehortantur, virium tùm naturalium, tùm animalium, maximè verò vitalium imbecillitas, & ea potissimũ, quæ fit ab exhausto seu propriæ substantiæ dissolutione; quæ enim ab oppressione cõtingit vitalium imbecillitas, vnicum exposcit remedium, vacuationem scilicet. Eandem & ætas dehortatur; licet vt iam dictum, & pueris ante 14. annum, & senibus sexagenariis, aut septuagenariis ex *Gal.* sententia, quandoq; sanguis mitti possit: cùm ætas propter vires tantum indicet, quatenus ad corporis habitum, vel ad temperamentum calidum humidum refertur, generosumq; hoc remedium vel admittit, vel prohibet. Constantibus igitur viribus & naturali vacuatione per cutaneos meatus, vel pauca, vel admodum temperata existente, morbo interim crescente, artificialis vacuatio secta vena in puero densi, nigri, duriq; habitus anno vel 8. vel 9. fieri potest; tùm quod tutius (cùm in nostra sit potestate parum vel multum euacuare) citius, & iocundius ægrum sanet, quam vel purgatio, vel inedia, quam tamẽ etiam pueri & senes sæpe ferũt; tùm quod copiosissimas tàm hæmorrhagias, quam sudores &c. perferant. Ex quibus constat, çtatem per se non dehortari venæsectionem.

Eandem præterea dehortantur præsens alui fluor, vomitus vel præcedens, vel proximè futurus; vtero gerentes (nisi quid magnum vrgeat, vt affectus hæmaptoicus, &c.) rara item corporis textura & mollis; os ventriculi amarabile redũdans, aut imbecillum, aut supra modum sensibile; præsens mensium fluor ordinarius; præsens crudorũ succorum, & exquisitæ cacochymiæ copia; cardialgia; præcordiorum inflatio; pulsus paruus, tardus, inæqualis; amplior totius corporis moles albidior, pallidior, nigrior, atq; viridior, quã naturalis ferat habitus; item vbi nulla

nulla ſubeſt noxia cauſa, exigua boni ſanguinis copia, cum crudorum ſuccorũ complexu; corporis macies; pręſens morbi ſtatus; ſyncopen pati aſſuetus; intẽperantes, guloſi, vinoſi, effæminati, & venerei; Hydrops Aſcites, & Tympanites; complexio, regio, tempus, humor, morbiq́; cauſa ſatis frigida; hora, & ſtatus vrgentis doloris; nauſeabunda ſatietas; ſanguis cùm mittitur flauus, liuidus, viridis, glutinoſus, viſcidus ranarum ſperniolæ inſtar; & vt verbo dicamus, vbi nec principale adfuerit indicãs, ſãguinis ſcilicet plenitudo, modum, mediocritatemq́ue excedẽs; nec virium robur, nec morbi vel præſentis, vel imminentis magnitudo, nec etiam corporis habitus, cœli & anni cõſtitutio, regio nec cõſuetudo, nec ipſum temperamentum conſpiret &c, tunc à venæſectione abſtinendũ quod & chyrurgis, & pharmacopæis ſeſe perperam medicos profitentibus, dictum velimus, qui ſæpe relictà horum omnium conſideratione, audaci manu ad generoſum hoc remedium accedunt.

CAPVT V.

Quibus tutò, & quibus non tutò ſanguis mitti poſſit?

Quibus tutò mittatur ſanguis.

TVtò iis ſanguis mittitur, qui phlebothomari ſunt aſſueti; quibus denſæ ſunt, & ſolidæ carnes; venæ amplæ; quiq́; modicè graciles ſunt; qui facile morbis à repletione ortis occupantur, & qui electiuè ſunt purgati: His, inquam, tutò vena tunditur, & vniuerſim prodeſt: Hac enim ratione ſucci è vaſis hauriuntur, promptiuſq́ue & celerius, hac, quàm aliâ ratione vacuantur, fit illabentis humoris reuulſio, illapſi deriuatio, & æqualis vacuatio; ſicq́; fluens ſiſtitur ſanguis, natura à materia morbifica exoneratur, fortior, vegetiorq́; efficitur, totumq́; corpus ſecundaria ratione refrigeratur.

Quibus nõ tutò mittatur ſanguis.

E conuerſo non tutò mittitur ſanguis phlebothomari non aſſuetis calidis & ſiccis naturis, cãdidâ, molli, & flaccida carne prędicis, ſarcoticis, ſeu ſmyrneum corpus circumferentibus: Item vehementer extenuatis, & quibus graciles ſunt venæ, regione, cœlo, tempore plus ſatis vel calidis, vel frigidis, &c.

CAPVT VI.

Quo anni tempore, die & hora ſanguis mittendus? & num in venæſectione, aut purgatione, ſignis Aſtrologicis, quibus hodie Ephemeridum tabulæ exornantur, ſit aliquid tribuendum?

QVatuor ſunt Anni tempora, in quibus tamen non æqualiter vel purgandum, vel ſãguis mittendus. Hyeme enim & æſtate, aut non eſt mittẽdus ſanguis, aut parcâ admodum manu, niſi vel conſuetudo, vel regio, vel morbi violentia contrarium ſuadeant; tutius in vere & autũ-

Ver venæsectioni accõmodatissimũ.

no; Ver tamen præ cæteris omnibus maxime est accomodatũ, tum quod sit temperatum, tum quod vires tunc maxime floreãt vigeantq;, tum quod tunc temporis spirituum resolutiò pertimescenda nõ sit, vt in æstate, nec caloris natiui suffocatio, vt in Hyeme; nec etiam humores ita sunt tenaces, vt in hyeme, nec ita mobiles & agitati, vt in æstate.

Vernum tempus sequitur Autumnus, qui in relatione ad æstatẽ, validiores habet vires, superueniente temperatâ frigiditate, tàm vires recreante, quàm spirituum resolutionem prohibente. AEstate verò & potissimũ surgente seu oriente Syrio, & inter eius exortum, multò minus vel pertundenda vena, vel corpus purgatione euerrendum, nisi magna vrgeat necessitas, tunc magna adhibita diligentia id exercendum, admittendo vel leuissimam phlebothomiam vel bladissimam purgationem. Hyeme etiam parum conuenit euacuatio, tùm ob humorum tenacitatem, viscositatem, & crassitiem, tùm ob spirituum paucitatẽ, qui tamen in vacuationibus non mediocriter resoluuntur, subsequente immodicâ totius corporis refrigeratione. Hinc illorum ridenda vel socordia, vel temeritas, qui nullis ducti rationibus sed friuolâ obseruatione, & cõsuetudine, frigidissimo ferè anni tempore, feriis nimirum Natalitiis, & potissimũ festo S. Stephani, equorum adinstar venam sibi pertũdi curant, maximè verò Germani nostri, licet praua id faciant consuetudine, tùm quod non ita sanguine abundent, vt vel Itali, vel Hispani, nec enim vel cœlum, vel regio septentrionalis, vel frigus, niues, aerisque inclementia eousq; sanguinem luxuriare & excrescere permittunt; tùm quod Germanorũ sanguis, aliorum populorum respectu, nec ita vitiatus, nec ita intẽperatus sit, vt frequentiore, & intempestiua hac euacuatione emendari possit.

Contra ineptos barbitõsores vanas ephemeridũ signa vanè & scrupulosè obseruantes.

Sed quid ad eos dicemus, qui fastos dierum, aut Mathematicas Ephemerides, seu calendarum tabulas quot annis in vulgus edunt, in quibus quando pueros ablactare, quando vngues, crinesue abscindere; barbã radere, purgare, venam tundere, cucurbiculas affigere, ex Lunæ cum cæteris astris aspectu, aut concursu præscribunt? Incidimus nuper in cuiusdam Anonymi Chyrurgi nobis tamen satis noti tabulas Lunares, in quibus primum docet, quid singulis cuiuslibet mensis diebus, à prima Luna numerum inchoando, homini venã tundere curanti fausti vel infausti, tam curationis, quàm præseruationis causa contingat: mox fatales quosdam dies certis mensibus occurrentes

designat

designat, in quibus si vena aperiatur, vel præsentaneam mortē, vel morbum periculosum, aut ingens vitæ discrimen imminere, vel hominem eo anno nō superuicturum edocet, & stultè satis omnibus in die Annnnciationis B. Mariæ Virginis, in festo Simonis & Iudæ, in festo S. Andreæ Apostoli, venam aperientibus mortem prædicit: tandem etiam multa de sanguinis emissi examine & iudicio nugatur. O caput extracta Hellebori essentia dignum, & flagris excipiendum facinus, quo innumeri perduntur ęgri. Cùm ante 22. annos Gebvveylæ medicinam faceremus, in ipso S. Andreæ Apostoli festo, ad quendam robustum, & plethoricum ciuem acutissimâ pleuritide, tertio iam morbi die laborantem vocati, ocyus chyrurgum vocari curauimus, hic nec precio, nec precibus eo deduci potuit, vt illo die quem fatalem opinabatur, venam aperiret, tandem tamen magistratus minis coactus, nobis paruit, & vena largiter effusa, ægrum, alterum iam pedem in cimba Charontis habentem, è faucibus Orci liberauit, qui tandem tribus ab hinc annis, alio, vt audiuimus morbi genere, naturæ debitum persoluit.

Pertinax ista multorum certè chyrurgorum consuetudo, nullis rationibus firmata, nulla experientia stabilita, nullis nec Veterum, nec recentiorum Medicorum autoritatibus munita, eousq; pedem extulit, vt non solū certos vel anni, vel mensium dies, sed etiam certos quorundam astrorum congressus, seu cōiunctiones, oppositiones, aspectus infaustos, & pestilentissimos, & in omni venæsectione aut purgatione pertimescēdos proclament, quasi venæsectio aliquo illorum dierum adhibita, certa pernicie hominem sit è medio sublatura. Interim perniciosæ huius opinionis alios vel authores, vel fautores nō habent, quā Aniculas, Veneficos, Zingalos, ineptos Empyricos, Astrologos & Ephemeridum calculatores. At esto, sit aliquis plethoricus, & luna Leonem subintrante, aut aliquo proclamatorum dierum vel acerbissima pleuritide, vel calamitosa & ferina angina, à repentino calidioris humoris illapsu excitata corripiatur, nonne illico venam incides? An verius infausti illius diei reuolutionem cum præsenti hominis discrimine expectabis? An biduū vel triduum morabere, donec v. g. Luna solis domum exiuerit? Si distuleris ex humorum affluxu ita cogetur apostema, vt nec resolui, nec maturari amplius possit, ita miserum ægrum omni auxilio destitutum, vel mori, vel peripneumonia, aut phthysi cōtabescere facies. Vnde *Gal. 11. Method.* has lunæ obseruationes a-

 deo

deo nihili fecit, vt etiã magnopere laudet medicum, qui quinquagenarius in cephalalgia nocte sibi venam inciderit.

Adhæc, quibus moti rationibus, tàm in venæsectione, quàm scarificatione instituenda, vnus Cancrum, Virginem alius expectat: hic Scorpium, ille Sagittarium cæteris Zodiaci signis præfert? Cur hic Leonem extollit? alius Pisces, Taurum, Geminos suspectos reddit? Cur vrgente morbo, non ęque licet, Luna vel in Ariete, vel Leone, Virgine, quàm aliis signis existente, venã aperire? Id enim neq; *Hippoc.* neque *Gal.* neq; præstantissimi tùm Galliæ, tùm Italiæ, & Hispaniæ Medici vnquam tàm scrupulose obseruarunt, licet iisdem in locis Medicina vel maximè floreat. *Hippoc.* quidem in pharmacis propinandis Caniculam obseruabat, sed non vt talem, verùm quatenus oriente cane, maximi æstus, & calores insurgere, & ægrorum vires lacescere consueuerunt.

Sed longe magis desipere videntur, dum oportuna exhibendis pharmacis tempora designant. Sic *Hermes* pharmacum exhiberi vetat Lunâ ruminantia Zodiaci signa Arietem, Taurum Capricornum subeunte, veritus ne, cùm hæc animalia cibos ruminent, pharmacum quoq; per os regerant, & ex deiectorio, vomitorium fiat. Sic Ptolomæus in Centiloquio vult pharmaca in Lunæ & Iouis coniunctione exhibita, hebetari: omnino autem periculosa fore, si eadem Luna maleficis Saturni quadraturis, vel Martis aspectibus configuretur. At longe recti⁹ Medici corpora effætis viribus lãguida, vel pharmaco, vel venæsectione vacuare dissuadent: quibus tùm rectè vtimur, cùm corporis vires rectè constiterint; cùm & viriũ robore, & natiui caloris actione medicæ operationes probè promoueantur, nec multum vel Saturni frigore vel Martis calore cum luna iunctis impediantur, vel oportuno auxilio destituantur ægri. Neq; enim Mars adeo inflammat corporis humores, vt nõ sub eo existente Luna, etiam frigidi inualescant morbi: nec Saturnus adeo infrigidat, aut eos congelat, vt nõ in quouis eius ad Lunam prospectu, etiam calidi morbi incrudescant.

Luna humorũ fons & rectrix.

Cùm tamen Luna ipsa sit humorum fons & rectrix, cùm quis pręseruationis gratia corpus vacuare voluerit, poterũt quidem eius quadræ, non omnino negligi, qua nimirum vel crescente, vel decrescente augentur, minuunturue humores. Sic etiam partus, animalium fœtus, arborũ fructus, pro lunaris motus ratione, & luminis augmento coalescunt, maturantur, & enituntur, atq; criticos seu pręliatores morborum dies promouent, nisi materiæ

teriæ, illius actioni subiectæ indispositio obstiterit, quę has Solis, Lunæ, ceterorumque astrorũ actiones euariare cõsueuit; tum citra omnem ordinem astrorũ natura, non euicta materia, effectum producit. Constat igitur has dierum indiciariorum, prouocatoriorum & criticorum obseruationes, & effectus, magis ex causa morbi materialis, præcipuè febrilis, & acuti dispositione, concoctione (vt superius lib. primo insinuauimus) statis morbi temporibus & symptomatib⁹ dignosci, & dependere, quàm ex astris, vt rectè passim in *Aphoris. Prognost. & Epidemijs* docuit *Hippocrates*, vt & *lib. 4. de Morb. causam quare dieb. imparib. coincidat crisis*, inuestigans.

Cùm igitur illæ planetarũ cõiunctiones, oppositiones, quadraturæ, vt & cætera signa illis mendaciorum tabulis affixa, nõ sint vera & legitima vel venæsectionis, vel purgationis aut scarificationis indicatoria, non ita scrupulose obseruanda veniunt, sed multis nominibus irridẽda, explodenda, expungendaque. Primùm enim illorum varietas, diuersitas, & discrepantia, argumento est, nihil omnino vel ad venæsectionem, vel ad cæteras vacuationes cõferre, cùm in vno Diario bona, in alio mala, in his multa, in illis vel nulla vel exigua depingantur. Idem ex pernicissimo Lunæ per signa Zodiaci rotatu colligitur: licet enĩ in calendarii tabula, Luna duobus, vel tribus in Scorpionis signo v.g. excurrere doceatur, tãta tamen id pernitate fit, vt citius Luna signum illud percurrat, quam signi vires exeri, & animaduerti possint.

Signis Astrologicis Ephemeridibus affixis nihil tribuendum.

Apparet idem è neglecta solis obseruatione; qui cùm & anni, & temporum, & cæterarum mutationum sit auctor, & in omnes res sublunares suam vim vel maximè exerat, cur non & in venæsectione, & purgatione, non æque bene, ac ipsa luna, cæteraue signa, obseruandus? Cur chyrurgi Lunam binis vel summùm ternis diebus vnum signum excurrentem tàm scrupulose obseruãt in vena pertundenda, solem verò tot tantisq; virib⁹ præditum, vni signo Zodiaci integrum mensem affixũ negligunt?

Sol & anni & temporũ & aliarum mutationũ auctor.

Idem euidentissime è stolida, temeraria, insolida, &, vt vocant analogica, signorum Zodiaci, ad corporis humani membra distributione, patescit: Nolunt enim v.g. Leone pulmonibus & pectori dicato, pręsente licet signo, ex illis partibus venam aperiri. Sed quid si eidem in signo aliquem vel pleuritis, vel peripneumonia, aut calamitosa angina inuadat, anne magno ægri malo differenda venæsectio, quoad luna illud signum transierit? Quid agendum si bonum signum incidat, denotetq; è parte aliqua ery-

rysipelate, vlcere, aut alio graui affectu occupata sanguinem esse mittendum? si aperiatur vena, maior fiet ad locum affectum humoris morbifici affluxus; Sin omittatur venæsectio, frustra fuit à Calendarii tabulis significata. Quis harum tabularum nugas & affixorum signorum incertitudines non rideat, cùm v. g. ventos, pluuias, niues, aut tonitrua præsignificant, nos interim temporis serenitate & cœli trãquillitate gaudemus? Si eiusmodi signa, certò venæsectionem indicant, cur non bimulis, trimulisue puerulis? cur non senibus sexagenariis? Cur nõ vrente Syrio? Cur non vrgentibus frigore, niue; tempore item tum sereno, tũ pluuioso, turbido venam tundimus? Nunquid illis & ætatibus, & temporibus eiusmodi signa calendariis affixa frequẽter occurrunt? Aut si tunc venam aperire importunum indicant eiusmodi obseruatores, cur non potius ambientis nos aeris frigidioris, vel calidioris inclementiã, quam signi Zodiaci longissimè à nobis distantis fallacem, ac dubiam operationem extimescũt? Aut enim signi, aut vrgẽtis morbi ratione venam aperiunt: si illius, cur non toties, quoties signum apparet? Si huius, frustra in horum signorum fallaci obseruatione, & tempus, & operã perdunt. Si in venæsectione administranda tam scrupulose signa illa calendariis affixa, sint obseruanda, cur non & in aliis corporis euacuationibus? Cur nõ quãdo aluus exoneranda? Cur non quando proli suscipiendæ operam damus? Si ad signa illa attẽdimus, cùm serimus, & terrã colimus, cur non item quando in hominis generatione semẽ, preciosum illum liquorem, è nobilissima sanguinis parte conflatũ, profundimus, & in agrũ Microcosmicum seminamus?

Ex hisce abunde satis apparet eiusmodi calendarii signa, nec ad venæsectionem, nec ad scarificationem, nec ad cæteras corporis euacuationes quicquam præstare, sed merum esse insciorum chyrurgorum inuentum, à friuola & fallaci Ephemeridum obseruatione prognatum, quæ quò pluribus cruculis, aut duplicatis signis scatent, eò lubentius & auidius tam à chyrurgis, quàm à plebeis emuntur, quibus optimè instructi, multis hominibus nihil minus, quam de venęsectione, aut scarificatione cogitantibus, facile persuadent, vt extẽso ocyus brachio, venam aperiant, lucri potius, quam valetudinis prorogandæ, & vtinam non morbi, aut mortis sæpe procurãdæ causa. Verùm cùm totus mũdus & opinionibus regi, & decipi velit, his relictis, ad alia progrediamur.

Tempus venæsectionis.

Quantum ad ipsa morborum tempora, indicabitur venęsectionis

onis tempus, à materiæ morbificæ præsentia, vt sequitur vehementis indicantis essentiã: tunc enim quotiescunque mittendi sanguinis scopi præsentes fuerint, commodè vena aperiri poterit, etiam secũdo à morbo die, *teste Gal. & Oribas. 7. Collect.* & si vrgeat, ex iisdem venis sãguis detrahi; ea tamen lege, ne phlebothomus, phlebothomum feriat.

Quod si proponatur venæsectio, vt fluentis humoris impetus reuellatur, tunc id in fluxionum principio faciendum, antequam è vehementiore humorũ appulsu, vires ruant. Sic etiam in principiis facienda deriuatio humoribus nõdum ad puris naturam vergentibus, adhibita tamẽ prius reuulsione: sic & in putridarum febrium initio multitudinis tantum ratione sanguis mittitur; transacto autem earum principio, non amplius de venęsectione cogitandum. Quod si acutus incidat morbus, vehemensq; videatur, sanguis etiam mittendus erit; at si iam 14. diem prægressus fuerit, nulla amplius de venæsectione indicatio adesse potest, cùm morbus amplius vehemens dicẽdus non sit, tum quod materia vacuanda desit, tũ quod vires amplius ferendo nõ sint, sed potius inedia, aut tenui victu expugnãdus erit morbus.

Vtero gerẽtib. quando hoc vena aperienda.

Quod si vtero gerentes acuto morbo corripiantur, morbique magnitudo, & vires præsentes sint, tutò potest sanguis ad 6. vel 5. vncias mitti, citra alimenti fætui nutriẽdo destinati iacturam; non tamen inferiorum partium venæ eligendæ, hæ enim fætum præcipitarent, cùm etiam nõ rarò sanguinis multitudo per se fętum præcipitem agere possit: Nã si sanguinis inopia fętum perdere potest, cur non nimia sanguinis copia idem fecerit? Igitur vtẽdum venæsectione apertis superiorum partium venis, cũ nec verum purgans, nec balnei vsus, nec exercitatio, nec sufficiẽs frictio in his locum habeat.

Quo tẽpore in febribus intermittentibus vena secãda.

Est etiã in venæsectione, particulariũ dierũ & horarũ delectꝰ habẽdus, præsentibus potissimũ morbis, certã remissionẽ vel intermissionẽ habentibꝰ, tunc enĩ non excandescenti, sed nitescẽti morbo afferenda vacuatio; In morborum autem accessionibꝰ, ab his omnino temperandum, cùm id nec natura ipsa eo tempore tentet, sed quandoque vi morbi id accidat, & tunc temporis humores excãdescant, & turbati permisceantur. Secetur ergo vena in intermittentium febrium trãquillitate, tunc enim non solum nullum naturę negotium facesset venæsectio, sed & citra excandescentiæ metũ sanguinis multitudo è maioribꝰ venis detrahetur: At in continuis febribus expedit sanguinẽ mittere hora matutina, non statim à somno.

Quantum demũ ad ipsam horam, si sanguis præseruationis gratia mittendus sit, nobisq; liberum sit horam eligere, tunc conuenientior est eligenda matutina scilicet potius quam pomeridiana, experrecto homine, & vna iam hora vigilante, cibisque hesternis integrè coctis, & aluo, vesicaq; solutis, cum ex antiquorum tam philosophorum quã Medicorũ sententia, à solis exortu sanguis suscitetur, vigeat floreat, dominetur q;, ipsoq; diei lumine, tenuis floridus, serenus, & ad fluendum aptior fiat. Quod si vehementiores morbi vrgeant, & instent, tunc in omni tum diei, tum noctis hora vena pertundenda, vt in vehementi & suffocante pleuritide, vel angina, aut immodico sanguinis fluore. &c.

CAPVT VII.

De reiteranda venæsectione, & quando, quibusq; affatim mittendus sanguis.

TRibus de causis instituitur iterata venæsectio: I. vt tutior & facilior fiat reuulsio. II. vt virium imbecillitati prospiciatur. III. vt sanguis totius habitus è capillaribus venis hauriatur, *teste Gal. 5. de sanit. tuend.* Cùm igitur in contrariam partem reuellendus sanguis, nulla tutior, nulla facilior institui potest, ea, quæ fit repetita venæsectione. *cap. 12.* Nil æque vires in effatu digna vacuatione conseruat; nil æque sanguinem in corporis habitu existentem, magnamq; vacuationem exposcentẽ exhaurit: vacuata enim prima sanguinis mole, sanguis semimalus in ambitu contentus, in venas recipitur, à quibus postmodum repetita venæsectione euacuatur. Quando autem instituenda iterata sanguinis missio? Si sanguinem in phlegmone contentum vacuare animus sit, eodem aut sequenti die repetenda vacuatio, cùm ex eodẽ brachio sanguis in phlegmone contentus vacuandus, simulq; locus effectus à fluxione vindicandus sit, *teste Galeno, 2. acut. 11.*

Reiteratæ V.S. commoda.

Venæsectionis iteratio, præseruationis gratia instituto, potest ad 3. & 4. vsq; diem prorogari, quod obseruandum est in curatione pleuritidis cùm crudorum succorum copia *teste Galeno libr. de ven. sect. 12.* Vbi autem in venis maioribus humores ex æquo sunt putrefacti, parum refert, si eodem die non repetatur venæsectio, modo tamen celerrimè fiat, vt in vtriusq; synochi curatione constat. Quod si maximus impetus, tunc citissime eodem, vel saltem postero die reiteranda venæsectio, præsertim si validus fuerit fluentis humoris impetus: quanto enim magis augetur sectionum numerus, tãto melior euadet retractio, vt docuit *Gal. 5. method.* exemplo iuuenis spiritualium membrorum refri-

refrigeratione laborantis, cui quater ſanguinem miſit, bis eodem die, ſic ſecundo. In fluxione tamen nõ omnino ſubita, ſatisfaciet reiteratio ſecundo, vel etiam tertio die inſtituta. Inciſæ autem venę repetitio, ſemper ſit minoris quantitatis, quam præcedens venæſectio, ne ſcilicet vires ruant, quo enim vlterius progreditur morbus, eo vires redduntur imbecilliores, iterationis demum tempus non trãſcendat diem quartum, vt videre eſt apud omnes probatos authores.

Iterationis V.S. tempus.

Quæ autẽ ſuadent affatim ſanguinem mittendũ eſſe, quæ parcius: Febris continens, ſynoch⁹ cum prohibita tranſpiratione; ſanguis dum mittitur niger aut craſſus apparens; plethora quoad vaſa, nõ contradicentibus viribus: vlceroſa laſſitudo à phlegmone; omnes mittendi ſanguinis ſcopi adaucti, ferueſcentis ſanguinis plenitudo cum febre acutiſſima, & ardentiſſima, maxima inflammatio, vehementiſſimus dolor, &c. Parcius verò mittendus ſanguis, cùm vel flauus, vel tenuis apparet; cùm adeſt vehemens neruorum tenſio, vigilię, virium imbecillitas, crudorum humorum copia, habitus mollis, laxus, pinguis, albus, venarum gracilitas, corporis extenuatio, cum venarum amplitudine; omnes vel aliqui ſãguinis ſcopi diminuti, vel abſentes &c.

Quæ affatim quæ parcius V.S. ſuadeãt.

CAPVT IIX.

Quænam venæ in quouis affectu curando, ſanguinis euacuatione indigente, incidendæ; & de idoneo ſectionis modo.

VEnarum nomine, & *Hippoc.* & *Plato*, referente *Gal.* tàm arterias pulſatiles, ſanguinẽ tenuiſſimum, ac ſpirituoſum, feruentiſſimumq; quam venas non pulſatiles, craſſiorem ſanguinẽ, ſeu totam ſanguinis maſſam, vnà cum ſero, ceu ſanguinis vehiculo, & crudo illo humore, ſanguificationis vim, in hepatis officina ſubterfugiente, continentes, audiuerunt, & ipſam quoque arteriotomiam nõ rarenter exercuerunt; quæ tamẽ noſtro hoc ſeculo periculoſiſſima cenſetur, præſertim ſi maior arteria in cubito venæ ſubſtrata; aut quæ in poplite ſita eſt, ſecetur: Periculoſa eſt, cùm ſanguis ægrẽ ſiſti poſſit, ob calidioris, ac tenuioris ſanguinis impetum: imo in tali hæmorrhagia ſiſtenda, ſæpe excitatur gangræna; nec rarò item dum vulnus cicatrice obducitur, aneuriſma accidit, in cuius chyrurgia factitanda, non pauci obiere.

Arteriotomiæ vſus apud Veteres.

Minores arteriæ, minori quoque periculo ſecãtur: adde quod rarenter admodum exerceatur: tùm quod admodum conſpicuæ arteriæ nõ ſint; tùm quod ita facile non ſit eas conſequi. Secantur autem 8. numero arteriæ: duę inter pollicem, & indicem, ad

ceruicis dolores sedandos: Duæ ad interiorem palmæ partem eiusdem vsus: Duæ pone aures, ad vertiginē, & cephalæas: Duæ demùm temporum, ad deriuandas oculorum inflammationes, & suffusiones.

Quot venæ in manib. & brachijs aperiantur

Quantum verò ad ipsas venas sex in manu & brachio aperiuntur: Cephalica, Basilica, Media Axillaris, Basilicæ propago, & duę aliæ, in vlteriori brachii parte degentes, quarum altera directa funis instar, inter pollicem & indicem manus excurrit; altera inter annularem & minimū digitum porrigitur. Harum tres sunt magnæ, duæ paruæ, in manu degentes; mediocris est funis brachii dicta. Ex maioribus venis nulla tutior Cephalicâ; alię enim duæ substratam habent arteriam, vel neruum: Basilica comitem habet arteriam cōmunem, sub qua musculi tendo latet, ideoq; cautè admodum pertundenda. Sic Medianæ incisio ob neruum substratum, periculo non vacat, præsertim quādo inter duos neruos excurrit; vnde omni industria nitēdum, ne vel periculosissima fiat nerui pūctio, vel arteriæ incisio, quæ vix & nō sine præsenti periculo curatur.

Tres istę venæ in cubito apparentes, incidendæ sunt paulò supra cubiti articulū, nō infra, nec e regione, tum vt sanguis promptius prosiliat, tum vt neruorum & arteriarum noxæ euitentur.

Eodem modo Axillaris est incidenda: Cephalica seu Humeralis incidatur infra musculi caput in loco molliori vnica factâ diuisione, ne inflammatio excitetur, quod vt plurimum fieri solet, si iteratis vicibus pertundatur.

Quotiescunq; autem magnæ venæ secari nō possunt (semper enim magis conspicua aperienda) vel quia nimis obscurè, vel quia vires languent, tunc paruæ minusq; conspicuæ pertundendæ, vt est Saluatella: ramus enim à maioribus venis excurrens triplex est, quorum vnus brachii funis, alter inter annularem digitum, tertius inter pollicem, & indicem excurrit: primus à cephalica; secundus ab interiori, tertius ab exteriori proserpit vena. Vnde nulla in cubito vena apparente, secatur aliqua ex his tribus, sanguisque maiori copia extrahitur, quam si magna vena aperta fuisset.

Quot venæ in pedibus aperiūtur

Pedum venæ duæ aperiri cōsueuerunt: Ischiatica, quæ in exteriori mallei parte, infra & supra malleolum inciditur, & Saphena in interiori mallei parte, præsertim ad tollendas mensiū suppressiones, vacuandasq; collectas longo tempore vteri saburras. Venæ itaq; quæ in corpore humano aperiūtur, vel sunt in cubito, vel tibiis & pedibus, vel capite, vel ventre: In cubito secatur cephalica, ad succos ex collo

collo,& partibus supra collũ reuellendos & vacuandos. Interior seu Basilica, ad succos è iecore,& partibus omnibus infra collum vacuandos & reuellendos: *Cummunis quæ cum ab vtraque* deriuet,à partibustam supra quã infra collum vacuat, & reuellit: Saluatella tam dextra, quam sinistra,ad lienis & iecoris,pulmonumq; affectus iuuandos: Inter indicem & pollicem Basilicę est similis: In ventre duæ secantur venæ,vna supra hepar, quæ *teste Auicenn.* hydropisi confert; altera super lienem,lienis affectibus conueniens.In capite plures secantur,v.g.vena recta frontis incisa posticarum partium capitis conferens, vt & grauitati eiusdẽ antiquitatis ophtalmiis, & antiquo stupori atque dolori. Vena super caput incisa confert hemicraniæ,& capitis vlceribus. Venæ tum temporum,tum angulorum oculi incisæ, sanant hemicranias,ophtalmias antiquas,calidissimas lachrymas, palpebrarum scabiem, & inflammationẽ. Venæ vtriusq;lateris capitis,vbi auris extremitas capillos tangit incisæ suffusionũ principiis, aurium vlceribus,& colli affectib⁹ opitulãtur:Venæ iugulares in validissima & firma angina, catharro suffocatiuo, magno asthmate,peripneumonia, & splenis affectibus rectè inciduntur: Vena leporis dicta in faciei panno narium vlceribus, polypo, & inflammationibus aperitur: Venæ occipitis antiquos oculorũ morbos,& inueteratos capitis dolores *persanant: Labiorum* venæ malignis faucium, gingiuarum, & oris vlceribus, fissuris, & turionibus conferunt. Venę sub lingua, quas raninas vocant, anginis,amygdalarum& tonsillarum inflammationibus linguæ &grauitati,& inflammationi medentur. Vena furculæ valet in oris ventriculi affectibus.Vena inter mentum & labium inferius excurrens in oris fœtore secari cõsueuit. Vena deniq; poplitis vt & saphena vterinis affectibus, mensium suppressionibus,& obstructionibus medetur.

Qualis sectio omnium optima. Quantũ verò ad sectionis modum, obliqua sectio maxime vtilis cẽsetur, cùm eodem die reiteranda est venæsectio: Transuersa verò vbi non amplius est detrahendum: Recta demum vbi non eodem, sed sequenti die vena iterum est pertundenda: Et hæ sectiones vel fiunt amplo phlebothomo seu lanceta, cùm nimirum sanguis frigidus, crassus, viscosus, & melancholicus vacuandus,vt in autumno,& hyeme,& viribus valẽtibus.In omnibus ergo morbis à sanguine melancholico vel pituitoso procreatis, vt est febris Quartana, Quotidiana,Melancholia,Phrenitis, ab humore melancholico in cerebri substantia putrefacto, excitata,apoplexia item, & vterini

rini affectus, mensiumq; suppressiones amplam exigunt venæsectionem, vt & vbi confestim & multum vacuare oportet. Vel fit sectio angusta, tùm vt virtutis imbecillitati occurramus, tùm vt tenuiorem duntaxat sanguinem extrahamus, tùm vt imminentia immodicæ profusionis sanguinis pericula euitemus. Cùm noctu vena est incidenda, semper fiat angustior sectio præsertim in delirantibus, ne dormiendo, soluto vinculo lethalis profusio sanguinis excitetur, &c.

CAPVT IX.

Quæ ante venæ sectionem afferenda præparatio; quid ipso sectionis tempore; & quid post venam sectam faciendum; deq; sanguinis extracti examine; demum de præcipuis remedijs è sanguine arte spagyrica educendis.

NOn solum opportuna temporis occasio ante venæsectionem, quantum fieri potest, expectanda, sed & idonea instituenda corporis præparatio, quę fit expurgata prima corporis regione, vitiisq; venæsectionẽ vel impedientibus, vel remorantibus correctis, vt sunt ventriculi, primarumq; venarum cruditas, noxiorum humorum colluuies, aluus fæcibus adstricta, & os vẽtriculi exquisito sensu præditum &c. Ergo ad expurgandam primam corporis regionẽ, ad corrigendam ventriculi, primarũque venarum cruditatem, ad excludendam noxiorum humorũ colluuiem, aluumq; emolliendã tutissimè ante venæsectionem vtemur, vel clysteribus emollientibus, ac lenientibus, vel blanda & emollienti decoctione, è carnium iusculo cum passulis, prunis, mercuriali, acantho, bota, malua, althea, violis vel congrua victus ratione, humorum cruditatem corrigente; vel leui vomitu, si natura eò vergat; vel grato, & suaui aliquo syrupo leniente, & vacuante, vt est Rosatus violatus, de Sena, de Rabarbaro; vel passulis laxatiuis, vel Diapruno, vel balsamo extracto Aloes, aut aliquo Electuario Magistrali &c. Semper enim primæ saltem viæ ante venæsectionem euerrendæ no noxii humores sublato sanguine in venas rapiuntur (nisi vrgentis alicuius morbi vehemẽtiâ contrarium suadeat, immanes enim, & importuni morbi nullam cunctationem admittũt, vt sunt internę inflammationes, pleuritis, angina, hepatitis, pulmonia, &c. tunc enim post posita prima corporis vacuatione (nisi ea statim clistero moliatur) ad venæ sectionem descendendum. Quod si nimia oris ventriculi sensibilitas adsit, aut ventriculum amaræ bilis fluxio è Iecore aut venis infestet, aut nimiã contraxerit imbecillitatẽ, tunc ante venęsectionẽ roborandus est ventriculus retundenda succorũ acrimonia, succo vel mali punici, vel berberis, vel agrestæ, vel citoniorum, mali citrei, limonũ,

aut

aut horum syrupis, quibus panis optimi momentum intingatur, & offeratur, sic etiam cordis imbecillitas vino aromatite, aut rotulis quibusdã cordialibus corrigi poterit. &c.

Phlebotomandus, si sanus fuerit, sedens venæsectionem vel ex cubito, vel cruribus tuto ferre poterit, nisi peculiari quadã ratione facile animo linquat; Quod si æger fuerit, viresq; imbecillæ aut syncopes metus subsit, tunc decumbenti, in maxima tamen animi & corporis tranquillitate vena incidatur, parte incidenda prona existente, & prius quoad incaluerit, calidis pannis leniter confricata, & vt venæ melius appareant, arctioribus vinculis ligata; tunc vena debito & requisito modo vel scalpello seu phlebotomo, vel potius, & securius lanceta, aperta, tantum sanguinis extrahatur, quantum morbi vel pręsentis, vel imminẽtis magnitudo requirit, & vires permittunt, donec sanguinis color mutetur, dolorq; mitescere incipiat: semper cauendo ne vires labantur; quod ex faciei palore, oscitatione, pandiculatione, aurium tinnitu, oculorum suffusione, singultu, nausea, potissimum verò ex pulsus mutatione constabit, &c.

Detracto sanguine æger supinus decumbat, & tranquilliter quiescat, vt in quiete exhaustæ partes suppleantur, & spiritus resartiantur, reficianturq;. Non tamen illico dormiat, sed tribus horis elapsis, ne scilicet vel languidus calor obruatur, vel imminuti spiritus extinguantur; nec etiam ad consueta munia statim properet, nec celerius inambulet, non venere vtatur, nõ in balneum descendat aut quouis graui exercitio sese defatiget; absit demum omnis animi perturbatio. Hora vna vel duabus elapsis licebit afferre aliquid alimenti boni succi, quod prompte alat: caueat interim ad pristinam & prauam victus rationem redire, vt canis ad vomitum, quemadmodum passim pleriq; faciunt, qui detracti sanguinis reparationem facturi, & mero, & crapula sese de integro infarciunt, non citra maximum valetudinis dispendium.

Effluens sanguis quibus vasis excipiendus.

Effluens sanguis tersis, mũdis, ac multis peluiculis vitreis, terreis, stãneis, aut argenteis; non autem æneis vel plumbeis excipiendus, quo minus sanguis vel colore, vel substantia mutatus, iudicium, & examen peruertat; & eo quo impletæ fuerint ordine, in loco mundo, nec pulueribus, nec fumis, nec solaribus radiis, nec ventis peruio reponantur, vt rediens medicus, debitũ de illis ferre iudicium possit.

Extracti sanguinis examẽ.

Omnium primum obseruanda sanguinis substantia, mox serum, color, spuma, pinguedo, & alia quæ sanguini permiscentur.

Viscos° sanguis & tardè profluit, & glutinis instar digitis adhęret: Crassus, densusq́; multas habet fibras, ocyus concrescit, & congelatur, difficulterque finditur, obstructionum author: Putridus nunquam coit, non congelascit, ob fibrarum corruptionem, vnde non finditur, sed simul atque attingitur, totus in multas partes discerpitur: Tenuis tardius concrescit, indurescitque, & facile finditur.

Seri in sãguine redundãtis significatio.

Seri copia concreto sanguini innatans, vel liberaliorem potũ vel iecoris infirmitatem, vel renum imbecillitatem, vel obstructionem ostendit: Eiusmodi inopia apparet in ardentibus febribus, maximeq́; pertorridis.

Spumæ indiciũ.

Spuma innatans, nisi fluentis sanguinis impetu nata sit, eius humoris incendium, atq; feruorem ostendit, cuius refert spuma colorem.

Coloris in sanguine significatio.

Magna videtur in sanguinis colore varietas; Interdum enim totam superficiem albicantem, virescentem, liuescentem, flauescentem, alioue colore perfusam videre est, in existentis humoris dominium ostendentem: Citrinus enim color bilem; alb° pituitam; viridis bilem retorridam, liuidus aut plumbeus aliã cum pernicie bilem, vt dispariũ colorum permistio varios exuperare humores ostendit.

Pinguedinis significatio.

Innatans pinguedo telæ aranei instar in adiposo & obeso corpore, ex ipso sanguine in adipem prono causam habet; sin corpus sit strigosum, colliquationem portendit.

Sic & diligens sedimenti sanguinis est habenda ratio, cuius varietas, etiam humorum arguit varietatem.

Postmodum etiam peluiculæ inuicem conferendæ, quę si omnes optimi sanguinis faciem exhibuerint, reliquum etiam venis inexistentem similem esse, eãq; sola copia peccasse: Sin vitiosum exhibeant, vtiliter vacuatum fuisse, vt & quãtitate & qualitate peccantem argumento erunt; Quo autem impurior, crudior, alieniorue, in sua natura lõgius desciuerit sanguis, eo parcius, & cunctantius exhauriendus, sed potius exhibitis pharmacis corrigendus; qua in re pessimè agunt quidam Medici, qui quo impuriorem viderint sanguinẽ, eo profusiores instituunt sanguinis vacuationes, digni sanè quibus sanguis detrahatur, quo ad meliorem iudicii frugem redeant. Si sanguis qui primo manauit syncer°, posterior verò prau° fuerit, multos eiusmodi humores in corpore existere, idonea vict° ratione, idoneisq́; pharmacis, euacuãdos esse docebit, nisi id ex phlegmone cõtingat, tunc enĩ integræ vacuationis argumẽtũ esse cõsueuit: Si postrema peluis primis peior fuerit, cõsumatæ vacuationis erit iudiciũ, &c.

Atqui

Atqui verò cùm superius ex grauissimorum virorum sententia, vitam in sanguine consistere dixerimus, omni studio laborãdum, ne hunc vitæ thesaurum, citra rationem, & necessitate nõ exigente vel profundamus, vel praua victus, viuendiq; ratione, cõtaminemus, corrumpamusq;. E sanguine tamen hominis sani, oinopotæ, solertis spagyri industria præclara è sanguine mysteria admirandis ac stupendis virtutibus prædita eliciuntur, spiritus nimirum viuacissimus, & in propulsandis morbis ferè deplo ratis efficacissimus, vt vel solo sanguinisciconiarum arcano ad epota venena efficacissimo alexiterio comprobari possit; licet & serpentibus, & buffonibus, cęterisq; venenatis insectis vesci consueuerit. *Paracels.* arcano sanguinis humani Epilepsiam, Catalepsiam, & Analepsiam funditus curauit.

AQVA SANGVINIS HVMANI

Aqua sancta.

Recipe Sanguinis humani floridi, & sani homin. lib. j. sublato sero, adde tantundem medullæ bouinæ, & vasi vitreo indita, cinerum calore digere: mox destilla, effluent quatuor liquores, inter se colore distincti: I. Effluet clarus, & limpidus liquor: II. Pallidus: III. Subcroceus: IV. Rubicundus: Quorum & præsertim postremi, tanta est virtus, & energia, vt moribundos quasi viuificent, iuuentutis florem reparent; & fistulis, lepris, antiquis vulneribus, vt & recẽtibus, paralysi item mirè medeantur. Dos. quotidie guttula I. cum vini momẽto, ieiuno stomacho. Necesse autem est, vt destillationi putrefactio præcedat, & circulatio subsequatur. Quidam sanguinem è basilica sani hominis extractum, & anatica dosi cum spiritu vini rectificato mixtum, digestum, tandem balneo vaporoso extillatum, liquorẽ colligunt, cuius drach. I. cum vini momento mane exhibita (præsertim si offensi & iam irati hominis sanguis fuerit) omnes inimicitias, rancores, inuidias, & animi passiones, se sublaturos promittunt & præsertim inter coniugatos; fides sit penes autores.

Aqua sanitatis.

Veteres hoc modo aquam sanitatis præparabant: junioris, sani, & carnosi hominis sanguinem sumebant, ad cuius libra addebant succi florum chelidoniæ maioris & mellis virginei despumati ana tantundem salis communis torrefacti, M. I. Pulueris Macis, zingiberis, Garyoph. Cubebar. Galang. Mastich. Cardomomi. Baccar. Iuniperi Cinamo. a. ℥ß. Xyloaloes ℥v. Mosci, Ambr. gryseæ in aq. rosar. dissol. a. ℈j. vasi indita, & probè clausa, digerantur in ventre equino, vel sub terra calente 14. dieb. tandem destilla, & quoslibet auctis ignis gradibus liquores egredientes seorsim excipe. Iisdem vsibus, vt iam præcedentes aq. inseruiunt, exhibitis cum liquore specifico aliquot guttulis.

OLEVM SANGVINIS HVMANI.

Oleum sanguinis humani.

Sanguinem hominis sani, cum pari quantitate, alcool vini, idoneo vase indita mensis spatio digere: mox affusum liquorem destillatione euoca,

ca; affuso nouo spiritu idem opus repete, digere, destilla: Hoc opus & tertio, & quarto labore reitera, sequetur tandem oleum. Huius vsus est ad exulceratos pulmones, pleuritidem, ventris fluxus, Epilepsiam, Apoplexiam.

Idem processus in omnium animalium sanguine obseruand⁹ in hoc tamē summum latere secretum videtur, vt sanguis recēs & adhuc calens, spiritui vini permisceatur; hac enim ratione volaticus, & subtilis spiritus sanguini inexistens retinetur. Sal quod destillando (si per arenam exerceatur destillatio) vasis parietibus adhæreſcit, cum oleo abluitur, & vitro reseruatur. Quidam sanguinem pellicano inditum, in balneo digerunt quoad tertia vasis pars adimpleatur, deinde ex eodē balneo aquā à substracta materia abstrahunt, postea sedimentum ex incuruata ampulla nouies destillant.

Quinta sanguinis essentia.

QVINTA SANGVINIS HVmani Essentia.

Sani hominis sanguinem per se concrescere sinito, serum supernatās abiice & in eius locum, decimam salis partem adde, in vase vitreo clauso macera in fimo 40. diebus, fimum sæpius renouando. Tandem sanguinem in aquā versum destilla ad siccum; fæces marmore leuigatos suæ aquæ misce, digere, destilla, cum cohobijs quoad essentia prodeat. Aquā hanc cum essentia diu circula, tandē separato phlegmate, relinquetur quinta essentia. Qua ratione autem vera sanguinis humani essentia fieri debeat, vide Begui. in Tyrocinio Chymico fol. 179. Vel sic procede: Recip. Sang. opt. q.s. inditum circulatorio sat capaci, B. M. continuo bullienti impone, quoad draco propriam caudam deuorauerit: vase refrigerato, materiam hepati similem exime, in frustula scinde, & altis cucurbitis indita, eodem balnei feruentis calore phlegma euoca, phlegma residenti materiæ reaffunde, & ijsdem vasis circulatoriis feruente balneo 10. diebus digere: post phlegma abstractū capiti suo reaffunde, digere, destilla, & id quinquies, vltimo totum phlegma destillatum reserua. Vasis refrigeratis, materiā exime, retortæ amplæ indito, & capaci recipiente adhibito è cineribus igne gradatim aucto, aërem destilla. Disparentibus in recipiente nubeculis, intendatur ignis, vt elementum ignis in rubentis olei forma egrediatur, sale armoniaco sub finem alembicum petēte. Refrigeratis vasis, spiritum seu aëra ab oleo seu igne separa vel tritorio, vel blando balnei calore. Spiritum cum sale armoniaco fæcibus reaffūde, triduum digere, & per nouam retortam destilla, sub finem aucto igne maiorem salis spirituosi partem sublima, eumq; spiritui in recipiente misce. Nouum spiritum fæcibus affunde, digere, destilla toties, vt supra, donec terra omni anima priuetur, quando nimirum candenti laminæ imposita, amplius non fumat. Spiritus autem septies rectificandus, antequam animetur, semper phlegma & fæces separando, & eiusdem partem pro dissoluente reseruando. Caput mortuum nigrum, nigrius nigro, quinq; diebus in reuerberio clauso calcina, quoad color primo albus, mox flauus, tandem rubeus resultet: sic terram

ram ad ſuſcipiendum ſpiritum animatum idoneam habebis. Terram calcinatam proprio phlegmate imbibe,& cinerum calore 24. horis digere, deſtilla, idq; tertio. Tandẽ terram exiccatam, decima ſui ponderis parte ſpiritus animati imbibe, digere in balneo q. ſ. poſtea inſipidam humiditatem blando balnei calore ſepara: nouam ſpiritus animati partẽ affunde, digere, deſtilla, vt prius: deinde octauam ſpiritus animati partem affunde, mox ſeptimam, ſextam quintam, & quartam partem, tamdiu cum hac vltima imbibendo, donec terra duplo ſui pondere accreuerit. Terram hanc cucurbitæ altæ inditã, appoſitoq; & alembico, & recipiente, rimisq; probe clauſis, cinerum ignem 5. diebus adhibe, quoad fumus albus aſcendat, & cucurbitæ lateribus Talci inſtar adhæreſcat, cinis vero ſeu fex in fundo reſidens abijciendus. Prædicti Talci, ſeu terræ foliatæ ſeu mercurij meteoriſati, partem vnam, cum ſeptem ſpititus rectificati, at non animati partibus miſce, digere biduo in balneo, mox per cineres deſtilla, deinde repetitis cohobijs per balneum reſtilla, donec nullæ fęces relinquantur: tandem 40. diebus vaſe Hermetico circula. Vſus eſt lapidum, metallorum tincturas eliciendas. Ex eodem mercurio & oleo fit elyxir ad deſperatiſsimos morbos tollendos hoc modo: Recipe huius mercurij ℥j. cui adde octauam partẽ ſui ponderis olei rectificati, digere in athanore octiduo; mox imbibe cũ ſeptima parte, vt ſupra, coque deinde cum ſexta parte; tandem cum quĩta, toties reiterando, donec materia, ſpiſsi ſyrupi formam habeat, nec vlteriore coctione indureſcat. Tãdem 40. diebus cocta in rubicundum lapidem abit, doſis granum vnum, vel duo cum ſuis ſpecificis.

Vt igitur ex ſanguine, ita & ex aliis tùm vegetabilib⁹ tùm mineralibus Spagyrici ſuas eliciunt Eſſentias, Tincturas, & Elyxiria, ſeu lapides phyſicos appellatos. At ſi candidus Lector verum naturæ progreſſum nouerit, & in rebus producẽdis, ad verum naturæ ordinem animum adhibuerit, non tot laboribus, tot deſtillationibus, tot vaſorũ, tot ignis mutationibus opus habebit, cũ natura vno igne, vno vaſe, vno opere duntaxat, habita idonea materia ſuas peragat operationes.

Arcanũ ſanguinis.

Ioannes Erneſtus Burgrauius, noſter olim Pataui & condiſcipulus & commenſalis chariſſimus, aliud adhuc ſanguinis humani arcanum edocet, quod Biolychnium, ſeu vitæ & mortis lampadem vocat, vitalem balſamum, ſanguini, præter vitæ ſpiritum inexiſtentem, ipſum corpus ab omni corruptione, & putredinis labe præſeruantem, & cum verò illo atq; puriſſimo vitæ ſpiritu parricipantem; Ex quibus illud vitæ lumen concinnat, quod (vt ait) ſemel incenſum ardeat iugiter quoad homo ille (cuius ſanguis recens extractus, vnà cum rore Iouis Amphibii vegetabili, ad hoc opus faciendum ſumitur) vitalem ducit ſpiritum, atq; eodem quo eundem efflat ipſe, horæ ſiue momento,

ſiue

siue punctistitio, simul cum eo extinguitur. *Scito insuper* (inquit author) *si flamma luculenta sit, eleuata, tranquilla, & minuta; nihil homo iste, quod vel corpori, vel animo graue sit, vel molestum, sentit: Sin verò secus habeat, & assurgens flamma variè scintillet, aut depreßior sit, aut nubilosa, & torpida; indicium tibi anxietatis, tristitiæ, cæterorumq; pathematum esto. Perpetuò enim ex cōgenitis Microcosmi influxibus astralibus, ac naturalibus inclinationibus (cùm sanguis ille, à sanguine ipsius hominis, & corpus eiusdem à substātia huius ipsius sanguinis, à quo sanguis ad præparādam lampadem, mutuus quasi sumptus est, enutriatur) flamma illa pro statu & habitu istius hominis, siue prospero, siue aduerso emicat, & spectādam sese præbet.* Hæc author ille, cui pyromāticā hanc suā vitæ & mortis lampada, maximâ & superstitionis & impietatis suspicione laborantem, defendendam relinquimus.

CAPVT X.

De particulari sanguinis vacuatione per Hirudines instituta, deq; earum delectu, præparatione, applicatione, vsu & effectu.

SAnguinem alicui determinatæ parti infixum, & reuulsiones, tam venæsectione, quam medicamentis factas respuentē, ex ipsa parte effecta educimus hirudinibus, cucurbitulis, & scarificatione. Hirudo trifido morsu vulnus infligit, nec cutim solam, sed etiam, si tenera sit, altius penetrat, sanguinemq; accuratiꝰ præparata, auidius sugit, donec satura procidat: Hinc

Non missura cutim, nisi plena cruoris hirudo

Abstinendum autem ab iis hirudinibus, quæ magno capite præditæ sunt, colore antimoniū referūt, aut quæ virides sunt vel quæ lanuginem quandam supra dorsum habent, filisq; coloris lapidis lazuli distinguuntur, viperisq; haud sunt absimiles, in malis, cœnosis, & putridis aquis degentes. Eligantur verò quæ in aquis degunt, quibus & muscus & ranæ innascuntur, queq; sunt rotundæ non angulosæ, coloris supra dorsum aliquantulum viridis, duobus filis coloris arsenici super eas excurrentibus, & quarum venter rubeus, caudæ verò tenues, murium caudis persimiles fuerint, corpora verò & capita parua.

Hirudinum præparatio.

Nunquam hirudinibus statim atq; captę sunt vtendum, sed prius mundandę, & inclusæ, multorum dierum spatio asseruandę & sanguinis modico nutriendæ, donec omnem virulentiam deposuerint; mox vbi sanguine pastæ fuerint, in vas mundum aquâ tepidâ plenum coniiciendę singulis tamen diebus aquā modico saccaro dulcoratam mutādo: tandem spongia comprehēsas, sedibus elotis, & proprio mucore deposito, parti euacuandæ prius aqua tepida fotæ, vel sanguinis aut cœni modico, quo facilius

cilius

cilius affigantur, applicamus. Vbi parti adhæserint, potenterq; traxerint, suo officio rite perfungantur, permittendum rescissis clam forcipe caudis, ne citius quam par sit saturę decidant, degitisq; sæpius tractandæ, quo liberius sanguis transeat. Cum satis sanguinis suxisse visum fuerit nec tamen vltrò procidant, cinere, sale resperso earum oscula conspergendæ. Ne autem externi ambientis frigus confluentē ad locum sanguinem ab hirudinibus sugendum congelet, & cōspisset, sicq; scopus impediatur, operæ precium fuerit partes vicinas vel oleo tepido, vel spongiis calefactis, aut madidis linteis fouere. Quod si hirudines citius deciderint, quam par sit, nec satis sanguinis effluxerit, tūc fotu calidè iuuanda sanguinis profusio: Sin satis sit, tunc remouenda venenata qualitas vlcusculo impressa, & inhibēda profusior sanguinis effluxio, adhibito cimini polline, & farina, lana, inuolutis, vel imbuta lana oleo, omphacino rosaceo, aut myrthino, vel adhibeatur linteum, aceto madefactum, & gallæ puluere, insperſum.

Quibus partib. applicētur hirudines. Hirudines omnibus partibus applicari possunt, ex quibus sanguis proliciendus venit; hinc capitis vlcuscula sanātur, vacuato è capite sanguine; applicantur brachiis, pedibus, faciei, & vniuersæ cuti, vt scabiei, vitiligini, impetigini, panno, nasi facieiq; rubori, & elephāticorum tuberculis subueniamus. In lethargo, vel syncipiti, vel occipitio: In epilepsia ex melācholia, lieni affiguntur; post aures, opitulantur ophtalmię, & vertigini; circa nares, & faciei ruborem; sed cauēdum, ne altiores petant nasi partes interiores, tunc enim exigua esset salutis spes. *Aëtius* adhibet iecoris scyrrho.

Hemorrhoidū tēpestiua enacuatio quos curet affectus. Affiguntur malleolis ad menses ciendos; & venis hemorrhoidalibus, siue cum febre, siue citra febrem extiterint ex omniū Medicorum censensu, ad profūdendam humoris melancholici colluuiem & saburram, in illis venis stabulantem; & hac ratione *teste Hipp.* & *Galen.* curant morbos à melancholia prodeuntes, vt lienis obstructiones, & tumores, quartanas, morbos melancholicos, nephritides. *6. aphor. 11.* maniaco, & atrabilari morbo laborantes.

Fluentibus enim his venis nemo nec pleuritide, pneumonia, nec phagædena, nec inflammationibus, nec lepra, nec faciei ruboribus, nec morphea nec occultis faciei cancris corripitur. Tantum enim valet *teste Galen 5. de sanit. tuend* dictarum venarum oportunè prouocata fluxio, quātum ipsa venæsectio! Tandem nulla pars est, vel etiam in puerulis, in qua non liceat, postulāte morbo hirudines applicare:

 præ-

præmittenda tamen semper vniuersalis vacuatio, sic enim corpore prius purgato, hirudinibus dolentibus pedibus affixis, sæpe fælici successu podagræ persanatæ fuerunt.

CAPVT XI.

De Cucurbitulis tam scarificatis, quam non scarificatis, deq; illarum vsu & quibus potissimum partibus affigantur.

V.S. & scarificationis quis primus fuerit autor & inuentor. Hippopotami descriptio.

CVcurbitularum, vt & venæ-sectionis & inuentum, & vsum ab animali Hippopotamo manasse scribunt authores, quod in Nilo, & Solo nascitur *teste Solino*, equino, & dorso, & iuba, & hinnitu, rostro resupino, vngulis bifidis, aprinis dentibus, caudâ tortuosâ: noctu segetes depascitur, ad quas doloso astu auersum pergit, vt fallente vestigio, reuertenti ei nullæ præparentur insidiæ: voracissimũ perhibetur animal, & cùm nimis fuerit exsaturatum, acuto hirudinum stipite se ipsum vltro in cute vulnerat, ac fluente vena à sanguinis superabundantis sarcina liberat rursumq; plenũ limo obducit. Ad huius itaque imitationem homines & venæsectiones, & scarificationes inuenisse videntur.

Cucurbitulæ delectus figura & vsus.

Etsi ex varia materia conflentur cucurbitulæ, optimæ tamen sunt vitreæ, corneæ, & metallicæ: Et harum aliæ magnæ sunt, aliæ paruæ, pro maiori, vel minori curandi morbi vacuatione. Quantum ad figuram, aliæ sunt oblongæ, quas cornettas vocant; aliæ orbiculares, habentq; orificium modo amplum, modo angustũ: Circulares cucurbitulæ, angustioriq; osculo præditæ, cęteris lõge potentius attrahunt.

Ratione corporis cui affigendæ sunt, in rara corporis textura, multo fęlicius suo funguntur officio, quam in densa & spissa, ideoq; in hac maximæ, in illa verò paruæ sumẽdæ sunt cucurbitulæ. Partis demum & nobilitas & cõsensus in applicatione obseruandus, & vicinia; non enim principibus partibus affigendæ sunt, ne ad illa peccans trahatur materia. At si consentientibus partibus affigãtur, multum prosunt in repulsione, v.g. mensibus nimium prorumpentibus, affigitur maxima cucurbitula, mammis Hippocratis edicto.

Non affigantur corporibus sanis, non adhuc crescentibus, & ad consistentem ætatem nõdum perductis, non senibus item, nõ temeraria chyrurgorum persuasione, non vana signorum & ephemeridum obseruatione, sed eruditi Medici consilio, necessitate non consuetudine, idque in vere, & hyeme, non æstate, & autumno, nõ in stupha aut vaporario, sed solis præmissis frictionib⁹ ad luculẽtũ focũ. Adhibẽtur autẽ vel cum igne, vel citra ignẽ & vtroq; modo, vel citra scarificationẽ, vel cũ scarificatione, modo profunda, modo superficiali.

Quantum

Scarificationis tempus. Quantum verò ad ipsum tempus, seu conuenientem horam, qua affigi debent ea vel est electa vel coacta, morbo scilicet sic postulante, seu extemporanea. Hora electa est, cùm illas affigimus, finitâ iam ciborum concoctione virtuteq; valida existente, & corpore à fæcibus euacuato. Hinc praua multorum cõsuetudo merito reprehendenda, plebeis frequentissima, qui in omnibus ferè dierum festorum vigiliis pleno ventre, corpore, crapulis onusto, calidissimas stuphas adeunt, scarificationesq; profusissimas instituunt, tãdem finita scarificatione stuphas egressi, eructantem adhuc vẽtris saburram nouis poculis deprimunt. Aliqui in scarificatione plenilunium vt *Auicenna*, alij nouilunium, nonnulli vltimam quadram eligunt; alij in eligendis zodiaci signis, mirabiles, scrupulosius tamen, quam par sit, varietates obseruãt cùm tamen nihil æque idoneum scarificandi tempus demonstret, quam eorum affectuum particulare hoc præsidium indicantium præsentia. Necessarium autem, seu extemporaneum tempus est, quod postulat fieri remedium, licet importunè, vt maiori alicui malo subueniatur.

Quando cucurbitulis absq; corporis euacuatione vti liceat. Et licet in cucurbitularum vsu, semper vniuersales corporis euacuationes pręcedere debeãt, multi tamen sunt casus, quibus cucurbitulis nulla præuia corporis vacuatione vtimur, vt cùm flatulentus spiritus in aliqua corporis parte contentus, vacuandus est, tunc enim citra aliud remediũ, magna cucurbitula, cum insigni flãma affixa, incantamenti instar flatus discutit, vt constat in colica flatulenta: vel cùm tumorem altiores partes infestantem ad corporis superficiem trahere est animus: vel cum sanguinem mittere (morbo quantũuis id exigente ob rariorem corporis texturã facile difflabilem non licet, & cùm venæ sunt exiles &c. Alioquin sempervniuersalia pręsidia sunt pręmittenda, sanguinis scilicet missio, & humorũ in corpore peccantium euacuatio, alioquin ad locum affectum raperetur materia, sicq; morbus euaderet seipso deterior. Affiguntur autem cucurbitulæ vel anterioribus capitis partibus, ad phrenitidem, & lethargum sanandum, licet ex *Auicen.* sensum & intellectum stupefaciãt; vel vltimæ parti colli, & tunc humeri, gutturisq; doloribus, morbisq; thoracicis à sanguine excitatis prosunt, licet ex *Auicen.* & os ventriculi debilitent, & cordis tremorem pariant; vel medię parti colli affigũtur, tunc & superciliorum & palpebrarum tumoribus atq; grauitati, & oculorum scabici, orisq; fætori prosunt, licet *Auicen.* obliuionem inducant; vel affiguntur supremæ parti colli, & conferunt tremori capitis, dentibus, gingiuis,

uis, oculis, naribus, & faciei rubori. Affixæ super occiput, & capitis summitatem, arcent vertiginem, amentiam, oculorũ morbos, suffusionem, scabiem, pustulas, canitiem; Humeris affixæ, cõuulsionem, & thoracis morbos à sanguine excitatos sanant, licet ex *Auicen.* stomachum debilitent & cordis tremorem inducant, vt iam dictum. Mento affixæ, mandibulas & caput mundificant, faciei, dentibus, & gutturi prosunt. Hypochondrijs affiguntur ad cõ pescendas vteri & mammarum hæmorrhagias Renibus verò ad coxarum tumores, pustulas, scabiem, podagram, & hæmorrhoidas persanandas.

Quibus partibus affigantur cucurbitulæ.

In anteriori coxarum parte testium apostemata & vlcera; in posteriori, narium apostemata sanant. In poplite prosunt morbis vteri, menstruorum retentioni, calidisq; illarum partium morbis. In cruribus sanguinem mũdificant, venæsectiones vices supplent ex *Gal.* & ab vtero vacuant. In natibus deniq; reuellunt, à superioribus partibus, easdemque vacuant.

Et vt tandem cum *Fernel.* finiamus, inhærens cucurbitula cute iam incisa summas capitis partes expurgat, multo quidem potentius, quam aut simplex scarificatio, aut hirudo, ijsdemq; succurrit affectibus: Lenis autem & quæ sine scarificatione imponitur, nõ manifestè sanguinem, sed vnum spiritum extrahit. Cæterum humores ad se rapit, irruentem fluxionem reuellit, sanguinis profusionem vndequaq; factam, directo, contrarioq; loco imposita sistit, &c. *Vide Fern. method. fol. 84.*

CAPVT XII.

De igneis Chyrurgiæ præsidijs, vt fonticulis, setaceis, vesicantibus, &c.

PRæter iam dicta medicamẽta è fonte chirurgico desumpta, ignea quoq; remediorũ præsidia, vt sunt fõticuli, cauteriaue, setones, & vesicantia, non solum ad tuendam bonam valetudinẽ, sed & ad eandem varijs morborum insultibus fractam, reparandam, tam veteres quam moderniores Medici, magnis semper laudibus extulerunt, & ad quasuis contumaces, rebelles, & antiquatas affectiones promptè feliciter, & quasi miraculo sæpe sanandas vsurparunt. Hisce enim & Alopetias, Lepras, Ophiases & Phtyriases, Lichenas, Alphos, Psoras, Elephantiases, Cephalæas, Hemicranias, Epilepsias, Apoplexias, Paralises, Catharros cõtumaces, Conuulsiones, Phthyses, Comata, Letargos, Dispnœas, Hydropas, Arthritides, Nephritides, maximè verò venena, Pestes, Febresq; pestiferas, in quibus nullum efficatius remedium reperitur, ad venenum pestiferũ in cutem externam ducendum; Lienis & hepatis scyrrhos, vteri, arti-

Qui affectus fonticulis, cauterijs, vesicatorijs &c. curentur.

articulorumque dolores magnâ fælicitate, & ægrotantium solatio percurarunt, citra vllam patientis vel nauseam, vel virium iacturam, vel molestiam, cum externis duntaxat partibus, ignobilibus, nec exquisito sensu præditis affigantur.

Quid cauterium.

Est itaq; Cauterium vlcusculum, cum extimis duntaxat humani corporis partibus, à re actu vel potentia adurente excitatũ, vt peccanti materiæ morbificæ, paulatim vacuandæ, exitus pareatur, & vt *teste Auicenna* corruptio prohibeatur, membra roborentur, fluentesq; humores restringantur; cùm sit securitatis medicamentum, omnibus temperamentis conueniens (calido sicco citra materiã excepto) vt & ætatibus omnibus; infantib. enim nuper natis ad nuchã adhibetur, tũ vt cerebrum exsiccet, & à prauis morbis, conuulsione scilicet, & Epilepsiâ vindicet, & à quouis reumate immunes reddat, tum vt ad capescendas scientias prõptiores euadant; omnibus item sexubus conueniens, omniaque præstans, quæ reliquis medicamentis fieri nequeunt, cùm sit & curatiuum, & præseruatiuum remedium.

Huius autem tres sunt species Fonticulus, Setaceũ, & Vesicans, quibus pro loci affecti natura, & materiæ morbificæ indole vtimur (vt iam Dropaces, & Synapismos silentio inuoluamus) vel vnico, vel pluribus, vel omnibus adhibita tamen diligentia, ne in partis dignotione error committatur, in qua scilicet materia morbifica cauterijs prouocanda generatur. Et si materiæ deriuandæ gratia cauterio sit opus, loc⁹ parti affectæ vicinus eligendus est. Quod si reuellendum, cauendũ ne nobile aliquod membrum afficiatur, sed paulo remotior sit cauterij locus, ea tamen lege, vt cum parte affecta rectitudo seruetur.

In cauterijs adhibẽdis quæ diligentia adhibẽda.

Nunquam tamen in loco affecto excitandum cauterium, nisi materiam iam ibi impactam vacuare animus sit, præmissa vniuersali corporis vacuatione.

Instrumentorũ cauterijs affigendis destinatorũ variæ figuræ.

Variæ autem sunt actualium cauteriorum instrumentorũ formæ, quarum aliæ gladij scindentis, aliæ ossis oliuæ rotundæ, aliæ ossis dactyli faciem habent; aliæ cuspidem gracilem & rotundam cum glandula habent; aliæ sunt acutæ ad carnem perforandam, aliæ demum sunt circulares, & magnæ, ad gibbositates cauterizando euerruncandas. Salubriores tamẽ fonticuli sunt, qui aut ferro, aut auro candente inurũtur, quam qui causticis remedijs vstulantur.

Locum ipsum significat & ostendit peccantis materiæ existẽtia, quæ si in jecore generetur, & caput petat, cauterium cruri, sin crura petat affecti lateris brachio infigatur. Vtrum autem in interiori,

 riori,

riori, vel exteriori parte inurendum sit, indicabit loci illius venarum dispositio: vnde si materia peccans generetur in ventre inferiori, locus erit in crure; sin à medio ventre, in brachio; modo nil obstet: si in capite gignatur, ne materia moueatur, in occipitio inurendus erit fonticulus; quod si ad pulmones feratur, tūc & in occipitio, & in sutura coronali inurendus, tam reuulsionis, quam deriuationis gratia. Quod si materia in capite genita, spinalem medullam, lumbos, & os sacrum petat, tunc in spinalis medullæ principio, materiæ intercipiendæ gratia inurendus erit.

Loci quibus cauterij affigi consueuerunt.

Loci verò magis particulares, in quibus fieri possunt, sunt Nucha, sutura coronalis, occipitiū, palpebræ, supercilia, cæteriq; loci, in quibus prohibenda est pilorum generatio: Nec solum capiti inuruntur, sed & brachijs, thoraci, hepatis, lienis, sed ventriculi regionibus, infra vmbilicum, in inguine, pube, scroto, & cruribus. Rem aliquot exemplis illustremus: In Paralysi conueniunt fonticuli, quæ vel à pituita in capite genita, vel à spinali medulla producitur, cui *Aëtius* circa occipitij cauitatem, in sutura coronali, & circa eiusdem latera inurit fonticulos. In frigido catharro *Auic.* suturæ coronali infigit, modo ob alicuius membri imbecillitatem, peccantis materiæ copia nō petat caput, tunc enim satius fuerit, vel brachio, vel cruribus inurere, sin calidus sit catharrus, suturæ coronali inurendus, ne materia in pulmones præceps acta phthysin excitet. In recenti autem phthysi, acri materia ad pulmones fluente reuulsionis gratia, suturæ coronali, at profūdè satis inuritur. In Hydrope probantur vesicantia cruribus, & abdomini admota: Fonticuli etiam in Ascite cruribus infigūtur; modo partes naturali, ac balsamitico calore nondum defraudētur, alioquin facilè Gangræna corriperentur. In oculorum suffusionibus autem crassa materia in capite genita excitatis, tutò & vtiliter setones. Nuchæ imponuntur In contumacibus hepatis infarctibus à crassa pituita excitatis, fonticuli cruribus infiguntur; Sic in rebelli lienis schyrrho, sæpe quinq; & plura applicantur vesicantia; ijsdem & fonticuli inurūtur, ceu efficacissimum remediū ab hydrope præseruatiuum. Ad venena, pestes, febresq; pestiferas & malignas, non solum fonticuli, maximi præseruatorij loco gestantur, sed & vesicantia applicantur, ad veneni à centro ad superficiem extractionem, &c.

Fonticulos igne affixos esse potentialibus & tutiores præstātiores.

Fonticuli autem qui candenti ferro inuruntur, & tutiores, & salubriores, & velocioris sunt operationis, partesque roborant, cùm ij, qui medicamentis causticis inuruntur, & tardius operentur, & sępe magnos excitent dolores

lores, inflammatorios. Spagyricæ tamen medicinæ sectatores, Vulcani ope, è secretiori antimonij sale paucis cognito, causticum parant, quod citra aliquē doloris sensum operatur; Iidem destillationis artificio causticum parant oleum, quod oculi nictu citra doloris sensum quāuis partem aperiunt, sed sacra sacris. Alij tale perant:

Recipe Cinerum sarmentorū vitis lib. 4. calcis viuæ lib. j ß. aquæ calcis viuæ lib. 3. Ex omnibus fiat lixiuium fortissimum tridui spatio, mox facta in vase æneo decoctione, salem acerrimū proliciunt, quod parti cauterizādæ admotum, trium horarum spatio escharum trahit, quæ admoto recenti butyro sæpius aq. rosaceo loto, putrefacienda, quæ remota, indēda pillul[a] vel è cera, vel hederę arboreæ bacca, vel pisum, &c. Quidam indunt medullas sambucini ligni, vel gentianæ radiculas, tandem lamina argentea affabre facta locū muniunt.

Caustici apyri descriptio.

Hoc etiam modo paratur causticum, seu ruptorium apyro, ad membra rescindēda, fonticulos, & cauteria, citra dolorem inurēda, & ad profundiora apostemata citò operienda, quod interim desperatas in vulneribus hęmorrhagias sistit, gangręnas arcet, carnem autem putredine fouet, fistulas dilatat, callos tollit.

Recipe Magnesiæ Saturn. seu Æris Alcophil nigri fuli ʒ ij. aquil. metheorizatæ ʒ iij. indātur retortæ paruulæ fusq; deq; optime lutatæ, imo collū ipsum lutatum esto, retortæ orificio adhibe receptaculum purum, absq; collo, sed latiore orificio, vt retortæ rostrum capere queat (sint autem ad manus plura eiusmodi receptacula) mox cinerum calore, igne sensim aucto, destilla liquorem gummosum, cuius cùm 20. guttæ effluxerint aliud recipiēs subpone, priore cum cera sulphuris pollice subacta probè clauso, ne ambiens aër liquorem butyrosum resoluat; destillando perge, & cum iterum 20. guttulæ effluxerint, aliud recipiens subde, vt prius; & ita consequenter, donec nil amplius extillet; destillatus liquor, loco sicco reponatur ad vsus. Quod si liquor non effueret, sed butyri instar retortæ collo adhęreret, adhibitis forinsecus ignitis carbonibus ad fluxū pellendus erit: fiat destillatio in loco aperto, ne fumi venenosi cor petant. Tacturus ergo fonticulum, seu causticū, signetur primo locus, mox circumcirca cerotum è Lethargico, vel diapalma, vel diachylone applicetur, mox fiat cupula è cera, in quā ponatur granum vnum huius caustici, cum stylo ferreo, & loco signato immediatè ad carnem applicetur, & omni diligentia ligetur, ne quid de caustico profundatur.

Sic breui fiet fonticulus paruus, rotundus, citra dolorem, & sublata postmodum eschara, satis profundus, & latus, & ad excipiendos globulos idoneus. Et vt citius eschara decidat, bis in die butyro illinatur. Sublata eschara imponatur primis diebus globulus paruus è cera alba, minorem enim parit dolorem. Quod si hoc causticum vi aëris ambientis in liquorem resolueretur: cautè in vitro seruetur, multū enim

facit

facit ad carnis in fonticulis excrescentiam, nam si tãtum bombacis sumatur, quãtum milij granum æquat, & dicto liquore imbuta applicetur, statim omnem carnem citra dolorem erodit, apponendo deforis aliquo defensiuo. Idem in vulneribus carne luxuriantibus faciendum. Eodẽ modo callos & verrucas tollit, si hoc liquore ter in die madefiant: desperatas vulnerũ hæmorrhagias bõbyce madefacta, & imposita sistit. Ne facile autẽ claudantur, vel carne impleantur fonticuli, hoc modo globulos parabis:

Recipe Aq. fontis lib. 1. Aquil. metheorizatæ vnciam 1. coquantur in olla vitreata; post dissolutionem, impone tantum cicerum, vel pisorum alborum, vt rectè coquere possint; postquam intumuerint, sacculo lineo indantur, & ad solem exsiccentur, vel in loco calente, mox vasi vitreo seruentur; & cùm opus fuerit, eiusmodi pisum fonticulo indatur, imponendo prius in profundum pila è bombace. Quod si profundi fuerint fonticuli, tunc in simili aqua radices siccæ vel maluæ, vel betæ, macerentur, exiccentur, & indantur.

Equibus vesicantia parentur. Vesicantia è varijs conficiuntur, vt è flammula Iouis, Cantharidibus, Euphorbio, Pyrethro, Synapi fermento antiquo, & aceto acerrimo subactis &c, attracta vesicula, leui forcipe aperienda, locus deinde apertus, recenti butyro muniendus, vel idoneo aliquo ceroto. Tamdiu autem & vesicantia & fonticuli aperti relinquuntur, donec materia parti affectæ impacta exhausta fuerit, tunc tuto iterum claudi possunt; at si reuulsionis alicuius gratia gestentur, diuq; iam in loco durarint, non tutò clauduntur, nisi in illius vicem alius de integro in vicino loco infigatur.

CAPVT XIII

De purgatione & quæ ad eam rectè instituendam requirantur.

PRæsidia, quæ è fonte chirurgico hauriuntur, & vitæ producendæ, & valetudini conseruandæ maxime conueniunt, eâ, qua potuimus, breuitate expediuimus: Nunc propius quoq; ad fontem pharmaceuticum accedamus, qui lauta nobis & elegantia, tam purgantia, quam alterantia, & naturam nostram maximè confortantia medicamenta abunde subministrabit; Purgatio itaque *teste Gal. 1. aphor. 2.* tam vniuersalis qua totum corpus, quam particularis, qua determinata corporis pars vacuatur, est humorum mala qualitate peccantium, vt cacochymiæ euacuatio, eaque vel naturalis, vel artificialis, vel symptomatica. *Purgationis definitio.* Naturalis, si iussu loco, & lege naturæ fiat, nunquã est impedienda, sed vel iuuanda, cùm accisior vel refellenda, cùm profusior fuerit: Symptomatica, si fiat per loca dissentanea, ad commodiora loca reuellenda; sin per loca conuenientia at profusior feratur, habeatque febrem consectariam, nonnunquã cohiben-

cohibenda & inhibenda; sin acrior fuerit, tenui pharmaco iuuanda; sin febrem comitem non habuerit, at effusior sit, reuellenda; Artificialem verò (de qua hic agitur) tria constituunt: Facultas expultrix, cuiusq; partis & præcipuè ventriculi intestinorumque. Humor expurgandus; & pharmacum.

Quæ ad purgationem requirantur.

Requiritur primum expultrix facultas, nam licet pharmacum à naturali calore in actum deducatur, humoremq; vel substantię similitudine, vel alia quauis potestate, attrahat, irritetue, non tamen fiet expurgatio, nisi exsurgente vi, expultrice, attractos in ventriculum, & intestina humores expellente.

Qui humores expurgandi.

Humores autem expurgandi, vitiosi sunt succi, quam Græci cacochymiam vocant, cui, remedij loco opponitur purgatio, sicut plethoræ venæsectio. Instituitur enim purgatio, tum vt praui succi è corpore euerrantur, tum vt vehemens illorum impetus, vel ad distantissimas partes reuellatur, vel ad viciniores deriuetur. Humor expellendus, quatenus in se habet internum principium attrahenti pharmaco proportione respondens, causam & rationem efficientis habet; Nunquam enim attraheret expurgandum humorem purgans pharmacum, substantiæ similitudine (vt multi sibi persuadent) nisi haberet principium intrinsecum analogatum & proportionatum, ad attrahentem medicamenti facultatem.

Purgantis medicamenti facultas qualis.

Ipsum vero purgans pharmacum primas in purgatione obtinere videtur, quod vapores è pharmaco elati, corpulentæque eius substantiæ, interdum in venas rapiantur, ex quibus, & natura ad expellendum stimulatur, & humores ab eorundem acrimonia funduntur, liquantur, meatusq; aperiuntur: tum quod vna cum dictis vaporibus, & substantia in totum corpus rapiatur attractiua facultas, ab influente calore medicamentum actuante, quæ si simplex fuerit, simplicem, sin composita, duos vel plures humores attrahere potis erit; & sic per eandem viam transmittitur purgans pharmacum, per quã è ventriculo chylus, & ex hepate chymus: pharmacum enim & potissimum illius facultas, quã primum à natiuo calore actuatur, è ventriculo per mesenterium ad hepar, mox è iecore ad venas peruenit, ab his ad minores & minimas, & tandem ad ipsum humorem expellendum. Quæ porro vlterius ad expurgationem ritè instituendam requirantur, breuitatis causa, hic omittenda censemus, beneuolum Lectorem ad primum caput huius tertij libri remittentes vbi pleraque quæ ad hanc rem facere videbuntur, abunde satis pertractantur.

CAPVT XIV.

De purgentium medicamentorum differentiis & delectu.

Purgãtiũ medicamẽtorum differẽtiæ.

PVRgantium pharmacorum differentiæ sumuntur, tum à viis, ex quibus fit purgatio, quales sunt vel primæ viæ à ventriculo ad sphynterem; vel partes distãtissimæ, vt articuli, & corporis superficies vel medio quodam modo se habentes: tum ab ipsa expurganda materia, quæ prout fluxilis, vel refractaria fuerit, tale quoq; pharmacum requiret, fluxibile scilicet, vel cõtumax ad rebelles humores ciendos; tum deniq; ab ipsa purgantis substantia; vnde alia dicuntur Lenientia duntaxat, vel Attrahentia, vnum vel plures humores, vel partim lenientia, partim attrahentia.

Obiectiones quorundam purgantia medicamẽta improbantium.

Quæ cùm ita sint, reiicienda illorum sententia, qui omnia purgantia è medio tollunt quod scilicet nullum sit medicamentum purgans, quod non partes nostri corporis de virib⁹, ac substantia deprædetur: & vt id confirment, *Auicen.* in suam sententiam trahunt, dicentem: *Medicinas bibere, etsi venenosæ non sint, naturæ tamẽ esse laboriosum:* Et ipsum *Hippoc.* *Qui habent sanas carnes, difficulter ferunt purgationes.* Hisce ipsum etiam *Platonem* suffragantem addunt: *Nullo modo sanæ mentis homini eam exhibendam Medicorum purgationem, quæ pharmacis, seu solutiuis medelis fieri consueuit: morbosq; nunquam, nisi periculosissimos, pharmacis temerè irritandos esse.*

Prædictarum opinionum resutatio.

Verùm qui ad pauca prospiciunt cito ac temerè pronunciant: Distinctione igitur hic opus est; non enim de quibusuis purgantibus prædicta opinio veritatem habet, sed de iis duntaxat, quæ κατὰ ἐξοχὴν purgãtia vocantur, quęq; à certa quadã facultate, seu proprietate, aut vt volunt, totius substantiæ similitudine determinatos humores attrahunt, & euacuant, atq; ferè venenosa sunt, quibus sanè non nisi magna vrgente necessitate vtendum, in magnis scilicet morbis magna remedia exquirẽtibus, qualia sunt quæ vel Coloquintidem, Scammoneum, Elaterium, Peplium, Helleborum, Thymæleam, Tapsiam, Cataputia, & pleraq; metallica recipiunt, vel ex iisdem conflantur.

Benigniora verò purgantia, loco, tempore, & ordine administrata, tantum abest, vt noceant, vt etiam plurimum prosint. Horum autem alia comprimendo duntaxat ventrem deiiciunt, & naturę, & ventriculo omnium aptissima, quæ in fine pastus assumpta, ventriculum & intestina purgando vacuant, & comprimendo roborant, vt est copiosus vel aquæ, vel serilactis haustus, Citonia, Sorbæ, Mespilla.

Alia leniendo, seu lubricando

do aluum subducunt, humiditate scilicet liquefaciente&emolliente, vt sunt Althea, Malua, Atriplex, Spinachia, Borrago, Lactuca, Portulaca, Melones, Cucumeres, prunorum succus, & persiccorum oleum recens, butyrumque, vuæ & ficus recentes, &c, quæ alimenta medicamentosa nuncupantur, & prima duntaxat mensa, prodromi loco assumenda.

Alia lentâ suâ lubricitate internas intestinorum partes exuccas, exasperatasq; vel corrugatas leniunt, sicq; in iis contenta lubricitât, ac deiiciunt, vt sunt psylii mucago, lassiæ medulla, Manna Orient. recentis suillæ carnis iusculum.

Blandorum purgantiû descriptiones variæ

Hisce, & ea quoque addenda sunt, quæ farctus liberando, vel detergendo aluum soluunt, vt sunt Fumaria, Carduus benedictus. Gentiana, Gratiola, Absynthium, Rhabarbarum, Sena orientalis, Agaricus, Aloe, Polypodium &c, quæ clementer admodum purgant, licet nô à toto corpore, sed ab hepate duntaxat, & partibus ventriculo vicinis, detergendo scilicet vel farctus liberando. Quæ omnia cùm veri purgantis nomen non recipiant nec admittant, sed potius aluum intestina, ventreq; mollire, deiicere, &subducere dicuntur, nô est, vt quisquam suæ sanitatis cõseruandæ studiosus, ab horum vsu deterreatur, aut aliquot detrimentum expectet, præsertim si ex artis præscripto debitâ ratione præparentur, & exhibeantur. In illorum itaq; gratiam, qui sanitatis tuendæ causa, benignioribus hisce & lautis pharmacis delectantur, nonnulla hic adscribere lubet, quæ & palato iocundissima, & corpori vacuando opportunissima erunt, non citra insigne valetudinis emolumentû.

Primo & secûdo huius operis libro passim varias, iocundas, suaues, & naturæ amicas purgationes præscripsimus, ad quas benignum Lectorem remittimus, vt sunt passulæ, vuæ Corinth. laxatiuæ Diaprun. laxat. Diatart. laxat. syrup. de pomis cum foliis senæ, Diacytonite: syrup. Ros. solut. pill. Aloes rosat, Laxatiuum, varia item vina laxatiua &c. Nec enim qui vitam in multos annos protrahere, &sanitatem conseruare conantur (vt sæpius monuimus) leui aliqua de causa, ad purgantia confugiendû, præsertim si vel validiora, aut venenata qualitate prædita, minimeque correcta fuerint, præscribuntur; nisi id morbi violentia, vel cacochymia vrgeat, quę quandoq; tanta est, vt institutâ licet sobria victus ratione, edomari non patiatur. Pro huius capitis conclusione aliqua adhuc purgantia in medium afferemus, quæ vrgente necessitate, non sine magno fructu, à prudenti & sagaci Medico vsurpari poterunt.

Syrupus de Rhabarbaro.

Recipe Rhabarb. electi.
Fol. senæ orient. a. ℥jß.
Cinamo. acutiß. ʒiß.
Flor. violar.
Zingiber. ʒß.
Aq. roris maial. destillat. Cechor. Borrag. Rosar. autem, lib. j. Infundantur per noctem, mane bulliant, exprimātur, colentur & addito saccaro q. s. in syrupi consistentiam coquantur, addendo sub finem syrup. rosar. vel violat. compositi ℥iiij. Delicatulos citra noxam purgat.

Iuuat huc adferre syrupum laxatiuū. clariß. D. Raym. Mindereri, quo sæpius cum fructu vtimur.

Recipe Pulpæ Tamarindor. ℥ij.
Iuiubarum.
Sebesten. a. N. 20.
Prunorum damascen.
Caricarum ping. a. N. 10.
Hordei non excorticati. M. ß.
Polipod. quercin. ℥ijß.
Semin. fænicul. dulc. ʒij.
Decoquantur in libris septem aquæ font. ad casum duarum librarum calenti adhuc colaturæ infunde.
Folior. senæ elect. ℥ij.
Agaric. Trochiss.
Rhabarb. electi. a. ℥ß.
Stent in calente infusione per noctē, leniter postea exprimantur. colentur, colaturæ adde
Mannæ calabrinæ.
Mellis rosat. solut. a. ℥viij.
Saccari Tabarel. lib. j.

Coquantur ad syrupi consistentiam, aromatizentur cinamo. acutiss. ʒij. & Macis ℈ij. & vsui reponantur. Efficax & salubre est remedium ad expurgandas primas ventris vias, præsertim si aliquot spiritus vel olei vitrioli guttulis (vbi nulla adfuerit de pectoris morbis suspicio) acetosum reddatur.

Hoc etiam modo elegans fiet medicamentum vacuatiuum.

Pruna dulcia q. s. aliquot horis in vino generoso macerentur, interim folior. senæ orient. ℥ij. in duabus lib. aq. font. ad tertias coquantur, in colatura postmodum prædicta cum saccar. candi ℥iij. lento igne ad debitā syrupi consistentiam coquantur. Dosis matutino tempore prunum vnicum, cum duobus tribusue syrupi cochlearijs, sic aluos natura pigriores facile mouebis.

VEL.

Vuas passas seu Corinthiacas, aut pruna damascena dulcissima, in sex vel octo vncijs vini albi, aut ror. maij aut aq. pomor. cartipēdulorum, succi Limon. aut aliquot gutt. aceti mōtani acetatæ macera, cum ℥j. fol. senæ in vase vitreo, lento aliquot diebus calore, quoad tinctus apparuerit liquor. Huius tincti liquoris cochlearia duo misce, cum cochl. 5. iusculi caponis. Habebis laxatiuum gratissimi saporis, & ad aluum pigrescentē mouendam sufficiens.

Syrupus Hellebori nigri querc.

Recipe Fibrar. Hellebor. nig. exquisitiss. ℥jß. polipod. querc. semin. Cartham. mundat. folior. Sen. a. ℥iij. Turbith. gummos Hermodact. a. ℥j. Agaric. trochiss. radic. Asari a. ℥vj. visc. querc. Coryll. Cortic. Citr. a. ℥ij. sem. pœon. anisor. Citri card. benedict. acetos. a. ℥ß. dictam. flor. tiliæ, calendul. lilij Comal. pœon. centaur. minor. Hyperic. violar. Buglos. a. p. j. macerentur in s. q. oxymel. squillit. & aq. fumariæ, in vase uitreo clauso. in B. M. tribus diebus mox exprimantur, & clarificentur, Huius liquoris Recipe

cipe libras ij. radic. Hellebori nigri vnc.j.folior.ſenæ vnc.ij.Mac,garyophil.cinamo.a.ʒj.facta quatridui digeſtione, in B. M. digeratur, quoad puriſsima euadat, ſemper fæces ſeparando. Tandem addito ſaccaro violato, eoq; ad ſyrupi conſiſtentiam, addendo ſub finem rhabarbari in ſucco roſar.macerati & expreſsi vnc. ij. Doſ.vnc.1.per ſe vel in aq. lilij cõual. ſucco aceti montani acetatæ.

Ad Epilepſiam Apoplex. Paralyſ. Melancholiam, alioſq; grauiſſimos affectus, & cuiuis ætati aptiſſimum medicamentum.

Huc facit Hydromel tartariſatum purgans.

Recipe limpidiſsimi roris cœleſtis Maio, Iunio, aut Iulio lecti, & rectificati lib. 40. Tartari albi, loti, & craſsè tuſi lib.4. bulliant lento igne, ad conſumptionem 10. librarum: poſtea adde ſequentia craſſo modo tuſa: folior. ſenæ elector. ℥iiij. Herbar. Mercurial. Fumar. Meliſſ. Parietar. Flor. borrag. a. M. iiij. ſemin. fœnicul. dulc. Aniſor. ebuli triti. Carthami mundat. a. ℥j. Flor. Geniſt. violar. a. M. j. Miſce, & præcedenti decocto infunde, coque exprime, cola, colaturæ affunde mellis Narbonenſ. menſur. 4. iterum coque, clarifica, clarificationi ℥iij. diuretici fixi adde; & ad debitam conſiſtentiã coque. Tandem tepefacta vaſe querno excipe, aliquid fermenti adde, vti & oblongũ ſacculum mentha, roremarino, viſco quercin. flor. roſar. rub. bugloſſ. borrag. Cinamo. garyoph. croc. a. q. ſ. refarto; poſt fermentationem alio vaſe exceptum in cella ſerua. Doſ. mane hauſtus vnus, cum aliquot gutt. ſpiritus tart. in reſoluendis & expellẽdis tantareis morbis mira præſtat.

Puluis Locuſtarum laxatiuus.

Recipe Locuſtar. ſambuc. vnc. iij. iuniperi ʒſſ. folior. ſenæ mundat. vnc. j. cremor. tart. vnc. ij. flor. geneſt. diuretic. aſtralis fixi a. vnc. j. croci orientalis ʒſſ. Miſc. poteſt addi, aliquid ſaccari; vel mellis ad electuar. Semihorio ante cibum, cum vini modico ſumitur, hic puluis, pigreſcentem aluum in hypochondriacis pulchre ſtimulat, quæ alias in hoc affectu fortioribus re magis exacerbatur.

Quod ſi quis *teſte Antonio Guerthæo*, quacunq; de cauſa medicamentis catharcticis abhorruerit is ſumat libram ſemis aloes, & drachmas 4. myrrhæ per retortam, oleum ſtillatitium eliciat, quo ſi vmbilicum, aut ventrem inunxerit, & ſtupam ſuper impoſuerit, ter aut quater aluum citra moleſtiam euacuabit; Excellentiſſimum profectò remedium, quo non ſolum ægris & prægnãtibus (ſi quis eo moderatè vtatur) ſed & infantibus neceſſitatis tempore, & delicatis hominib⁹ cõmodè ſuccurrere poterit, atq; æternâ digniſſimus laude, quicunq; huius præſtantiſſimæ medicinæ inuentor fuerit. Hinc etiam manifeſtũ fit, res deſtillatas, (vt ſequenti capite docebimus) vires ac facultates non ſolũ non retinere, verum vegetiores inde fieri, excellentioreſque. Et huc mentis noſtræ aciem dirigi volunt Hermetici, vt nimirum ſinceriſſimas, viuaciſſimaſq; rerum eſſentias, aurũ nempe, ſeu ipſum Mercurium, ſulphur, & ſalem eliciamus.

liciamus, quibus demum vel separatim, vel coniunctim preciosi lapidis instar vti liceat, qui vnicuiq; corporis humani particulæ, aut vniuersim omnibus, nõ tantum non aduersetur, verum ægritudini, cuiuscunq; membri humanæ fabricæ eliciendæ optime veniat, atq; à male habenti non nauseabundo, sed hilari animo excipiatur. At quid enim ęgrotos, vt ait *Mizaldus*, toties repetitis pharmacis, visu, gustu, & olfactu, imo & auditu, & solo nomine in iocũdis, molestis & nauseam mouentibus excarnificare quos semel vel iterum simplici herbula hortensi à morbo, iocũde, tutò, ac cito redimere possis? Nunquid mera est stupiditas, dubia & suspecta ita prosequi, ita probare, amplecti, & ambire, vt certam, extemporaneam, & omni tempore vigentem domi tuæ medicinam, pro nihilo ducas? Medemur nimirum alienâ fide, & famam exoticorum medicamentorum, vana authoritate variisq; rerum miscellaneis, & centonibus, multiplicique ingredientium farragine, ostentationis plena, ceu quodam in aucupio venamur. Quasi verò facultates rerum aceruatim congestarum, & velut geomanticis pũctis fortuito ab ostentatoribus, verius, quam doctoribus, plerisq; scriptarum ex eorum cadunt arbitrio. *Scrupulatim*, ait *Plinius*, *colligere ac miscere rerum vires, non coniecturæ humanæ est opus, sed impudẽtiæ*. Ideo *Hippoc. ad Crateuam Rhizotomum* scribens, incertam esse dicit coniecturam eorum, qui in purgationibus, etiam cautè procedant. An quod nullum sit electiuè purgans medicamentum, quod nõ aliquam partem de viribus nostri corporis, & substantia eius deprædetur? Imo verò medicinas bibere, inquit *Auicen.* etiamsi venenosæ non sint, naturæ tamen laboriosum esse solet. Inde scribit etiam *Plato*: Nullo modo sanæ mentis homini illam purgationẽ sumendam esse, quæ pharmacis, seu solutiuis ac violentis medelis fieri consueuit: morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis temerè irritandi non sunt, ergone ex nostris tantum hortulis, & agellis materiæ medicinæ, nobis notæ ac familiares, apud nos natę, maioribus nostris assuetæ, Patriæ probatæ, & sub eodẽ cœlo, in eodẽq; aere & natali solo nobiscũ degẽtes, & simili genio gaudentes quærẽdę, & vsurpandæ? Quarum copia vbi visum erit, quoties nobis desideratum fuerit, recens, & vegeta, illicone longius sit eundum, expectandoq; languẽdum comparari poterit. Fallax sanè & impius is fuerit medicus, si relictis patriis remediis longo vsu & experientia cõprobatis, legitime præparatis, & Hermetica industria excultis ad exotica manum extenderit.

Verum

Verum enim verò antequam subsequens caput aggrediamur, præstat coronidis loco aliquid de nouo quodam gummi laxatiuo, non ita pridem è florentissimis, noui orbis Insulis rerũ medicarũ fertilissimis, vt pote, quæ nobis & Nicocianas balsamiticas & lapides Bezoardicos, & lignum illud Nephriticum, aliaq; sexcenta in humanos vsus accõmodatissima, largissima manu tradiderunt, paucis subnectere.

Gummi Indici laxatiui varia nomina

Gummi hoc Indicum laxatiuum (quod *Carol. Clusio, Nicol. Monardi, Garziæ ab Horto*, & ex nuperis *Andr. Hildebrando, Rossenbergio, Lotichio, Guil. Fabritio, Casp. Bohino* & aliis vocatur, modo Gummi de Goa, modo Gummi Gith, & Gemon, modo Gummi Gamandrea, Gutta mũda, Gutta Gemã, Gummi Gutta vel Gotta &c.) lachryma est quæ aliarum lachrymarum è certis resinosis atq; gũmosis tùm herbis, tùm arborib9 quibusdam destillantium more, in flauas massulas compacta, & ad certa grana vel per se, vel in conuenientibus liquoribus, syrupis iulepis, cõseruis, extractis, aut pillulis exhibita semihorii circiter spatio, tam serosorum, tenuium, quàm biliosorum atq; pituitosorum humorum in corpore stagnantium saburram, citra nauseam & clementi admodum operatione, primò sursum, mox deorsum specifica atq; abdita proprietate expurgat.

Definitio noui Gummi Indici & genealogia & facultates.

Non desunt tamen qui hoc Gummi Peruuianum, seu Indicũ purgans, non naturale, sed artificiosum spagyrico ingenio ex antimonio scamoneæ resinæ (in hoc decepti quod paucorũ granorum dosi, antimonii adinstar vomitum cieat) conflatum existiment. Alii è Chelidoniæ maioris tum radicibus, tùm foliis & caulibus, æstatis tempore expressum: Alii chondrillæ cichorii cuiusdam pratensis speciei, vel etiam Soldanellæ, Fraxinellæ, vel dulcamaræ succum aliis quibusdam purgantibus accuatum, arbitrantur. Has tamen opiniones solâ niti coniecturâ vel hoc argumẽto esse potest, quod iam ex enumeratarum succis tanta huius Gummi copia conflari nõ possit, quæ toti orbi sufficere que at; adde quod si ex dictarum plãtarum nostro & cœlo & solo prouenientium succo prædictũ Gũmi conflaretur, non opus esset illud è Peruuianis Insulis tanto cum labore & sumptu ad nostras hasce oras transportare.

Gummi Indicũ purgans non ex antimonio vel scamonea vel aliis succis conflari

Stat igitur sententia, Gummi hoc Indicum purgans cuiusdam resinosæ, vel plantæ, vel arboris nondum in Europa certo cognitæ, simplicem, nudam, non compositam lachrymam esse subflauam in massulas quasdam seu conos cylindricos ingeniose compactam, & ab omni Hetero geneitate separatam, quæ specifica & occulta sua qualitate, vt dictum

Gummi indicũ purgans simplex est lacrima

Quibus morbis hoc Gũmi vtiliter exhibeatur.

dictum, serosos, tenues, crudos humores multa bile, atq; pituita permixtos sursũ, seorsũq; expurgat, ideoq; & hydropicis, maxime & podagricis & artriticis, & ictericis (signatura id præmõstrãte) & asthmaticis & iis demũ, qui obdilatatã arteriã aneurisma ob serosorũ humorũ affluxũ frequẽti, molesta, atq; diuturna cordis palpitatione quatiuntur, ventriculis item tenuibus atq; serosis cruditatibus repletis, vt & febribus è viscerum obstructione emergentibus, gratissimum æque præsentaneum est atq; decantatum medicamentum. Variat tamen dosis, nam pro exactiore vel minus exacta huius Gummi præparatione, pro ætatis item, sexus, virium, atq; vrgentis morbi ratione à 3. 4. 5. 6. 7. ad 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. grana (si præfatis auctoribus fides habenda) ascẽdere, & pro re nata, vel perse, vel aliis conuenientibus medicamentis permixta prudens & sagax medicus exhibere poterit.

Gummi Indici purgantis dosis varia.

Gummi Indici purgantis correctio.

Nos ne vehementiore vomitu ægrum premat hoc purgans, vel vomere non asuetis officiat Gũmi hoc in pollinem actum modo aceto destillato, modo clarificato limoniorum succo, imo etiam pro re nata acetis montanis infundimus, absolutaq; philosophica digestione, dulcificatione, & exsiccatione tãdem exhibemus: Hac enim ratione & artificio sulphur illud volaticum quod vomitus ciere consueuit, & quo Gummi hoc abundat partim tollitur, partim corrigitur & fixatur. Hoc modo correctum pro morbi præsentis ratione exhibetur, & certa sua dosi modo cum syrupo rosato solitiuo, modo cum syrupo de rhabarbaro, de spina ceruina, granorum actes, modo cum pillulis vel prunis laxatiuis, modo cum puluere Mechoace, cremore tartari, tartaro vitriolato, vel cum pillulis aloeticis, panchymagogis, vel extractis quibusdam solutiuis, vel per se cum vino vel aquis destillatis cinamomi, sambuci, prunorũ syluestrium, granorum actes &c. additis semper stomachum roborandi, suauitatemq; inducendi gratia aliquot guttulis oleorum destillatorum cinamomis, garyophillorũ, nucistæ, zingiberis vel cedoariæ, vel corticum citri, seminum anisi aut fœniculi &c. Et hæc hactenus de Gummi illo Indico seu Gemandrea peruuiana, quo nostrum etiam Panthæum Hygiasticum exornare voluimus. Sed videamꝰ modo qua ratione Hermetici medicamenta tam purgantia, quam alterantia, & confortantia præparare consueuerint.

Quibus cum remediis aluũ soluentib. hoc Gũmi permisceatur.

CAPVT XV.

De Chymica seu Hermetica purgantium medicamentorum præparatione, correctione & cauto vsu.

Veteres

VETERES Medici cùm vsu & experientiâ edocti aduertissent, purgantia medicamẽta & praui esse succi, & ventriculo infensa, de eorumdem correctione, & rerum cardiacarũ permixtione cogitauerunt, quibus venenosam qualitatem purgantibus inexistentem, & humano corpori maximè inimicam reprimerent.

Rhabarbari facultates

Hinc rhabarbarum etsi per se ventrem laxet, viscerum infarctꝰ liberet reseretq́;, membra firmet & fluentis sanguinis impetum reprimat, & plurimorum remediorum vices obtineat; cùm tamẽ non simplicis, at cõpositi remedij, ideam referat, ideo eó solo nõ sunt vsi, immodicam eius siccitatem pertimescentes, vnde modo spicam, passulas modo aut aliud quid, pro indicantis scopi natura addiderunt. Sic scammonium ipsum, quod bilem subducit, ventriculoq́; pestilentissimũ est mirobalanis additis corrigi putarunt, relictâ interim in centro scammonij malignitate.

Coloquinthidos correctio.

Sic Coloquinthidem attrahẽdis crassis succis extra venas cõstitutis aptissimam, intestinis tamen ob inexistentem erodendi vim infensissimam, modo amygdalis, modo tragaganto emendandam duxerunt; Sic Tithymalos, Chamæleam, Tapsiam, Thymeleam &c, aquas potentissime subducentes, solius aceti infuso, vt & elaterium eiusdem facultatis tragaganto: Hermodactylos, si quid aliud, iuncturis succurrẽtes, raphano, opio, & saccaro: Turbethum phlegma ducens; zingibere: carthamũ seu cnicum ijsdem viribus pollentem, cinamomo: decantatum verò Helleborum nigrum, atram è corpore bilem ducentem, & iuuentutem specifica prærogatiua conseruãtem, nenuphare: (vnde quidam Hellebori extractum cum cõserua Nymphex exhibent.) Lapidẽ armenium trahendæ melancholiæ destinatum, multiplici duntaxat ablutione: Senam, & sanguinem mundantem, & iuuentutis florem reparantem, coloris bonitatẽ conciliantem, febresq́; acutas arcentem, stomacho tamen, & capiti infensam, nũc zingibere, nunc galli prodio, aut violarum cremore, Glyzirrhizam, vnicum illud doloris ventriculi solatium, quæ & renes expurgat, & sitim extinguit, faucibus leniendis oportunissima, delabentibus præsertim ad eas acribus & salsis humoribus, ob eam tamen quam ventriculo & nauseam, & laxitatem parit, hanc varijs aromatibus corrigendam, & emendandam, consuerunt. Ex quibus (vt reliqua breuitatis causa silentio inuoluamus) facile constat, Veteres quidem in corrigendâ purgantium remediorum malignitate, non contemnendã quidem operam posuisse, violentis scilicet remedijs, anodynas, &

Tithymalorũ & aliorũ purgantiũ correctio.

 propri-

proprias correctiones afferẽdo; venenatis confortantia adiungendo; ingratis, amarorem ſaccari dulcore vindicando: At nũquam eò peruenerunt, vt ſublato medicamenti purgantis veneno, illud purum, putumq; exhiberent, ſed ſæpe à veritate ad opiniones, ſæpius à ſenſibus ad imaginationem; ſæpiſſimè ab apodeixi ad errores deflexerunt; vnde fit, vt quemadmodum *Auicenna in Galeno* veritatem, hic in *Hippocrate* diligentiam, *Hippocrates* autem in Veteribus methodum deſiderauit, ita & Hermetici ab omnibus lautiorem, exquiſitiorem, & tutiorem, medicamentorum præparationem exoptant. Nam vt in analeptica alimentoſum à non alimentoſo, ſuccoſq; ſubſtantificos, vt extracta, expreſſa, deſtillata gelatinas conſummata &c, à fæcibus ſeparamus, ita etiam in Hermetica, ſeu Spagyrica medicamentorum præparatione, purum ab impuro, bonum à malo, vir⁹ à remedio, tenebras à luce, tribulos & roſas à ſpinis, vim ſcilicet eſſentialem, ſeu cœlum illud phyſicum à terreis vinculis, ſeu Orco Hippocratico euendam, & ſeparandam eſſe artis ſpagyricæ ingenio profitentur, vt hac ratione è medicamentis modo venenatas, & deleterias, modo omnino otioſas partes, ſeparare, ſicq; medicamenti vires aſtrales exaltare poſſint, idq; cum igne, ex igne & per ignem; Spagyrus enim mediante igne ex corporibus per ſeparationem & reſolutionem, arcana, magiſteria, magnalia, tincturas, & eſſentias aſtrales producit. Non enim v. g. tota Rhabarbari ſubſtantia bilem euacuat, ſed ea duntaxat pars, quæ vel conueniens menſtruum, per infuſionem abſorbet vel interiori rhabarbari centro, ſale ſcilicet recondito deliteſcit, ita vt ex integra rhabarbari libra, vix aliquot vnciæ reperiantur, euacuandæ bili, deſtinatæ; ſic in Agarico, Turbetho, Eſula, Coloquinthide, Cnidio, Helleboro, Sena, Mechoaca, omnibus deniq; purgantibus inſunt, non πόλλα ſed πάνρα μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λύγρα.

Quomodo purũ ab impuro ſeparetur,

Quæ cùm ita ſint, non iniuria, plerique Medicorum noſtri temporis, relictâ craſſâ illa Veterum præparatione medicamẽtorum, ad Spagyriam ſeu Chymiam, ſolidę philoſophiæ fontem, ſapientiæ clauem phyſices animam, ac medullam, atq; lautioris, & verioris medicinæ radicem, Phyſicis ortam principijs, & ex ipſius ſympathiæ & antipathiæ rationibus, ex vitalibus, tum internis, tum externis rerum ſignaturis emanantem ſeſe contulerunt. Hæc enim ex naturæ ſecretis admirandos, pulcherrimos, ſalutares, & quaſi diurnos producit effect⁹, vt ſunt Quintæ Eſſentiæ extractiones; nobiliſſimi, ſaluberrimi, ac precioſiſſimi ſuffitus & odores prolecti; omnium item ſimplicium in tenuiſſi-

Artis Spagyricæ encomium

tenuissimos spirit⁹ reductiones; morbis desperatissimis ex metallicis præstantissimorum, præsentissimorumq; remediorum exhibitiones; imo quod omnem superat admirationem, hominis naturam ab imminentibus morbis immunem conseruat contra omnia deniq; venena, venenatorumque vim exquisitissima, & maxime præsentanea antidota conficere docet, vt ea nunc silẽtio inuoluamus, quæ passim de metallorum metamorphosi, & multiplicatione subtilissimis, tenuissimisq; spiritibus paranda iactantur; sed hic nec laboribus, nec carbonibus parcendum.

Huius itaque celebratissimæ artis beneficio, veram illam mumiam, verum naturæ nucleum, in vitali sulphure, totius naturæ thesauro reconditum balsamiticas item tam è purgantibus, quã alterantibus, & naturæ robur cõseruantibus medicamentis virtutes, Vulcani ope elicere, & valetudinis conseruãdæ gratia propinare student, Spagyricæ medicinæ cultores. Inde in purgantis alicuius exhibitione non integros scyphos, non multas vncias magnâ sanè & sanitatis iacturâ, & ægrotantis fastidio; sed paucas vel guttulas, vel granula, non citra ægrotantis emolumentũ gustatus oblectamentum, & artis præstantissimę maiestatem offerre consueuerunt, quæ vt felicius assequantur, in horum præparationibus, & correctionibus, nec melle, nec saccaro, nec aromatũ additionibus vtuntur, sed veris, essentialibus, & cuiuis Spagyro cognitis tum separationibus, tũ digestionibus, quibus *teste* etiam *Aristotele* res omnes citra saccari; aut mellis additionẽ dulcescunt, tum fermentationibus verum balsamum & vitalem spiritum producentibus; hisce, inquam vtuntur correctiuis gratum medicamentis dulcorem, concilianti bus, & venenatam eorum malignitatem tollentibus. Hinc v. g. integræ & crudæ aloes loco, balsamiticam illam aloes rubedinẽ, vt & aureas tum Coloquinthidos, tum Rhabarbari, tum Hellebori, aliorumq; purgantium essentias, tincturas, extracta, olea, & sales, destinatis ac specificis menstruis prolectas, citra aliquã corporis noxam, in minima etiã dosi vel tutissimè exhibent, relictis & proiectis medicamentorũ fæcibus, ceu verò malignæ qualitatis cõceptaculo. Huius enim rei exemplũ vel in Cassia & Manna quantumuis iocundis remedijs, & in quorum productione omnes gratiæ conspirasse videntur, apparet; Manna quippe & Cassia etsi sapore dulcescant in biliosis tamen corporibus facillime bilescunt, siquidem si ab illis balnei vaporosi beneficio aquam prolicias, eam tamen acerrimam, & mordacissimã, & summe calentem offendes & acutã,

Interior cassiæ & mãnæ anatomia quid in se contineat.

non quidem impressa à destillatione, ignea qualitate, vt quidam nugantur, sed ab inexistente sulphurea qualitate; vnde ijs nõ nisi summa adhibita diligentia, & cautione vtendum, vt nunc & flatus, & distentiones, ac nauseã ventriculi, vehementesq; torsiones taceamus, quæ plerumq; exhibita sola Cassiæ pulpa, aut Mãna excitantur.

In eorum itaq; gratiam, quib⁹ sanitas cordi est, quibusq; blandę Hermeticorum purgationes placent ijsq; ceu astralibus essentijs vti nõ perhorrescunt, iuuat è varijs & multis, selectiora, iocundiora, & valetudini maximè cõuenientia huc afferre.

Extractum Panchymagogum.

Recipe Rhabarb. elect. ʒiij.
Turbith. gummos. ʒv.
Trochis. Alhandal. ʒvij.
Radic. Helleb. nigri veri, vnc. j.
Agaric. Trochisc. ʒx.
Folior. senæ, orient. ℥j.
Elaterij, ʒiij.
Hermodactyl. Veron. mundat. ℥ß.
Semin. Cartham. excort.
Ebuli triti a. ℥ ij.

Omnibus crasso modo tritis, & vitro inditis affunde spiritus vini tinctura Diambræ & Diarrhodon, imprægnati ad eminentiam 4. digitorum, & vase probè clauso in loco calido f. extractio; Tinctum spiritum separa, affunde alium, quoad amplius nõ tingatur; Mixtas tincturas leni balneo destilla, ad crassamenti residentiam. Huic è vitro extracto adde balsami aloes vnc. j. Resinæ scammonij ʒv. ol. cinamo. Garyophil. Cortic. cit. a. gut. 6. Exiccentur, in massam. Dos. ℈j. ad ℈ij. è capite mortuo poterit sal educi artis ingenio, & massæ permisceri.

Extractum Catholicum Paracels.

Recipe Aloes succotrin. vnc. ij. pul coloquint. vnc. jß. Agaric. Trochiss. scammon. pp. Cortic. Helleb. nigr. a. vnc. j. Linquit. ras. ʒvj. Cum spiritu vini tinctura specier. diambr. & diarrh. optimè imprægnato, lege Art. f. extractum, dosis à ℈ß. ad ℈j.

Balsamus Senectutis eiusd.

Recipe Hellebor. nigr. q. s. coquatur in fontana, vel fumariæ coctam separa, idq; toties, quoad cocta aqua insipida fiat: coctas illas aquas misce digere, purum ab impuro separa, rãdem in duplici vase coque, ad mellitam consistentiam. Huius consistentiæ recipe libram j. confection. Alchermes ʒij. Myrrhæ extractæ, & Mastich. a. vnc. ß. ol. cinamo, Garyophil. Macis a. ℈ß. Misce, f. massa.

Thesaurus vitæ eiusd.

Recipe Cortic. Helleb. nigr. mense Septembri luna libræ signum percurrente collect. q. s. purgentur, & spiritu vini rectificato, & tinctura spe, diambræ impręgnato irrorentur, & in vmbra exiccentur, idq; sæpius reiterando: deinde arcano sang. huma. nutriantur, & in tenuissimum alcool reducantur: Dos. a. ℈ß. ad ℈j. exhibetur ad omnes morbos, febresq; pestiferas, Causones, Epilepsias, Apoplex. super omnem admirationem.

Notandum autem hoc loci, quatuor esse Hellebori nigri species. I. Floribus virescentibus, fætentibusque; II. Floribus virescentibus, at bene olentibus; III. Floribus luteis; IV. In veris initio, & fine Septembris, flores habet

Hellebori nigri quatuor species.

bet purpureos, ad album vergẽtes, qui quandoq; sub niuibus erumpunt. Inter has species ver' est Helleborus, è cuius floribus & folijs, verus Spagyrus, balsamum, vt & spiritum præstantissimum elicere potest, qui si per semestre in vitro retineatur, in fundo crystallum ponat. Essentia verò folior. Hellebori nigri cum proprio spiritu extracta non purgat quidem, sed omnes corporis humores dissipat. *Heningus Schœnemannus* ex hoc forte fonte, Hellebori folia in balsamum, vt diximus redacta, tanti facit, vt eo hominem ab omnibus internis corruptionibus, externisq; infectionibus præseruari, & in eo statu in quo genitus est cõseruari scribat, vt citra morborum incursiones secundam ętatem attingat, eumque supra omnia arcana excellentissime purget, omnesque morborum causas radicitus euellat.

Extractum Diacatholici, Confectionis, Hameck, vt & Massarum Pillularum.

Recipe confect. Hamech. lib. j. aq. fragor. vel pomor. redolent. tartarisatæ q. s. ad 4. digitorum eminentiã digere triduo lento Bil. calore tinctũ atq; rubentem, liquorem separa, affunde nouum menstruum, perge vt prius, & tantisper, quoad amplius non tingatur. Tandem lento balnei calore menstruum ab extracto separa ad mellitam consistentiam, cui salem è fæcibus relictis extractum addere omniaq; vel in massam pillularũ redigere, vel addito saccaro in syrupi elegantissimi formam reducere poteris.

Ingeniosissimam & Rhabarb. & aliorum purgantium extractionem sic parabis: Recipe scobem ligni rhodij, vel sassafras, adde aq. Endiu. Fumar. centaur. minor. Gichorij q. s. impone cucurbitam, & cinamomum acutissimum in receptaculo. destilla; liquorem destillatum in cinamomo assume, & rhabarbarum cultello incisum, non autem tritum, in cucurbitam impone, affunde hunc liquorem ad 3. digitorum eminentiam digere, tinctum liquorem effunde, nouum affunde, & sic deinceps, donec amplius non tingatur. Tinctis menstruis nouum Rhabarbarum immitte, & 7. diebus in vitro clauso macera, loco calido. Tandem exprime, expressum liquorem lento calore destilla, ad mellis consistentiam; ex reliquijs calcinatis salem extractum adde.

Ingeniosa rhabarbari & aliorũ purgantiũ extractio.

Hisce & consimilibus alijs elegantibus purgantibus è vegetabilium viretis depromptis non contenti Hermetici, Mineralium quoq; classes, & abstrusiores thesauros aperuerunt, è quibus elegantissima, & iocunda admodũ purgantia deprompsere, quibus tamen non nisi vrgente necessitate, & non nisi prudente, & expertissimo, & in rebus spagyricis versatissimo Medico est vtendũ. Ex infinitis pauca quædam, & tutiora in candidi Lectoris gratiam in medium afferemus.

Basil. Valentinus, Paracels. Quercet. Perotus Crollius. & alij quã plures multum & laboris & indu-

striæ in eruendis è Magnesia Saturnina Antimonio Mercurio, medicamentis tam purgantibus, quam diaphoreticis, diureticis & roborantibus, quæ in hoc minerali vbertim reclusa latere dicuntur. Et profectò arduum est omnes huius mineralis virtutes, & arcana reserare, crudum corpus, venenumq; separare; eiusdē verò essentia, tinctura, liliumue summa medicina existit. Multum & sulphuris, & mercurij crudi habet, salis autem parum. Ex hoc conflatur plumbum philosophorum, & ratione sulphuris, soli adunatur, quod perpurgare solet; Ignem fugit, eundemq; sustinet, ritè præparatum. Eiusdem volatilitas nocentissimè & turbulentissimè purgat; eâ tamen spoliatum & fixum, factum innocetissime: non quidem purgando, sed morborum radices consumendo, disijciendoque. Ideoq; multorum morborum domitor & Hercules medicinæ creditur. Ex hoc minerali arte spagyrica, fit stella signata, si cum sale, tartaro, Martis nucleo, ad reguli formam liquetur: quæ stella cum sale terræ eleuata & meteorizata, mirabilem, & igneā proprietatem sortitur. Ex eodem minerali fit regulus, ex quo sublimationis opera, & albi & flaui, & purpurei flores eleuantur, è quibus proprio suo menstruo acido lilium illud tantopere decantatum elicitur, quod per se destillatum, in oleum abit, mirabilis efficacitatis. Idem per se in vitrum varij coloris abit, rubeumue, ex quo intercedente proprio menstruo acido essentia elicitur, quæ per se destillata, indicibilis virtutis puluerem relinquit, post edulcorationem tutò assumendū. Idem puluis cum spiritu vini rectificato extractus, & destillatus, in oleum facescit dulce, omnia tum vlcera, tum vulnera citra dolorem sanans.

Saturninæ magnesiæ anatomia.

Stellæ signatæ præparatio.

Lilium antimonij.

Puluis vitæ.

Ex eodem Minerali cum volante Dracone permixta, è retorta liquor seu oleum butyrosum elicitur, quod tertiò rectificatū, omnes tùm fistulas, tùm cancros curat, præsertim si æger, post rectificationem, 2.3. vel 4. grana intrinsecus, pulueris Draconis volatici, cum sanguine Leonis præparati assumpserit.

Butyrū antimonij.

Ex eodem fit oleum sanguineum cum calce viua, sale armoniaco, & sulphure, ad vlcera commodissimum. Per tartari, & aceti spiritum, post aliquot certi temporis digestiones, è nostro hoc minerali, fit sublimatum, quod cum Martis polline, in currētem mercurium abit, à multis quæsitum, at à paucissimis inuentum, qui si cum mercurio vulgi amalgamatus imbibatur, & aliquot horis igne, per follem incitato exerceatur, & id quod remanet, aceto destillato extrahatur, salē, quem philosophorum vocant, dabit, omnes febres tutò curantem.

Mercurius magnesiæ currens.

tem. Huic sali, si proprium acetũ addatur, destilletur, & animâ Saturni, vnguẽtum fiat, omnes microcosmi ignes extinguet. Eiusdem essentia, paucis comperta, summa est medicina, & quarta Panaceæ pars. Dos. 2.3.4. grana.

Finckius in Enchyridio dogmatico Hermetico elegantem modum edocet, quo, è cucurbita terrea oblonga, non admodum capaci, sed à fundo, ad orificium æquali atq; canali duos pedes longo, & sua capacitate, cucurbitæ orificium ambiente, capienteq; purpureos Magnesiæ Saturninæ flores elicere possimus: Cucurbitæ enĩ tam descriptæ, oblongæ, & ad latus iacenti, ac foras extra fornacem prominenti, oblongo cochleari æris Alcofel nigri alcool secundum longitudinem distribue, quantum satis erit; mox foras prominenti cucurbitæ orificio, syphonem duos pedes longum adapta, cuius alteram extremitatem cucurbita vitrea amplioris orificij excipiat; tãdem iuncturis optimè clausis & lutatis 12. horarum spatio, igne primum leni, mox auctiore, tandem vehementissimo destillatio instituatur: prorumpent flores, nullo ferè relicto capite mortuo: destillationis finem indicabit syphonis refrigeratio, qua animaduersa, ab opere cessandum. In cucurbitæ orificio inuenies flores crystallinos, caute reseruandos: in syphone verò flores eleganter purpureos: qui ante correctionẽ ad 3. & 4. grana strenuè susq; deq; purgant: In cucurbita verò vitrea seu recipiente, inuenies phlegma acidum, quod magnesiæ acetum vocant.

Magnesiæ flores purpurei.

Hi flores citra correctionem non assumendi, cùm vehementes cieant vomitus. Mitescunt autem vel cum mellis, & vini spiritu circulati; vel conchæ vitreæ, obducta cartha emporetica, impositi, duobus mensibus loco calido, vel post fornacem repositi, quotidie agitando, ne nigrescant; sic enim & mitissimi, & spõgiosi euadunt, volatico eorum sulphure sublato, sic demum ad 8. & 10. grana luto exhibentur, citra vomitum, aluum blandissime mouentes. Non enim dubitandum, quin hi flores vel separationis vel alterationis industria, à volatico suo sulphure vomitorio vindicati, per secessum tantum operentur, *teste generoso Ioan. Bood in tractatu quem Amalgama vocat, de capitis ægritudinib. in lethargi & vertiginis curatione*, vt refert *Tenzelius in exegesi Chymica*. Non desunt etiam, qui horum florum vim vomitoriam à sulphure volatico manantem, spiritu & oleo vitrioli debita temporis circulatione fixare consueuerunt: Alij facta cum oleo & spiritu salis Gemæ fusibili, ac mercuriali mixtione & circulatione: solutiui enĩ ac frixatorii hui⁹ olei beneficio, Regulus Martis mediante dige-stione

Florum Magnesiæ correctio.

stione, destillatione, & rectificatione, vel in puluerem, vel in liquorem redigitur, quorum ille ad 3. vel 4. grana: ille verò ad 1. vel 2. guttas è conuenienti liquore, vel tartaro vitriolato exhibitus, non solum ad tutò euacuandum sed etiam ad alterandum, aliosq; curationum scopos expediendos, cæteras vegetabilium purgationes multis parasangis superat.

Ex eadem Magnesia Saturnina præuia calcinatione philosophica, paratur calx, quam terræ sanctæ: Crocus item, quem metallorum vocant, per eandem philosophicam calcinationem, addito sale anodyno, & tartaro, è quibus deinde multa pręclara remedia parantur, inter quæ est, Aqua illa benedicta tantopere decantata.

Magnesia Saturnina per inferiora tantum blandissime purgans.

Flores Magnesiæ per inferiora tantū purgantes.

Magnesiam Saturninam in vitrū Hyacinthinum redactam puluerisa, huius recipe vnc. iiij. adde borracis Venet. pulueris. drach. iiij. misce, liqua, & in viride vitrū coge, huic puluerisato assunde spiritus vini tartarisati q. s. Tincturam extrahe. Huius tinct. exhibe, cochlear. j. blandissime sudorem; at si cum vino generoso extrahatur, lenissime aluum mouebit.

Summū corpori conseruando arcanū.

Aquila nigra fixa, seu Rubinus, ignē sustinens linguam grato dulcore afficiens, vinū sanguineo rubore tingens summum corp. conseruando Arcanum.

Ex anaticis & Magnesiæ Saturninæ, & Corticis maioris vegetabilis partibus, horæ spatio in igne fusis, regulum funde, huius in alcool redacti sume partes duas, ol. vitriol. part. ij. Mercurij loti & purgati quartar. j. omnibus probe tritis, & permixtis, & vitreæ cucurbitæ inditis, exiccentur, quoad mixtura flauescat: hanc iterum tere, & tantum spiritus vini rectificati affunde, quoad rubescat, rubentem per inclinationem separa, idq; toties, quoad amplius non tingatur. Tinctos & mixtos spiritus per balneum separa, vt tinctura sapæ, vel ceræ liquatæ instar, in fundo remaneat; hanc in tabulam vitream effunde, & in durum lapidem rubini instar concrescet. Huius puluerisati ʒj. cum libra j. spiritus vini rectificati mixta, grauissimos morbos, & omnis generis dolores curare & mitigare ab Hermeticis perhibetur.

Magnesiæ diaphoreticum.

Ex ♉ præclara insuper Vulcani beneficio, remedia concinnātur: Cum glacie paradisi, anatica proportione mixtum, philosophice calcinatum, edulcoratum, & itidem cum sale prunellæ calcinatum, edulcoratumq; sæpius, tandem albescit, fixaturque, & in peste cum appropriatis exhibitū, magni diaphoretici loco habetur. Dos. a. ℈j. ad ℈ij. Tertiana laboranti egregie per sudorem me detur.

E floribus rubeis ♉ cum sale Tart. paratis, & edulcoratis partib. ij. & Aquilæ albæ meteorisatę parte j. simul mixtis & bis terue meteorisatis, & edulcoratis, exurgit sulphur pulcherrimū, blandissime per secessum tātum purgans

gans, & infantulis ad 2.3. gran. tuto exhibetur.

Quod si salis marini decrepitati, & Alcool ♁ cuiusq; ternas sumpserit libras, rite permixtas, & per latus destillauerit, trium dierum spatio 6. vnc. rubentis olei accipies. Idem fit cum vitriolo calcinato ad rubedinem, quod rubentissimum oleum dabit.

Magnesiæ Rubinus. Sanguinem, seu rubinum, ex ♁ sic parabis: Recipe huius mineram in Alcool redactam, cucurbitæ impone, affunde proprium mineræ acetū rectificatum, vt quatuor digitos emineat, lege artis, tepido balnei calore tincturam seu rubinum extrahe; quo separato, nouum menstruum affunde, idem opus repete, quoad amplius non tingatur. Tandem omnibus mixtis, destilla prius acetum, mox sanguinem rubini instar rubentissimum, oleum & melle & saccaro dulcius, omnes tùm internos, tùm externos morbos curans. Huius ℥j. balsami Aloet. ℥j. Essent. croc. ℥iij. Mosci Ambr. a. ʒj. Indantur phialæ, & lento cinerum calore, in massam agantur. Habebis decantatum illud Paracelf. Laudanum. Dos. pillul. j. ciceris instar, ad capitis & pulmonum robur, ad febres, cordis tremores, syncopas epilepf. &c.

Quinta essentia Magnesiæ. Sic etiam eiusdem quinta paratur essentia. Recipe Mineræ auriferæ ♁ in alcool redactæ, & vitro inditæ lib. affunde vel aceti proprij, vel vini generosi, vel aceti è mellito rore; vel hydromellite facti lib. ij. clauso vase, soli exponantur 30. diebus, postea destillentur primum lento, mox aucto igne, quoad candeant, destillatum liquorem serua, aliud vas recipiens adapta: destillatum primum liquorem vitro probe clauso repone, & post 10. dies, aliquid rubentis sedimenti fundum petet, limpidum liquorem facta inclinatione separa, & addita chamæleontis radice, iterum destilla, destillatum repone, & aucto igne ad alembici candescentiam effluet liquor rubeus, supernatāte eiusdem coloris oleo, à liquore separando. Sic tres habebis liquores, ♁ essentia imprægnatos, qui in suis vasis probe clausis, post 30. dies aliquid iterum sedimenti ponent; facta sensim per inclinationem separatione, oleo seorsim seruato, reliquos duos liquores primo ignis gradu & pari calore super cupellā, 30. dieb. in lapidem coagula granato similem. Hunc aceto destillato solue, solutum destilla per alembicum: effluentem liquorem 30. diebus vt supra in lapidem secūdo ignis gradu coagula rubentē, & speculi instar nitentem; qui vera est ♁ essentia, omnia naturæ arcana superans, omnes fistulas, cancros, lepras, maligna vlcera, oculorum maculas, caligines, hydropes, epilepsias, apoplexias, sanans; cumq; ☉ poculenta sumptus, vitam sanam, in multos annos propagans.

Thesaurus sanitatis.

In Magnesia Saturnina, quam plumbum sapientum vocant, latet,

tet, quicquid ſapientes quærunt, cum in Marchaſita Saturni omnia latitẽt ſecreta, vt merito omnes philoſophi non niſi parabolicè de ea ſcripſerint; quid item de ea ſentiat *Paracelſ.* abunde reliquit *lib 3. de vita longa. cap. 6.*

Recipe igitur huius mineræ in tenuiſſimum Alcool redactæ, affunde acet. deſtillat. & (colorũ more) ſupra marmor tere, diligẽterq; diſtempera, poſtea forti vitro indita, appoſitoq; cæco alembico, in tepente Balneo octidui ſpatio digere, quotidie ſpatula materiam mouendo; mox frigefactis omnib⁹ ſtent tamdiu, quoad materia omnis fundum petat, acetum vero flauo colore tinctũ leni inclinatione ſeparãdum, filtrandum, & ſeorſim ſeruandum. Mox fæcibus nouo affuſo aceto, digeſtioneq; octiduana reiterata toties opus repetendum, donec acetum amplius non tingatur, & fæces albicantes in fundo reſideant. Tincta, & filtrata aceta miſceantur, & per alembicum ad ſiccum deſtillentur, manente in fũdo alba materia, ſicca, interius tamen ſummam rubedinem habente; ex qua item materia, facili negotio aqua, ſeu ſpiritus ardens paratur. Exemptam diligẽter hanc albam materiam, cucurbitæ impone, & appoſito alembico, iuncturisque probe clauſis, ne deſtillando ſpiritus exhalent, è cineribus primum lento, mox aucto igne, per duos dies, noctesque deſtilla; effluet primo aqua alba, mox oleum rubeum ſummo ſtudio ſeruandum. Relictas extractæ tincturæ fæces ſuperiores, exiccatas, octo diebus calcina; mox ſuper marmor in pollinem actis, & vitro inditis, affunde acetum deſtillatum q. ſ. materiam rudiculâ diligenter mouendo: poſt octidui ſpatio Balneo indantur, quotidie ſæpius ſpatula mouendo; tandem omnibus refrigeratis & ſidente ad fundum materia, tinctum acetum ſenſim per inclinationem ſeparetur, mox nouo affuſo aceto, idem opus repetatur, quoad amplius nõ tingatur, tandem fæces, ceu caput mortuum proijciantur. Poſtmodum totum tinctum acetum commixtum, & filtratum, ad ſiccum deſtilletur, reſidebit in fundo ſal ♄ in quo omnis vis & energia abſcondita latet. Hic ſal forti ignis calore 24. horis calcinandus, pulueriſandus, & vitro denuo indendus, & affuſo acet. deſtill. in Balneo digerendus, idque tantiſper, & toties, donec nullas poſt ſe fæces relinquat. Separato demum per deſtillationem aceto, in fundo ſal puriſſimus & cryſtallinus hærebit. Tandem ad animæ & corporis, olei nimirum & ſalis coniunctionem veniendum; ergo cryſtallinum ſalem ſupra marmor in Alcool actum oleo proprio guttatim irrora, mox ampullæ indita, hermetice claude, tripodi Hermeticæ impone, & ad-

& adhibito debito ignis calore, 20. dierum spatio in lapidem coge, figeq;. Extrahe, & pro ponderis ratione, adde latonem calcis finissi: ☉, cui in vitro simul posito tantum albentis aquæ (superius ante rubeum oleum destillatæ) affunde, quantum tota ponderat materia; vas hermetice sigillatũ, Athanoris tripodi imponatur, lento igne foueatur, donec materia in limpidam aq. soluatur, & tamdiu circuletur, donec figatur; quod antequam fiet, multi, & diuersi colores apparebunt, tãdem in rubeum desinet oleum. Vltimo fluidum hoc oleum ouo philosophico inditum, & Athanoris tripodi impositum, 50. dierũ spatio igne fotum, tandem coagulatur in verum lapidem, infinities multiplicandum, grauissimos morbos persanantem, & vitam in longos annos protrahentem.

Vti ex Magnesia Saturnina, Antimonio, ita & ex Mercurio tũ simplici, tùm alijs permixto præclarissima tàm purgantia, quàm diaphoretica, & cõfortantia medicamenta prolectantur, nos è plurimis, secretiora quædam pro huius capitis coronide, in medium proferemus.

E Mercurio talia medicamẽta paraturus, ante omnia curet, vt verum, purum, syncerumq́ue & depuratum Mercurium nanciscatur, qualis est, qui prope Calatranam in Castiliæ regno; aut in Cinabari coagulatus, reperitur, vi ignis euocandus, vt in Istria, Comitatus Goritz pago, in Sclauonia: talis si præ manibus non sit, sed varijs impuritatibus scateat, purgandus erit primùm lixiuio è cinerib⁹ clauellatis & calce viua facto, mox ex aceto destillato & sale tamdiu lauando, & per coriũ traijciendo, quoad colorẽ cœlestem nactus sit.

Secreta Mercurij sublimatio, qua & omni veneno spoliatur, & saccaro dulcior redditur, tutò intra, & extra corpus sumendus.

Recipe Mercurij crudi dicto modo purgati lib. j. glaciei paradysi, vitriol. a. lib. j. ß. misce diligentur, & aceti destillati momẽto irrora. Postea è vase sublimatorio angusti orificij, luto armato, & alembico paruo adaptato sublima; sublimabitur capitello rubini instar adhærens, saccaro dulcior, relictis in fundo venenatis fæcibus. Hunc vitro include, & in ventre præliantis digere, quousque in oleum abeat, quo omnes fistulæ, cancri, lupi, & maligna vlcera curantur.

Aquila cœlestis, seu Mercurius dulcis, Laudanum metallicum, arcanũ corallinum corrosiuum croci multis partibus superans.

Arcanũ corallinum.

Recipe Mercurij prędicto modo depurati lib. j. Vitrioli Veneris rubificati, Aluminis roch, aã lib. ij. Misce & aceto destillato irrora acerrimo in mortario la-

pideo,& campistillo ligneo agitata, & probe incorpora, sic rectè mortificatus erit. Sublima vt moris est 6. vel 7. in fundo fit dulcis & rubea sublimatio, & quo altius eleuatur, eo vel flauior, vel albior euadit, vti & in ♁ videre est. Vltimo sublima bis, terue per se, per Vitriol. rab. calcinatum, & alumin. æquali pondere, vt decet. Habebis magnum secret. rubicundissimi coloris. Hac calcinatione fit fixus mercurius in furno philosophico, postea cum spiritu vini rectificato imbibendus 14. dierum spatio, deinde phlegma vel colando, vel destillando abstrahendum, lento ignis calore, & in fundo oleum residebit. Huic oleo adde 5. partem ☉ stent hoc modo aliquandiu cõiuncta, quoad soluatur ☉ in oleo, & rubentissimum euadet; postea coagula lento igne, & super porphyritem tere, mox humenti loco liquescat per se. Iterum ad solem coagula, idq; tribus aut quatuor vicibus. Sic habebis elyxir, & lapidem Hermetis, verum balsamũ odoris fragrantia & dulcore, omnia superantem; verum illud *Paracels.* Corallinum, quo mira pręstitisse dicitur.

Arcanum Mercurij.

E duabus Mercurij vncijs, & stãni sesquiuncia, fac amalgama, aceto ablue, exicca; huic spiritũ vini affunde, digere, postea vini spiritũ accende, vbi cõflagrauit, recentem affunde, iterum accẽsum combure, idq; toties repete, donec oleum ex mercurio appareat; vas autem amalgama continens, vel aureum sit, vel auro obductum, & in acri vini aceto, ad marginem vsq; stare debet. Dos. gran. j. vel .2. ad Luem podagram variolas, morbillos, scabiem &c.

Præcipitatus secretißimus corpus morbidum & grauißimos affectus sanans.

Recipe folior. ☉ obrizi ℥ß. soluatur in aqua Regis: vitri. ♁ in aq. reg. soluti ℥ß. & mercurij purgati in aq. forti etiam soluti ℥iij. ita vt tres istæ solutiones claræ & transparentes existant solutiones sensim coniunge, & aquas aliquoties à præcipitato abstrahe, semper aquam regiam recentem affundendo, donec mercurius in ignita ferri lamina non amplius fumet. Tandem spiritibus aq. regiæ probe ablatis, affunde spiritum vini rectificatum ad 3. vel 4. digitos, illumq; sexies à præcipitato igni forti destilla, donec fixus fiat præcipitatus. Tandẽ sub tegula fornicata ignita, calcinetur. Dos. 3. 4. 5. gran. In Hydrope, Colica, Ictere, Caduco, Lue, Febribus &c. dantur in infusionib. succi rosar. pallidarum aut cum syrup. ros. solut.

Non desunt, qui hodie corpora hoc modo purgare consueuerunt: Recip. Aquilæ cœlestis lib. j. Mercur. optime purgati libr. ß. Terunt super porphyritem duobus dieb. quoad optime incorporati

porati & in puluerem subtilissimum redacti fuerint: mox vasi vitrio imponunt, affundunt aq. cœlestem destillatam vt duos digitos supernatet, & spatula optime agitant, & post residentiam despumant,& aquam effundunt; tunc laborem sexties aut septies repetunt quouis die,semper nouam aquam sumendo, idq; quatuor diebus. Tandem effusa omni aqua, & materia optime exiccata,optimum vini spiritum affũdunt,sæpe agitant, & exactis 24. horis, spiritum vini effundunt, & materiam ad solem exiccant. Tandem additis sale & luna, cæterisq; bezoarticis medicamentis,tanquam rem preciosam vsui reponunt. Dos. gran. 3. ad 6. possunt etiam cæteris purgantibus misceri.

Purgãs catholicum Botonij. *Botonus* celebris olim Patauij professor tali vtebatur catholico catarctico: Magnesiæ Saturninæ mineram in alcool redactam, supra marmor cum oxymellite generoso miscebat, diu multumq; terendo (vt in coloribus præparandis fieri solet) his peractis in catino vitreo posita acetum affundebat,& loco calido reponebat integro mẽsis spatio: deinde leui calore euocato aceto,materiam pultis instar in fundo residẽtem valido vrgebat igne, & destillabat oleum saccaro dulcius. Dosis a.℈ß. ad ℈j. cum syrupis laxatiuis.

Puluis vitæ purgans infernè,in peste, hydrope,lue,& alijs,ex Libau.

Puluis vitæ. Hydrargiri oxalme purgati vnciæ,adde aq.fortis ex Halonitro, & calchanto quincuncem, coniecta in cucurbitam argilla munitam,destilla in cineribus ad tertium cohobiũ. Flauentem massam extractam cõtere, redde cucurbitæ,affunde olei vitriolati ℥. Digere 24. horis,oleum expiret, cum aq.fortis spiritibus, id quod aucto igne fiet. Quod lateribus accreuit,segrega. Massam è fundo extractam, in patina, vini spiritu perfunde, duorum digitorũ excessũ.Stent in loco calido horis 24.abiecto hoc spiritu nouum appone, idq; tertium, & cura, vt biduum sic vna morentur. Dosis à gran.5.ad 8.ex aqua rosar.

Mercurius etiam aliquoties a ☉ corpore meteorisatus tandẽ purissimus & crystallinus euadit, hunc reuiuifica, phialæ impone, affunde olei sulph. rectificati digere aliquot diebus in Baln.postmodum retortæ loricatæ impone & ex arena aucto gradatim igne destilla. Flauescentem in fũdo massam extrahe, tere,& toties aqua cœlesti destillata calida, edulcora, quoad insipida fiat, exicca, affunde spiritum vini rectificatum, digere, spiritum accende, affunde nouum; idem opus repete tertio, tandem vsui repone,habebis optimum præcipitatum. Dos. gran.2.3.4. cum extractis purgantibus.

VEL

Imple cucurbitam firmam silicibus parois integris probe lotis ad duos vel tres digitos, infūde Merc. crudum purificatum, impone arenæ, da ignem fixationis, paulatim adhærebit Mercur. silicibus coloris rubei, quem exemptum, vsui repone. Eodem modo etiam figitur pręcipitatus, quo Aquila cœlestis metheorisata, cum Merc. crudo. Hi enim duo si coniungantur, & debito calore foueantur, se mutuo & coagulant, mitescunt, & dulcorantur. At momento quasi præcipitãtur, si debita proportione cum ☉ essensificato misceantur. Blādissimum & tutissimum euadit pharmacum purgans, & infantibus & pregnantibus exhibendū, quod & acres, salsos, biliosos, & crudos, crassosq; omnes humores expurgat, si 5. vel 6. grana exhibeantur. Tale catharcticū Iulius Palmarius, magni illius Fernelij discipulus ex ☉ foliati cum hydragiri præparati mixtione, & longi temporis pręparatione cōflabat. Præcipitata autem *teste Quercet.* quæ vel cum Mercurijs metallicis, vel philosophicis, & auro in essentiam, seu magisterium, tincturam, liquorem, salem, aut sulphur redacto, fiunt, temporis momento perficiuntur.

Paratur quinetiam hodie candidissimus puluis, quem vitæ, vtinam non etiam mortis, mercurium vocant, & ad pestem, aliosque grauissimos morbos, pręsertim verò ad aluum præcipitandā exhibent ad 3. vel 4. 5. 6. 7. grana, pro personæ constitutione, & virium robore. Paratur autem ex duabus Aquilæ cœlestis metheorisatæ partibus, & vna reguli stellati Martis & Magnesiæ Saturninæ, singulis seorsim in alcool redactis, mox celeri manu permixtis, retortæ impositis, & per ignis gradus in butyrosam materiam destillatis, quæ frigidæ infusa, momento in candidum puluerem præcipitatur, debitis ablutionib⁹ edulcorandum: qui si cum sulphureo naturæ sale fixetur, in specificum, sine vomitu, purgatiuū abit.

Inter cętera nostrorum aduersariorū, extat *Hercules Thomæ Bouilli*, magni olim in Italia Empyrici, quem *Herculem*, omnium morborum domitorem vocabat: in eius præparatione vtebatur aq. forti, è sale anodyno purissimo & vitriolo ad rubedinem calcinato anaticis partibus simul tritis, & statim cucurbitæ seu retortæ armatæ inditis conflata. Ad singulas dictæ materiæ libras recipienti imponebat totidem ternas aq. fortis vncias, mox per ignis gradus destillabat aq. suam soluentem; destillatam nouæ retortæ impositam, ad singulas libras addebat ℥iij. salis tosti, mox clausis iuncturis, more superiori destillabat aquam soluentem.

Morborũ Hercules Thomæ Bouilli.

Huius aq. soluentis recip. ℥viij.

☉ puriss. foliat. ℥j. vitro indita, soluantur in calid. cinerib. ad suum tempus: Recipe eiusdem soluentis lib. j. mercurij purgatiss. ℥iiij. & itidem in vase vitreo, cinerũ calore soluantur. Has duas solutiones retortæ loricatæ impone, & adhibito recipiente, clausis firmi teriuncturis, destilla primo aqu. mox aucto igne etiam huius cõpositi partem, ☉ & Mercurio ad fundum præcipiratis, & aliqua parte, retorræ collũ petente. Restantem materiam puluerisa, nouæ retortæ impone, & affusa noua soluente aq. rimis probe clausis, iterum destilla, vt prius, post destillationem, aperto igne destillationem vrge 6. horis. Refrigerato & fracto vase, in fundo erit materiæ pars croci coloris, pars retortæ collo hærebit. Omnibus resumptis & nouo vitro inditis, tertio laborem repete, sic tandem pulcherrimum præcipitatum habebit, hunc puluerisa, & candenti laminæ impone, vt omnis volatilitas exhalet, mox aquis cordialibus edulcora, tandem affuso aliquoties, & accenso rectificato vini spiritu, vitreo vase repone. Dos. a gran. 2. ad 10. additis bezoarticis, & purgantium extractis. Recipe huius Herculis ℥j. saccari finiss. ℥viij. Indantur ampullæ vitreæ 6. mensibus, & habebis ℥viiij. Herculis eiusdem potentiæ & virtutis, ratione mercurij, omnia conuertibilia in suam naturam conuertentis.

Quam cautè & timidè metallicis medicamẽtis vtendũ.

Sunt hæc speciosa & iocunda tùm auditu, tùm lectu Hermeticorũ catharctica mineralia, nec dubitamus, quin admirandos in grauissimis & extremis morbis effectus edant, vti partim & vidimus, & vsu practico experti sumus. Verum cùm hoc loci non ægrum, sed sanum hominem tractemus, & modum, quo & sanissime, & diutissime viuere possit, edoceamus, candidum quemq; Lectorem, etiam atq; etiam rogatum volumus, vt quoad eius fieri poterit, ab hisce metallicis catharcticis abstinere velit; nam etsi debita & conueniens satis præparatio accedere videatur, vix tamen fieri potest, quin perniciosa quędam & venenata qualitas, quibus dicta metallica abundant, concinnantis & præparantis etiam ingeniosissimi chymici manum subterfugiat, sicq; intra corpus sumpta, si non subito, temporis tamen progressu suas exerat vires, & clam, furtimq; vitæ nostræ nectar deprædetur. Paucos enim hucusq; nouimus, qui hisce catharcticis familiariter vtentes, vel ad debitam & iustam senectam peruenerint, vel non cachecticam corporis constitutionem contraxerint. Ijs ergo relictis (nisi id morbi ratio exigat) blandis & iocundis etiam catharcticis, è vegetabilium familia petitis, riteq; præparatis vtamur. Habemus & alia nõ pauca eiusdem argumenti in nostris

Aduer-

Aduersarijs, fortè nondum vel visa, vel paucis duntaxat cognita quæ in candidi Lectoris gratiam huc adscribere possemus, suo tẽpore Hermeticæ nostræ pharmacopeæ inserenda, quæ tamen, cũ præsentis instituti non sint, lubẽtes, volentes silentio præterim⁹. Quod si candidus Lector vberiorem horum catharcticorum cognitionem desideret, illum ad *Paracelf. Quercet. Mayernium, Crollium, Penotum, Libauium, Andernacum, Rubeum*, & alios quam plures doctissimos viros, qui data opera hanc materiam quantumuis impari Minerua, pertractarunt remittimus. Nos instituto nostro inseruientes qua corporis & humorum, ante catharctici assumptionem, præparatione opus sit, & quid absoluta debita purgatione agendum, paucis iam aperiemus. Dabitur forte occasio vt inferius, peculiari ad id destinato capite, ostendamus, quęnam confortantia remedia, tam è vegetabilium, quam mineralium classe petenda ad vitam nostram in multos annos producendam, concinnari, & tutò adhiberi possint.

CAPVT XVI.

Quæ præparatio bonæ purgationi præmittenda; quo tempore, die & hora purgandum; quid sumpto pharmaco, quidue finita purgatione agendum

Qui purgandi, & non purgãdi sint.

MEdicus conuenienti tempore purgantia medicamenta exhibiturus sedulo inprimis animaduertet, sanos & adhuc crescentes omnino purgandos nõ esse, & infirmos, si adhuc crescant blandis duntaxat pharmacis euacuandos: sin non amplius crescant, tunc in pharmacis exhibitione diligenter ad naturã ætatem, tempus prospiciet, ad sexum, morbum ipsum, vires.

Sanorum enim Natura ita se habet vt sponte sua etiam vltro corruptionibus quam potest resistat, & Corporis superfluitates propria virtute expellat, vnde quo robustior fuerit, eo minus opus habet purgante pharmaco, cum ipsamet sit sui mediatrix.

Quod si in sanorum corpore aliqua sit superfluitas, ea vel pauca duntaxat erit, vel saltem non extremè mala, alioquin corpus morbosum redderet, ideoq; purgans pharmacum maiorem vim habere non conuenit, quam & à natura mox expellendum leuiter commouere possit.

Incõmoda à vehementibus pharmacis venientia.

Quod si sana corpor. magnis & electiue purgantibus vacuare volueris, multa incommoda volens nolens incurres, nec teipsũ frustra lædes; pharmacum euicta cachochymiæ inopia naturam ipsam hostiliter inuadet; superfluitates vltro iam vacuationi paratas pharmaci vehementia commixtas, & à longinquis partibus materias adduces. Ergo à medicamentis alimentosis ad lenientia, ab illis ad paulo maiora, vel

Quomodo purgandum gradatim.

auctâ

auctâ lenientium dosi ascendendum habitâ semper corporis ratione, quod si his non purgentur sanorum corpora, vlterioribus pharmacis attentanda non sunt.

Cùm itaq; aut Verno, aut Autumnali tempore (quæ inter cætera anni tempora purgationis ratione primatum tenent; vt enim æstate, sub cane scilicet & ante canem, corpora difficulter medicamenta ferunt; sic Hyemali tempore ob frigus, humores purgationi ineptos reddens, viasq; constringens, non nisi vrgente necessitate corpora purgamus. Cùm inquam Vere, Autumno, alioue conuenienti tempore purgatione opus fuerit, tūc diligenti & corporis & euacuandorum humorum factâ præparatione, quæ tam in libera viarum per quas purgans meare debet, expeditione, ventriculi robore, liberoque intestinorum & mesenterii transitu, quam in humorum crassorū, viscidorum ac lentorum incisione, attenuatione, ab detersione consistet, siue id iniectis, emollientibus clysteriis, aut præassumptis aloes rosatæ pillulis, aut grato aliquo apotemate (non enim hic magni facimus multiplices præparantiū syruporum propinationes, Italis quidem familiares, at Germanis valdè infensas, cùm ventriculū valde lædant) vel potius incidēte Oxymellite, aut quod summè placet, Hydromellite aliquo vinoso, incisorio attenuante, abstersorio, alteranteque & vias aperiente, atq; humores fluxiles reddente, pro peccantis scilicet humoris, & partis præparandæ, & aperiendæ natura fiat, idq; in modica quātitate pauca cochlearia adæquante relictis magnis & nauseabundis illis quorundā haustibus: Tunc tinctura aliqua vel Rhabar. Agaric. Turb. Esulæ, Mechoac. aut Helleb. aut horū syrupus aliquis (quib⁹ etiam Rosaceum & Violaceum adnumeramus) multiplici digestione, & puri ab impuro separatione, cītra mellis aut saccari, dulcorat⁹ & clarissimus rubini instar redditus exhibendus: Vel si ita morbi, aut præsentis, aut imminentis magnitudo, & vehementia exigat, metallicum aliquod purgās Hermeticè præparatum, propinetur, siue id essentia aut lilium, siue crocus metallorum, aut spiritus ☉ solutiuus, aut Mercurius essensificatus crystallinus fuerit &c, aut veterum Medicorū purgans aliquot longo vsu, & experientiâ, comprobatum, talia enim suo loco, & tempore, ac modo exhibita mirandos edunt effectus; cum magnis, extremis, arduis, & spiritualibus morbis, magna, extrema, ardua, & spiritualia remedia conueniant, vt & mediocribus mediocria, & cōmunibus communia.

In purgantium autem medicamentorum tam Veterū, quam

Spagyricorum exhibitione sedulo aduertendum, vt saluberrima sine offensione fiat medicatio, quod eueniet, si & ventriculi, qui medicamenti impetus sustinere debet, & medicamenti purgantis summa habeatur ratio. Omne enim validum medicamentum, est Naturæ inimicum; ideoq; non nisi diligentissimè præparatum & à sua malignitate spoliatum offerendum, nec quauis formâ: Liquida enim medicamenti forma ventriculi partes alluit, seseque altius in eius substantiam infert, grauiusq; ferit, vt altius penetrat omnia subit, potentiusq; deterget & expeditius infarctus liberat: Solida verò promptius citra noxam fundum petit, at diutius circum præcordia hærens tardior, minusq; efficax existit. Ventriculus aridus vel ab inedia, febre, aut solis ardore exhaustus, vi assumpti pharmaci lacessitur, illudque auidius in se recondit & exorbet, citra affatu dignam medicamenti operationem: Idem, si humidior fuerit assumpti medicamenti vim retundit: Ergo imbecillo & puro ventriculo blandum exhibendum pharmacum: Quod si à distantioribus partibus vacuãdum sit, ieiuno, aut prorsus non exinanito ventriculo exhibeatur vt citra eius offensã in remotiores partes penetrare possit. Quod si robustus & impurus sit ventriculus, tunc illi liquidior medicamenti forma confert, idq; longissimè à cibo vt altius ad primas sedes permeare possit. Quod si blanda, iocunda, & familiaria remedia sint, qualia adduximus superius, quæ duntaxat alui fæces emolliunt, & segniorem Naturæ operationem stimulãt tunc medicamenta illa nõ multum ante cibos, vel post, vel cum ipsis cibis sumi possunt. Quod si per morbi inducias, & præsentium humorũ quietem liceat, operæ pretium fuerit, etiam obseruatis lunę quadris, sinistrisq; siderum quadraturis magis idoneum expectare purgandi tempus, quod fit luna descendente potissimum.

In instituenda purgatione & ventriculi & purgantis habẽda ratio.

Sumpto autem medicamento faucibusq; vel vino vel grato aliquo liquore, detersis, quiescẽdum, vomitionis præcauendæ causa, quoad ventriculus medicamentum arctius amplectatur; etsi post aliquot interuallum inexpugnabilis dormiendi necessitas premat, vtile erit medicamẽto in dormire modo eodem in actum prorumpente, expellatur, quoad omnem compleuerit effectum, ne purgationis opus arctiore somno subsistat.

Quid sumpto pharmaco faciendum.

Cùm è vẽtriculo nullus medicamẽti nec odor, nec ructus, nec nausea, nec stomachi rosio adfuerit, tunc aliquid liquidioris alimenti, seu iusculi, aut sorbitiunculæ ad educendas, ventriculi & humorum reliquias offerri potest, non tamen insulsa, vt fere fit, sed moderatè salita, sic enim non

ventriculum modo & intestina eluet, sed & salis vi ad ipsas remedij reliquias abstergendas cōuenientissimum reddetur; cùm salis proprietates sint, detergere, abluere, purgare, obstructiones expedire putrefactiones ac corruptiones arcere, vnde moderatum salis vsum, in vitæ conseruationem omnes Medici semper vtilissimum censuerunt.

Salis proprietates.

Expletâ purgatione, si aliqua sitis oboriatur, quod est certum ritè peractæ purgationis argumētum, optimis iusculis, acetosa borragine, soncho, cichorio &c, alteratis paulatim sedanda, non autem vel vino, vel aquæ, potu; ne scilicet illo jecur sitibundum & a purgatione æstuans, incandescat, ventriculus autem aquæ potu plus satis debilitetur, intestina lędantur, & magna tormina excitentur. Quod si vel medicamenti, vel humoris reliquiæ superstites fuerint, nec aliqua spes sit, eas exclusas iri, præstabit lauatiuo & emolliente aliquo clysmate reliquias euocare, ne in intestinis, aut visceribus plus satis hærentes noui morbi occasionem præbeant. Præstabit quin etiam finita purgatione ventriculi roborandi gratia sumere conseruā recentem vel Rosarum, vel Violarum vel citri conditi, aut cordices citri conditos.

Quid finita purgatione agendū.

CAPVT XVII.

De Vomitu, & Vomitoriorum vsu, quid, quantumq; ad vitam prolongandam, morbosque præcauendos faciant.

AD vniuersales corporis euacuationes, etiam vomitus spectat, qui est impetu ventriculi sursum facta reiectio. Hæc vacuandi ratio antiquitus vsitatissima erat, vt videre est apud *Hippo.* qui frequentissimè eadem vtebatur, cùm sit summè necessaria, non solum ad conseruandā bonam valetudinem, sed etiam ad arcendos, & curandos omnis generis grauissimos morbos. Olim Veteres, vt à morbis præseruarentur, singulis septimanis, vel singulis saltem mensibus vomitorio vtebantur.

Quid vomitus & eius vtilitates

Magna tamen circumspectione opus est, non enim æque omnes hoc medicamēti genere tuto vtuntur: qui enim pressum & angustum pectus habent, gracilem & oblongam ceruicem non tuto vomitu expurgantur: sic & Asthmatici & tabidi quique præcordiorum vel dolore, vel inflāmatione laborant, difficulter laboriosas ferunt vomitiones; vt & ij, qui ventriculi imbecillitate vexantur, & quorum ventriculi os exquisitissimo sensu præditū est, quiq; oculorum doloribus obnoxij sunt. Quod si quis facile ferat vomitiones ei & saluberrima & purgationum omnium præstantissima fuerit; Noxios enim humores

cautio in vomitu habēda.

Qui vomitu purgandi non sint.

Quibus affectib. vomitus opituletur.

humores euacuat synceros, & omnem in ventriculi capacitate contentam humorum illuuiem, & præcordiorum membranis, è iecoris cauis, & lienis anfractib. breuem & facilem viam elidit, vnde & omnibus affectibus opitulatur, qui à præcordiorum impuritate ortum traxerint, vt sunt inapetentia, nausea, cibi fastidium, crebra vomitio, seyalismus, ventriculi, præcordiorumq; distentio, icterus, cachexia, febres intermittẽtes, hemicraniæ, vertigines, epilepsiæ, & suffusiones, &c.

Vomitioni debita præparatio præmittenda.

Vt autem facilior succedat vomitio, aliqua prius præparatione vtendum, antequam vomitorium exhibeatur: si ergo adsint humores viscidi, crassi, & lẽti erunt incidendi, attenuandi, & abstergendi, viæ ipsæ molliendæ, & laxandæ. Vt synceri humores euomantur, ieiuno stomacho exhibendum vomitorium, cùm ieiunos fere vomendi desiderium premat.

Vomitorum differẽtiæ.

Vt verò læuior reddatur, poterit aliquid leuioris cibi pharmaco præmitti: agitandum etiã est corpus motu & exercitio. Si violentior vomitus nimium fatiget, vires deiiciat, æstum, vertiginem, angustiam, suffocationem, aut quid simile minitetur, aut sanguinem, bonosq; succos deiiciat, quies ægro imperanda, ventriculus fomentis fouendus idoneis, vt spongia tepente aceto immersa, expressa, & admota.

Vtimur autem primum benignis vomitoriis, vt aquâ tepente & oleo, ac oxymellite in copia exhibitis; vel mediocribus, & expultricem ventriculi quoquo modo irritantibus, vt decocto radicum & semin. raphani, artiplu. erucæ, nasturcii, addito oxymellite squillitico, cum puluere radic. Asari, tunc scilicet cùm noxii humores ventriculi parietibus adhærent, vel cùm ventriculus nimium est repletus.

Vehementioribus vomitoriis vsi sunt Veteres, vt albo Helleboro & nigro, quo etiamnũ multi vtuntur, & præsertim Itali, in affectu Melancholico, vomitorium ex Hellebori albi puluere parantes, è cuius ℈ii. cum oui vitello & olei modico, frictalaum parant, & ægroto exhibent; largissimas vomitiones ciet, citra affatu dignam ventriculi quassationem. At Hermetici nostris temporibus multo fæliciora inuenerunt vomitoria, tum ex vegetabilibus, vt videre est apud *Conradinum* expertissimum Medicum, qui *lib. suo de lue Vngarica* excellentissimum describit vomitorium. Quod sic habet, Ad *Balthsar. Conradini* imitationem, Arcano vomitorio ad malignas & pestiferas febres edomandas, venenaq; expellenda, fælici successu vtimur; E radicibus Asari Cyclaminis, Bryoniæ a. ℥iii. radicib, Helleb. alb. ℥vi. in alcool

Vomitoriũ excellentissimũ.

actis

actis, menstruo vegetabili tartarisato, tincturam elicimus, tinctum spiritum fæcibus ritè contusis affundimus, in balneo digerimus, tandem tribus cohobiis, spiritum vomitiuum prolectamus: huius sumuntur 2. vel 3. gut. in iusculo tepente, vel vini, aut cereuisiæ haustu, illico vomitum cient. Idem faciunt grana 2. gillę vitriolatæ, cum vini haustu, Post vomitum, sumendũ aliquid succi citri. vel syrup. cyton. Tum ex mineralib⁹ & metallicis ritè paratis, vt est liquor circulatus, vitrioli christallizati Martis seu Veneris; Gylla; Sal vitrioli vomitiuum; & crocus metallorum, quę paucis granis exhibita iocũdum & facilem mouent vomitũ; vt nunc stibiata, cœlestem Aquilam, Aurum Vitę &c, silentio inuoluamus.

CAPVT XIIX.

De Clysteribus, seu Ani profusionibus, maximè & vitæ, & sanitatis commodo adhibendis.

CVm multi hominum repeeriantur, qui quãtumuis vrgente morbo, nec vomitus, operationes paulo ante allatas, perferre, nec purgationes quãtumuis blandas, & iocundas admittere, imo nec ipsum purgationis nomen citra manifestum naturę horrorem audire possint, aliud euacuationis genus per clysteres factum excogitarunt Medici solertes naturæ imitatores. Hi enim cùm viderent, hominem à diuersis animalibus, diuersas didicisse artes, vt à cuniculis subterraneos specus perrimantibus Fossoriam; à mure alpino frumẽta plaustris vehente, Vectoriam; à Formicis, Gruib⁹ & consiliorũ, conuentuum, & Rerumpub. institutionem; ab Hirundinibus, Architectoriam; à bobus, Calceatoriam; à vulpecula, Piscatoriam &c. Sic ipsi quoq; nõ exiguam medendi partem, ab animalibus, ceu primis Naturę fontibus hauserũt vt à serpente, qui vulnere accepto sibi ipsi est AEsculapius, nõ paucas plantas vulneribus solidandis per idoneas acceperunt, serpentoriam scilicet bistortam, consolidam, chelidonium, fæniculum; ab apibus admirabili planè artificio mel coquentibus, & Magyricam, & Spagyricam: Sic phlebotomiæ inuentum, Hippopotamo seu Equo marino debetur, vt superius cap. de venæsectione abunde ostendimus.

V S. cui debeatur.

Pari ratione nobile clysterũ inuentum Ibidi, aui AEgyptiacæ ciconiæ simillimæ debetur: Est enim prudens auis, lunæque tum incrementum, tum decrementum nouit, cuius intestinum vt scribit *AElianus libr. 10. capit. 30. cum 96.* cubitorum lõgitudinem adæquet, a suusq; lunæ defectu, plus satis comprimatur, rostri aqua marina impleti aduncitate, eam partem, qua excrementa

Ibis auis clysterũ inuẽtor.

excrementa excluduntur, quasi infuso clystere irrigat, & inde aluus atq; intestina humectata, citra difficultatem collectorũ excrementorum saburram deponunt; inde apud AEgyptios adeo frequens erat clysterum vsus, vt singulis mensibus triduo purgarent, intestina clysteribus diluendo sanitatis conseruandæ gratia, existimantes omnes languores, ex ciborum superfluitate oboriri eorum item vsus, tum apud Græcos, tum Arabas, tam in alui obstructionibus, quàm intestinorũ exulcerationibus, & calculi cruciatibus, alijsq; grauissimis morbis, frequentissimus fuit, vnicum nõ raro subsidium ad quod ceu ad sacram anchoram confugerent, non tamen ad cimas hepatis partes ac renes obstructos expurgandos, sed & ad aures ex suppuratione vermibus scatentes, ad vteros eluendos, & ad vires reparandas magnopere prodesse agnouerunt. Ad quorum imitationem saluberrimo hoc præsidio, magna fęlicitate, magno ægrotantiũ solatio, & magnâ medicinæ laude in hodiernum vsq; diem vtuntur Medici.

Ægyptij singulis mensib. 3. clysteribus vtebãtur

Ad quos affectus Græci & Arabes clysteribus vtebantur.

Variæ autem sunt clysterum differentiæ, varijs corporis affectibus conuenientes, licet propriè crassorum intestinorum vitijs & vlceribus inflammationibus, ariditati, obstructioni, alui profluuijs &c, succurrant, cum integris viribus eò pertingant, quod nulli alteri è poto medicamento adscribi potest, eò quod longioris viæ prolapsu ignauius & hebetius reddatur. Quot igitur fuerint intestinorum vitia, tot erunt etiam clysterum differentiæ; Alij enim Anodyni dolores leniunt; alij acres humores consopiunt; alij fœcum siccitatẽ & ventrem nimis siccum, & retorridum, humectant, emolliunt & sopitam expultricem irritant; alij intestinorũ vlcera detergent & siccant; alii fluxiones cohibẽt, aut euocãt; alij flatus discutiunt, & carminatiui vocantur; alij emolliunt, & expurgant, simul nõ solum flatus, fæces, cibique reliquias, in primis vijs contentas, sed etiam eliciunt, reuelluntque omnis generis prauos, mucilaginosos, & tartareos humores, & cruditatum prouentum, tam è cerebro in ventriculum & intestina procurrentes, quam in ipsis anfractuosis intestinorum, tum tenuium, tum crassiorum, Coli, cæci, & recti cellulis inhærescentes, vel in toto mesenterio, & circa hepatis sinum stabulantes nõ solum mesenterium infarcientes, caput, sensusq; corporis deprauantes, sed & obstructiones, variosq; morbos procreantes.

clysterũ differẽtiæ. Quibus affectib. clysteres propriè conueniant.

Ad hos itaq; humores, & cruditares pertingens iniectus clyster incidit, attenuat, deterget, secumq; foras elidit, imo sæpe plura, maioriq; tum facilitate, tùm vtilitate, quã vllo assumpto pharmaco

clysteris iniecti operationes.

maco, fieri potuerit? Addimus quod inferiores partes expurgãs sæpe etiam superiores corporis partes ab humorum peccantium naturæ quadam consecutione, & partium consensu exoneret.

Quibus affectib. clysteres inseruiant.

Hinc facile colligi potest, quibus affectibus, & quanto successu applicari possint, scilicet Cephalalgijs, Cephalæis, Hemicranijs, Scotomijs, Apoplexijs, Epilepsijs, Lethargo, Phrenesi, Comati, Cataphoræ, omnibus internis inflammationib⁹, Peripneumoniæ, Pleuritidi, Asthmati; cũ pressa præcordia liberent, meliusq; spirare faciant. Intestinorũ item Lienis, Iecoris, & Renum inflammationibus, Nephritidi, Lumbricorũ generationi; Item maximis doloribus, præsertim colicæ tam flatulentæ, quam ab acribus & rodentibus humoribus excitatæ, dysenterijs, diarrhæis, lienterijs medentur, vt nunc & vesicæ & vteri affectus silentio inuoluamus, ad quorum curationes, variæ & specificæ infusiones vsurpantur.

Tanta sanè est Clysterum rectè paratorum, & debito modo infusorum vtilitas, vt sæpe mirari, ne dixerim dolere, contingat, quorundam ægrotantium & præsertim Germanorum vices, qui rustico quodam pudore tantopere hoc medicamenti gen⁹ horreant, cùm tamen omnia remedia, & iocunditate & facilitate, atq; securitate superet; Quid enim domestico, emollienteue clystere in aridis, & induratis alui fæcibus emolliendis facilius, quid securius? Quid eodem in re torrida, exucca, & sæpe hectica intestinorum siccitate humectanda, irriganda, & renutrienda vtilius? Quid ad internos tum iecoris, tum lienis, renum, intestinorum, aliarumq; partium ignes humidum substantificum depopulantes, refractariam alui stipticitatem excitantes, rebellemque excrementorum ariditatem fouentes, sopiendos, contemperãdos, demulcendos, mitigandosque suauius? Quid iocundius, quid deniq; promptius? Quodnam deiectorij pharmaci æque citra vllam corporis noxam admitti potest, atq; prædicti clysteres? Parantur enim vel solo optimo vel pingui carnium, caponum, capitis vitulini, atq; veruecis iusculo, vel eodem alterato incoctis scilicet violis radic. & fol. maluæ, altheæ, beta, mercurial. branch. vrsin. addito oleo, butyroue, saccaro rubeo, aut melle, & salis modico. Quod si ob præsentis humoris vel acredinẽ, salsedinem, aut mordicationem, anodynus reddendus sit, adduntur semina lini, fænugr. psylli, citonior. alth. flor. camomil. melilot. sambuc. &c. ipsis decoctis injiciendis: vel si interna aliqua subsit inflammatio adduntur lac, semin. frigidor. emulsiones; aliquando solum oleum violat. &c.

Ex quibus parentur clysteres

quan-

quandoque oleum nucum, cum vino generoso, ad refractarias colicas edomandas, quæ omnia tantum abest, vt corpus lædant, vt etiam summopere conducãt: Quo fit, vt & in Italia, & Hispania Galliis, nonnullisque aliis Germaniæ locis, eiusmodi clysteres & purgationis, & venæsectionis sint exordium, eò quod deiectionibus pharmaco parandis viã sternant. Quod si grauior aliquis incidat morbus, instituendaque sit peccantis humoris euacuatio tunc pro præsentis morbi, & humoris natura, ea clysteribus admiscentur, quæ prudenti medico è re esse videbuntur. Et sanè hi clysteres, licet acriores, & pro rei præsentis necessitate vegetiores sint, nullam tamẽ ægro nec nauseam faciunt, nec ventriculum subuertunt, interim tamen affectus sæpe grauissimos è medio tollunt: v.g. ad sedandos calamitosæ colicæ, flatuosæ, & frigidæ cruciatus, fiunt clysteres è vino cretico, oleo nucum vt iam diximus, Iuniper. Rutaceo, Castor. Euphorb. (si extremi fuerint dolores) Electuar. de baccis Lauri, Diaphænic. Benedic. laxat. Diacoloquint. Ol. Hederæ terrest. clystere iniectum, est mirabile. Magnatibus hoc morbo laborãtibus iniicitur clyster paratus ex oleo amygd. tum dulci, tum amaro, cui grana iuniperi incoxerint, additis oleis destillatis, Anisi, fænicul. Citri, castor. &c. Hodie quidam ad crocum metallorum clysteribus indendum ascendunt, tam ad demulcendos, & leniendos dolores, quam ad flatus discutiendos; tartareos, mucilaginosos, ac arenosos, humores euerruncãdos, vermesq; miraculosè necandos, & turmatim educendos &c.

Quæ cùm ita sint, quã ob causam nonnulli, & præsertim Germani, clysterum vsum tantopere auersentur, nõ videmus, cum vtilitatis plurimum, noxæ autem vel omnino nihil, si ritè applicentur, vel parum admodum adferant. Nam, vt iam dictum, flatus, fæcesq; imprimis excludunt, maximos dolores sopiunt, internas inflammationes extingunt, intestinorum ariditatem irrigant, aluumq; lubricitant; In alimenti etiam penuria, non rarenter & ventriculum, & mesenterii venas subeunt, sicq; alimenti loco nutriunt; conuenienter enim iniecti, si cibi vel parsimonia, vel inedia adfuerit, à natura absorbentur, & in partis alendę nutrimentum cedunt. Nullum etiam inde damnum expectãdum, modo tepentes & sensim iniiciantur, non quidem vesicis, vt ferè fit, sed syringis, vel argẽteis, vel stanneis, aut æneis, ad id affabre factis, quarum ope ne minimum quidem flatulenti spiritus, aut auræ intromitti potest, præsertim si ægro anti, in dextrum latus decumbenti, iniiciatur, sic enim

Clysteres nutrientes.

enim & celerius ſubit, & ſurſum excurrẽs, facilius inteſtina proluit: Ad alui ſubductionem, vẽtriculo ieiuno indendus clyſter, quo minus vel ſubuertat, vel cõturbet cibos; ſi verò ad medicationem ventriculo etiam cibis conferto admittitur, diuq; continendus, quo potentius ſuas exerere vires poſſit; eò tamen diutius ſubſiſtẽte, poteſt vel cibum aſſumere, vel ei parumper indormire, ſic enim cum maiori prolectorum humorum fænore red detur.

Cur ergo clyſterum vſum tãtopere extimeſcunt, & horrent Germani? An pudore permoti id faciunt? At cur pudorem, qui tamen nullus dici debet, tantis morbis, tantiſq; cruciatibus, & doloribus præferunt? Timore id fieri multi perhibent, cùm multi iniecto clyſtere verba faciente, adſtantes ſtatim de funere parãdo cogitarint. Qui tamen caſus, nullo modo iniectis clyſteribus ſed peſſimæ hominum cõſuetudini eſt adſcribendus, qui nunquam vel medicum, vel medicã operam expoſcunt, quin iam cõclamatum, & de ægro actum eſſe videatur; vbi non iniectus clyſter, ſed virium lapſus, & natura ad extremum laborans, ægrum ſuſtuliſſe certum eſt. Et licet aliarum nationum reſpectu, Germani rarenter clyſteres admittant, tum quod natura ſint humidiores, aluumq; minus ſiccam habeant, tum quod copioſiore alimento vtantur, quod ſui & copia, & pondere aluum præcipitet, tamen, cùm non raro contraria occurrat occaſio, & quorundam naturę ſicciores, clyſterum vſum adhortentur, non niſi etiam magna diſuadente ratione, ab eorum vſu eſt diſcedendum. Addimus quod & glandes & ſuppoſitoria, quibus multi clyſterum loco vti malunt, ſæpe numero non ſolum clyſteribus ægrius applicentur, maiorive doloris ſenſu indantur, ſed & ignauiora ſint, cùm nil eorum aut eluant, aut educant, quæ vel inteſtina, vel partes inteſtinis ſuperiores afficiunt; ſed aluũ duntaxat ſua acrimonia podicẽ ſtimulantes, irritent, quorũ crebriorum vſu hæmorrhoides aperiuntur, inflammãtur, quæ vlcere tandem contracto ægrum intollerabili cruciatu diuexant.

Glandium & Suppoſitoriorum cõparatio.

CAPVT XIX

De admiranda Auri ceterorumq; metallorum, natura, proprietate, facultatibus, & quid commodi hominibus, tam in vſu politico, & ciuili, quam in medico ad vitam, ſanitatemq; producendam, morboſq; profligandos conferant; vbi & de auri poculenti veritate, & mirandis eiuſdem effectibus.

HVCuſq; ſuccincto quidem lucido & perſpicuo orationis filo, ea in medium produxiſſe videmur, quæ ad abſolutam & perfectam humorum peccantiũ, vitę progreſſum impedientium, ſanitatem deſtruentium, & vari-

orum morborum sobolem procreantium euacuationem, tàm venæsectione, scarificatione, fõticulis, cæterisq; chyrurgicis præsidijs, quam purgationibus, vomitorijs, clysteribus, & sudorificis procurandam, facere videbãtur; reliquum est, antequam huic operi coronidem imponamus, vt paucissimis, & quasi per transennam, ea medicamenta è metallorum officina deprompta in medium adducamus, quorum legitima & præparatione, & vsu, omnes corporis, partiumq; vires roborare, vitæ nostræ balsamum, & radicale sulphur ad præfinitum vsq; vitæ terminum citra morbi alicuius impedimentum, integrum, sanum, sartum, tectumque conseruare valeamus.

Auri natura & temperamentum.

Qui mineralium, Metallorũq; naturas, vires, & proprietates, altiori mentis indagatione inuestigarunt, Aurum dixerunt, è purissima, perfectissimaq; Mercurij, & fixissimi sulphuris natura, seu ex aqua & igne cœlestibus ac purissimis productum constitisse; exactissimam omnium in compositionem venientium rerum ideã, & non contemnendum æternitatis, & perfectionis vestigium exhibens, vtpote cuius influxu, terreni solis adinstar, in omnia suas explicet vires, & artis ingenio in liquorem diffluens, animã siue lucem, viuificumq; suum spiritum, nullo auro conferendum, summum mortalibus bonũ, thesaurumque incomparabilem, ad vitæ humanæ prorogationem & incolumitatem. Cui enim humanæ fabricæ incommoda aptius componi possunt, siue animi noxam, siue corporis ægritudinẽ spectes, quam tenebris? Cui sanitas confertur magis (siue mẽtis puritatem, siue corporis eiusdem constitutionem cõsideres) quam lucis huius solaris splendori? Igni quoq; splendenti nihil auro similius, amicabilius nihil, præsertim omni veneno, morbisque propellendis; viribus corporis humani restaurandis, retinendisq; maxime idoneum, aurum item vsque adeo in igne micat, splendet, rutilatq; vt iubaris solaris instar, visum inspicientibus adimere videatur, & quo diutius perstiterit, eo & præstantius, & radiantius euadit: Ideo Gallis Or dicitur, quod Hebræis est lumen, quasi totũ ex luce corporea constet. Et vt ignis lignorum materiam velut escam consumit; sic spiritualis ex auro parata medicina omnes ferè auffert morbos, cosque extemplo exolescere facit. Et licet ignis ab omni corporea re substantiam detrahat, solum tamen aurum intactũ relinquit: ideo corpora nostra ab omni corruptela tutius seruari non possũt, quam Alexipharmaco solari, in quo est naturæ cœlestis lux: & in luce calor, viresq; vitæ efficacissimæ obseruantur. Et vt ignis & aqua in rebus gignendis, asseruandisque

Aurum igni simillimum.

Spiritualis auri vires.

Aurum ex igne & aqua cõsistere.

disque perpetuitati inseruiunt, suosq; perennes fontes, Solem, & Lunam habent: sic aurum, ex ijsdem constans, cùm incorruptibile sit, quandam secum incorruptionē adducit. Vnde non immerito veteres philosophi, naturæ scrinia arctissimè cōclusa reserantes, vniuersali suæ medicinæ ex auro concinnatæ, humano corpori perpetuam sanitatem, iuuentutis recuperationem, & omnium pene ęgritudinum profligationem promisisse comperiuntur. Constat enim aurum preciosissimum hoc mundi donariū & Mercurio, & Sulphure omni ex parte rubeo coagulato, seu aqua & igne pene cœlestis naturæ purissimo & fixo, in quod natura summum suæ perfectionis apicē posuisse videtur, igne fluxibile, & in omnem dimensionem extensile, cineritium, & cemētationes citra noxam constantissimè sustinens, in interiora terræ viscera & montium abyssos profundissimè demersum; non ideo, quod natura mortalibus tantum thesaurum inuideat, sed vt maiore tùm labore, tum cura erutum, atque spagyrico ingenio, exteriore suo cortice spoliatum, purissimā, sincerissimam, & maxime defæcatam eius substantiam habere possimus, quæ in optimum & prę sentaneum remedium vnicuiq; hominum absq; noxa & tædio futura sit, nec enim propter externum duntaxat vsum, sed etiā propter internas essensificas energias ab Astris, Sole, & Conditore Gehoua inditas, in abstrusis naturæ visceribus procreatū credimus, vt mox patebit.

Vniuersalis medicinæ ex auro paratæ vires.

E quo Mercurio & Sulphure aurū à natura cōstet.

Alexander Magnus pretiosissimi Darij scrinium, rei pretiosissimæ Iliadi Homericæ conseruādæ deputauit, ex continentis precio rei contentę, & precium, & raritatem indicaturus: Sic natura ab externa auri facie, pulchritudine, splendore, & corporis soliditate, interioris essentiæ, seu formæ, aut nuclei, externo cortici inclusi, virtutem, dignitatem, & præstantiam ob oculos ponere voluit, magnos principes imitata, qui vxores, & charas filias munitissimis in castellis seruare, & alexipharmaca & bezoartica medicamenta aureis vasculis & pyxidibus reponere consueuerunt. Nec enim propter externas duntaxat qualitates, sed propter internas virtutes aurum cæteris rebus præferendum: Ideo *Socrates* adolescentem facie formosum, at elinguē & immorigerū videns: *Ecce*, inquit, *plumbeum gladium, in aurea vagina:* Sic sapientissimus Rex Alphonsus, Reges ornatu & fastu graues, doctrinâ verò vacuos, coronatos asinos, aureo vellere arietes, & purpuratas simias vocabat. Sic aurum quoad externam faciem malorum irritamētum, terræ pondus, dulce venenū & vt Alexander Persicas puellas, sic nos aurum, oculorum dolores

Alphōsi regis dicterium

res nuncuparè possemus, nisi ad alias & longe maiores vires, sub cortice latitantes, mentis aciem intenderemus, quod à cõditore Deo, tanquam immensarum virium scrinium, à natura tamen clausum accepimus, vt in eo reserando, & studium & operam locaremus.

Externus auri vsus.

Ab auro profecto (vt de externo vsu aliquid dicamus) omniũ rerũ precium, & æstimatio dependet, quod in medio seu cẽtro ponitur, circa quod omnes laborãt, Reges, Principes, Nobiles, Ignobiles, Ciues, Rustici, Opifices, Litterati, Illiterati, & quotquot pene in mũdo degunt homines. An non multi operantur, studẽt, loquuntur, silent, pro auro obtinendo? An non tot bella, tot expeditiones, tot nauigationes, tot mercaturæ, tot inuentiones pro vno auro instituuntur? Aurum cæteris rebus ceu Sol terrenus facem, honorem, durabilitatem, & virtutem præripit; Nam in coronis, & sceptris gestatur; in poculis & patinis vsurpatur, in catenis, torquibus, vestibus & annulis visitur; duratione, cùm cæteræ res breui temporis decursu in Elementorum chaos redeant, hoc autem quam longissime perduret, & quasi perennet: virtute, cũ omnes tùm veteres, tùm recentiores medici maximas auro virtutes tribuerint; vt merito visu pulcherrimum, dilatatu tenuissimum, tactu ponderosissimum, & vsu saluberrimum, aurum indicetur; cuius item incorruptibilitatem, & contra omnium elementorum actionem, durationem, qua penè ad æternitatem accedit (igne enim liquatur, at nõ destruitur, aqua roditur, at non cõsumitur, oceano absorbetur, at postmodum reiectatur, hoc vnũ omnium omnes ridet conatus & impetus) & corruptibilium norma, terrestrium thesaurus, & elementorum compendium censetur, silentio inuoluamus.

Aurum omnium rerum obiectũ.

Aurum æternitatis ideam repræsentat.

Medicus & internus auri vsus.

Iam verò quoad internum, seu medicum auri vsum, cùm veteres Medici *Hippoc. Galen. Oribas. Aet. Mesue Rasis, Myrepsius*, & alij quamplures, auri castrum triplici muro circumuallatum, I. Mirabili nimirum ac subtili 4. proportionatorum elementorum mixtione, & mutuo per minimos atomos complexu, & duplicis tamẽ Mercurialis fixæ, ac volatilis substantiæ colligatione: II. Tùm debita duplicis iam dictæ substantiæ mercurialis fixæ, & volatilis, rubeæ & albæ maturæ & immaturæ cõpositione; indiuisam, & quasi perpetuam auri essẽntiam constituente, demum quatuor qualitatum suis substantijs inter se permixtis adhærentium æquatione, exactam temperiem exprimente: & hac ratione ab omni elementorum hostili inuasione tutissimum, & insuperabile; cùm inquam hoc auri castrum expugnare non potuerint, eo quod

Auri castrum triplici muro à nat. ra vallatũ.

veram

veram clauem à Domino castri non acceperint, nec in oratorio & laboratorio insudarint, relictâ interiori auri anatomiâ, vero illo naturæ nucleo, externo contenti cortice, è crudi auri folijs, ramentis, bracteolis, extinctionib⁹ & pulusculis suas antidotos, electuaria, aliasque compositiones aureas vocatas concinnarunt, quales sunt aurea Alexandrina: Lætificans Gal. Antidotus de lapid. lazuli. confectio Alchermes: Elect. de Gemmis: varij item tùm pulueres, tùm rotulæ bezoarticæ.

Medicamēta Paracelsi ad multos graues morbos.

Tale est sequens medicamentum ad cerebri, & splenis affectus & ad hepaticos fluxus. *Paracel.*

Recipe Argenti laminat. ℥j. sulph. purgati ℥iiij. resinæ pini. ℥ij. reduc in bolum, accende. reduc ad præparationem fontis. Dosis ℈j. ad ℈ß.

Puluis ad vertiginē.

Puluis ad vertiginem.

Recipe cinabaris natiuæ ʒß. Magister. corall. perl. a. ℈ij. sterc. pauor. p̄p. ℥j. croci orient. ℈j. folior. auri N. 6. reduc. ad alcool supra marmor. dos. gr. 10.

Puluis ad Epilepsiam mirabilis.

Alius ad Epilepsiam miraculosus.

Recipe Oppopanac. castor. sang. dracon. stibij præp. Cranej. microcos calcinati vngulæ Alcis, c.c. calcinat. Hyp. lap. ætit. masculi & rubei coloris a ʒß. salu. syluest. tormentill. a. ʒj. semin & radic. pæon. sem. rutæ, betonic. rub. a. ʒß. margarid. & smaragd p̄p. a. ℈j. succini albiss. ʒj. stercor. ciconiæ, anser syluestr. a. ʒij. visci querc. corall. rub. p̄p. calcith. p̄p. a. ʒß. spinæ dorsi. serpent. calcinat. ʒij. folior. auri. N. 8. f. omnium pulu. Dos. ʒß.

Hermeticis datū auri castra aperire.

Hermetici verò & quibus auri castrum triplici commemorato vallo circumdatū philosophica claue aperire, & interiores auri aditus reserare datum est, aperta auri compage quantumuis solidissima, effractoq; cortice, interiorem eius nucleum, latentesque vires lōgè maximas, vitæ fontem cor nimirum & mire confortantes, & multos grauissimos morbos persanantes, in apertum dedere, & vulcani beneficio cognouere, in naturali auro vires medicas longè excellentissimas, & longè maiores, quam in vegetabilium auro latitare. Est enim aurum naturale solis filius, & verus ille AEso, qui vellus aureum Iasoni, seu Medico Spagyro in Martis loco exposuit; vnde nec mirū si filius, plurimum de tanti patris natura obtinuerit, & innatum patris calorem, colorem, puritatem lucem, indigenasq; virtutes suis in visceribus absconderit, quib⁹ vnice cordis vires roborat, recreatq;, à quo vt à magnete ferrum, attrahi existimatur. Nam etsi aurum quamdiu in sua corpulentia permanet, ponderosum, crassumq; & frigidum sit, exiguasq; cordi vires subministrare videatur; at citra corrosiua spirituale redditum, & in sua arcana redactum, miras & efficaces in corde roborando, viribusq; recreandis, virtutes ostendit. Auri autem arcana Spagyrico ingenio inuenta, sunt vitriolum, seu sal auri.

Aurum solis filius.

Quæ arcana ex auro arte spagyrica eruantur.

auri: sulphur, & Mercurius Solis, & ex his postea paratur arcanum auri vitriolatum, Crocus Solis, Magisterium Solis, liquor, quinta essentia, Tinctura, Elyxir, & balsamus Solis, vt & aurum poculẽtum, quæ quidem remedia partim peccantes humores, excitata alui fluxione euerrunt, partim sudore, & diuresi operantur, partim aureâ sua humiditate calori coniuncta, vitale Balsamum, ne marcescat, roborant, & conseruant, (cùm aurum inter summè corroborantia primatum teneat & omnium vegetabilium remediorum vim, & tẽperamenti mediocritatem exsuperet) & quantum arti medicæ fas est, canos, & senectutem retardant, iuuentutis florem reducunt, imminentes morbos prohibent, idq́; præsentes profligant, idq́; ex natura, per naturam, & ex natura. Sunt enim *teste Herophilo* medicamenta & ritè parata, & debitè exhibita, manus Deorum.

Medicamenta manus Deorũ.

Si enim cor natiui caloris focus; si corporis centrum (Physicè loquendo) si omnium membrorum Rex & Princeps, quo saluo, vel læso, cætera vel salua, vel læsa sunt, si in animali primum viuens & vltimum moriens, si grauissimarum passionum sedes, si non prædictis auri arcanis, corde recreato, confirmato, spiritibusq́; vitalibus reparatis, homo, & diutissimè esse, & sanissimè viuere? Cur non grauissimos morbos profligare? Cur non calamitosa symptomata mitigare, morborũ causas rescindere, obstructos viscerum meatus reserare, & per consueta naturæ emũctoria causas morbificas euacuare potis erit? Cor enim confirmatum, quatenus est caloris focus, natiuum & calorem, & spiritus vitales suppeditat, qui superfluitates expellunt, vias aperiunt, & congestas fæces educunt: quaten⁹ corporis centrum, ad omnia suæ peripheriæ viscera, & spiritus viuificos transmittit: quatenus Rex & Princeps subiectis quoq; membris abundè prospicit, quatenus primum viuens, & vltimum moriens primogenituræ ius habet, aliorumq́; tutor, inspector, & cõseruator, quatenus demum turbulentorum affectuum sedes est, imprimis placandum erit, auro in sua arcana redacto, quod tamen nũquam est futurum, si verum, naturale, & purgatissimum aurum, vel in puluillũ, vel in bracteas, aut foliola redactum medicamentis permisceatur, vt hodie passim à medicis factitatur, qui neglecto interiore nucleo externum duntaxat corticem, aut eiusdem in liquoribus cordialibus extinctiones propinãt; quẽadmodum *Marsilium Ficinum* fecisse legimus *lib. 2. de tuẽda studiosorum sanitate*, qui tale aurum poculentum proponit: Luna vel Leonem, vel Arietem, aut Sagittarium subeunte, & vel Solem,

Cordis in corpore miræ vires

Aurum poculẽtum Ficini.

vel Iouem aspiciente, è floribus Borrag. Buglos. & citraginis collectis cum saccaro in aq. rosacea liquato medicamentum parat, & ad singulas vncias tria auri folia addit, diligenterq; permiscet, & ieiunis cum vino generoso exhibet.

Alij vt inuiolabilem & insuperabilem auri soliditatem aperirent, & corpori humano conseruando idoneum redderent, varias vias & modos (ob veræ, philosophicæ, & mercurialis clauis ignorantiam) quibus id præstarent, adinuenerunt. *D. Franciscus Wendlerus Gorliciensis Medicus, referente Senertto* mira narrat de gallina quadam philosophica auri & argenti folijs enutrita & saginata; Hanc enim mensis spatio, inspersis saginæ argẽti folijs saginabat; primis tribus vel quatuor diebus gallina argentum cum excremẽtis per aluum reijciebat, at quinto vel sexto die assuetus ventriculus, argenti folia cum reliquo cibo immutauit, & in suam quintam essentiam conuertit. Mactata post mensem gallina candida fuit instar argenti, tanta intus viriditate apparente, qualem ne Chymicus quidem arte Spagyrica ex argento præparare possit. In ouario, innumera fere oua tũ magna tum parua apparuerunt, quasi ab artifice aliquo inargentata. Aliam gallinam eodem modo auri folijs saginabat, quę postquam mensis spatio quatuor auri foliati libellos cum cæteris cibis vorasset, mactata, intus pura & pulchra apparuit, tribus in pectore purè aureis lineis comparentibus. Quæ si ita habeant, vero Spagyro facile viam aperient, qua citra corrosiua auri corpus aperire, soluere, poculẽtum reddere, & in sua arcana deducere possit. Vna enim res est, qua aurum plane victũ succumbit: quæ licet nec gallina, nec struthio sit, suæ tamen naturæ essentiam non ignorant sapientes.

Gallina auri folijs saginata.

Quidam auri solutionem tentarunt communi mercurio ritè depurato, amalgama postea longa coctione, & præcipitatione in rubentem puluerem redegerũt. Facile enim aurum in mercuriũ abit, hic aquam poculentã. Quidam auri calcem in aqua magni vegetabilis soluunt, solutionem bis, terue coagulant, & in lapidẽ miraculosum redigunt. Alij citius negotium hoc expedituri, auri & mercurij amalgama, in aqua philosophica soluunt, solutionẽ per cohobia destillant, tandem turbith auratum nanciscuntur, multis lotionibus edulcorandũ. Non desunt item qui prædictum amalgama spiritu & oleo salis, aut oleo vel spiritu sulphuris per campanam facto, & rectificato dissoluant, solutionem præcipitent, & debitis ablutionibus edulcorent, & è calce demum circulato maiore tincturam, seu animam auri proliciant. Antiquiores

Quorũdam auri soluẽdi modus.

turbith Auri.

Auri animam extrahẽdi modus.

oẽs tamen & veri Spagyri, maximum illud cordis cõfortatiuum, vniuersalis medicinæ nomine decantatum, tot, tantisq; virtutibus prçditum (vt apud *clarißim. Francisc. Antonium Anglum* videre est) in secretioribus naturæ abyssis latitans, non è mortuo, sed viuo, philosophico, & regenerato auro, mediante claue philosophica, vniuersali illo menstruo mercuriali, citra alicuius heterogenei additamentum, solidissimum auri corpus reserante, & in perfectam tincturam, accedente alcoolisato vini spiritu agente aurum suum poculentum confecerunt, aureum illud Nepenthes ab Helena Telemacho datum, quo ille, præteritorum laborum luctus doloris, & malorum omnium obliuione captus, vitã cum lætitia, & animi tranquillitate traduxit. Recipe igitur volaticam & merè spirituosam auri purissimi calcem v. g. vnciam vnam affunde aq. vegetabilis, seu menstrui catholici mercurialis vncias 7. vel 8. circulentur in pellicano, tinctam aq. vegetabilem separa, nouum affunde mẽstruum, laborem repete, quoad amplius non tingatur, tandem separato menstruo, habebis auri essentiã, seu aurum poculentum, citra heterogenei additionem. Decoq; ergo in sufficiente quãtitate prædictæ aquę, vt artis est, donec dissoluatur auri calx, & cooperante Deo, contra quæuis insanabilia mala arcanum habebis. Magni huius magisterii perfectionem adepturus, in pœnitentiæ puteo includaris, & incendaris oportet in quo hic lapis reperitur. In omnibus enim rebus Mercurius reperitur; at qui totum dicit, nihil excludit. Si ex omnibus rebus, ergo nobilissimum recipe Mercurium, qui κατ' ἐξοχὴν talis dicitur, vniq; Soli & debetur, & cõuenit. Vnde si quis modũ nouerit (qui vnicus est) quo in pœnitentiæ puteum descenditur, ibiq; incendatur, is procul dubio per praxin hoc arcanum obtinebit. Modũ autem nouisse, hoc opus, hic labor: Difficilis quidem est inuestigatio, at ea inuẽta, facilis admodum. Memineris ergo hominem in terræ compositione, creaturarum nobilissimam esse, vti primo libro abunde demonstrauimus, in quo quatuor elemẽta per naturam proportionata existunt. E tali mercurialitas, vel vitriolitas (vt sic loquamur) quæ multo nõ constat, è sua minera artis beneficio producitur. Arte siquidem effici potest, vt absconditus hic lapis appareat, manifesteturque, quem DEI arcanum appellant. Hanc vnicam rem purifica, suo liquore laua, donec albescat; tũ sapienter fermenta, & summum habebis secretum. Hæc medicina verum medicum, post Deum constituit, cui si preces fundantur in oratorio & laboratorio, vltro arcana naturę medicamina sequentur

Aurum poculẽtũ quomodo Prisci philosophi confecerint

Vera auri poculenti cõfectio.

Mercurium in omnib. rebus reperiri.

ſequentur, quæ in ipſo homine longè ſecretiſſima & ſumma reperiuntur: licet è mineralibus & metallis, ſtupenda quoq; remedia præparentur, auri enim tinctura cum ☽ & ☉ poculentum mira præſtant. Mercurius microcoſmum regit, & quicquid è metallis, & precioſis lapidibus elicitur, id æque è mineralibus haberi poteſt, cùm perfecta metalla è mineralib⁹, vt mercurio, ſulphure, vitriolo, & antimonio, &c, generentur. Cùm vitriolũ, ſulphuris, antimonium, mercurij vices agat, ſal autem in vtroq; reperiatur: quæ ſi fixentur, metallis ſimilia euadunt. Summatim nulla humana prudentia, nulla ars inueſtigare poteſt, qualisnam è microcoſmo medicina parari poſſit cùm in ipſo lateat perfectiſſima omnium affectuum curatio, vt non iniuria, ſimile ſimili curari poſſe videatur. Mercurius microcoſmi eſt viuus incomprehenſibilis, & volaticus ſpiritus: Balſamus hominis exiccat Hydropẽ; & ſal clarificatus, tollit vertiginẽ & epilepſiam. Ex quo ſi fiat ſpiritus minime rodens, ſed dulcis, & odoratus, vero ☉ poculento cõparatur, lepram egregiè ſanans, calculos frangens, & nodos tophaceos diſſoluens. Conſidera ergo in Microcoſmo materiam ſeu formam, corporalem, mobilitatem, & imaginationem, & habebis quo intellectum exerceas, animumq; recrees, & vitã foueas tuam. Idem in mẽtallis obſeruãdum: Mercurius in ☉ eſt mobilitas, ſi corpus aperiatur, & ſoluatur: Sulphur eſt calidum ex minerali volatico eductum, & fixatum, quod ☽ phlegmaticam exiccat, calfacit, & ſibi ſimilem reddit; in materia eſt ſal coagulans; præter hæc tria, alia quæ in ☉ reperiuntur, tollenda. Idem de vegetabilibus ſtatuendum.

In microcoſmo vera omnium morborũ medicina latet.

Crollius in Baſilica ex quorundam ſententia aurum poculentũ ſic concinnare docet: Volaticã auri calcem, oleo ſalis in butyroſum liquorem ſoluit, abſtracto ſȩpius per cohobia ſoluente, mox calcem ſolutam edulcoratam ſpiritu vrinæ, vini ſpiritu rectificato imprægnato, ſtillatim irrorat & lento balnei calore, menſis ſpatio putrefacit, deinde omnia retortæ indita per grad⁹ ignis quoad retorta candeat, ex arena deſtillat: ſublimatum auri puluerem vitro diligenter imponit, & affuſo vini alcoole tincturam elicit totam reiteratis nouis infuſionibus, tãdem abſtracto ad oleitatem ſpiritu, auri eſſentiam potabilem reponit. Relictam in fundo auri calcem, affuſo nouo ſalis ſpiritu iterum ſoluit, & totũ opus repetit. Tandem totam extractam auri eſſentiam cum vini alcoole repetitis cohobijs per alembicum aſcendere facit.

Aurum poculentũ Crollij.

Ex eadem auri calce ſpirituoſa, addito debita proportione & Myrrhæ, & Thuris liquamento purgato,

Diaphoreticum in morbis contagiosis præstātissimū.

purgato, Absynthii sale, & croci essentia, diaphoreticum param⁹ in peste, morbisque contagiosis longè præstantissimum.

Idem & hoc præstat:

Rec. Calc. ☉ volatil. & spirituos. ℈j.
Extract. Angelic.
Imperator.
Vincetoxic.
Carlin. a. ℈ij.
Scorzoneræ
Valerian. a. ℈ß.
Diascordij, ʒij.
Aq. bezoartic.
Card. benedict.
Syrup. cortic. citri a. q. s. Misce.

Aurum poculentū Quercetani.

Quercet. Auri tincturā, essentiam, seu sanguinem extracturus, & in liquorem potabilem acturus, primū aurum per quam exquisitissimè antimonio expurgat, mox per aquam philosophicam calcinat, calcem rore cœlesti destillato toties abluit, & edulcorat, quoad & pura, & insipida remaneat: tandem affuso rectificato granorum iuniperi spiritu alcoolisato auri animam seu sanguinem extrahit, relicto pallido calcis in fūdo, corpore: demum vitalem hunc auri balsamum affuso flagranti Saturni spiritu, repetitis cohobiis per alembicum ascendere & exudare facit, eiq; eximias, tam ad vitā propagandam, quam ad grauissimos morbos percurandos, virtutes ascribit.

Hæc quidem & *Quercetani* & *Crollij* & aliorum est de conficiendo auro poculento sententia, quam tamē *Poterius* ob menstruorum, quibus pro auri tùm solutione, tùm calcinatione vtuntur & corrosiuitatē & venenositatē humanis corporibus perniciosissimam, vix vllis ablutionibus & edulcorationibus, vt sibi falso persuadent, delebilem, valde suspectam habet. Eiusmodi enim & calcinationes & dissolutiones naturæ auri repugnant, nec legitimæ esse possunt, cùm æthereus ille & quātumuis *Quercetano* decantatus Saturni spiritus firmissimam auri compagem minime penetrare vel aperire potis sit: vti nec ipse quantumuis rectificatus granorum iuniperi spiritus. Veram demum & legitimam auri præparationem sic paucis ex ipso *Poterio* afferimus: Aurum primo à natura sua metallica spoliat, non spiritu salis, non spiritu vrinæ, non aquis stygiis vel regiis, nō aquæ communis, seu putealis spiritu (eo quod aurum hisce solutum iterum in corpus reduci possit) sed præmissa diligēti corporis sicci dissolubilis trituratione, & ad prunas ardentissimas calcinatione, calcinatum corpus acido potabili dissoluit, & à corpore dissoluto cum spiritu sulphureo potabili tincturam extrahit; & hæc est vera *Poterij* auri tinctura, aurumq; poculentum &c.

AVRVM TRANSPARENS Vitrificatum.

Recipe Auri purissimi vnciam semis

ſemis: Antimon. vngarici vncias 8. tigillo indita ſimul eliquentur effundantur, ita tamen ne regulum ponãt. Poſtea omnia in ſubtiliſſimum puluerẽ agantur, calcinentur, vt in antimonio vitrificando fieri ſolet, tamdiu, donec amplius non fumigent, tandem ſimul tigillo indita tamdiu liquentur per horæ quadrantem donec magna auri pars in vitrũ rubellum in pelui ænea fundendum abeat, & habebis Rubinum auri. Hic Rubinus ſummarũ eſt virium; ad 1. vel 2. gran. ſumptus ſtomachum ſupernè vacuat; ad Hydropem & omnes frigidos morbos valet; luem veneream radicitus expellit, vt & dolores membrorum ab eadem lue excitatos; in peſte, & morbis Epidemicis, magnum eſt ſolamen; ſanguinem mundificat, & podagræ prodeſt, vlcera mundificat.

Rubinus auri eiusq; vires.

Huius Rubini tranſparentis in pollinem acti, ſume quantum ſatis, affunde ſpiritus vini rectificati ad eminentiam quatuor digitorum, clauſo vaſe, digere loco calido, habebis tincturam rubentiſſimam, Doſis cochlearia duo, quæ non vomitum, nõ nauſeam, non aluum, ſed ſudorem potenter mouebunt; præſtantiſſima ad deploratiſſimos morbos medicina, corruptum enim ſanguinem purificat, humores ad corruptionem tendentes corrigit, & vniuerſum corpus ab omnibus excrementis ſolis ſudoribus liberat.

Tinctura rubini auri ad deploratos morbos præſtãtiſſima.

Extractio Tincturæ Solaris vitalem balſamum conſeruans.

Recipe ſucci limonum acerbiſſimor. filtrati, & depuratiſſimi vncias 6. impone auri purgatiſſimi fol. 60. vitro indita digerantur lento calore 4. diebus, tum per filtrum ſuccum denuo clarifica: Mox mixturam per manicã ſubtilem Hippoc. tranſige. Auro hoc modo ſoluto, & à prædicto ſucco ſeparato, & vitro indito, affunde ſpiritus vini alcoolisati ſextuplum, vaſe clauſo, & cineribus ad 3. digitos impoſito, lentiſſimo ignis calore, pluribus diebus digere; ſic pretioſum liquorem, ſingulis menſibus, ſemel vſurpandum habebis.

VEL

Cœli rorem Martio collectũ, & debitis cohobiis rectificatum & ſpirituoſum, affunde auri foliis N. 50. & vaſi vitreo impoſita, triduũ ſolaribus radiis expone, poſtmodum rore per inclinationem ſeparato, affunde rectificatum vini ſpiritum, ſeptem vnciis ſaccari ſoluti imprægnatum; adde & ſucci limonum depurati vncias 4. lento igne per triduum digere, mox è balneo gradatim deſtilla aquam, & ſpiritum, tandem per cineres oleum ſeu, liquorem pretioſum habebis.

FLOS SOLIS.

Paratur ex ☉ per antimonium purgato, in laminas acto & cum ſalis oleo. attenuato, & addito ſale armoniaco præparato, in a-

lembico cæco simul sublimato; eleuatur flos, aquâ stillatitiâ edulcorandus. Vsus est in doloribus colicis, aliisq; obstructionibus. Dos. grana 6. 7. in conuenienti vehiculo: graues morbos curant, venas & membra penetrant; iidem si cum vini alcoole mixti essentificentur, in oleum, & admirandam medicinam abeunt, cuius vnica gutta deploratas syncopas curare fertur, si debito in vehiculo exhibeatur.

AVRVM VITAE.

Ex vna parte auri foliati, & sex partibus mercurii purgatissimi fac amalgama in ouo philosophico, affunde aquæ philosophicæ tantum vt emineat, fiat solutio, seorsim seruanda. Mox sume florum alborum reguli Antim. simplici sublimatione paratorū partem vnam supradicto auro æqualem, & in duplo aq. philosophicæ solue, hanc solutionē prædictæ permisce, deinde destillādo aq. philosophicam abstrahe, vt vitrum igne candeat, massam in fundo exime, tere, puluerisa, & vitro inditam, affusa noua aq. philosophica solue, destilla ad siccum vt prius; hic labor 5. vel 6. repetendus, semper ea quæ in alembicum, vel ad vitri latera sublimantur, abiiciendo. Tandē massa exempta puluerisatur, & vasi fictili vitreato imposita, ad aq. philosophicæ spiritus euaporandos candentibus carbonib. tantisper adhibetur, quoad puluis puniceum contraxerit colorem. Huic toties aqua destillata calida affunditur, lauatur, dulcoraturque, quoad omnino insipidus euadat. Huic affunditur spiritus vini rectificatus, & 3. vel 4. dierum spatio, lento ignis calore digeruntur, deinde spiritus vini destillatur, nouus affunditur, digeritur, & destillatur, vt ante, idq; sex vicibus. Tandem affunditur spiritus rosarum, vel aqua fragrantiss. 3. vel 4. diebus loco calido digeruntur, destillātur, & noua affusa aq. idem labor 6. repetitur. Sic habebis ☉ vitæ ad vacuandos viscosos, crassos, & tartareos luis venereæ humores præstantiss. Dosis grana sex cum cōserua rosar. vel theriaca.

Medicamentū podagricis præstans.

Pro podagricis fit insigne remedium quater singulis annis sumendum, hoc modo:

Recipe Auri vitæ ℈ß.
Extract. Cucumer. syluest. ʒij.
Hermodactyl. ʒj.

Pillulæ hydopicæ mirabiles.

Misce. Huius mixturę recipe scrupūlum vnum, aquæ theriachalis ʒij. misce, fiat potio. Mirum in modum serosa excrementa, citra perturbationem expurgat.

Ex eodem auro vitæ mirabiles fiunt pillulæ, ad Hydropem, serososque humores expurgandos, & partes nutritioni dicatas corroborandas.

Recipe Auri vitæ ℈j.
Extract. Alhandal.
Elaterij a. ℈jß.
Hellebori nigri.
Rhabarb. a. ℈j.

Essentiæ

Essentiæ Corallor.
Santal. citrini. a. ℈j.
Spiritus vitrioli ℈j.
Olei cinamo.
Mastich. a. ℈j.
Cum puluere cubebar. liquirit. & mucilagine Tragaganthi f. massa. dos a. ℈ß. ad ℈j. bis in septimana, si ferant vires. Idem aurum vitę, cum diaphoreticis mixtum, solùm sudores mouet, & multis affectibus medetur. Cum recenti butyro & aliquo emplastro permixtum, & cum cerea cādela inditum, penis vlcera, callos, & carunculas sine dolore sanat.

LVNA seu ARGENTVM.

Varia etiam è Luna seu Argēto, ad vsum medicum parantur remedia, Luna scilicet poculenta, Lac virginis, Calx Lunæ, eiusdem & Mercurius, & sulphur, oleum, butyrum, seu resina Lunæ: quocunq; autem modo paretur Luna, singulares habet ad curādos cerebri morbos, effectus, ad Epilepsiam nimirum, Vertigines, Apoplexiam, & consimilia symptomata, vti Hermeticis est persuasum, qui non solum ex auro, & argēto, sed & è cæteris mineralibus & metallis stupendas promittunt curationes, calce nimirum, aut lacte, aut butyro Lunæ; vbi tamen cauendum, ne fęces menstruorum soluentiū Lunæ adhærentes, & non nisi per fluxum metallicum separabiles, noxas, vix vllo ingenio corrigēdas inferant, ob spirituum acriū, & corrosiuorum, Lunæ adhærētium permistionem, qui in corporibus nostris plus nocumenti quam emolumenti afferre solēt: nec enim præuiis ablutionibus ita edulcorari Luna præparata potest, quin aliquid acredinis remaneat. Securiores aliquot Lunæ præparationes Medico vsui inseruientes sequentes damus.

Calx Lunæ.

Purgatissimæ Lunæ folia solue spiritu vitriol. (facti ex 3. partibus boli armeni, & 1. parte nitri purgati: Sic enim totum & in spiritum abit, & ascendit, nec vt cæteræ aq. soluētes, corpori nocebit) tota soluetur Luna, mox recipe aqu. pluuialis destillatæ mensur. 2. salis gemmæ præpar. lib. 1. misce vt soluantur, solutionem per chartam bibulā filtra; in hac aqua soluta luna præcipita, habebis candidissimum puluerem, quem toties in aqua dulci calida ablue, quoad omnis acredo secedat, sic habebis verā calcem Lunæ. Meliore, accuratiore modo fiat calx Lunę, vti supra de calce ☉ diximus, sumendo quadruplici pondere aquam siccam, quæ calcinatio genuina adhibito spagyrico ingenio 4. horis absoluetur, habita hac calce, non spiritu vini alcoolisato ad extrahendam lunæ essentiam opus erit, cùm id facili negotio, vel simplici fontana destillata, aut pluuiali fieri possit.

VEL

Tres Lunæ finæ partes, liqua-

cum vna parte auri, postea in tenues laminas acta, in puluerem lima, limaturæ adde partes 12. mercurii purgatissimi, factum amalgama, phiolæ lati fundi indito, vitrum hermeticè sigillatũ in arena sepelito, ad vitri os superius vsq;, dà ignem per grad⁹ ad tertium vsq; gradum, sic paulatim amalgama, arboris, vel virescentis graminis instar crescere, & vegetare videbis, idq́ue tantisper continuabitur, quoad tot⁹ mercurius sublimatus, paulatim in puluerem rubentẽ decidat, qui fixabitur cum spiritu saturni, & in Hydropisis, Lepræ, Paralysis, & luis venereæ curatione, magni secreti loco habetur.

Luna vitæ purgans.

Lunæ purgatissimæ folia, cum melle virgineo purissimo subacta, inter duas fictiles conchas super testam calcina, quoad omnia in puluerem abeant. Puluerem aqua dulci calida destillata è melle separa, & edulcora; exiccatum, & rursus cum nouo melle subactum puluerem calcina, vt prius, idq; tribus vicibus. Edulcoratum tandem puluerem repone, ad Lepræ, Podagræ, Hydropis &c, curationem, & præstantissimum purgans habebis. Dos. gran. 5. 3. 4. cum extractis purgantibus. cum ℈ß. theriac. sudores mouet.

Resina seu Butyrum Lunæ.

Ad foliorum Lunæ purgatiss. partem vnam, adde partes 2. Aquilæ cœlestis meteorisatæ, probe misce, tandem tigillo indita, candentibus carbonibus imposita euolabit Aquila, relicta Lunæ resina.

Oleum Lunæ.

Lunæ calcem, vel eiusdem folia solue spiritu salis nitri per salem armoniacum sublimatum acuato; peractâ hac philosophicâ solutione, procede operando vt Luna vitriolum det; hoc purifica, solue vini spiritu tartarisato destilla, ascendet per alembicũ cæruleus Lunæ liquor, & oleum in promptu erit.

Duncan. Bornettus Scotus in Iatrochymicis è calce Lunæ in tigillo ignito fortiter mota, & aq. cõmuni abluta, exiccata, affusoq́ue tartari oleo super marmor tritis 24. horis in furno reuerberatis, iterumq́; tritis, in loco humido oleum per deliquium educit, à quo per aquam calidam, tartari oleum separat: vsus est ad affect⁹ maniacos & melancholicos.

QVINTA ESSENTIA,
seu sulphur Lunæ.

Lunæ sublimatæ vnciis 8. affunde menstruũ vegetabile minus ad trium digitor. eminentiam, digere, tincturam separa, nouum menstruum affunde, fac vt prius, quoad amplius non tingatur: extractiones misce menstruum per B. M. separa, in fundo sidet essentia.

Relictum Lunæ corpus forti

vitro impone,& arenæ impositũ forti igne vrge, vt candeat, cùm refrixerit, affunde acetum radicatum, digere forti digestione, sic soluetur sal Lunæ. Quod si prima vice non succederet, affuso nouo aceto, post digestionem tandem soluetur, relictis in fundo impuritatibus, è solutionibus menstruum per B. M. abstrahe, quoad liquor in fundo cuticulã contraxerit, tandem cellæ frigidæ imposita, crystallos, seu salẽ Lunæ expecta.

Olei, Essentiæ, Balsami, seu salis Lunæ vsus, est in omnibꝰ grauissimis cerebri affectibus. Dos. ab 1. ad 3. guttas in curandis capitis vulneribus vim maximam obtinet, vt & in cancro, fistulis, malignis vlceribus, guttæ 4. cum vini momento menses cient.

Ferrum seu Mars.

FERRVM seu MARS.

E Marte quoque, metallorum durissimo, saluberrimæ quoque medicinæ intra corpus sumendæ parantur. Mars enim Spagyri industria in medicinam redactꝰ substãtiæ suæ vi penetrante, sese in viscera, eorumq; venas ingerit, obstructiones reserat, resoluit, hominemq; non rarenter ab interitu vindicat, vt apparet ex electuario de chalybe, syrupis, decoctionibꝰ, quarum omnium basis est chalybs, quouis modo præparatus: quæ omnes obstructiones fere aperiunt, abstergũt viscerum infarctus, & venularũ angustias reserant. Quod si crocus Martis per se citra alterius rei additionem artificioso reuerberii igne reuerberetur; vel affuso ferri laminis oleo, aut spiritu vitrioli calcinetur: vel si corpus ferri solo igne in rubeum crocum, & impalpabilem puluerem redigatur; aut si crebrius ignitum extinguatur, liquorque postmodum hauriatur, tunc potius adstrictoriam, quam aperitiuam facultatem habebis, quã in omni alui, sanguinis, hepatis, & vteri fluxu sedando abundè exeret: cauendum tamen ab iis præparationibus, quæ aquis stygiis, vel fortibus parantur; eiusmodi enim corrodentes aquæ per se innocuam Martis naturã, homini nocentissimã efficiunt.

Crocus Martis.

Maxime arridet crocus Martis, si solo igne absq; vlla mixtione conficiatur. Fit autem per simplicem ignis vehementiam in reuerberatorio per 8. vel 10. dies, crucibulo probè cooperto, & luto bene munito, quod opus artificio caret. In hac operatione volatilis pars metalli recedit manente fixa, quę maxime optabilis est. Sic rubigo ferri, si in reuerberatorio aliquot horis detineatur, in optimum crocũ euadit. Sic limatura vel ferri, vel chalybis subtilissima, intra paucos dies in crocum abit, si diebꝰ canicularibus Solis radiis, ea cõmuni aqua prius irrorata exponatur; hæc in massam compingitur, ac denuo simplici aqua

made-

madefacta radiis solaribus tridui spatio relinquitur, dicta operatio si ter quaterue reiteretur, pulchior euadit crocus & nobilior: vas ad hoc ex terra vitreatum requiritur; dictu mirabile quantum hoc vas incaleat.

Vel hoc modo:

Cùm in interiore Martis anatomia plurimum rubedinis cõtineatur, fit vt violenti ignis calcinatione citra additamentum ferri laminæ, vel eiusdem limatura in purpureum ac subtilem crocum fatiscat, euanescẽte putrida eius terra: quidam tamen vt diximus crocum parant calcinãdo additis floribus sulphuris: vel oleo, aut spiritu vitrioli laminis, ante calcinationem affuso.

Crocus Martis essentificatus. Hunc crocum sic in essentiam reduces: Croco purpureo phialæ imposito, affunde menstruum vegetabile minus, vel acetũ opt. destillatum, ad 3. digitor. eminẽtiam: digere in arena per diem, tinctum acetum decanta, affuso alio, idem opus repete, donec amplius non tingatur acetum à tinctura per arenam separa ad siccum; massæ in fundo affunde aq. destillatam ad eminentiam, digere, destilla, nouam affunde, quoad puluis insipidus relinquatur. Huic tandem affunde spiritũ vini rectificatum, digere, decanta, alium affunde, quoad amplius nõ tingatur. tandẽ spirtũ destillando separa. Habebis pulcherrimum crocum. Dos. ℈ ss. com cõserua ros. vel idoneo succo, aut liquore ad omnes lienis affectus diarrhæas, lienterias, dysenterias, fluxus hepaticos, vterinos, internas & externas hæmorrhagias præstantissimum, & non mordax medicamentum.

Idem hic crocus essentificatus frequentibus & repetitis cum aceto cohobiis & destillationib⁹, tandem in oleum fatiscit. Dos. gran. 1. 2. ad eosdem affectus. Relictas in fundo fæces, calcina, & ex artis præscripto salem elice, sic habebis salem Martis. *Sal Martis.*

Oleum Martis etiam sic paratur.

Liqua in magno tigillo ♁ vngaric. lib. 2. cùm in fluxu steterit pedetentim impone candentes ferri laminas ad lib. 1. cùm optimè fluxerint, bacillo ferreo optime misce, tandem effunde in regulum: Hunc contritum & optimè puluerisatum, calcina in debita concha fictili semper agitãdo, donec amplius non fumiget, & puluis purpureus fixus euadat. Hunc vitro impone, affunde aq. philosophicã, solue, filtra, & aq. destillando abstrahe per gradus ignis; cùm guttæ rubeæ fluere cœperint, recipiens muta, vrge vehementiore igne: sequetur rubeum & verum oleum martis, ad prædictos vsus præstantissimum.

Tinctura Martis.

Ad partes duas veri croci Martis superius descripti adde part. 1. salis armon. sublimati, tere in marmore, sublima, euadet totus sangui-

sanguineus, de hoc cum spiritu vini rectificato, rubedinem extrahe, filtra, putrifica, tādem destilla, dulcora; habebis tincturā hydropas, & sang. fluorem curātem.

Vitriolum Martis.

Sulphuris conū applica ignito chalybis bacillo, vt rubentes & liquescentes guttæ in subiectam peluim aq. frigida plenam incidant: fusionem illam exiccatam pulueriza, sulphuris acidum oleum rectificatum affunde, digere loco calido aliquot diebus tandem omnia in frigidam destillatam effunde, præcipitabitur ad fundum vitriolum martis insignis virtutis.

Antequam ad alia pergamus, lubet hoc loci afferre electuariū de chalybe, amantissimi mei olim præceptoris Herculis Saxoniæ primarii medicinæ professoris Patauini, cuius mirandos effectus in edomandis viscerum obstructionibus, quotidianam praxim secuti, sæpius obseruauimus, & sic habet.

Electuarium de Chalybe.

Recipe Folior. senæ elect. vnc. iii. Thymi epithym. Polypod. a. vnc. 2. Folior. borrag. bugloss. meliss. Sonchi, Agrimon. Aspleni. Hepatic. Cuscut. Capillor. Vener. Fumar. Lupulor. a. M. 1. Cortic. Cappar. Tamarisc. Fraxin. Rusci, a. vnc. semis, Radic. Cichor. Hyrund. Aaron. præp. filic. pp. Aspar. Pimpin. Eryng. Rub. Tinctor a. vnciam 1. crasso modo incisa, & tusa bulliant in Aquar. Fumar. Borrag. Meliss. Lupulor. Cichor. Acetos. Agrim. a. mensur. 1. Coquantur ad medietatis consumptionem, facta colatura, & forti expressione, adde Flor. Cass. recens extract. vnc. 3. Pulpæ Tamarindor. Mirobalanor. omnium a. vnc. vnam semis, saccari finiss. lib. 3. bulliant lento igne ad consistentiam: sub finem adde puluerem mastich. Gummi Ammon. Opopanac. Rubiæ Tinctor. Rasur. Ebor. Liquirit. Semin. Vrtic. Eruc. Genist. Portulac. Fænicul. Coriand. præp. a. ʒiss. Cinamo. Garyophil. Zingib. radic. Angelic. a. ʒi. Specierum Dialac. Diacur. a. vnciam. ½. Limaturæ chalyb. cum sulph. præpar. vel croci mart. vnc. 6. Fæcul. Aaron. vnc. 2. cremor. tart. vnc. 3. cum syrup. de 5. radicib. f. electuar. Dosis ab vnc. semis ad vnciā 1. per plures dies præmissis vniuersalibus. Omnes iecoris, lienis, mesenterii & vteri obstructiones potentissime resoluit.

VITRIOLVM MARTIS.

Fit ex omni ferro quoquo pacto calcinato, id verò quod cum sulphure calcinatur, per oportunum est, & maximi in medicina vsus, modum autem pulchrè docet *Crollius in sua Basilica Chymica*. Ex hoc vitriolo, oleum, liquorē, & Balsamū Martis, Spagyri dextrè elicere norunt. Liquor verò iste, verum est *Paracelsi* acetum esurinum, mirādæ profecto virtutis

tutis, labentem enim fessumque ventriculũ subleuat, multis morbis vulgo incurabilibus medetur, & multa alia præclara præstat; guttulas 3. vel 4. cum quouis liquore exhibentur; Hic quoq; liquor, vera est chalybis potabilis præparatio, vulgo medicis ignota.

Ferrum poculẽtum.

CVPRVM seu VENVS.

De Medicamentis è Venere parandis & interius assumendis, pauca habemus, quæ in medium proferamus, cùm cuiuis vero Chymico constet, in crudo æris seu cupri corpore multa acria & caustica inesse, quæ nisi artis dexteritate remoueãtur, magna corpori humano incommoda afferri possunt, præsertim si acribus & corrosiuis aquis, huius metalli corpus aperiatur. Nihilominus tamen audaculi quidam è vesicis & cucurbitis cupreis acetum destillant, & ad ciendos vel vomitus, vel sedes magno supercilio exhibent, non animaduertentes, stomachum cibos & iuscula in vasis æreis aut cupreis elixa, aut cocta, vix citra nauseam, & noxã ferre posse. *Quercet. Beguin. Schonemannus* & alij præcipitatum veneris diaphoreticum tùm ad pestis morborumq; epidemiorum, tum ad luis venereæ curationem summis encomijs efferunt; & hoc modo præparant: Veneris limatæ vnciam cum Aquilæ meteorisatæ vncijs 2. & salis mercurialis vnc. duabus cum dimidia miscent, terunt; mox forti ma tratio indita ad ignem arenæ liquant, vitrum ita calidum frigidę vt desiliat, imponunt, viridẽ mercurium colligunt, siccant, & paruæ retortæ cum spiritu vel sulphuris, vel vitrioli impositum, per diem digerunt, mox ex arena binis cohobijs destillant, tãdem aqua dulci sæpius abluunt. De hoc bezoartico diaphoretico 1. vel duo grana in aliquo specifico liquore, aut theriaca exhibent. Præstiterit tamen certis, indubitatis, multis, & seculis, & ætatib. comprobatis vti remedijs, quorum vsus & experientia magis, magisq; in dies clarescunt, quam nouis, incertis, & sæpe non citra vitæ periculum adhibitis medicamentis.

Veneris præcipitatũ diaphoreticum.

Ad vsum tamen externum, vlcera phagatenica, chironica, cacoëthica feliciter persananda, sequens Veneris oleum mira præstat: Laminæ Veneris cum floribus sulphuris stratificatæ, in tigillo 4. horarum spatio, citra fusionem tamen, calcinãtur, igne per suos gradus adhibito. Laminis hoc modo calcinatis, & vitro inditis, affunditur spiritus terebinthinæ q. s. & repetitis vicibus, in balneo mar. tinctura extrahitur: Postmodum spiritus terebinthinæ calore balnei marię destillando abstrahitur ad siccum: relicta tinctura in loco humido in oleũ smaragdinum fatiscit, vini meracia circulandum.

Veneris oleum mirabile.

VITRIOLUM VENERIS.

Ex ijsdem Veneris laminis dicto iam modo calcinatis, affuso ad 10. digitorum eminentiam vitrioli spiritu cum suo phlegmate pellucidum & cæruleum extrahitur vitriolum, præuia 14. dierũ spatio, in balneo mariæ digestione, mox phlegmatis per balneũ, & spiritus per cineres destillatione. Tandem hoc vitriolum cum phlegmate aluminis circulatum edulcoratur, & demum ad rubedinem calcinatur, ad curãda maligna vlcera, callos detrahendos, penisq; excrescentias, & carunculas citra dolorem persanandas præstantissimum remedium.

Sulphur Veneris.

Vitriolum Veneris, optime defæcatum, vel huius loco vitriolum cyprium, auri semine impregnatum, in aqua communi destillata & callida dissolue, filtra coque, quoad cuticula appareat, mox affunde aliquot olei Tartari guttas, & impositis bacillis, vitriolum adhæreſcet, sulphur verò fundum petet. Vitriolum bacillis affixum iterum aqua destillata solue, coque, quoad cuticula appareat, affunde olei Tartari guttulas, vt prius, sulphur fundũ petet; hoc opus toties reitera, quoad totum vitriolũ in sulphur abierit. Collectum hoc cæruleũ sulphur toties cum spiritu vini circulabis, & destillabis, nouo semper affuso vini spiritu, quoad verè dulcescat. Tandem cum vini spiritu alcoolisato circulabis: habebis summam medicinam ad omnes cachexias, Hydropas, phthyses, febres intermittentes, colicam, pestem, si vera ei Auri essentia addatur.

Summa medicina ad varios morbos.

E fæcibus remanentibus in fundo, calcinatis, vt artis est, salẽ extrahes: quem Gillæ loco maiori successu, & minori periculo, exhiberi posse, multi sibi persuadent. Sed de his iam libro primo satis fusè egimus.

Quinta Veneris essentia extrahitur è calce Veneris per menstruum vegetabile maius, tincturarũ in morem; tandem destillatione euocatur menstruum. Huius 1. pars, cum duabus partibus dicti menstrui miscentur, putrefiunt per mensem, tandem menstruũ ab essentia separatur. Multorum morborum interius sumpta dicitur remedium vt & sal exteriorum vlcerum, fistularum.

Quinta Veneris essentia.

Pauca quoque è Ioue concinnantur medicamenta humano corpori citra noxam conuenentia: si enim medicamenta stanneis pyxidibus reposita: si sullatitij vegetabilium liquores stanneis vasis prolecti, vitium cõtrahunt, nec rarenter interiora viscera rodunt; quid fiet si medicamenta è Ioue parata intra corpus assumãtur? An non verendum, ne corrodens venenum, personatâ tunicâ inditum, abiectâ veste, corporis interiora hostiliter deprædetur? Si tamen vilis illa vestis

Stannũ.

Ioui detrahatur, vt ait *Michaël Mayer*, optimum habebis medicamentum, modo cum Iouis filio optimæ indolis, cuius nutrix Latona extitit, coniungatur. Osiris, qui & Iupiter, & Apollo, & Mars, vxorem ducat Isidem sororem, Iunonem, Dianam, & Venerem, vt ex duorum coniugio, mascula proles nascatur. Hinc *Croll.* Ioui externam vestem detracturus, aperto igne Iouem in cinerem calcinat; è cinere per acetum destillatum, tincturæ modo, salem extrahit; hunc aqua pluuiali destillata soluit, filtrat, & septies leuissimo balnei calore euaporando dulcorat: In matricis suffocatione, efficacissimi secreti loco, vmbilico calidè inungit. Dantur ad eosdem effectus 3. vel 4. grana, in aq. Artemisiæ, tribus continuis auroris. Lenissimè item per inferiora tantum purgat: in flatuosa colica summi arcani loco habetur.

Sal Iouis.

Diaphoreticum mirabile è Ioue.

Reguli ♁ sine Marte facti vnc. 2. seorsim liquefiant, Iouis Anglicani purissimi vncia 1. etiam seorsim fluat, mox simul misceantur, & bacillo ferreo moueantur, vt probe incorporentur: mox supra marmor in tenuissimum puluerẽ actis, adde mercurij meteorisati & puluerisati vncias 6. mox celeri manu in retortam impone (statim enim liquescet materia) & igne suppressionis liquorem gũmosum destilla: Hunc spiritu salis nitri ex arte per trinam destillationem in cãdidum puluerem præcipita; quem tandẽ prius candefactũ, in spiritu vini extingue, exicca, & vsui repone. Dos. gran. 1. vel 2. potentissime sudorẽ mouet, & in affectis diaphoresi curãdis mira præstat.

Quinta Essentia Iouis.

Verę & syncerræ calci Iouis affunde acetum destil. q. s. in loco calido digere, decanta; nouum menstruum affunde, fac vt prius. Tandem menstruum destillãdo abstrahe; vt artis est, edulca; edulcato affunde alcool vini, essentifica, filtra, & tandem circula. Hæc Iouis essentia breui temporis spatio omnis generis apostemata, leprosam scabiem, venenatos & contagiosos affectus sanat, estq; excellens in multis inflammationibus Anodynum. Quod si Iouis essentia, vel ex floribus Iouis, vel ex prædicto Iouis, & antimonij regulo per spiritum vini essẽtificatum extrahatur, longe nobilior erit, cùm hoc modo ad summum perfectionis gradum redigatur.

VITRIOLVM, OLEVM, seu Balsamus Iouis.

Laminas, seu Limaturam Iouis, affusâ aquâ stygia solue, & in cerussã redige: hanc affusâ stygiâ aquâ, dulci calidâ sæpius ablue edulcoracolaturã destillãdo, quoad cuticula appareat, euapora, & in vitro crystallos exspecta.

Hos crystallos exsiccatos per se igno

se igne aperto destilla per retortam, exibit primo liquor dulcis, deinde oleum flauum, seu Balsamus Iouis, relicto in fundo sale, lege artis extrahendo. Hoc oleũ luem veneream curat, cõtracturas, fistulas, cancros, antiqua, & recentia vulnera. Eius 3. grana in vino veteri hausta, per inferiora purgant: externè illitum, oculorum maculas tollit. Sal Iouis in cella per se in oleũ fatiscit, quod summum est in matricis suffocationibus arcanum, si in cochleari calefactum, eo vmbilicus inungatur.

Remedium mirabile ad vermes. E stanno etiam ad infantium vermes *Libauius* præclarum hoc præscribit remedium: Stanni puri vnciam in puro catino liqua extingue, decocto cornu cerui, vel liquore stillatitio Hyperici, aut portulacæ; extinctionem ter, quaterue, repete. Huius colaturæ da haustulũ bis, aut ter in die. Vermes illico necantur, & expelluntur. Robustioribus tres vel quatuor stanni vncias liqua, & vbi conuenit, etiam cereuisia, aut vino vtere. Delicatulis satis est aqua chalybeata, vel etiam simplex fontana, pro materia extinctionis.

Medicamentũ admirabile è Stanno. Ex eodem Stanno componitur medicamentum celeberrimum, quod nulli alteri satis æqui parari potest: Fit autem eiusmodi medicamentum ex tribus, ex Venere, Ioue, Saturno philosophico. Hæc tria primum ex arte calcinantur; Venus bis cum duplo sulphuris, Iupiter cum duplo salis hermaphroditici. Saturnus philosophic. pro quo accipitur marcasita Saturnina cum eodem sale ad quadruplũ. Hæc tria probè calcinata ad æqualem proportionem commiscentur, mixtura denuo cum duplo salis excoquitur, sale, aqua communi pluries affusa, remoto, & puluere resiccato, in vrinali vitreo sub fimo equino ad octo dies reconditur, puluis cum sufficienti quantitate spiritus vini, hoc pluries reiteratur, & tandem debitâ euaporatione factâ, colligitur sal quidam balsamicus, subdulcis cum quadam austeritate, cùm vires inperscrutabiles censeantur. Ad hydropem mirifice cõducit, cachexiam perfectè tollit, viscerum duritiem emollit, mulierum menses mouet, ventriculum roborat, & inappetentiam corrigit.

PLVMBVM.

De Medicamentis è Saturno parandis multi multa scribunt, & magnis laudibus extollunt. Veteres medici è substantijs, naturã plumbi redolentibus, imo ex Saturno ipso propagatis, vt Lythargirio, Cerussa, Minio &c, ad externos duntaxat vsus medicamẽta concinnarunt, verentes, ne, si intrinsecus assumerentur, vel venas, vel vias corporis obstruerẽt, vel frigidam, siccam, & inimicam cordi qualitatem communicarent. Si enim calcinetur plumbũ

igne, lanatam non solum non amittit frigiditatem, sed combusto eius calido sulphure, magis auctam possidet. Hermetici tamē reserata artis spagyricæ beneficio, Saturni anatomia, multa prę clara eduxerunt ex eo remedia, liquores, spiritus ardentes, oleū, crystallos, saccarum, sales, butyrum, balsamum, vitriolum, mercurium, vitrum, & id genus, quæ tamen omnia eiusdem cum Saturno sunt originis, qualitatis, & operationis. Si tamē puræ Saturni mineræ, lunari fætu imprægnatæ, Aquila cœlestis meteorisatæ iungatur & ex duobus mercuriis vnus citrinissimus exurgat, chelidonia mineralis, & admirandarum virium panchymagogū resultabit. Sed Hermeticorum præparationes audiamus.

Chelidonia mineralis mirādæ virtutis

LIQVOR SATVRNI.

Saturni calcem cum aceto destillato factam, & exiccatam, spiritu vini tartarisato macera, digere, solue, solutiones transfunde, nouum spiritum affunde, quoad tota calx in liquorem fatiscat: solutiones in saccarum coagula, & hoc per deliquium in oleum.

Spiritus Saturni ardens.

Calci Saturni, vel minio affunde acetum destillatum vt emineat, digere in loco calido 24. horis sæpius agitando, ne in fundo cō crescat materia: menstruum decanta, aliud affunde, digere vt prius, idq; toties, donec omnis salsedo extracta fuerit; repletiones sæpius filtra & clarifica, & ad dimidium euapora, mox in loco frigido crystallos expecta: Hos nouo aceto solue, filtra, coagula, idque toties, quoad sufficienter armoniaco aceti sale ceu proprio fermento imprægnetur. Digere per mensem leni balnei calore, vt olei instar resoluantur: mox è retorta per arenam destilla, annexo capaci recipiente, optimè clauso, ne spiritus euaporent, seruatis ignis gradibus: tandem stillabit spiritus fragrātissimus. Abiectis fæcibus, oleum flauum supernatans spirituj separa, in fundo erit oleum rubentissimum. Phlegma à spiritu ardente per balneum separa, & rectifica, habebis fragrantissimum spiritum, ceu balsamum preciosum, tùm intra, tum extra corpus ad varios morbos sanandos.

Oleum Saturni

Chrystalli, vel Sal Saturni.

E plumbi calce, vel cerussa, vel minio, vel lythargirio, vel plumbagine, ochra plumbea, aut plūbi cineribus per acetum destillatum affusum, digerendo, in calidis cineribus, sæpe mouendo, ne in fundo materia concrescat, extrahitur sal Saturni, reiteratis nonis aceti affusionibus, digestionibus, separationibus, filtrationibus, quoad tota fere materia resoluta, tandem per debitas destillationes & coagulationes, in crystallos & salem abeat. Quæ res *Quercet*, tam facilis erat, vt ex quauis vel minij, vel cerussæ, aut lythar-

lythargirij libra 10. vel 12. vncias salis extraheret.

Saccarum Saturni.

Crystallino sali Saturni affunde spiritum vini tartarisatum ad 2. digitor. eminentiam, circula 15. diebus, quoad tota aceti acrimonia aufferatur; sic habebis dulcissimum Saturni saccarum, temperatum, & naturæ nostræ amicissimum, infinitis affectibus inseruiens. Hoc facile in loco humido in oleum abit, ad quęuis maligna vlcera curanda præstantissimum. Fit & ex ipso preciosus Balsamus ad ophthalmias, & oculorum inflammationes; fit autem prius probè dulcoratum.

Balsamus Saturni.

VEL

E puluere lythargirij aceto forti non destillato, sed per lacinias expurgato, essentiam extrahe: extractiones digere, filtra, coagula ad oleitatem. Quod si dulcedinem absq; acetositate requiras, humiditatem ad calcem vsq; abstrahe. Hanc rursus spiritu vini alcoolisato extrahe, extractiones coagula, & deliquio in oleũ solue. Exhibentur grana sex in peste cum vino albo, curatur æger intra 24. horas. In Hydrope cum vino albo 3. grana, quatuor diebus. In colica & lepra 6. grana. Intra sumptum, Veneris stimulos coërcet; in oris putredinib' malignis, erodentibus, & cācrosis vlceribus mira præstat, purgat enim & mundificat; & vulnerib' singulare est remedium, vt & ad ambusta, inflammationes, ignem sacrum, si cum aqua plantag. vel sperniolę mistum cum linteis applicetur; tumores confestim tollit, cum oleo oliuar. adhibitum, oleo tereb. mixtũ, omnia vlcera, vulnera & membra contracta inunctione curat; in quartana & lienis affectibus adhibetur.

Balsamus Saturni.

Salem Saturni crystallinũ tere, impone vasi vitreo longi colli, affunde spiritum terebinth. in cineribus calidis digere, tincturā extrahe, vt è floribus sulphuris fieri solet: soluetur sal in liquorem rubentissimum rubini instar mox retortæ imposita destilla instar aquæ stygiæ, primo lento igne, quoad spiritus terebinthinæ exierit; deinde mutato recipiente auge ignem in horas, quoad totum oleum exierit. Habebis oleum, quod viribus naturale balsamum excedit, malignis vlceribus, cauero, polypo, nolj me tangere, egregie sola inunctione medetur. Hoc idem oleũ in puluerem & lapidem coagulari potest.

Oleum Saturni efficax.

Prædicti saccari seu salis Saturni accipe partem 1. Lunæ solutæ part. 2. Arcani vitrioli part. quatuor, Mercur. opt. purgat. part. 3. Misce, & probè incorporata, vitroq; rectè sigillato imposita lento cinerum calore 18. diebus digere, deinde ignem augendo in rubrum & pellucidum vitrũ rubini instar, & fixum redige. Huius

Vitrum Saturni

grana

grana 3. cum vini momento sumpta, omnes capitis affectus tollunt, dolores leniunt, maniã curant, si ter, quaterue assumantur.

ARGENTVM VIVVM.

Non pauca deniq; è Mercurio, seu argento viuo, vel Hispanico, Istrico, Sclauonico, aut Vngarico puro, per se fluxili educuntur medicamẽta, quæ passim ab Hermeticis maximi fiunt, Mercurius vitæ, cur non potius mortis? Aquila cœlestis fixa, Sublimatum dulce salutiferum, præcipitata varia tùm alba, tùm rubea, fixa &c, de quibus superius capite 14. huius libri non pauca diximus. Et sanè, licet multi medici glorientur, se cum Mercurio illo sublimato crebra propriæ suæ aquæ affusione & abstractione dulcificato, omniq; vi corrosiuâ per frequentes ablutiones spoliato, cũ mercurio itẽ tũ rubeo, tùm albo aquis stygijs & corrodentibus præcipitato, plurimos & grauissimos affectus citra ægrotantium assumentium noxam curasse: Nihilominus tamen, cum vis illa corrosiua soluentium menstruorum, acresq; salium ingredientium spiritus, nudis illis ablutionibus ab eiusmodi Mercurijs non omnino eradicari & euelli possint, sed saltem tecti & sepulti, ad tẽpus latitẽt (vt iam nihil de Mercurij ipsius nocentissima humiditate, & frigiditate molestas saliuationes excitante, quæ in talibus præcipitationibus minime tollitur; alijsq; grauissimis symptomatibus nihil dicamus) præstiterit tùm medicos in exhibendo, tùm ægrotos in assumendo talia mercuriata & mortificata, seu strangulata remedia cautiores esse, ne plus damni, quam cõmodi afferant. Licet enim non statim ægros malis cumulẽt, medicusque omnia salua existimet, paulo post tamen mortificati eiusmodi mercurij, assumentes mortificant, aut præcipitati illi, in maiora pericula præcipitant. Quod si quandoque aluum perturbent Mercurij præcipitati, id tamen non fit leniente humiditate, vt ait *Michael Mayer*, sed caliditate irritante, illis mercurijs à corrosiuis aquarum fortium spiritibus introducta & communicata. Mercurius quidem per se magnum est multorum & contagiosorum morborũ alexipharmacum, vti ad clarissimum, doctissimumq; & expertissimum virum, dominum Guillielmum Fabricium Hildanum, amicum nostrum integerrimum quarta suarum obseruationum chyrurgicarum centuria scripsimus, pestemque præ cæteris insigniter arcet, vt testantur Incolæ Gotlirienses, in quorum vicinis montibus effoditur, apud quos pestis nunquã grassari consueuit: Hoc autem de mercurio audiendum est quamdiu in propria sua natura permanet, nec à solib⁹, aut aquis stygiis & causticis corrumpitur, aut

aut venenosus efficitur. Insontem per se Mercurii naturam existere, vel pueruli argumento esse possunt; quibus ad vermes enecandos currens & viuus exhibetur Mercurius: Quidam ardēte febre laborans apud *Fernel.* arrepto per errorem vitro Mercurium continente, Mercurium, pro syrupo, sitim subleuaturus, citra noxā exhausit: Mulier Zelotypa maritum interempturа, frustra Mercurium in offis exhibuit. Sic autem pro medicamēto præparandus est Mercurius, vt non desinat esse Mercurius, nec innatas sibi proprietates amittat. Et cùm vitæ nostræ fons, calidum scilicet natiuum, & humidum radicale, in calido & humido consistat, quorum vel absumptione, vel suffocatione homo interit; corroboratione verò & restauratione vigescit, si tale quid in Mercurio requiras, necesse est vt passiuis & fœmineis eius qualitatibus masculinas & agentes, pro vt natura admittit, artis ingenio coniungas, sic enim sequetur compositū, quod caliditate, & humiditate exuperet. Quod si Mercurium aquarū fortium solutionibus, præcipitationibus, sublimationib⁹, & sexcentis Vulcani cremiis ita torseris, vt tandem te medicamentū saccaro dulcius, leonem mansuetissimum, & draconem mitissimum nactum putes, aliud nihil effecisse animaduertes, quam illud medicamētum aut ab innatis viribus spoliasse, & destruxisse, aut vim venenosam sub pallio quodam, ceu noxium serpētem sub dumetis collocatum, abscondisse.

Hinc *Paracelf. Quercet.* & alii illustriores Hermetici, Mercuriū crudum illæsa permanēte essentiali proprietate frequentibus ablutionibus sublimatione nouies repetita ad supremum puritatis gradum perducunt, non tam vt omnino nigris suis fuliginibus exuatur, quàm vt frequēti sublimatione, sulphure, seu igne naturæ imprægnetur, à quo cœlestes & admirādas vires mutuetur, vereq; Mercurius philosophicus, & verum acetum metallicum philosophorum vocetur, Solem & Lunam in primam materiam reuocans, & è corporeis spiritualia, è mortuis vitalia & regenerata efficiens cum eorum radicalis humoris, ac virtutum seminalium, ignis, sulphurisq; natura, conseruatione.

Mercurius est verum acetum philosophorum.

Cum hoc essentificato & exaltato Mercurio, & in aceto philosophico soluto, in quo & Sol philosophicâ proportione sit solutus, si vterq; iungantur, mox à menstruo separentur, deinde factâ humidi per sublimationem segregatione, ambo exaltentur, tunc Mercurius Solis purpureâ veste exornatus, Solis vitam, vitalesq; eiusdem in se transferet virtutes, in præstantissimum redactus

Mercurius Solis philosophicus mirabile vitæ elyxir.

dactus magisterium, & admirādum vitæ elyxir, ad vitæ propagationem, valetudinis conseruationem, & omnium morborū perfectam sanationem.

Internus hic naturæ ignis, in illo Mercurio essentificato latēs propriæ suæ aquæ metallicæ ac fluentis iustum pondus aut circiter, sistere, coagulare, conglaciare, & vno momento in crystallinam duritiem compingere valet, à qua vicissim ille extinguitur, & ita contemperatur, vt ex contrariis vtriusque effectis, ne minima quidem de illorum substantia portio pereat, aut minuatur; ita vt hoc artificio, qui ante erat draco omniuorus, lenis ac suauis columba reddatur: Aquilaque cœlestis, cœlestium & admirandarum virtutū ferax: tùm præsertim quoniam eiusmodi aqua, ex omnibus simul iunctis planetis, aut ex vno solo extracta fuerint: vel etiam ex fonte illo vberrimo, cuius scaturigo excelsioribus fontibus oritur, vsq; adeo dulcis, saccarata, at mellita, vt simul ac Aquila illum depasta est liquorem, & ad satietatem ebibit, quantum haurire potest (quæ plenæ est satietatis nota) ea Aquila (quod admiratione non caret) agrestem, acerbā, ferocem, mortiferamque suam naturam, statim, & momento in benignam, suauem, mitem, ac salutarem commutet, & quod antea viperino veneno nō erat inferius, in theriacarum theriacā, nobilissimum, atq; præstantissimum remedium conuertatur, detergendi, mundandi, rectificandi, & totum sanguinem modo per aluum, modo per vrinam aut sudores expurgandi, vitęque nostræ balsamum roborandi & restaurandi facultatibus præditum. Hinc lepre, scrophulis, morphæis, lui, variolis, febribus continuis, putridis, malignis ac pestilentibus, internisq; inflammationibus optimum est auxilium, & oportunissima omnibus morbis curandis panacea, infantib. etiam, & prægnantibus, omnisq; generis hominibus tuendæ sanitatis causa scrupulari, aut minore dosi, tutò exhibenda.

Aquilæ cœlestis encomia

Studiosè semper laborandū, vt in quibuscunq; Mercurii præparationibus, semper illius sublimatio præmittatur, hac enim sola ab omnibus fæcibus & impuritatibus optimè liberatur, quod nullis cum aceto & sale ablutionibus vnquam ritè fiet: vnde Spiritum Mercurii, seu Chaos *Paracelso* vocatum præparaturus sic procede:

Spiritus Mercurij.

Mercurium prius sublimatione optime expurgatum, cum spiritu sulphuris, vel eiusdem oleo, aut aq. stygia in pulu. albiss. præcipita, aqua salsa ad eius repercussionem vsurpata; puluis sæpius aq. calente cōmuni edulcoretur, ab hoc sicco puluere, cū proprio dissoluente acido duplicem

plicem ſalem educito, vnum leniſſimum aquæ innatantem, lanugineum, goſſipii inſtar, ponderoſum alterum, & pellucidum veluti cryſtallum: ab vtroq; per vini ſpiritum, ſubſtantia magis tenuem & ſulphuream variis coſhobiis in ventre equi repetitis elicito, à qua vt omne corpus recedat, ſoluſq; ſpiritus remaneat, ignis admouetur, quo vini ſpiritus euaneſcat, & corpꝰ fundũ petat; liquor interim flagrãtiſſimus remanet ad admirabiles effectꝰ cõparatꝰ; in lue venerea ſuas vires potẽtiſſimè exerit, epilepſiæ medetur, cerebri & iecoris infarctus reſerat, lienis duritiẽ diſſoluit & alia plura præſtat. Idẽ Mercurii ſpiritꝰ fit ex ſolo crudo Mercurio, citra calcinationẽ, qui tñ modus paucis hactenꝰ innotuit.

Mercurij ſecretiſsima calcinatio.

Coquatur per ſe in vaſe ſeu matracio oblongo, vel alio, collo ſeſquipedali in furno aperto & valido calore, vaſe prius in arena demerſo, catino ſcilicet vel alio vaſe terreo ad id adaptato: ſit ignis continuus ad 40. dies minimum, vel quoad mercurius in rubicundiſſimum puluerem calcinetur. Eſt quidem ſat oneroſa iſthæc operatio, at tantæ efficatiæ, vt vtilitas damnum & laborem facile compenſet. Summum enim eſt remedium aduerſus peſtem, epilepſiam, vertigines & alios grauiſſimos capitis affectus. Doſ. 4.5.6.7.8. & 10. grana. Vomitum ciet, at vix aluum, cùm ſit tantum roborans, & diſſoluens prauos ſcilicet humores partes continentes iuuando.

Mercurius Regeneratus.

Mercurium more conſueto ſæpius metheoriſatum & in cryſtallinam diaphaneitatem redactum, per retortam cum duplo vel æquali portione calcis viuæ, tartaro vſto, & vna parte farinæ volatilis deſtilla, & in recipiente aqua frigida ſemipleno prodit Mercurius regeneratus dictꝰ Mercurio metallorum æquiparandus, qui *Paracelſo* lepram ſanat.

Subita Mercurij præcipitatio citra ignem.

Fit cum potentiſſima aq. forti è ſolo bolo armena, vel alumine vſto, & ſale nitro conflata. Præcipitat hæc aq. Mercurium æquali portione, fere in momento citra calorem: fugaces nitri ſpiritus à præcipitato per ſublimationem abſumũtur; eiuſmodi enim præcipitatum facillimè perſe cum botia ordinaria ſublimatur.

Quod ſi eiuſmodi ſpiritus hebetiores reddere enimꝰ ſit, ſublimationẽ ter, & quater repete: hac enim via duplicem perficies operationem, præcipitationẽ ſcilicet & ſublimationem, ex rubro album, & pellucidum reddidiſti Mercurium.

Sublimatum dulce.

Huic ſublimato commiſce terendo æqualem mercurii porti-

onem,& iterum ſublima. Quod ſi adhuc vltro pergere velis eodem calle ſalem lanuginoſum& cryſtallos parabis, & ex hiſce liquores præſtantiſſimos.

Magiſterium Mercurij ſeu præcipitatum ſang. inſtar rubicundiſſimũ.

Recipe Sublimatum eſſentificatum q. ſ. diſſolue aqua cõmuni per ſimplicem ebullitionem, diſſoluto guttatim affunde olei, ſeu liquoris reſoluti ſalis tartari grana aliquot, tunc raptim Mercurius fundum petit in puluerẽ rubentiſſimum. Dulce pariter efficitur variis aqua communi ſtillatitia ablutionibus factis; & ex hoc liquores, olea, balſama confici poſſunt. Sed de his plus ſatis. Nunc paucis perſeuerandũ quid de vniuerſali & balſamica illa medicina ſentiendum.

CAPVT XX.

De balſamitica antiquorum Hermeticorum medicina, ſola, vnica, vera, catholica: An talis in rerum natura exiſtat, & in quo ſubiecto latitet quid, qualisq; ſit? An omnes omnino morbos curare, & vitam ad præfixum terminum ſartam, tectamq; conſeruare poſſit?

SI veterũ Hermeticorum placitis & monimentis habenda fides, in toto hoc ſublunari orbe, vnica anima rationali excepta, nihil admirabilius, nihil ſublimiꝰ, nihil nec nobilius, nec præſtantius à Summo rerũ Conditore, in hominis gratiam procreatum fuit, vniuerſali illa, & omnibus ſeculis maximè decãtata Medicina, omnes impuritates, imperfectiones, & lepras, tã è metallicis, quam humanis corporibus auferente, eaq; ad verũ perfectionis, ſanitatiſq; ſtatum euehente.

An ſit.

Eiuſmodi autem Medicinam in ſublunari hoc orbe, & eſſe, & dari, omnis antiquitas, omnis omnium gentium, & linguarum, in eius traditione veritas; omnis omnium doctiſſimorum virorũ, qui omni ſæculo, ſumma cum admiratione, multorum & laude vixerunt, conſenſus teſtatur; ſeniores quoq; & primores, maiorq; hominum doctiſſimorum, Phyſico-medicorum, Phyſico-chymicorum pars idipſum ſtatuit. Et licet ferè ſuſpectum ſit, quod plurimis placet, cùm & olim, & hodie peſſimꝰ author vulgus habeatur, cùm tamen huius medicinæ veritas, & naturæ legibus quadret, nec rationibus è naturæ fontibus depromptis repugnet, ſed Phyſicis Medicis, Chymicis; imo & theoſophicis regulis conueniat, de huius medicinę veritate, & exiſtentia minimè dubitandum.

Multis magnis viris vniuerſalem medicinam innotuiſſe.

Hanc item Medicinam catholicam, quantumuis ænigmaticis, hyeroglyphicis, parabolicis, & mathematicis (vt de magicis, & hyperbolicis ſileamus) velamẽtis poſteritati conſignitã, à multis tamen & præparatam, & vſibus humanis adhibitam, viderunt ſummi Pontifices, Imperatores, Reges non pauci, Electores

res nonnulli, Principes aliquot, Comites, Barones, Nobiles, inter quos nobilissimum, & omni doctrinarum genere maximè insignem virum, D. Melchiorē Antonium ab Hagenbach P.M. (quem & honoris & amoris ergo nominamꝰ) qui numisma aureū, à nobili quodam viro ab vniuersali Medicina Argētorati paucis hinc ab annis è plumbo conflatum, tinctumque omniaq; ignis examina sustinens, sese & vidisse, & manibus tractasse, nō semel nobis retulit; vt nunc varios passim cuiuscunq; & ordinis, & status homines silentio prætereamus.

Vniuersalē medicinā extari, rationibus probari.

Hoc idem ratio & vera & certa, passim à grauissimis tùm philosophis, tùm medicis, & chymicis, è naturæ fontibus hausta suadet: Suadent idipsum tot viri sapientes vno harmonico ore, quorū doctissima de hac re monimenta passim extant, in quibꝰ sua hac vniuersali Medicina, humano corpori, perennem sanitatem, iuuentutis assertionē, recuperationemq;, & ægritudinū omne genus profligationem nō promiserunt duntaxat, sed facto ipso confirmarunt.

Robertus enim *Vallensis*, *Arnoldus Villanou. Raym. Lullius*, & alii complures testantur, hanc vniuersalem Medicinam, vi atque potestate cæteras omnes medicinas superare, qua homines sani, firmi, ac vegeti, citra alicuius morbi impedimentum, ad præfixum à Deo terminum peruenire possint: Vitam enim producit, sanitatem cōseruat, corporis facultatibus robur addit, morbos tùm calidos, tùm frigidos, humidos, siccos, aut occultis viribus vitam deprædātes è medio tollit, & iuuentutis florem, quoad vires, depulsā senectute conseruat.

Vniuersalis medicinæ effectus

Historia.

Ferunt enim *Ioan. Montano* Silesio præstantissimo & medico & chymico, in extrema senecta canos tùm capitis, tùm barbę capillos, vniuersali Medicina (alii terræ Strigensis ab eo inuentæ vsu) in nigros rursum fuisse conuersos. Et licet *Ioan. Franc.* non vniuersali Medicinæ, sed firmæ corporis constitutioni acceptū ferat, qua sola plurimi, citra alicuius medicamenti vsum ad 80. 90. 100. annum peruenēre, legimus tamen, gallinis, deuorato, tantæ medicinæ fermēto negligenter reseruato, decidentibus prioribus plumis, de integro nouas succreuisse, Et sanè ipse *Crollius* admirandas huius elyxiris virtutes miratus, non dubitauit illud vocare ignem cœlestem, non vrentem; omnium creatorū vitam & animam; subiectum omnium & elementalium, & cœlestium, firmamentiq; miris facultatibus, & operationibus atq; influxibus imprægnatum; omniū totius naturæ arcanorum theatrum; vniuersæ naturæ miraculum; quintam totius machinæ munda-

Gallinarum ex vniuersalis medicinæ esu reiuuenescētia.

Vniuersalis medicinæ encomia secundū Crollium.

mundanæ Essentiam; totũ mundum regeneratum, in quo totius naturæ thesaurus laceat; Solis deniq; & Lunæ filium qui suo in cœlum ascensu, & in terram descensu, omnes & superiorum, & inferiorum vires adeptus sit, vt smaragdina loquitur Hermetis tabula.

Vniuersalis medicina Solis & Lunæ filius.

Eiusdem insuper Medicinæ veritatem docet nunquam otiosa natura, quæ variis suis operationibus, semper ad perfectiorem statũ adspirat. Cùm enim metalla v.g. per naturam nõ solum ex Hydrargyro, & sulphure oriri, sed etiam adhuc in terræ visceribꝰ, & propriis mineris existentia, suo modo crescere, vegetare, & mixtione, concoctioneq; naturali augeri, & ad perfectionem tendere, cæterorum supra terram creatorum more, videamus: cur hominis naturam, itidem tùm ad sui conseruationem, tùm perfectionem tendere inficiabimur? Metalla ab initio non simul & semel procreata & facta sunt, sed sicuti cęteræ res diuinæ benedictionis crescentiam ac multiplicationem à summo ConditoreDeo acceperunt, vt etiam hodie ex imperfectis, gradatim ad ἀκμὴν vsque, perfecta fieri; diuersas ætates, Infantiam, Adolescentiam, maturam & senilem percurrere, & experiri videantur, vt testatur *Ioan Mathesius* acerrimus rerum metallicarum scrutator. Videmus insuper metalla tam perfecta, quàm imperfecta in currentem mercurium reduci: vidimus ferrum in chalybem, & vtrumq; in cuprũ mutari, non solum per aquas naturales in fodinis Zepudiensibus, Gœslarensibus, & aliis non paucis; sed per artificiosas illas cõmunis vitrioli solutiuas. In Cuticensibus enim fodinis, *teste Erckero*, ferrei claui lignis infixi, ibiq; per aliquot annos retenti, in verum, purum, putumq́ue cuprum, totâ & integrâ substantiâ mutati, reperti sunt. Non desunt qui tenuissimas ferri laminas, sępius ignitas, & aqua frigida extinctas, in oleo sulphuris per cãpanam facto, & aquæ fontanæ permixto, sex horarum spatio, lento igne coquẽdo, è viridi vitriolo, præuia vasis refrigeratione, collecto, & cum nouis laminis in aqua communi recocto, pulcherrimas veri æris nitellas igne reducant: simile quid & de cæteris metallis, apud *Alexandrũ Suchtensem* videre est; vt nunc alia sexcenta doctissimorum virorum experimenta, tanti Magisterii veritatem confirmãtia, silentio inuoluamus, quæ candidus Lector sat abunde apud *Robertum Vallensem Theobaldum Hoghelandium, Ripleum, Lullium, Rupescissam, Tauladanum, Claueum,* & alios quam plures videre poterit, è quorum monimentis apertè constabit, non absurdum esse, eadem medicinâ ritè præparatâ

Vniuersalis medicinæ veritatem naturam in dies demonstrare.

Quomodo metalla in dies crescant.

Metallorum inuicem transmutãdorum exempla.

qua

qua metalla in nobilorē, & perfectiorem statum transmutātur, hominis quoq; seu microcosmi lepras & impuritates tolli, euerruncari, & in meliorem statum conuerti, cùm vniuersalis medicinæ materia, & cum Megacosmo & cum Microcosmo symbolizet & harmonico cōsensu se mutuo foueant, amplectentur, & cōseruent, modo tamen abditiore, non cuiuis peruio, & perspecto.

Humanæ mētis indagine rerū naturas in dies magis magisq; scrutatā te vniuersalē medicinam demōstrari.

Mens deniq; ipsa, altior, & lucidior humani animi scintilla, diuina, & immortalis idem quoque aperte docet, quæ insito naturæ desiderio, quibuscunq; potest viribus, semper ad summa, semper ad optima, & naturę perfectionem intendentia, ad illud denique Dei donum prætendit, properatque; quo adepto, mens ipsa sana, in corpore sano; firmo, vegetoque, diu, multumque degere possit.

Verùm vniuersalis hæc medicina, sacra hæc philosophorum scientia, cùm in occulto abditioris naturæ armario reclusa sit, nec vllâ vi intentata, sed vel diuini Numinis inspiratione, vel oculari experti præceptoris demonstratione acquiratur, non mirum, si omnibus ferè, & nostro potissimum seculo plurimi reperiantur, qui partim in Deum impii, partim erga optimam sapientissimam, & liberalissimam naturam ingrati, tanti Magisterii, tantæq; medicinæ veritatem & efficacitatem strenuè pernegent: obiicientes à Conditore Deo frustrâ tot arbores, tot plantas, tot radices, cortices, semina, flores, tot lapides, gēmas, metalla, mineralia, sales, succos, omnisque generis animalia, tot, tantisq; virtutibus prædita, procreata fuisse, si vniuersalis hæc & catholica medicina daretur.

Vniuersalis medicinæ irrisio.

Responsio.

Atqui verò si hæc panacea æque facile omnibus innotesceret, atq; vegetabilium, mineralium, cæterarumq; rerum medicinalium naturæ, & potestates (licet & hęc ipsa plus satis adhuc obscuritatū & ignorantiæ tenebris inuoluātur) rectè vtique concluderent, cùm frustra pluribus fiat, quod paucioribus expediri possit: at cum paucissimis hucusq; naturæ fanum apertum fuerit; paucissimi item philosophicam clauem, secretas ad Dianę Balneum portas reserandas acceperint, cur non medicamenta, vel ex animalium, aut vegetabilium, aut mineralium familia deprompta & Spagyricè præparata, vicariū locum obtinerent? Cur non vel Rhabarbarum, vel Helleborum, Senæ folia &c, in substantia exhibuerit, si eorundem vel essentiis, vel tincturis, vel etiam vniuersali panchymagogo destituaris? Produxit Conditor aquam vniuersalem illum, & omnibus viuentibus maximè necessariū potum, & liquorem, vbiuis locorum facile repertibilē, an ideo

naturæ fanum paucissimis peruium esse.

Vniuersalis potus Aqua.

tot

tot vinorum genera, tot cereuisias, tot Zytha, Mellicrata, Hydromellita, tot pyracea, pomacea &c, frustra producta dixeris? Vniuersale alimentum Panis esse videtur, cùm vix animal reperiatur, quod pane nutriri nō possit, an ideo tot fruges, tot olera, tot fructus esculētos, tot carnes humanis vsibus destinatas, frustra naturam dedisse credendū? Quod si nonnulli tanti Magisterii possessores efficiantur, nec illud omnibus vel propalare, vel commune reddere velint, non tamen inferendum, illos vel in genus humanum iniurios, vel Christianę charitatis oblitos esse: Multa enim fieri possent, cùm tamen non expediat, non fiunt: Multa ænigmatico sermone protulerunt veteres philosophi, nō quod illa filiis doctrinæ inuiderent, sed vt indignos, fatuos, ac stultos à tanti thesauri possessione arcerent: quid enim acutus gladius in falui manibus? Omnes vult saluos Christus, locutus est tamē in parabolis, ne omnes caperent verbum, erga proximū charitatem exercere & Christianam, & moralem possumus, etiamsi non omnes in eum diuitias nostras profundamus; etiamsi non omnia vel recōdita, vel arcana reuelemus: Exercuit Samaritanus charitatem in hominem latronum vulneribus affectum, vulnerib⁹ scilicet oleum infundendo, & ea, quæ ad sanitatem reparandam facere viderentur, subministrando, non tamen op⁹ erat, vt, quæ in recondito haberet, exponeret. Imo verò si quis tanto munere potitus, illud omnibus palam faceret, aut prostituere vellet, eum minimè in cōscientia tutum dicemus: Nam etsi vniuersale hoc elyxir naturâ suâ optimum sit, & mirandos edat effectus, quanta tamen incōmoda è sinistro eius vsu insequātur, vel ex particularium, & optimorum remediorum abusu colligi potest. An non quatuor simplicia elementa, an nō ex iis orta elementa, v. g. vinum, plantæ variæ, helleborus, titymali, scāmonea, peplium: metalla item, & ex ipsis producta remedia, mercurii præcipitati, sublimati, aquilæ cœlestes &c, è quibus artis spagyricæ ingenio, vel medicinæ vniuersales, vel ad eas proximè accedentes panaceæ parātur, admirandarum virium medicamenta, tam vitam prorogātia, quam sanitatem conseruantia, & grauissimos morbos depellentia? Hæc tamen si ignari vel Medici, vel Chyrurgi, vel Empyrici man⁹ inciderint, quæ non dāna, quas non cædes, mortes, dolorum tormenta, & cruciatus inferunt? An non ergo prestiterit hæc medicamenta, licet per se bona, reticere, vel occultare, quam stultorum, tanta mysteria tractare ignorantium manibus, magno ægrotantiū malo, tradere?

Vniuersale alimentū Panis.

Multa nō fiunt quæ fieri possēt quia nō expedit

tradere? Nec hisce contenti vniuersalis medicinæ osores, sed petunt insuper, vt huius Panaceæ possessores, edito, per vniuersalē morborum curationem hacten' desideratam, specimine, veritatē ipso facto demonstrent. Si veterum dogmaticorum monimenta reuoluamus, vix apparebit illos veras & radicatas vel Epilepsias, vel Apoplexias, aut Cōuulsiones, Paralyses, Hydropas, Podagras, Lepras, Quartanas &c, decantatis suis Antidotis, Panchrestis, Pantagogis, Theodoretis, Zoiphilis, Soterijs, Lysipiretis Theodotis, Theopemptis, Panæretis, Polychrestis, Isochrysonis, vel Argirouagis &c, magno apud Mirepsium supercilio celebratis, persanasse: at si Hermeticorum vireta accedamus, cōstabit illos vel solis vegetabiliū & mineralium arcanis, essentijs, spiritibus, elyxirijs, oleis, salibus (vt iam de vniuersali hac panacea nihil dicamus) grauissimos sæpe morbos magnâ felicitate, & curasse, & in dies curare: non enim est, qui illud, nisi perfrictæ frontis sit, inficias ire ausit. Quid si hasce curationes tacito vniuersalis panaceæ vsu faciant? Nec enim illud apertè vel fatentur, vel fateri cogi possunt, se eiusmodi sanationes vel vniuersali, vel particulari medicina expedire; imo nec ob hominū ingratitudinem, animorumque volubilitatem, fateri expediret. Hoc tamen loci minime moramur AEsopicas illas fraternitatis RoseæCrucis cornicu-las, tot prodigiosorum mendaciorum plumis picturatas, qui supercilioſè plus satis, non solum omnium & scientiarum & artium absolutissimam cognitionē, futurorum vaticinia & diuinationes sibi adscribunt, & inter cæteras artes, quibus sese abundare iactitant & gloriantur, aurificam minimo loco habent, sed etiam vel vilissimæ herbulæ certa astrorum cōstellatione lectæ vsu, hominibus vitę ad 300. & plures annos diuturnitatem, dogmaticorum medicinam tot seculis comprobatam, Colones, & obscurissimi terræ filij explodūt; in quos illud *Plutarchi* pulchrè quadrat: *Vt Camelopardalis collo refert equū, pedibus & cruribus bouem, capite camelum, maculis tigrim, aut pardum: ita quidam vaniloquentiæ iactandiq; fastu turgidi, varias artes, ac summam sapientiam exprimunt, sibique attribuunt; si cultum inspicias, Deū esse indices; si loquentes audias satrapas loqui putes; si vitā expendas, nebulones inuenias; si scripta perlegas, vilißimos scurras augureris.* Hanc Cynodorum & Agyrtharum sectam, hanc circulatorum & circumforaneorum factionē, hanc aut ex egentissimis mendicabulis, aut cerdonibus & lixis conglobatam & coadunatam cohortem huius nostri æui in omni & linguarum & scriptorum genere summus Theologus *Iacobus Gret-*

Anvniuersalis medicina omnes curet morbos.

Veteres dogmatici suis panaceis astrales morbos vix ac ne vix quidem eradicasse.

Hermeticorum in curādis astralib. morbis felicitas.

Fratrū Roseæ Crucis censura

ferus, turbam quandam esse dicit, ex Magis, Paracelsistis, Alchymistis, Stibiarijs, Alembricarijs, Vstulatoribus, Anabaptisticis, Schvvelckfeldianis, fanaticis, & arrogantissimis Enthusiastis cõflatam. Itaq; vno verbo, tota roseæ crucis fraternitas nil aliud esse videtur, quam impudens falsitatis prostibulum, in histrionico apparatu; quam Pandora, mẽdaciorum farragine coagulata & compacta; quàm AEsopica cornix, alienis Magorum, & Menonistarum plumis exornata; quàm cento πολυκίφαγος, per aliquot annos ab Anabaptistis, nouis subinde incrementis, & additamentis auctus, depictus, coloratus, & expictus. Sed hisce missum factis, ad pensum redeamus.

Quis veram metallorum metamorphosin, (sophisticam hîc non moramur) tot seculorum decursu, tot grauissimorum scriptorum monimentis authorisatam, tot firmis rationibus è naturæ fonte depromptis confirmatam, tot experimentis, tot antopsijs stabilitam, nisi vel ignarus, vel stolidus, temerarius, & ab omni naturali philosophia alienus inficiabitur? An ideo inferẽdum hanc metamorphosin non dari, vel in rerum natura non existere, eo quod nec omnibus nec mihi, vel tibi obuia sit, & cõmunis? Quotusquisq; acriter in illã inuehitur, quam tamẽ clam possidet, eoq; tacitus domi suæ fruitur? Idem de vniuersali morborũ medicina esto iudicium: Nec enim dubitandum multos præclaros medicos hanc Panaceam intra priuatos & domesticos parietes possidere, eaq; alijs medicamentis permixta, ceu vehiculo, & additamento feliciter vti, qua naturam nostram roborent, firment, restaurent, reparentq; quæ cùm, *teste Hippoc. & Gal.* morborũ sit curatrix, vitæ, sanitatisq; conseruatrix, haud iniuria concludere possumus, natura per vniuersalem medicinam confirmata, & vitam, & sanitatem sartã, tectamque conseruari, omnes corporis vires roborari, & grauissimos morbos persanari posse. Vidit enim *Croll.* non sine maximo animi & stupore & admiratione, vnicâ tanti laticis exhibitâ guttulâ, per humidam Antiquorũ viam concinnatâ, omniumque & cœlestium, & terrestrium virtutibus impraegnatâ hominẽ morti vicinissimum, & iam animam agentem, igneâ suâ, cœlesti, & inuisibili naturâ, vitæ naturalis radium cordi influente, vitæ organa renouante, & defũctam pene naturam reparante, vna nocte ad firmam & perfectam incolumitatem reuocatum: cùm regalis hæc, & omnium medicinarum imperatrix, corpora subito, & quasi momento, & miraculosè regenerationis virtute, à grauissimis & deploratis morbis resuscitet, & resurgere faciat.

Natura morborum curatrix.

Vniuersalis medicinæ experimenta quædam.

Datur

Datur ergo vniuersalis hæc, & balsamitica medicina, arcanum hoc, & vitale sulphur, æthereus hic spiritus, per omnes res naturales diffusus, & è naturæ gremio eruendus, à corporeis vinculis, annexisq; heterogeneis liberandus, & artis ingenio, in microcosmi œconomiam, spirituum reficiendorum, viriumq; reparandarum causa, introducendus.

Quid sit vniuersalis medicina.

Multa hucusque de vniuersali hac medicina diximus, nunc propius accedendo videndum quid nam illa sit? ex qua cōsurgat materia? & quo artificio elaboretur? Mirū dictu profectò, quot, quantisq; tropis, figuris, allegorijs, parabolis, & ænigmatibus, scriptis, & picturis hyeroglyphicis veteres philosophi, in describēda huius medicinæ essentia, & materia vsi fuerint, quibus inscios, indignos, & minus cautos vel deciperent, vel à tanti thesauri inuestigatione deterrerent, illam rebus omnibus Elementalib⁹, tàm corporeis, quàm incorporeis; tā sensibilibus, quàm sensus fugientibus; cœlo item, terræ, aëri, flumini ipsi, viro, fæminæ, puero, seni, virgini, Regi, Reginæ, Hermaphrodito, seruo fugitiuo, varijsq; corporis partibus, capillis, sanguini, semini; Animalbus itē, ac volatilibus, eorumq; partibus vt Leoni, Draconi, Salamandræ, Serpēti, Basilisco, Pelicano, phænici, Corui capiti, Aquilæ volanti & expansæ; plerisque demum mineralibus, metallis, sulphuri, & Hydrargiro, comparantes, pro figurarum, & colorum in operis progressu apparentium varietate, proq; varijs, quas varie & deceptorie fingunt operationibus & præparationibus: vt iam varias Marchasitas, Magnesiam, Antimonium, Magnetem, Arsenicum, Vitriolum, Armoniacum &c, quæ in materiæ inuestigatione adducunt, sileamus. Nec his contenti, sed è terra ad cœlestia ascendentes, hanc medicinam cœlo comparant, Astris, Planetis, vento, vaporibus, meteoris, quatuor anni temporibus, pro varia scilicet operis diuersitate, (v.g. solutionem Hyemi, coagulationem Veri, rubificationem AEstati, & fixationem Autūno.)

Quibus rebus cōpartur vniuersalis medicina.

Vniuersalis medicina omnibus rebus cōparari potest.

Similitudinis igitur ratione, rebus omnibus vniuersalis hæc medicina conferri potest, quatuor Elementis, Elementatis, eorumq; qualitatibus, proprietatibus, passionibus, creationi mundanæ, generationi, corruptioni, mixtioni, tribus primis, actui & potentiæ, sympathiæ & antipathiæ, paci ac bello, vitæ & morti, & resuscitationi. Nec hisce quidem satis, sed ad maiorem tanti magisterij occultationem, inusitatis, incognitis, aut ad aliā prorsus significationem detortis vtūtur vocabulis, vt Azeth, (quod Indis Aurum; Armenis Argentum; Alexandrinis & Macedonibus ferrum; Græcis Hydrargirū;

Quibus nominibus à Veteribus indigitata fua erit vniuersalis medicina.

Tartaris AEs; Arabibus Saturn⁹ dicitur) Laton, Anima, Terra foliata, Magnesia philosophorum, Plumbum sapientum, Rebis, Fermentum, menstruum fœtidum, venenum, Hermaphroditus, Megacosmi fili⁹, de semine seu spermate Mundi natus vniuersali, vili, purissimo, ac virtuosissimo virtuales omnium & vegetabilium & mineralium scintillas continente: AEs item Hermetis, mercurius philosophicus, catholic⁹, crudus; omnis mirabilitatis subiectum, & id genus sexcenta, vt vix, ac ne vix quidem, sese quisquam ab eiusmodi tricis intricatissimis, nisi gratiæ & naturæ lumine illustratus, extricare possit.

Materiæ vniuersalis medicinæ nomina varia.

Ipsam quoq; huius elyxiris catholici materiam, quo minus innotescat, nunquam proprio nomine, sed varijs, fictis, & abstrusis vocabulis indigitant, appellantes illam, omnem rem, monstrū Hermaphroditicum; masculum, & fæminam; cœlum & terram; corpus & animam; chaos; confusam, & indigestā molem; Ruach Elohim; seu rerum omnium ἰσωδον, Quintam rerum essentiam Salem metallorum; Magnesiam philosophicam, in qua sola & catholica, sit Sal, Sulphur, & Mercurius catholicus, cum omnib⁹ ad hoc opus requisitis; Naturam seminalem, seipsam & impraegnantem, & concipientem, & parturientem.

Vocant autem vniuersalem hanc Panaceā, rem omnem philosophi, non solum quod omnia quibus indiget, quæq; ad sui perfectionem requiruntur, possideat, aquam nimirum philosophicam, primaterialem, catholicam vnctuosam permanētem, salem, aut tartarum Sapientum, atque totius chymicæ operationis radicem, sed etiam quod quinta hæc essentia, aut elyxir, tùm ex animalibus, vt sanguine, melle; tū ex mineralibus, lapidibus, & gēmis, corallis, perlis, &c, tùm ex vegetabilibus; potissimum vero è vino vt *Lullium Vlstadium, Isacū Holland. Rubeum. Quercet.* & alios, ad triplicem lapidem, animalem vegetabilem, & mineralem respicientes, videre est, concinnari possit: potior tamē philosophorum pars, huius magisterij materiam, è metallorum classe depromendam scribunt, suadentq; nō ad corporis nostri impuritates duntaxat tollendas, sed etiam ad imperfectorum metallorum lepras curandas, formamq; perfectiorem metallis introducendā.

E quibus rebus potissimum vniuersalis medicina eruenda sit.

At cùm in elaboratione nihil vel alienum, vel heterogeneum admittat, præsertim si de prima elaboratione sermo fiat, sed ex proprio semine, terræ philosophicæ, præ arte spagyrica præcultæ & præparatæ, iniecto, producatur, & erumpat, frustra illam in salibus, aluminibus, atramentis, vitriolo arsenico, auripigmento, sulphure, bismutho, stibio, magnesia, marca-

In quibus nō quærenda materia medicinæ vniuersalis.

Marcasitis, cæterisq; medijs mineralibus quærenda erit: Salium enim nomine, (licet operis & finis, & radices dicantur) non cõmunes & vulgares, sed è calce metallica philosophicè extracti, audiendi sunt.

Non item in stibio, alijsue medijs mineralibus quærenda elyxiris philosophici materia, tùm quod nec dum metalla sint, tùm quod Mercurio & sulphure philosophico, puto, fixo, & incõbustibili destituantur. Multi itẽ frustra in communi sulphure laborant, cùm philosophi de suo sulphure philosophico, ex intimis mercurij philosophici perfectorum corporum penetralibus petito, de Igne scilicet naturæ, simplici, non vrente, sed naturæ defectum supplente, loquantur. Frustra quinetiam prædictã materiam in communi, vulgari, & volatico mercurio quærunt: licet enim Mercurius sit alterùm huius elyxiris extremũ, cùm tamen ab vno extremo ad alterũ, non nisi per medium, fiat accessio, non poterit ad elyxiris materiam promoueri mercurius nisi interiecta forma metallica, ipse prius, & metallũ, & fixus reddatur, ideo philosophi tãtum de mercurio philosophico intelligendi veniunt, cùm mercurium vulgi, seu hydrargirum, filiũ perditionis, atq; peccati typum vocitent. Et sanè in magno isthoc Magisterio magnopere mercurij sublimationem commẽdamus. Nam id est principiũ artis, quod ex vulgaribus facit philosophica *teste Greuero:* non tamen sufficit ad artẽ: spiritus enim mercurialis saltem factus est, qui etiã præter cæteras proprietates in igne liquescit, vt possit esse aqua permanens, sicca, & lac virginis perfectionem & aptitudinem acquisiuit debitam, & hæc verè prima est materia, quam antiqui philosophi summis semper viribus occultarunt. Hęc est fæmina, est terra, est mercurius philosophorũ, est Azoth &c, in terram semina granum frumenti, idque calore foue solari, & lacte proprio irriga, nutrique generatum: consequeris optatum, scies iam ex tribus fieri Mercurium, ex duobus Lapidem, Balsamiticam illam & vniuersalem Panaceam, tantopere ab Hermeticis hactenus inuestigatam. Draco is est, est buffo &c. Is vorat suam caudam, ex volatico figitur, ex fixo fit volaticus. Leo viridis est solem absorbens, est sepulchrum & puteus solis, quod anima sua spoliata eademq; restituta reuiuiscit. Sed sacra sacris.

Elyxiris vniuersalis materiam ne ĩmperfectis nec perfectis corporibus sua mu.

Nec est vt quisquam existimet tãti elyxiris materiam ex imperfectis metallorum corporibus peti: hæc enim cùm & impura, & imperfecta sint, quomodo alijs vel puritatem vel perfectionem subministrabũt? Quomodo mũdus de immundo nascetur semi

ne? Quodſi perfectis corporib⁹ vti quis cogitet, quomodo aliis perfectionem, ſiue propriæ perfectionis iacturam communicabunt? Si perfecta ſunt, quomodo ad vlteriorem perfectionis gradum promouebuntur? Quomodo ſolidiſſimum auri corpus, omnem ignis violentiam ridens ſpernensq́; aperietur, eiusq́; forma, ſeu anima, imperfectis corporibus infundetur, cum *teſte Augurello*

---Vni quoniam nil deperit auro
Igne velut ſolum conſumit nulla vetuſtas
At neq; rubigo, aut ærugo conficit vlla,
Cuncta adeo firmis illic compagibus hærent.

Mẽſtruum philoſophorum catholicũ. Spagyri igitur ingenio, & vniuerſali illo menſtruo mercuriali philoſophico, vera ad Solis arcẽ claue vel ſoluendum aurum inſtructi, & in ſua principia reducendum, vel in non aurum redigendum exiſtimarunt. Hoc autem præterquam quod & factu difficillimum, & pauciſſimis cognitum ſit, quomodo tamen poſtea ex non auro, aurum parabis? aut quomodo manente propria forma (vt volunt) aurum deſtruxeris, & ad futuram generationẽ ſeruaueris? Poteſt quidem artis induſtria aurum cum Mercurio miſceri, & vltra ſuam naturalem perfectionem exaltari, ſed quotusquiſq; id præſtiterit, niſi exactiſſimo ingenio præditus? Et licet id præſtiterit, quomodo hui⁹ Magiſterij ſubiectum, ex philoſophorum ſententia, rem vilem, vbiuis repertibilem, tuebuntur Spagyri, cùm ex auro, re omniũ precioſiſſima exurgat?

Quomodo vniuerſalis medicina & vegetabilis & animalis & mineralis dici poſſit. Vult quidem *Lullius* ex omni re tam vegetabili, quam animali & minerali, hanc medicinam parari, & mineralem vocari, quod ex metallicis confletur; animalẽ, quod corpore, animâ, & ſpiritu conſtet; vegetabilem, quod & creſcat, & vegetet, & è ſpiritu, ſeu quinta vegetabilium eſſentia ſuſcitetur, vt eſt quinta vini eſſentia, quæ *Vlſtadio* cœlum philoſophorum; *Lullio* verò menſtruum dicitur, alijs circulatum tùm maius tùm minus (pro vario compoſitionis modo) quo ☉ & ☽ liquat, & reſoluit, ſummumq́; eſt ſanitatis arcanum, cùm eaſdem cum ☉ vires obtineat; ideo ſemper vult *Lullius* vegetabili hac aqua, hoc ſuo menſtruo ☉ liquãdum eſſe: licet enim à genere ☉ aliena ſit hæc aqua, in hoc tamẽ cum ☉ conuenit, quod non minus, quam ☉ corporibus ſanandis conueniat: nam *eodem Lull. teſte lib. Lucis Mercurior.* vegetabilis eſt hæc aqua, non ſolum, quod eius actione metalla quaſi vegetẽt, ſed quia ex vegetabilib⁹ depromatur. Lapidis enim ſpiritus ex qualibet re elementali, ſiue animali, ſiue vegetabili, aut minerali depromi poteſt, ideoq́; inter vegetabilia Viti, inter animalia Api; inter mineralia Mercurio primas deferenda. Cùm igitur lapidis ſpiritus, ea ſit pars, quæ toti lapidi nomen imponit,

Cœlum philoſophorum quid.

& cuius ope, reliquæ partes copulantur: cùmq; idem spiritus in omni re tàm animali, quàm vegetabili, & minerali reperiatur, hæc autem tria passim vbiq; occurrant, ideo philosophi suum lapidem in omni loco & re inueniri asseruerunt, eiusq; materiam vbiuis locorũ esse, & apud quosuis reperiri, in terra & aqua, in sicco & humido, quæ vbiuis reperiuntur: Hinc *Hermes* Aquam summum mysterium vocauit, cùm hæc cuiuis Enti insit.

Quomodo lapis in omni re reperiatur

Si tamen veris philosophis habenda fides, & res paulo altiore iudicio libretur, & animus sit, non hominum modo, sed & imperfectorum metallorum corpora ab innatis impuritatibus liberare, & ad perfectionis statum prouehere, procul dubio tanti elyxiris materia, in mineralium familia quærẽda erit, vt paulo post dicemus, in eiusq; debita præparatione, contrariæ, & corrosiuæ præparationes, extractiones, calcinationes, solutiones, dissolutiones, resolutiones neutiquã philosophicæ omittendæ; ea verò amplectẽda materia quę lugubri veste induta, odore etiã graui, & fætente, tactu mollis, & homogenea, à plurimis perquisita, à paucissimis vel cognita, vel inuenta; & suâ aquâ, suâ inquã, quã sitis explendæ causa auide expetit, aliquantulum potanda, non quidẽ suam ob causam, sed vt satiata, & viribus resumptis refocillata, nostris demum defectibus auxiliatrices præbeat manus. Magna hæc sunt, & stylo Hermetico scripta, quę si minus intelligas Pamphile, arrige aures, paucis multa, & clara, quantum quidem per Harpocraticũ silentium licebit, ex Hermeticorum adytis penitioribus eruta, vsu, & experientia comprobata, proferemus.

Vniuersalis medicinæ materia in mineralium familia quærẽda

Quæ operationes in medicinæ vniuersalis materia præparanda reijciẽdæ & quæ admittendæ.

Magisterium hoc metallicum, vniuersalem hanc panaceã, tum humana, tùm metallorum corpora impura curantem, præseruantemq; elaboraturus, semine prius metallico, in agrũ, seu terram philosophicam proijciendo opus erit: metalla autem sua æq; bene atq; animalia, & vegetabilia, habere semina, & ex superius iam dictis, & ex ipso *Augurello* sic canente constat:

Hordea cui cordi. demum serit hordea; in Auro
Semina sunt Auri, quamuis abstrusa recedant
Longius, & magno nobis quærenda labore.

Hoc autem semen operatur in subiecto sibi à natura attributo, & multiplicatur in imperfecto metallorum agro, & imperfectionis causam, sulphur nimirum separat, donec tantum supersit, quod sibi est simile, ☿ scilicet purus, putusq;, ex quo ☉, quod nil aliud est, quam purus, perfectus, percoctusq; ☿, qui est matrix, cum suo semine metallico.

Semẽ metallorũ

Materialis metallorum causa, igne *iudice Fusorio*, constat aquam esse, quæ non suis, sed alijs terminis terminatur, ipsa antopsia id attest-

materia metallorũ quid

attestante. Quod autem tangenti non adhæreat, nec ignis vim sustineat, apparet iam pastã esse; vnde eiusmodi habet qualitatẽ, nimirum subtilis terræ mixtionẽ cuius siccitatem & frigiditatem passa ita qualificatur, vt tangenti non adhæreat, nec vim ignis sustineat. Hæc aqua passa vocatur, estque verè communis omnium metallorum materia, seu ☿ metallicus, quos Deus Conditor in orbe hoc sublunari, vnica hominis anima excepta, nihil excellẽtius creauit, cui adiunxit propriũ agens, quandam nimirum mineralis terræ speciem, velut efficiens ad materiam, masculum, fœminam; cœlum ad terram; aut coagulum ad lac, quod Hermeticis Sulphur nuncupatur. Hoc autem duplex est, volatile & fixum, seu externum, & internum. Secundum agens non potest esse pars permanens cuiusquam compositi materialis. Natura in terræ visceribus concoquendo separauit istud agens à materia quantum purum præstare potuit; quæ materia est dictus ☿ qui quanto purior & syncerior euadit, tanto perfectior sequitur effectus, vt in ☉ videre est, minus vero in cæteris, iuxta cuiusque gradum. Simplex enim naturæ opus est, in simplici ☿ non fixo. Et hęc est illa toties decatata philosophorũ clauis, qua Solis atrium panditur; hæc aqua sapientũ, vnica, sola, & catholica, omnia corpora metallica, ab impuro, pũcti quaternarij, coagulationis vinculo, philosophicè & naturaliter liberans, nec aliud est sub cœlo, corpus auri physicè dissoluens, quam vniuersale hoc mẽstruum philosophorum mercuriale, totius naturæ secretissimũ. Qui enim secreta hac aqua philosophica, calcẽ ☉ & ☽ ita in ☿ resoluere ignorauerit, vt ei per minima, sicut lac lacti, iungatur, & hoc modo è corpore ☉ prius in naturã mercurialem redacto, animam non extraxerit, & suo tempore eidem non restituerit, tanti medicamenti possessor nũquam fiet.

Aqua passa cōmunis omniũ metallorũ materia.

Arrige aures Pamphile.

Quo autem id faciliori negotio contingat, notandum huius artificii opus bifariam considerari; in ☿ scilicet fixo ☉ & ☽; & non fixo, quibus concoquendis, & separãdis, ars tota occupatur, suumq; finem tantùm nobilitat, quantum partes homogeneæ à natura acceptæ perfectæ sunt, & plures: & tamen non plures, quã vnicus ☿ fixus, quem non habuit natura; & nõ fixus, quem à natura accepimus, quo si carerem, tota ars nulla foret. Fixum volatile faciendum est, & volatile ad fixam naturam perducendũ, soluendo, coagulando ita, vt liquescant mutuo, alterumq; trãseat in alterius naturam, fiatq; aqua permanens, & lapis ad nigrũ albumq; ad summam prouectus rubedinem, constantiamque in

omni

omni argumento Dokimasiarũ metallicarum, & fluens in lamina igni facta, instar ceræ, ingrediens sine fumo, & tingens ex natura suæ perfectionis. Contritio hic naturæ debet esse nõ manus, opus per agi vno igni vno vitro semper clauso, ex vna materia, vno processu.

Ars itaq; in suis operibus naturam imitatur, & agens à sua materia, seu à suo ☿ separat, quò cùm peruenerit, non in metallũ coagulat, sed in lapidem, aut verius in semen, ex spiritu in corpus, vel in fixum Mercurium, qui glaciei instar funditur, & liquescit, tingit, perficitq; & olei instar penetrando, omnia in sui similitudinem conuertit, vt canit *Augurell.*

Ipsius vt tenui proiecta parte per vndas
Æquoris, argentum tunc viuũ si foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

Germen omniũ perfectorum metallorũ.

Et hoc verum est semen seu germen omnium perfectorum metallorũ. Quod si ad superiora attendamus, inueniemus metalla vnam habere & materiam, & efficientem, formâ verò differre, ductâ causâ ab agente non separato: Et quia natura duobus nititur ☿ scilicet & sulphur. Ars æmula hisce vti cogitur. Natura autem in seipsa habet, quo vtatur, quod ab eadem ars mutuatur. Natura primum ex Elementis laborat: Ars à natura accipit fixum, & volatile: Hoc, natura dedit, siue sulphur purum ☿ vulgi, ab arte purificandum, & philosophicum reddẽdum, vt paulò supra docuimus. Natura verò dedit fixum à suo sulphur. separatum, ne dum tamen plene purũ ☿ ☉. Cùm enim post solutionẽ adhuc separatio fiat, dum Lucifer è cœlo cadit aureo, hos duos ars coniungit, soluendo vnum, coagulando alterum, & sunt tamen non nisi vnum. Aurum purus ☿, *teste Tauladano,* cuius clauis est noster Hermaphroditus, exterius frigidus humidus, interius calidus siccus: Hi inuicem agunt, donec fixũ separetur, postea vniuntur. Sulphur est causa corruptionis & imperfectionis. Hæc omnia vnus solus ignis, in vna substantia, vno in vase (post primam elaborationem) vnà in operatione absoluit ars, donec semen foras erumpat, Vulcani ope elaboratum, quod postea dicitur flos, tinctura, & anima ☉. Semẽ enim in debito agro proiectum, primo soluitur, solutum in sui augmentum incorporatur in herbam crescit, mox in cauliculos exurgit, tandem fructum centuplum producit, profunditque; tandem reiterato opere, in infinitum multiplicatur. Sic si fixum non fixo iungatur, hic quasi spiritus, fixum penetrat, soluitq; solutũ, se spiritui in omnis perfectæ & fixæ naturæ substantiam conformat.

Nihil autem in toto hoc opere magis negotium facescit, quã

ignis & cognitio & regimẽ: *Georgius Riplæus*, essentiam ☉ & ☽ mercurium, certissimum & naturalem operis ignem, tincturam, animam, & lapidem cum vento eleuatum, in terra generatum, menstruum inuisibile, & naturæ ignem, cuiuis naturali Enti inexistentem appellat, intrinsecus in vase excitandum, & corpora efficacius igne elementari comburentem. Veram huius ignis philosophici cognitionem, cum nouisse tantum intersit, illũ paucis ex *Ioan. Pontani* mente sic describemus. Nostrum instrumentum, quod materiam in esse tam in prima, quàm secunda & tertia operatione deducit, nõ est ignis balnei, non vaporis, non cinerũ non arenæ, non ventris equini, nec alterius alicuius ignis, de quibus philosophi multa; sed lapis philosophorum est vnus & multipliciter nominatur. Est enim aereus, aqueus, igneus, terreus: Est & sulphureus, est argẽtum viuum, multas superfluitates habens, quæ verissimè in verissimam essentiam conuertuntur, mediante igne nostro, quo mediante, superfluum, immundum, fæculentum, tota denique subiecti materia, in corpus spirituale & fixum perficitur. Noster ignis non comburit materiam, nihil de materia separat, nõ partes impuras à puris segregat, sed totum subiectum in puritatem agit: Non sublimat, sicut *Geber* sublimationes, & *Arnold.* Mineralis est, æqualis, cõtinuus, non euaporat, nisi nimium excitatus: de sulphur. participat, aliunde quàm à materia sumitur, nec cum materia transmutatur, quia non est de materia; omnia diruit, soluit, calcinat, coagulat omnia; estq; artificialis ad inueniendum; est compendium sine magno sumptu; est ignis cũ mediocri ignitione, quia cum remisso igne totum opus perficitur, & simul omnes debitas facit sublimationes, ex *Gebri* & aliorũ philosophorum lectione. Hic ignis nunquam, vel non nisi difficillimè dignoscetur, quia ipsũ nunquam indigitarunt, vno excepto Artephio. Omnes artis errores, ex huius ignis nostri ignorantia fluunt. Sumatur ergo lapis, & teratur, tritione philosophica, vt paulo ante indigitauimus, & ad ignem dimittatur, cuius debita sit proportio, vt nimirum tantũmodo materiam excitet, & breui hic ignis absq; alia manuum appositione, totum opus complebit: Nam putrefaciet, corrumpet, generabit, & perficiet, tres colores, nigrum, album, rubeum excitabit; & mediante hoc igne, multiplicabitur medicina, si cum cruda materia iungatur. Hic ignis est totius philosophiæ clauis, quam philosophi nunquam suis scriptis reuelarunt.

Ignis philosophici descriptio & regimen.

Ignis philosophicus totius naturæ & artis clauis.

Ergo in hoc opere vitanda Elemen-

Quæ in hoc opere Vitāda.

lemētorum ſeparatio (ſi de prima operis elaboratione ſermo fiat) licet frequenter de ea loquantur philoſophi, ideo vbicūque de Elementorum ſeparatione mentio ſit, vitanda, nimis enim & periculoſa, & incerta eſt. Vitandæ inſuper omnes mundificationes, ablutiones, Elementorum ſeparationes, calcinationes, deſtillationes, ſolutiones, & coagulationes, omneſq; peregrinæ operationes, in quibus curæ, & varia ignis regimina occurrunt. In vniuerſali enim hoc magiſterio elaborādo, prædictis operationibus, artificem minus oculatum facile decipientibus, non eſt opus; non enim hoc loci ſeparanda Elementa, cùm munda & pura ſint: nulla item re aliena opus, cùm vnum ſit genus, res vna, vnum vas, vna forma, vnum ad album, & ad rubeum opus, cùm ſemetipſum ſoluat, ſublimet, coagulet, fixet, & perficiat ſemetipſum, vt merito ſcripſerint veteres philoſophi, in Mercurio (philoſophorum) omnia reperiri, quibus artifex indigeat; item Ignem & Azoth omnibus abundè ſufficere; quæ tamen de ſecunda huius Magiſterii elaboratione, quam puerorum ludum vocant, intelligēda veniunt, materia nimirū iam præparata, & præculta. De tertia verò huius magiſterii elaboratione, in qua potiſſimum de fermentatione, multiplicatione, & tinctura agitur, nihil hoc loci dicemus, cùm paſſim abunde à philoſophis pertractata ſit, nec noſtri inſtituti ſit, pluribus hiſce immorari, qui hanc materiam perfunctoriè tantum & quaſi per tranſennam tractamus; licet tertia, & vltima Lapidis elaboratio maximi quoq; momenti videatur: quotuſquiſq; enim hoc magiſteriū fauente Minerua ab initio ad finem feliciter perduxit, fermentationis autem & multiplicationis arcanum ignorauit? Quis neſcit, multos ab artificib⁹ vel vi, vel precibus, aut pretio, tanti laticis portionem accepiſſe, qua tum in ſanandis corporibus, tùm in tingendis metallis miracula præſtitere, at demum deficiente, ob fermentationis & multiplicationis ignorantiam, materia, in riſum abiiſſe? Sed de tanti medicamenti effectibus agamus, & num omnes omnino morbi eo perſanari poſſint, paucis videamus.

Huic lapidi, huic elyxiri, huic vniuerſali panaceæ, Hermetici immēſas & pene diuinas adſcribunt facultates, ſi tabulæ Hermeticæ ſmaragdino lapidi inſcriptæ habenda fides, quæ ſic habet: *Verum, ſine mendacio, certū, & certiſſimum: Quod eſt inferius eſt ſicut id, quod eſt ſuperius; & quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius, ad patranda miracula rei vnius. Et ſicut omnes res fuerunt ab vno meditatione vnius: ſic res omnes natæ ab hac re adaptatione Pater eius eſt Sol: mater eius eſt Luna: portauit*

Tabula ſmaragdina Hermetis.

illum ventus in ventre suo; Nutrix eius Terra; Pater omnis Telesmi totius mundi hic est. Virtus eius integra est, si versa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, subtile à spisso, suauiter cum magno ingenio. Ascendit à terra in cœlum, iterumq; descendit in terram, recipitq; vim superiorum, & inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi; ideo fugiet à te omnis obscuritas. Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem subtilem, omniaq; solida penetrabit. Sic mundus creatus est. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus hic est. Itaq; vocatus sum Hermes Trismegistos, habens tres partes philosophiæ totius mundi completum est, quod dixi, de opere Solis.

Ex hac Hermetis tabula non solùm veram, & perfectam totius Magisterii elaborationẽ, sed & eiusdem immensas tam in diuitiis & honoribus acquirendis, quàm in morbis persanãdis, potestatem, & efficacitatem facilè colligimus. Quid, quantumque in coaceruandis diuitiis ob decãtatam illam metallorum metamorphosin, præstet, nostri instituti non est, vt examinemus, sed inquirere duntaxat, quid, quantumq; in vitæ propagatione, sanitatis conseruatione, & morborum propulsione præstare possit. Vitam vniuersali hac medicina produci, sanitatemq; & sartam, & tectam conseruari, passim integro huius operis progressu ostendimus; de morborũ autem omnium curatione aliquo modo dubitamus.

Vitã hac vniuersali medicina produci, sanitatẽq; cõseruari.

Robertus Vallensis scribit quidẽ huius medicinæ vsu hominem ad præfixum à Deo vitæ terminum, à morbis tutum & integrũ conseruari posse: *Villanouanus* in *Rosario* scribit hanc medicinam vim & virtutem super alias omnes medicinas habere, omnes infirmitates tàm calidas, quàm frigidas, humidas & siccas occulta & subtili proprietate curare, sanitatem conseruare, virtutes corporis omnes roborare, iuuentutis florem reparare, & omnem ægritudinem expellere: venenis potenter resistere, arterias humectare, cõtenta in thorace expectorare, exulceratos pulmones consolidare, sanguinem mundificare, contenta in spiritibus expurgare, & mundos cõseruare, & vnius mensis ægritudines, vno die; vnius anni, duodecim diebus sanare, insitum balsamum roborare, seminarias impuritatum tincturas euellere, soluere, & consumere: vniuersalem enim sanationem scribit *Seuerinus* esse impuritatum, seu radicum morbidarum in humana anatomia, non necessaria mixtione insitarum ablationem, quæ balsamo naturali, remediorum humanæ naturæ consentaneorũ perficiatur resoluente, consumente, & seminarias impuritatum tincturas dissipante; innatũ verò

Num vniuersali medicina omnes morbi curari possint.

Quid sit vniuersalis sanatio.

verò Microcosmi balsamū corroborante, conseruante, & custodiente. Imo verò non desunt hodie, qui fronte plus satis perfrictâ scribere ausint, hac medicina, omnia vegetabilia, arboresq; steriles curari, & fertiles reddi; hyemem in æstatem, & æstatem in hyemem mutari: nimirum vt hyemali tempore omnis generis & plantas, & flores habere liceat: imò vt arbor vno eodemq; anno sexies fructus suos producat; vt venenata planta in salubrem; putrida & cariosa in bonam mutetur, & fruct⁹ praui in bonos vertantur, speciem etiam (si diis placet) mutēt. Imperfecta item metalla in perfecta, communes lapides in gemmas, carbunculos, smaragdos, hyacinthos & rubinos transmutari: hominem ab omnib⁹ morbis liberari; è sene iuuenem; ex infirmo robustissimum fieri, & alia sexcenta.

Hyperbolica quorundam de vniuersali medicina encomia.

Nullo tamen modo existimādum est, vniuersali hac medicina, in genere omnes omnino morbos tàm similarium, quam organicarū partium, tùm in excessu, tùm in defectu, in conformatione, aut etiam in continui solutione occurrētes curari posse: quis enim vulnera, vlcera, luxationes, fracturas, hernias, & consimiles affectus chyronias manus, seu chyrurgica præsidia exposcentes, vniuersali hac panacea curauerit? Licet enim naturæ sint morborum curatrices, vt alibi ex *Hippoc.* docuimus, in hisce tamen affectibus persanādis, chyrurgicas quoque manus reposcunt, quarum auxilio destitutæ, nunquam membra vel luxata, vel fracta per se reponerent. Quis item calculos nimiū induratos & coagulatos, quis morbos hæreditarios, hecticos consumatos, phthysicos deploratos, caneros confirmatos, gāgrænas, sphacælos, & quę ad cōtinui solutionem pertinent, rupturas, fracturas, luxationes, dislocationes, principalium viscerum, maiorumq; vasorum vulnera, se hac panaceâ curaturum iactare ausit? Omnes omnino morbos sanare, non humanæ opis, sed solius diuinæ est potentiæ, quæ cæcis visum, surdis auditum, claudis ambulationem, leprosis, corporis puritatē, mutis loquelam, mortuis vitam restituere potis est. Qui verò ab internis humorum vitiis, ab interna radice, seu impuritatum tincturis pullulant, & suscitantur affectus, etiam grauissimi, vt sunt Epilepsiæ, Catalepsiæ, Apoplexiæ, Paralyses, Cephalalgiæ, Phrenitides, Lethargi, Anginæ, Pleuritides, Colicæ, & tartareorum morborum familia, Hydropes non confirmatæ, Nephritides, Febres, & id genus, ab ingenuo & experto medico: huius vniuersalis Elyxiris verò & effectore, & possessore non persanari

Nō omnes morbos vniuersali medicina curari.

Qui morbi ab vniuersali medicina curentur.

nari tantum, ſed & fauente Numine præſeruari, & arceri poterunt, quatenus nimirum ipſam naturam omni morbo ex æquo contrariam, hoc medicamento roborant: Hæc enim etſi ἀπαίδευτος cùm ſapientiſſima ſit, & morbis grauata, mederi magnopere geſtiat, & *teſte Gal.* animalium ſeruatrix, morborum victrix, ac decretrix habeatur, minime dubitandum, quin hoc medicamento confirmata, conuenientia ſit conſeruatura; quæ aliena ſunt, ſeparatura; in morbis concoctionem, diſcretionem, atque euacuationem molitura, ſuaſq; vires omnibus partibus explicatura, atque ea ratione ſeſe morbis oppoſitura, inteſtinas diſſentiones reſciſſura, morboſaſq; tincturas, in ſanitatis cõſtantis tincturas ſit tranſplantarura.

CAPVT XXI.

De ſpecifica, Hippocratico-Hermetica præcipuorum particularium morborum curatione, ſpecificis, longoq; vſu comprobatis remedijs abſoluenda; & primo de Affectuum, mentis arcem occupantium curatione.

VErùm enimuerò cùm non omnibus conceſſum ſit adire Corynthum; nec cuiuis Heſperidum hortus pateat, è quo aurea legere poma; vel nudam, & in Dianæ balneo natantē videre naturam; vniuerſalemque medicinam aut diuina inſpiratione, aut fidi, & experti præceptoris operâ addiſcere poſſit; Pantheo huic noſtro coronidē impoſituri, ſelectiora, & ſpecifica quædam medicamenta, præcipuorum quorundam morborum curationem reſpicientia, ex vberrimo Hippocratico-Hermeticorum viridario deprompta, lõgo vſu, & experientia, nobis 30. iam annis medicinam facientibus, confirmata, in mediū proferamus, quibus non ſolum vitam in multos annos producere, firmamq; valetudinem cõſeruare, ſed etiam vel incurrentium morborum inſultus præcauere, vel iam præſentium impetus infringere, & profligare valeamus.

Hoc tamen loci candidum Lectorem præmonitum volum⁹ nos exactam morborum hiſtoriam, eorum eſſentiam, naturā, cauſas, differentias, ſigna, prognoſtica, & curationem, continētem minime tradituros, cùm illa iam pridem & ab antiquis, & recentibus authoribus hanc materiam ex profeſſo, & data opera tractantibus, fuſe, & neruoſè abſoluta ſit: ſed cuiuis morbo hoc, & ſequentib⁹ capitibus peculiaria, & ſpecifica duntaxat medicamenta adſcripturos: deinde neminem facile ſpecificā hanc morborum curationē aggredi, vel tentare debere, niſi corpore prius bene diſpoſito, & præmiſſis vniuerſalibus euacuationibus huius libri initio fuſè traditis, præculto & præparato. Tædioſum enim tūc candido

Lectori, tùm nobis fuisset, ad cuiusuis morbi curationem, semper euacuationum necessariarũ modos, & vsus fastidiose inculcare, & repetere. Primum ergo de affectibus potioribus mentis arcem occupantibus agemus.

CEPHALALGIA, CEPHALAEA, HEMICRANIA.

Caput fere vel intemperie, vel cõtinui solutione dolet: Intemperie autem vel simplici, vel composita; cùm, vel sine materia; eaq; vel in toto cerebro, vel in venis, arteriis, membranis, neruosisq; corporibus: solutione verò continui, vel ab acri, erodente, putri, bilioso, salsoue humore; vel à vulnere, casu, cõcussione, punctura, vermib⁹, malignaue, & occulta qualitate, carie, distentioneq; ab humorib⁹, aut flatuum, vaporumue copia excitata; vel demum ab obstructione, crasso nimirum & viscoso humore, aut spiritu vehemẽter vaporoso, angustos capitis meatus intercipiente, in suturis colatoriis palati ossibus, & quæ ad nares, aures, oculos, & spinã pertinent.

Dolorũ capitis causæ.

Ad tollendos capitis dolores & præsertim Hemicraniam, felici successu vtimur pillulis catholicis *Paracelsi* hoc modo paratis: Aloes succotr. ℥i. Turbith. gummos. Fibrar. hellebor. nigr. a. ℥ß. coloquinth. ʒvi. diagrid. agaric. albiss. a. ʒiii. cum spiritu vini, specieb. diarrhod. abbat. impraegnato fiat extractum. Dos. ℈i.

Remedia capitis dolorẽ tollentia.

Eosdem dolores, & Himicraniam *Fernel.* sequentibus pillulis curabat: Aloes opt. ℥ß. pulu. electuar. de gemm. diatrion santalor. rosar. rub. a. gran. iii. cum syrup. de absynth. f. pillul. Dos. alternis diebus ʒi. vna hora ante cibum.

Pillulæ Fernelij ad Hemicraniam

In curãdo capitis dolore maxime vsurpanda sunt anodyna, dolores sopientia, vt semperuiuum, solanum, portulacę succus, acetum rosaceum &c, forinsec⁹ admodum; Excellit hic spiritus vitrioli dulc-acidus, resolutos, biliosos, ac tartareos vapores coagulans, expellens, & consumens. Idem præstat & oleum salis ad 6. 7. 8. 9. guttas in aq. lauendul. maioranæ, betonic. saluiæ, lilii conuall. basilic. &c. exhibitum. In capite confortando, & à fluxionibus pręseruando, laudatur garyophilata, & acorum vino macerata, & epota, aut in essentiam reducta. Laudatur & liquor rutæ, saluia nobilis, oleum panis, cum tinctura mastichis. Oleum serpilli, maioranæ, fæniculi, succini albi. In capitis dolore *Croll.* laudat mercuriũ cum oleo sulphuris campanario pręcipitatum, & cum pillulis cochiis exhibitum.

Anodyna.

Confortantia caput.

In rabiosis capitis doloribus, frontis vena incidatur. Nos in maximo & perenni capitis dolore cuiusdam Matronæ Bruntrutanæ, in sutura coronali cauterium

te.ium inuri curauim⁹, post paucos dies omnis dolor cessauit, nec hactenus rediit. Nō desunt qui intensissimis capitis doloribus, vbi frigidis admotis nihil perficitur, spiritum vini alcoolisatum capiti circumponunt, sperantes, se hoc modo spiritus æstuantes similitudinis vi, à congeneribus extracturos.

Quod si plus satis vrgeant dolores, cancrorum fluuiatilium & semperuiui succus, & in vnguenti formam redactus, addito cāphoræ, vel eiusdem olei momēto temporibus applicatur. Idem fit oleo amaraci, si vtrique auri guttula infundatur.

N.B. In cuiusuis doloris capitis curatione, quę citra distinctionem suscipienda non est, semper alui ratio habenda, ea enim si suppressa fuerit, frustranea erit omnis medela. Ideo sæpe graues capitis dolores, sola lenientis clysteris infusione curamus. Nō adhibenda Opiata, seu Laudana, nisi corpore prius & capite euacuato, modo non nimium vrgeat dolor. Topica vt sunt Epithemata, fomenta, embrocationes, cucuphæ, splenia &c, in principio repellant, mox discutiant, tandem robur afflent. Ex horū numero, maximi facimus Epithema, è florib⁹ sulphuris in nodulo ligatis, & in vino albo quoad albescat coctis paratum, grauissimos enim dolores subito sedat. Proximè accedit euulsio amygdalarum amararum cum aqua semperuiui, aut sperniolæ, & aceto facta, addito salis anodyni momento.

Clysterum vsus in capitis doloribus.

Topicorum vsus.

PHRENITIS.

Phrenitis quid.

Est cerebri, membranarumq́ue eiusdem inflammatio, perpetuumq́; cum febre acuta delirium vel ex simplici copiosi sanguinis inflammatione, vel erysipelatosa à flaua bile, aut bilioso humore vsto, & in atrum verso, ipsum cerebrum, eiusque membranas occupante excitatum.

Phrenitis curatio difficilis.

Difficillima est phrenitidis curatio, tùm propter partis affectæ præstantiam, morbique acutissimi, & sæuissima symptomata inducentis magnitudinem; tùm maxime propter ægri contumaciam: ob hanc enim vinculis sæpe constringendi, & non temere soluendi sunt phrenitici. Ipso igitur statim principio curandi sunt *teste Hippoc.* & valentissimis quidem remediis, cum extremis morbis, extrema remedia optima sint.

In omni phrenitide mittendus sanguis, si nihil prohibeat, nimia scilicet in corpore sanguinis copia: sed in phlegmanode & liberalius & audentius, quā in erysipelatode. Purgantia blāda, & lenientia sunto.

Vitandus in phrenitide assiduus refrigerantium & repellētium topicorum vsus, ne in Lethargum commutetur morbus; & ne, cùm poros constringant, fumi

fumi in capite retineantur.

Si vires nimium prostratæ nõ sint, anodynis, & laudano opiato vti poterimus, cùm spiritus efferuescentes, & indomitos demulceant, & coagulent, si ad 3. 4. vel plura grana exhibeantur.

Ad obstructionis apertionem faciunt, spiritus vitrioli philosophicus; arcanum vitrioli, essentia hellebori nigri, sal vrinæ; spiritus salis; spiritus nitri.

Confortantia caput. Contemperato bilis feruore, ad confortandum cerebrum, exhibentur aliquot grana salis, vel essentiæ perlarum: Liquor viridis, seu tinctura cærulea argenti; essentia Topazij, Saphyri, Smaragdi: oleũ frumenti, panis, succini: Balsamum sulph, Magisteriũ cranij humani &c. Scribit enim *Paracels. in tractatu 3. Paragrani de Alchymia*: Grauiores morbos Apoplexiam, Paralysin, Lethargũ, Caducum, Maniam, Melancholiam, Phrenitidem, non pharmacopœorũ decoctionibus tolli. *Barthol. Anglus* Phrenitidis curationem à somniferi seu anodyni exhibitione incipit, mox obstructiones aperit, tandem cerebrũ roborat: in eundem finem *Montanus Silesius*, terram Silesianam, ceu præstantissimum remedium exhibet.

MANIA.

Maniæ definitio & causa. Est furiosa citra febrem insania, ab atra bile exorta: Cùm enim atra bilis; vel Melancholia, vel sanguis, vel flaua bilis ex vstione genita est; Mania insilit, & adoritur, quæ proinde sæpe succedit incalescenti melancholiæ. Ater hic humor, similiter atque melancholia, aliàs in præcordijs, aliàs in toto corpore, aliàs in capite solo cõgeritur. Calidus verò cùm sit, immania, horrendaq; deliramenta suscitat.

Ratio maniæ. In curatione respiciendum est tùm vt consumatur, & dissipetur vapor atrabilaris: tùm vt resoluatur, & reducatur id, quod coagulatum erat. Hermetici Maniȩ causam dicunt esse Mercurium in calcem reuerberatum, & in fortissimam aquam solutum, vitæ spiritui permixtum, eumq; inflammantem. Ideo in Maniæ curatione peccantem materiam & refrigerant, & coagulant, postea omnino dissipant, & consumunt. *Mania quid Hermeticis & vnde oriatur.* Peccantis autem materiæ refrigeratio & coagulatio, fit hoc modo: Reci. ol. camphor. ℥j. ol. musci ʒj. misce, & qualibet vice ʒß. exhibe. *N.B.* Excellentissimũ est hoc medicamentũ, mirabiliter enim maniæ materiam coagulat, calorem extinguit, sanguinis ebullitionem compescit, alterat, & vt frigus aquam, coagulat. Idem oleum exterius temporibus & frõti illitum mira præstat. *Olei camphoræ præstantia.* Sequentia arcana specifica laudãtur: Quinta essentia Lunæ, Saturni, Martis, & Mercurij: Crystalli, & corallorum solutio: Appropriata extractio camphoræ, extractio auri. *Arcana specifica in mania.* Dissipant autem & tollunt pec-

cantem materiam, summum anodynum, Quinta essent. Mandragoræ, Papaueris, Hyosciami. Potissima cura in Laudano perlato consistit; vt & arcanum Gillæ, quod vsqueadeo cerebrum confortare scribit *Paracelſ.* vt ei nec vertigo, nec phrenitis, nec mania nocere possit. Per Gillam autem salem intelligit destillatū cum spiritu vini alcoolisato, rectificato, & circulato, donec vnicus fiat spiritus volatilis, & essentialis, cum vino generoso exhibendus.

N.B.

Gillæ laus.

Dogmatico-Hermetici Maniam ex feruentis sanguinis abundātia excitatam, larga sanguinis effusione curant. At bile adusta ortam, venæsectionem omittūt, cùm sanguis sit frænum bilis; sed somnum omni studio tùm sumptis, tùm admotis procurant. *Rulandus in Centurijs* maniacos ferè hoc modo curauit: Rec. liquor. buglosſ. ℥v. puluer. senæ ʒij. misc. Recip. vnguenti de Alabastro ℥ſſ. Opij gran. 9. Misce pro temporū inunctione, tam mane, quam vesperi. Recip. folior. violar. lactuc. vitis a. N. ij. salicis. flor. violar. Nymph. buglosſ. capit. papau. N. 5. aq. font. lib. 12. Coquantur ad tertias; hoc decocto tepido sæpius lauentur manus, brachia, pedes; & lintea triplicata madefacta fronti & temporibus applicentur: à meridie Cephalica secetur. Sic multi tridui spatio cōualuerunt. In eundem finem fieri etiam possunt epithemata ex aq. rosſ. ℥x. opij ʒſſ. croc. ℈ſſ. misce, poterit etiam somni conciliandi gratia, naribus indi. Idem fit etiā succo è cancris viuis & tusis expresso; aut è pulpa nucleor. persicor. fol. card. fullonum, granorum tritici, vel mica panis albissimi.

Querect. mira præstitit decocto Anagallidis florib. purpureis, siue fæmin. exhibito, & lixinio è baccis lauri, & radicibus Helleb. nigri veri facto cum aq. cephalic decocto, quo madefacto lintea per horam fere toti capiti obuoluit; post saculum futuræ coronali applicauit. Experientia enim cōstat Helleborum etiam forinsecus adhibitū mira expurgare. Sic etiam vino Helleborato intus sumpto, & extra admoto, multum tribuendum. Hoc enim vino Melampus Amythaonis medici filius, regis Arginorū Procti filias, quæ se boues esse credebāt restituit: Sic Hellebori extractū ritè paratum valde conducit, vti & syrupus Helleboratus, & mel Helleboratum.

MELANCHOLIA.

Mentis est alienatio citra febrem, metum, tristitiamq; absq; causa inducens, ab humore atrabilari, fæculento, aut vapore mētis arcem occupante excitata: Estq; vel vniuersalis totius corporis vitio accedens, à veneno mercuriali, vitæ spirituum infestāte orta: vel primaria, cerebrum prima-

Melancholiæ definitio & causa.

Melancholia differentia.

primaria ratione afficiens: vel Hypochondriaca ſeu flatulenta atra nimirũ bile ad ſeptum tranſuerſum vergẽte, & atros, ſeu obſcuros vapores non rarenter à liene, meſenterio, & hypochondrijs, ad mentis ſedem mittente. Varias huius ſpecies ſuperiꝰ ſub finem libri ſecundi attulimus.

Curatio melancholiæ.

Probe curanda Melancholia, ne diutius protracta, ex humorũ ſuperaſſatione Epilepſiam, Apoplexiam, conuulſiones, furorem maniacum, alioſue graues affectus inducat.

Specifica melãcholiæ remedia

Specifica remedia hunc affectum curantia ſunt eſſentia, ſeu extractum Hellebori nigri; ſyrupus Helleboratus Querc. Oxymel. helleboratum: cùm grauiſſimos morbos feliciter auerruncent, & florentem ætatem conſeruent; Flores item rubei, & ex ijs lilium extractum ♉ mira præſtant; Cremor ſeu cryſtallus tartari; Tartarum item vitriolatum digeſtiui loco quotidie aſſumptum, multi in Melancholia Hypochondriaca ſummi arcani loco habent. Croci item, vt & corallorum, & gemmarum & lapidis cyanei tincturæ atq; magiſterias, triſtitiam, deſperationem, & melancholiam expellunt: Crocus enim proſtratos ſpiritus mirum in modum reficit, cùm ſit vniuerſale ſpiritus vitæ deopilatiuum, & ſummam cordi lætitiam influat, vti & extractum confect. Alchermes, quod & mœſtitiam, & affectus melancholicos tollat, & vitales ſpiritus roboret. Eſſentia quoq; lunæ omnes curat melancholicos affectus.

Arcanũ in hypochondriaca.

Crocus ſpirituũ deopilatiuum.

Aqua ſecreta ad Hypochondriacam.

Recipe Flor. Fumiterr. borrag. bugloſſ. cichor. ſtæchad. arab. a. ℥j. Betonic. ſalu. roriſmarin. amaraci meliſſ. a. ℥ij. Radic. Bugloſſ. ℥iij. Pæon. Helleb. nigr. a. ℥j. aqu. borrag. bugloſſ. a. ℥iij. ſyrupi granator. ℥iij. puluer. cinamo. galangæ. garyoph. croci, ſemin. baſilici a. ʒj. Affundantur vini albi opt. lib. 4. macerentur triduo, demũ per balneum deſtillentur.

Electuar. ad Melancholiam.

Recipe Corall. præp. Fragm. Saphiri, Hyacinth. Smarag. marg. præp. a. ʒj. Cinamo. Garyop. Nuciſt. a. ʒß. zingib. ℈ij. Cucubar. ligni Agaloch. Semin. baſilic. croci a. ℈jß. Citri conditi, conſeru. Meliſſ. borrag. bugloſſ. a. ℥ij. Moſ. ambr. a. gran. iiij. Folior. ☉ Num. 10. cum ſyrup. confect. Alcherm. f. electuar. doſi. quotidie ʒij. cum 3. cochlearibus ſequentis aquæ: Recipe aquar. ceraſor. nigror. lilior. conuall. borrag. bugloſſ. lupulor. flor. citri. a. q. ſ. Miſc.

Hydromel tartariſatum ad Melancholiam, & potiſſimum Hypocondriacam longe Præſtantiſſimum. N.B.

Recipe Aq. limpid. è rore maiali deſtillatæ lib. 10. Tartari albi loti & craſſo modo tuſi lib. j. coquantur ad caſum 2. partium lẽto igne, poſtea adde ſequentia

crasso modo contusa:

Folior. senæ select. ℥iiij. Epithimi ʒvj. Radic. cichor. ℥jss. Herbar Meliss. Fumar. Flor. borrag. bugl. genist. a. M.j. Semin. fœnicul. Anisor. a. ʒii. Flor. violat. stæchad. arab. a. ʒiij. decocto indãtur, coquantur, colentur, colaturæ adde mellis optimi mẽsuram j. iterum coque, despuma, clarifica, sub finem adde diuretici fixi ℥j. & ad debitam cõsistentiam coque. Tandem tepefacta vase querno excipe, addendo aliquid fermẽti, menthæ crisp. rorismarini visci querc. radic. bugloss. flor. ros. borrag. cinamomi, macis a. q. s. crossè tusa, & sacculo inclusa, finita fermentatione, alio vase exceptum, vsui repone. Dosis haustus vnus, cum guttulis aliquot spiritus tartari. In Tartaro tùm resoluendo, tum expellẽdo, succisque melancholicis mira præstat.

Aqua Perlata melancholicos mirè roborans.

Recipe Magister. Corallor. Perlar. a. ʒj. Hyacinth. Smaragd. Rubini, Saphyr. a. ℈jss. Ebor. Cor. Cer. a. ℈ij. Mosci. Ambræ grys. a. gran. vj. Aquar. Scordij. Meliss. Borrag. Bugloss. Rosar. Betonic. a. ℥j. Cinamo. ℥ij. Extract. granor. Kermes ℈jss. Man. Christi vnc. ijss. Misce, Dos. cochl. j. per vices.

LETHARGVS, CAROS, CATALEPSIS.

Lethargi essentia & causæ.

Lethargus est celer, & cita memoriæ ablatio, cum sensuum & motus torpore, inexpugnabili ferè dormiendi cupiditate, cum febre lenta semper comite, à putrescente in cerebri ventriculis pituita, excitata: affectus profectò acutus, celeriter, continenter & violenter, sed vehementer mouens.

Huius affectus species sunt Cataphora, altus & arctissimus sopor citra febrem, cum sensus & motus interceptione, non tamen sine spirandi libertate: Caros, Coma, Catalepsis, stupores vigilantes seu somni vigilantes, cum neruorum tensione, à frigida sicca intemperie excitata.

Cùm hic morbus vix det inducias, nec communibus pharmacopæorũ decoctis obsequatur, ad maiora tum expellentia, tùm vacuantia, tum roborantia remedia ocyus descendendum. Hinc Hermetici huius morbi curationem aggredientes, tùm narcotico sulphuris spiritu, huius morbi causam tollunt, & compescunt; tùm spiritus animales pristinæ & integritati, & libertati restituunt. Id quod spiritu, oleo, & lacte sulphuris expediunt. Paracels. mineralem hunc morbum mineralibus remedijs curãdum docet: Ideo quosdam post febrẽ profundo somno correptos curauit oleo salis: alios oleo vitrioli. Principem tamẽ in hoc morbo curãdo locum tenet, Lilium & Essentia ♁ cùm in ea omnes curãdi intentiones reperiantur, cùm

Lethargus morbus mineralis.

cùm causam radicitus tollat, naturam confortet. Magno successu exhibetur oleum vitrioli cum aqua Melissæ, aut Maioranæ, vel beronicæ; in vera enim vitrioli volatilitate, est arcanum corroborandi tum animales, tum vitales spiritus; Ideo *Bartholom. Anglicus* huius morbi curationem sulphure expediuit. In vera enim spiritus vitrioli volatilitate, quæ repetita nouies a capite mortuo destillatione comparatur, summum deopilationis & corroborationis spirituum tùm cerebri, tùm cordis arcanum.

N.B.

EPILEPSIA. CADVCVS, Morbus Comitialis.

Epilepsiæ natura & causæ.

Est periodica, nonnunquam etiam typica vniuersi corporis conuulsio, cum sensuum, principumq; facultatum vel abolitione, vel magna imminutione, à vapore spirituali, mercuriali, acri & mordicante, sæpius etiam maligno, & venenoso, neruorum principium vellicante, constringente, & ad expulsionem irritante, & vel è cerebro, corde, hepate, intestinis, vtero, vel quatuor externis membris exurgente, excitata.

Curatio.

Epilepsia, & cõsimiles graues morbi, qui paroxismorum vehementia, & symptomatum ferocia calamitosi sunt, medicamenta requirunt, tum ipsos paroxismos respicientia, tùm ipsas morbi radices & tincturas euellentia. Ex arte quidem signata, tum veteres, tum neoterici non pauca designarunt remedia, huius morbi vehementes impetus impedientia, vt sunt radix Pæoniæ, lunâ decrescente, mense vel Martio, vel Septembri euulsa, & appensa: viscus quercinus, debito itidẽ tempore, & decrescente luna lectus: vngula Alcis, posterioris pedis dextri, vel gestata, vel appensa: cranium humanum partis anterioris præparatum, vel in oleũ, salem, essentiamq; redactum, & assumptum. Oleum succini, oleum item ligni Heraclij, seu buxi, aut corylli, à practicis mirè commendatur; vt & Cratoni cinabaris natiuea, quam Epilepsiæ Magnetem vocat, & exinde talem pulucrem concinnat: Recip. Cinabaris natiuæ pellucidę & in alcool redactæ vnc. ß. Corallor. & Margaritar. præparat. a. ℈ij. Croci oriental. ℈j. Folior. ☉ Num. xv. fiat omnium subtilissimus puluis. Dosis in ipsa accessione à granis 6. ad ℈j. Qui puluis etiam vertigini est specificus. Maioris tamen virtutis puluis paratur, ex cinabari ♉, in præparatione mercurij vitæ, seu florum ♉, in retortę collum, igne subtus, & supra subministrato, eleuata: Est enim hæc cinabaris diaphoretica: itaquę æquali pondere cum magisterio Corallor. Perlar. cranij humani iunctum, specificum est in inueterata etiam epilepsia, solo sudore repetitis vicibus, & pręcedentibus euacuationib⁹ necessarijs morbum

Specifica remedia ad epilepsiam.

Cinabaris natiuæ vsus in epilepsiam.

Puluis mirabilis in epilepsia.

morbum auferens. Dos. gran. 10. ad 16. in liquore appropriato.

Vniuersim tamẽ medicamẽta AntiEpileptica, vel ipsum parosismum, vel ipsas radices, aut spirituum efferuescentiam, sedationem, constrictionem, mitigationem, & ligationẽ respiciunt. Paroxismum comprimis sedant, & spirituum efferuescentiam sopiunt, verum Laudanum opiatum *Paracel.* ad grana 3. cum spiritu vitrioli, & essentia camphoræ exhibitum: oleum item rubeum vitrioli, oleum perlarum; essentia castorei rutæ syluest. oleum succini.

Morbi radicem respiciunt essentia mumiæ, & sang. humani singulis mensibus in plenilunio ad ℈j. exhibita: morbi enim ferociã mitigat, expellit, estq; eius proprium Alexipharmacum. In, & ante paroxysmum exhibetur ℈ß. essent. cranij human. cum aq. flor Tiliæ, Lilior. Conuual. Pæon. cerasor. nigror. aut Hirũdinum, rutæ lauendul. calendul. thymi, serpilli, alsinæ &c, cõseruæ item huc faciunt rosacea vitriolata, flor. pæon. lilij conuallij, saluiæ stæchados, Betonic. Citri, Theriac. Mythridat Lapis item cyaneus, & armenus præp. ad ℈jß. cum aq. melissæ. Hellebori nigri essentia ad ℈j. Aquila etiam cœlestis, itẽ dulcedo seu manna mercurij essentificati, mercuriũ microcosmi in naturali sua liquabilitate conseruans: Essentia lunæ ad 3. guttas cum liquore melissæ, radicem morbi tollit; vt & spiritus vitrioli virescentis volatilitas, & dulcedo, specifica enim proprietate hunc morbum & citissimè & felicissimè resoluit, haud secus ac sal sulphureus aurum; mercuriale argentum. Idem præstat Extractum, & elyxir vitrioli.

Extractum Ant'Epilepticum mirabile.

Recipe Extractor. Visci Quer. Flor. Pęon. Lilij conual. Lauend. Calendul. Hyperic. a. vnc. j. Castor. vnc. ß. Hirund. iunior ℥vj. croci ʒij. Magister. Perlar. corallor. Smaragd. Hyacinth. Rubini. Eboris, corn. ceru. a. ʒijß. cranij humani ℥vj. Croci Metallorũ ʒij. Pulueris lienis Equor. vnc. j. cordis Talpæ exiccatæ Num. 10. Mosci ℈ß. Tincturæ vitriol. ☉ ʒiß. ol. destillat. cran. human. gran. 6. ol. succin. camphor. a. ℈ij. Lauendul gutt. 20. Misce omnia lege artis, moscum per se in aq. Tilię dissoluendo, mox oleis, tandem pulueribus miscendo. Vix melius datur Ant'epilepticum: præseruat enim ab Epilesia, Vertigine, Apoplexia, & grauissimis capitis affectibus, Dos. ℈j. in aqu. appropriatis.

Sumatur autem prædictum Ant'epilepticum mane & vesperi cum sequenti aq. Recipe Visci Querc. Flor. Pæon. Lilij conuall. Meliss. Calendul. Priuul. Veris a. lib. j. ß. lib. j. Radic. Pæon. recent. lib. j. ß. Roris maialis pintas 6. Destilla per

per vesicam ad tertias; destillatā vitro impone, addendo suo tempore Flor. Betonicæ, Tiliæ, Lilij conuall. Rosar. a. lib. j. Phlegmatis vitrioli Vngarici lib. j. ß. Destilla per balneum, habebis aquā optimam, cum Ant'epileptico sumendam, duobus ante pleni lunium diebus, corpore prius debitè purgato.

Sequenti etiam modo parabis Aquā AntiEpilepticam secretißimam.

Recipe caput humanū recens idq; demptis prius carnibus cōtunde, & per retortam destilla: stillatum liquorem per B. M. rectifica. Ad huius Aquæ vnc. j. adde perlarū solutarum ʒj. Magist. Corall. ℈ij. Radic. Pæon. Castor. a. ʒj. Mosci dulc. Mellis Anacard. a. vnc. ij. destilla, vsui repone. Dos cochl. j. in paroxysmo, ter reiterando, & mira videbis.

Confectio AntiEpileptica præstantißima.

De tribus recentibus exiccatisq; & crasso modo tusis cranijs per retortam adhibitis ignis gradibus ex arena liquorem destilla adhibito capaci alembico: liquorem tertio fæcibus affunde, destilla, tandem per balneum rectifica. Huius recipe vnc. vj. spiritus damosc. dulc. vnc. j. castor. mellis anacard. a. ʒij. Misce & per retortam è cineribus destilla. Tādem adde liquoris salis perlar. scrup. iiij. Spiritus vitrioli virescentis scrup. j. Dos. cochl. j. mane, quotidie, ad nouemdiū cōtinuando.

APOPLEXIA, seu GVTTA.

Apoplexiæ natura & causæ.

Est repentina omnium facultatum animalium, sensus, & motus totius corporis priuatio, cū stertore, & respirandi difficultate, ob sinuum & pororum cerebri, basios præsertim, & retis admirabilis angustiam, occlusionē obstructionem, & compressionem, à frigido, crasso humore pituitoso, aut melancholico, vel calore liquato, vel frigore in meatꝰ cerebri expresso introducta.

Curatio.

Fortim Apoplexiam curare, impossibile: Leuem verò valde difficile esse, iam pridem pronūtiauit *Hippoc.* Si tamen morbus inducias ferat, præmisso acri clystere, vacuationes tum vniuersales, tum particulares, tam venæsectione, si opus sit, quàm purgātibus tentandę. Hisce peractis, ea quoq; confortantia remedia in vsum vocari poterunt, tùm interna, tùm externa balsama, quæ superius de Epilepsia attulimus; Interna enim cura fit Essentia ☉ perlarum, lapidum precioso. corallor. antimonij; oleo cranij humani, cum spiritu vitrioli & liquore lilij conual. Mercurio itē ☉; spiritu viridi æris aurificato; oleo lunæ, sulphuris, balsamo sulphur. Extrinsecum facit balsam. castorei, Lauendulæ, succini &c. AEger concutiendus, agitādus, & quantum fieri potest excitandus, accenso è castoreo & succino albo fumigio. Huc faciunt aquæ Ant'epoplecticæ variæ

Aqua

Aqua formicarum, seu magnanimitatis; Spiritus cerasorum nigrorum; Spiritus flor. lilij conu. Sal, Tinctura, & oleum perlarum ad 3, vel 4. guttas in hoc affectu sanando primas tenent. Valde commendatur Lapis semilunaris, Carpionis super oculos repertus. Huc item spectant Aquæ Hirundinum; Aq. Theriacales; Elyxiria varia

N.B.

Aqua mirabilis, præseruatoria ab Apoplexia, Paralysi, oris tortura, spasmo, cæterisq; frigidis cerebri affectibus, & loquelam mirabiliter reparans.

Recipe Flor. primul. veris, Rorismar. Pæon. Lilij conual. Lauēdul. Maioran. Iuæ arthet. a. M. j. Specier. diambr. diamosc. diapliris confect. Anacard. a. vnc. j. cubebar. lign. Aloes, Nucist. Garyoph. Macropip. Carpobals. a. ʒj. Carpobals. Ireos Austoloch. rot. a. vnc. jß. Summitat. siler. mont. Pæon. fœnicul. a. ʒj. Aquarū Herb Paralys. Salu. Beton. Flor. Tiliæ a. lib. jß. Serapin. Opopan. Myrrh. Gummi Iunip. a. ʒj. Infundantur & macerentur omnia per 8. dies, postea ter per alembicum è cineribus destillentur, Dos. cochl. j.

Ad eosdem affectus præcauendos mirabiles pillulæ.

Recipe Thur. mascul. Myrrh. elect. a. drach. ß. aceto fortiss. dissoluantur, & reducantur: Aloes rosat. drach. ij. Extractor. Helleb. nigr. Agaric. Resin. Scammon. a. drach. j. Pulu. elect. de Gem. cubebar. cardamo. Pyreth. succini albi, costi, castorei, Camphor. a. scrup. j. Visci Querc. vngul. alcis cinabaris natiuæ a. scrup. jß. Salis Hyperic. Betonic. a. scrup. ß. olei succini albi, spirit⁹ vitriol. a. gutt. 15. cum syrup. de betonic. formētur pillulæ pisi magnitudine.

SPASMVS, seu CONVVLSIO.

Spasmi natura & causæ.

Est deprauatus inuoluntariæ, perennis, & dolorificæ retractionis musculorum versus suū principium motus à neruorum partium abbreuiatione, siue à repletione, siue inanitione introducta obortus.

Curatio.

In Spasmi curatione, corpore prius debito modo euacuato, conferunt superius adducta etiā remedia, tam externa, vt olea, balsama locis affectis adhibēda, Oleum Euphorbij. ceræ, succini; quā interna, vt essentia Euphorb. ad scrup. j. cum decocto appropriato, vel Guaiaci, vel Iuniperi, & spiritu Tartari; pituitam enim crassam, lentam, neruis aut iuncturis impactam sine aliqua perturbatione euacuat. Sic etiam essentia extracta cum spiritu vini cuius guttula tremori, conuulsioniue, & omnibus neruorum vitijs, summa cum vtilitate exhibetur cum decocto flor. anthos, saluiæ & betonicæ. Oleum Therebinth. destillatum, tàm intrà, quàm extra applicatum, omnes spasmos, & conuulsiones tollit, quo dorsi spina, vmbilici regio, cæteræq; partes affectæ inungūtur.

Spiritus Therebinth. in spasmi curatione vires.

tur. Sic exhibita Imperatoriæ essentia, omnes cõuulsionis species, Emprosthotonum, Episthotonum, Tetanum curat. Nymphæa albis & rubeis floribus, in vmbra septentrionali arefacta, lecto, vel parieti appensa, temporis momento, omnes conuulsos sanat, *teste Carichtero*. *N.B.*

CATHARRVS.

Catharri natura & causæ.

Est superuacanei humoris modo frigidi, crassi, ac viscosi, modo calidi, salsi, acris, ac biliosi, inq; cerebri sinubus vel geniti, vel collecti, & aliunde eo trãsmissi, è capite, in subiectas corporis partes decubitus, seu defluxus, modo à natura, & expultricis robore; modo à retentricis debilitate; modo à materiæ morbificæ circa cerebrum, & menyngas collectæ copia, qualitate irritante, grauante, & insita grauitate deorsum propellẽte excitatus: qui pro partium, ad quas prolabitur, varietate & differentia, varios & differentes generat & producit morbos, vti supra, primo huius operis libro abunde ostendimus.

Si fluit ad pectus, dicatur Rheuma Catharrus;
Ad fauces, Bronchus; ad nares, esto Coryza.

Curatio. In Catharri curatione tres proponuntur scopi: I. vt catharri scaturigo arceatur: II. Vt eiusdem fons exhauriatur: III. Vt concitatior fluxio sistatur. Scaturigo arcetur, congrua victus ratione exiccante; Item vsu essentiæ trium herbarũ hormini lunariæ, & melissæ. *N.B.* Fontem exhaurit, materiæ aptè præparatæ euacuatio, auersio, deriuatio, discussio: Hoc fit tartaro vitriolato alioue congruo euacuante; Idẽ faciunt sarcocolla, anacardi, Hermodactyli, Euphorb. Tapsia sal gemmæ, titymalus, helleborus &c, concitatiorem fluxionẽ sistit, viarum laxiorum adstrictio; ideo hoc loci *teste Frigio & Plinio* Rheumaticis nihil æque confert, ac plantago vulgaris. *N.B.* Omnes defluxiones sistit, Hiera cum Agarico mane & vesperi ad drach. I. sumpta, in catharro enim curando, mitiora & leuiora in initio eligenda sunt: ideo huc faciunt pillulæ Aloes rosatæ, pillulæ Angelicæ, vt & Marocostinæ. *N.B.* Partium imbecillitas roboranda oleo succini, quod etiam in casu catharri sistendo & inhibendo, mirè est efficax, si succinum puluerisatum sacculo implicetur, & in spiritu vini malu. calefiat, inspergaturq; olei succini guttul. aliquot; verticiq; applicetur, naribus, & temporibus eodem illitis. *N.B.* In catharro suffocatiuo, suffocationis metu, exhibentur 3. vel 4. gran. laudani opiati, cum syrupo de papauere. *Catharri suffocatiui curatio*

Contra omnes fluxiones magnas vires habent vitrioli, sulphuris, terebinthinæ, ad 3. vel 4. gutt. in debito liquore, mane & vesperi: Terra item sigillata ad drach. I. Hęc enim omnia vi specifica omnes destillationes dis-

sipant, & consumunt. Præstans est etiam aq. serpylli cum spiritu vini chymice elicita. Oleum itē Maioranæ, Rorismarini, anisi, fæniculi. Liquor item lunæ smaragd. saphyri mosci, egregiè cōferunt. Maximum præseruatiuū sunt flores sulphuris, qui ignis instar, relictam à natura catharroicam materiam consumunt, calorem natiuum excitant, & ad excrementa expellenda roborant.

A qua serpylli præstātia.

Flor. sulphuris virt. in catharro.

In præseruatione tamen magna habenda est ventriculi ratio, medicamentis confortantibus, & natiuum calorem excitātibus, ne cruditates à concoctione in ventriculo relinquantur, id optimè fiet Antidoto Mythridati, singulis septimanis bis, terue, ad fabæ magnitudinem assumptā ieiuno stomacho. Hoc enim medicamentum materiā catharroicam ac pituitosam vētriculi tunicis impactam absumit, natiuumq; ventriculi calorem mirum in modū confortat.

N.B.

Vinum contra catharrum eximiæ virtutis quotidie vsurpandum.

Recipe Corticum Myrabalanor. omnium cum nucleis prius exiccatis a. drach. iss. Garyophil. Galang. cubebar. cardam. gran. paradys. Nucist. a. scrup. ss. cinamo. drach. 1. Ros. rub. sicc. drach. iss. flor. anthos, lauēdul. a. drach. ss. contusis affunde 7. vini mensuras. Experientia huius vsum valde commendat: vti & sequētis vini vsus: Recipe Ligni sancti raspati, tamarisci a. quart. 1. ligni Rhodii, sassafras a. vnc. 2. scolopend. capill. vener. cetrach. Eupator. menth. Hysop. a. M. ss. Radic. Helenii centaur. maior zedoar. a. drach. ss. cinamo. drach. 1. Absynth. pont. manup. 1. Affūde tres vini mensuras; fiat de eo primus in mensa haustus.

Vinum mirabile in catharro.

OCVLORVM AFFECTVS QVIdam, vt Suffusio, Nubecula, Albugo, Vnguis, Grando, Hordeolum, Opthalmia.

Catharrus vt multorum morborum est mater, ita ad oculos procumbens, varios oculorum affectus parit à fluxionibus oriundos, tam externos, corneam tunicam occupantes; quam internos intra corneam membranam existentes, & ab intimis cerebri sedibus obortos, visionēque impedientes, & vel spiritū opticum, vel ipsum cerebrum, vel neruum opticum, vel ipsos humores, & potissimum crystallinum occupantes. Hinc nerui optici obstructio, cæcitas, suffusio, quæ est humoris præter naturam vel in pupilla, vel inter rhagoidem tunicam, & humorē crystallinum concretio, quam deinde sequitur nebula, vnguis, seu pannus. Pupillæ vitia sunt dilatatio, imminutio, diuulsio, & ruptio. Omnium frequentissimè oculos infestant & epiphora, tenuis humoris impetus, lachrymarum specie, cùm, vel citra

Catharrus mal. torum morborum tam externorum, quam internorum ritu morbo rū procreatrix.

Cæcitas quid.

Pupillæ vitia.

Epiphora.

tra dolorem in oculos factus: & ophthalmia, seu oculi phlegmone, ab oculi angulis, sese in totã adhærentem membranam diffundens. Sed de his per trãsennam duntaxat, neq; enim nostri est instituti, isthæc fuse & ex professo pertractare.

Ophtalmia.

Curatio. Cùm prædictæ oculorum affectiones ferè ex catharro ad oculos defluente oriantur, ea hoc loco vsui erunt remedia, quę catharro profutura superius annuimus: Spiritus vitrioli maximũ est deopilatiuum, omnes obstructiones expediens: Sic spiritus sulphuris omnes capitis humiditates consumit, vt & oleum Lunæ.

N.B. Frustra adhibentur externa ophthalmica remedia, interioribus neglectis, vti in peruulgata, inutili sæpe tamen, Chyrurgorum curatione videre est, qui vna tutia magistrali non solum oculorum lachrymas, tumores, & dolores, sed etiam ingentes superciliorum cruciatus, carnis excrescentiam visum omnino præcludentem curare satagunt.

Balsamus ophtalmicus. E saccaro, seu dulcedine saturni præclarum paratur ad ophthalmiam balsamum, omnes enim oculorum inflammationes tollit, modo priº rectè dulcoretur: vt & Lythargirium, Tutia, Cadmia vera, & Spodium, cum vini spiritu, aut aceto rectè præparata, & mitia reddita, vt citra morsum oculorum maculas, & excerscentias tollant, summosque oculorum dolores & inflammationes sedent. Lapis calaminaris puluerizatus, & anatica saccari candi dosi, indurato ouorũ albumini impositus, in loco humido oleum ponit, quod oculis instillatum mirè prodest.

Oleum oculare. Ad visum acuandũ *Schallingus* mirè cõmendat vini meraciam cum saccari momento, oculis mane & vesperi infusam.

Vini meracia ad suffusiones.

Plantæ oculares Ex arte signata plurima oculis conferunt, Euphragia, Anthemis, Verbena, Caltha, Argemone, Potentilla, Anemone, Scabiosa, Hieracia, Fæniculum, Ruta, Rosa, Chelidonia, & præsertim Valeriana hortensis.

N.B. *Forestus lib. 11. Obseru. 55.* miraculi instar obscurum & tenebrosum oculi visum liquore iecoris Mustellæ piscis in vitro optime clauso, filo suspensi, & vel ad solares radios, vel retro fornacẽ expositi defluente, certissimo experimẽto curari scribit. Idem præstat Ascii, seu Vmbræ piscis pinguedo clarificata, & oculis caligantibus infusa.

Mirabile Collyrium.

Vitrioli albi drach. 1. dissoluatur in aq. pluuiæ destill. vnc. 10. Salis nitri scrup. 1. Aliquoties per chartam bibulam filtretur.

VEL:

Recipe Aq. Chelidoniæ, aut Verbenæ, aut Rutæ, seu Fænicul, Vitri Antimonii per se fusi ℈j. Salis nitri scrup. ſſ. Misce, macera-

ra, mane & vesperi ante somnū guttas 4. oculis instilla. Diuini⁹ reddetur hoc Collyrium, si guttulas aliquot olei Saturni per se facti addideris. Sale item, butyro, saccaro, seu melle Saturni cū Aq. rosarum, ingētes oculorum inflammationes sedantur. Stupendum quoq; & mirabile paratur ophthalmicum è cancris, & chelidoniæ succo, debita arte & tempore præparatis, quod oculos ad desperationem læsos virtuosissime restituit. Sic è granis, seu baccis herbæ paris, arte chymica paratur remedium oculare, quod ob mirabiles vires oculi Anima nuncupatur.

Secretum ad visus acutiem.

Recipe Tutiæ præp. Calcis ♁ Lytharg. ☉ & ☽ AEris vsti Sbiaca lauata, spumæ marinæ, Salis Gemmæ, Salis Ammon. Spec. Trium piper: Garyoph. a. ʒij. caphor. scrup. ij. Macerentur in sufficienti quātitate aq. Euphras. tandem mane & vesperi oculis instilla, & mira videbis.

Item.

Recipe Magnes. Saturn. præp. Tutiæ, lapid. Calaminar. a. q. s. aquar. Euphras. Chelidon. Valer. Fænicul. a. q. s. Prædicta mineralia vel simul, vel seorsim aliquoties candescant, & in dictis liquoribus extinguantur, addendo saccari crystallini, & vitrioli albi parum. Tandem per chartā filtrentur, & vna vel altera gutta mane & vesperi oculis instilletur, Ophthalmias, Epiphoras, Lippitudines, & Tumores tollit.

VEL

Stibij calx candefacta, & aliquoties in aq. ocularibus extincta præclarum reddit collyrium splenijs applicandum. Quod si vel nebulæ, vel suffusiones adfuerint, vel vitrioli albi, aut salis anodyni momēto & saccaro crystallino acuari poterint. Si vitrioli albi loco vel Halonitrū, vel salem Ammoniacum substituerit, mitiore remedio tùm lippitudines, tùm suffusiones incipientes, morbidasq; hebetudines sanabis: paulo acriore, etiam vngues detrahes, quod nō rarò feлici successū in equis tentatū vidim⁹. Vix enim dici potest, quātam vim habeat Halonitrum in oculorum extersione & meatuū vrinariorum obstructorum apertione. N.B.

Remedium ad oculorum maculas, Puncta, Nebulas, Sugillationes, Albugines, Pānnos, Floccos, Niues, Perlas, Lenticulam, Angulum adiposum quocunq; tandem fiat modo, à sanguine ad illam partem effuso ad coniunctā & corneam tunicam.

Mane ieiuno stomacho mande semina fæniculi & patienti capite resupinato iacenti pluries locum affectum linge, mox ipsum oculum aqua vel rutacea, vel valerianæ, in qua stibii calx pluries fuerit extincta, & Halonitri atq; salis Armoniaci momento

mento acuata; mane ac vespere, integri mensis spatio ablue.

VEL

Recipe Aq. calcis viuæ puriss. & clariss. in hac dissolue salis armoniac. q.s. ad acorem; solutum hoc infunde pelui orichalci 24. horis. Habebis Aq. cæruleam, oculis guttatim infundendam; quæ si acrior sit, corrigi poterit affusa aliqua aqua oculari.

E cancris, & Chelidonia stupendum & mirabile ophthalmicum hoc modo parabis: Cãcrorum oculos seu lapillos, cum cortice, in acet. solue, solutionem præcipita, vt scis; præcipitatam calcem edulcora, tandem cum succo depurato chelidoniæ subige, habebis vnguentum mirificum ad omnes oculorum affectus.

GRAVIS AVDITVS, SVRDITAS, Tinnitus, Sibilus, &c.

Purgandum primo & corpus vniuersum, & caput ipsum, mox internis remediis in catharri curatione adductis vtendum. Quantum ad Topica remedia, in graui auditu & surditate, nõ omnino tutum est aliquid auribus immittere; interdum enim à vaporibus in neruo acustico aut organis auditoriis existẽtibus: interdum ab humoribus obstruentibus hi oriuntur affectus, vnde si minus conuenientia topica adhibeantur, exacerbatur malum. Si ex humoribus oriantur, exhibeatur ægro Hiera picra, hæc enim caput ab excrementis liberat. Auribus autem indũtur succus rutæ, cum melle; castoreum cum ol. aneth. succus item raphani, cepæ, porri, cyclaminis; pinguedo anguillæ, axungia taxi, fel apri, leporis, turdi, lucij piscis &c, *Crato* Medic. experientiss. Carduum benedict. propria aqua irrigatum, aliquoties destillat, mox linteolum liquore imbutum auri dolenti, vel surdastræ imponit, seq; nihil conducibilius reperisse scribit. Quidam pani coquendo baccas vel lauri, vel iuniperi indunt, coctũ calide dissecant, & spiritum vini infundunt, vaporemq; auribus hauriunt. Quidam olei Tereb. guttam 1. vel 2. auri indunt. Quidam oua formicarum, cum oleo communi frixa per pannum exprimunt, & pari portione medullæ pedis bouis miscent, & instillant.

N.B. | *Hieræ picræ vsus.* | N.B. | N.B.

Secretum, tinnitum radicitus tollens & surditatem curans. N.B.

Recipe Vermiculos intra lignum Quercinum & corticem repertos Num. 20. bulliant in oleo oliu. immatur. ℥iss. Deinde excaua radicem cyclaminis, reple oleo, rutaceo, vermium autẽ quantũ capere potest, adde pulueris pyrethri, costi a. ʒss. assa in cineribus, & contunde in mortario exprime fortiter; de hoc succo immitte aliquot guttas auribus per 9. continuos dies. Mirabilia videbis. Nonnulli in se-

 num

num ſurditate hoc remedio vtuntur: Recipe Hellebor. alb.ʒj. caſtor.ʒjſſ.ſiliq.coloquinth.nitr. a.ʒj. euphorb. ℈ſſ. bulliant in ol. roſ.℥ijſſ. Aceti ℥iij.ſucci pomor. ℥ijſſ. Coque ad oleitatem, cola per pannum; inſtilla guttas aliquot.

Elyxir ad ſurditatē. Alii ad ſurdos ſanabiles hoc elyxir commendant: Recip. Aq.ſtillat.murium,muſcar.card bened.rectificatæ a. ℥j. ſucc. fol. Helleb.nigr.ʒj .ſucci iugland.& ouor.formicar. a.ʒij. diſſolue in hac aq.diſſolue parum moſci, & cum lana in qua moſcus fuit,impone. Cochleæ auriculis prælōgis ſignatæ, & exquiſito tactu præditæ,in aqua & ſale coquuntur,deſpumantur, poſt exiccationem in oleo ſuccini, vel fæniculi rut.ſcorpion. aut caſtor. deſtill.

Mirabile oleum ad auditū. deſtillantur,promanans inde oleum mirificum eſt ad auditum recuperandum: Huc facit etiam conſeru.flor.aſari, ex arte ſignata,hæc enim & auditum, & memoriam confortat.

HOEMORRHAGIA.

Hœmorrhagia. quid. Hœmorrhagia etſi in genere pro quouis ſanguinis fluxu ex ore,thorace,pulmonibus,ventriculo,iecore,inteſtinis, vtero, & hœmorrhoidibus manante audiatur, peculiariter tamen eſt

Hœmorrhagiæ cauſa. immodicum ſanguinis è naribꝰ profluuium,quod externas cauſas multas; internas verò morbum organicum habet, venarū ſcilicet vel apertionem, vel vaſorum rarefactionem,ruptionē, aut exulcerationem. Sanguis enim immediatè erumpit è vaſis apertis,rarefactis,ruptis,aut exæſis.

Curatio. Curatio fit ſanguinem euacuantibus, reuellentibus ad contrarias partes,eiuſque feruorem ſedantibus,& repellentibus. *Capiuacc* confertim ſanguinem vacuat. *Galen* cucurbitulam hypochondrio è directo naris affectæ applicat.

Sanguinis ſiſtentia. Sanguinis profluuium ſiſtit ſuccus Burſæ Paſtoris & Polygni guttatim naribus inſtillatus. Idē facit ſanguinis extillantis & exiccati puluis,& naribus inflatus. In nimio ſanguinis fluxu exhibentur quatuor guttæ olei Martis cum vino auſtero & ſtatim ſiſtitur. Idem & corallorum eſſētia præſtat. Sanguinis è naribus profluuium curatur etiam Aqua ſeu liquore Hæmatitis, lapidis Iudaici,rubeæ montanæ. Siſtunt item ſanguinem,ſanguis Dracō. Terra ſigill. Bolus armena, Radix Tormentill. Biſtort. Geranium, ſanguinaria dicta, Anagallis rubente radic. manibus detenta,cranii humani vſnea, naribus indita, vt & tenuis cardui benedicti lanugo; ſanguis leporis, cochleæ vſtæ puluis, ſuccus ſtercoris recētis aſini, vel aprugni cum ſucco vrticæ, & aceti momento naribus attractus,vel fronti,& temporibus applicatꝰ; *N.B.* ſuccus ocymi cum camphora. Aqua frigidiſſ.vel acetum ſpongia

gia exceptum, & ſub axillis, vel pubi & verẽdis applicatum, mirè ſanguinem ſiſtit. Quidam pilei veteris calcinati ſubtilẽ pul. felici ſucceſſu narib⁹ inſufflant.

Sperniolæ vſus. Sperniolę compoſitum *Croll.* deſperatas internas è narib⁹ & gutture Hœmorrhagias mirificè ſiſtit, ſi 3. vel 4. gran. cum aq. burſæ paſtor. aut plantag. exhibeantur. Iuuat etiam ſyrupus corallorum Tragea granorum Actes.

Vngu ẽtum mirabile. Vnguentum paratum è croco Martis & Veneris a. ℥ij. cum oleo viſci pomorum applicatum, incredibili ſucceſſu ſang. ſiſtit. Item recipe croc. Mart. ʒj. Calcis teſtar. ouor. colcothar. a. ʒß. ciner. ranar. vſtar. ʒij. cum oleo viſci pomor. f. vnguent.

N.B. Præſtantiſſimus eſt hic potus: Recipe croci Martis eſſent. corallor. a. ℈j. cum aqu. ſperm. ranar. f. potio. His omnib. palmam præripit Laudanum opiatum 3. 4. gran.

Secretum ad Hæmorrhagiã, & quãcunq; ſang. è vulneribus effuſionem ſiſtendam.

N.B. Recipe alcool lapid. hęmatit. Boli armen. ſang. drac. a. ʒß. pul. ſantalor. rub. croci Martis, colcothar. rubei a. ʒij. vitrioli albi ʒiij. olei rubri vitrioli ʒij. Aceti acerrim. q. ſ. ad faciendum craſſum liquorem, ſpiritu vitrioli acuandum; Hoc liquore imbuãtur flocci bombacis, & exiccentur, idq́; ter, quaterq́; repetatur; tandem vſui reponantur.

His floccis cruenta vulnera impleantur, mira videbis. Nigra excreſcentia in ſiliginis ſpica apparens (Rocken mütter) ſi ad tria vel quatuor grana aſſumantur, omnem ſanguinis fluxum ſiſtũt. *N.B.* Puluis oſſium humanorum inſperſus, ſanguinem è vulneribus manantem certo ſiſtit. *N.B.* Sic ad ſiſtendum ſanguinem ſpecificum remedium eſt nitrum antiquis parietibus adnatum, igne circulari calfactum, mox in mortario contuſum, & affuſo frigido aceto liquatum, madentibus ex eo linteis, pudendis applicatũ. *N.B.* Omnem fidem ſuperat effluentis ſang. exiccati puluis, cum fabarum polline inflatus aut inſperſus. Idem præſtat puluis floris ſeu lanuginis ſalicis. Quidam Mumiæ ℈j. in vini hauſtu magni ſecreti loco habent. Sanguinem etiam ſiſtunt Molendinarum farina; aranearũ tela; pili ſub cauda leporum; patibulorum vſnea radix vrticæ, ore detenta; cinis ranarum; carneolus lapis &c. *N.B.* Vulnerum ſanguinem mirabiliter ſiſtit ſequens puluis: Recipe Sanguinis ouilli exiccati & pulueriſati ℥iiij. pulu. Gummi Tragaganth. Radic. perſicariæ a. ℥iij. croci Mart. colcothar. rubei a. ʒij. Miſce & vulnerib⁹ inſperge.

ODONTHALGIA.

Grauiſſimo ſæpe dolore dentes conflictantur, & fere ob deſtillationem, quæ vel in maxillæ membranam, vel in dentiũ neruum, vel in corpus decumbit.

Denti-

Curatio. Dentium dolori è fluxionib⁹ orienti succurit spiritus vitrioli, si 3. vel 4. guttæ, cum spiritu vini sumantur. Eiusdem spiritus vitrioli vna vel altera gutta dolenti denti infusa, statim dolorem sedat; idem facit gutta olei vel garyophill. vel cinamo. vel castor. vel synapi. Præsentissimum ad dentium dolorem sedandum hoc est: Recipe Semin. Lentisci contusi q. s. & sacculo inditum dolenti denti applica. Miram enim vim habet extrahendi viscosos humores, ac leniendi, & dolores sedandi. Radix oxylapathi, & pyrethri vino vel aceto decocta, & ore detenta, dolorem sedat. Oleum Camphoræ gossipio exceptum, & dẽtibus impositum, dolorem illico sedat. Idem, & excellentius præstat oleum Heraclinũ, è buxo, vel Corylli radicibus per descensum prolectum, & rectificatum, dentibus impositũ, nam vermiculos in dentibus enatos enecat, affluentes humores per os copiosè educit. Sic decoctum Radic. Hyosciami cũ herba persicaria in aceto rosaceo, efficacissime dentium dolores sistit. Herba persicaria dolentibus dẽtibus masticata, mox fimo ad putrescendum sepulta, vi quadam magneticâ dentium dolores aufert. Experimentum, dentiũ dolorem, semihorii spatio tollens: Recipe Semin. Apii gran. i.: opij hyosciami a. gran. iij. cum syrupo de papau. vel vino forti fiant pillulæ, dentium cauis indendę, statim cessabit dolor.

N. B. N. B. N. B. N. B. *Curatio magnetica.*

ANGINA.

Anginæ definitio, differentiæ, causa. Faucium, gutturisq; est inflãmatio, cibi potusq; vias præpediens, spirit⁹ introitum præcludens, deglutionem, ac respirationem impediens, acerbumq; dolorem inferens. Est autem vel vera vel falsa, febris expers: vel vera semper febrem comitẽ habens; Et hæc vel nullam nec in faucibus, nec in ceruice vllam, sed in gutture duntaxat inflammationem habet, cum magno suffocationis metu & terrore; vel fauces manifesto phlegmone tentatur, nullo in ceruice vel tumore vel rubore conspicuis vel deniq; ceruix cum faucibus inflãmata videtur, comitante tumore, rubore, colore, & dolore.

Huius affectus causæ procatarcticæ sunt laqueus, tumor, luxatio-interior causa, est sanguinea, aut biliosa fluxio è venarũ iugularium ramis eò pertinentib⁹ in has sedes influens, phlegmonemq; vel simplicem, vel Erysipelatodem excitans.

Terrifica & periculosissima est angina, cum neq; in faucib⁹, nec in ceruice quicquam apparet, cum vehementi dolore, & spirandi, deglutiendiq; difficultate. Talis fere est lethalis, & plurimùm eodem die iugulat, tùm ob doloris acerbitatẽ, tùm propter officii ad vitam tuendam neces-

necessarij interceptionem & partis, cuiuis officio vita carere nequit, oppressionem: Nam & deglutionem ad vitam necessariã impedit, & respirationem, sine qua ne temporis quidem momento animal viuere potest, tollit. Pestifera illa est Angina, in qua tumor repente euanescit, nullamq; habet metaptosin, per diadochen ad pectus & ceruicẽ, sine crisi materiæ morbificæ. Vnde si nec cum metaptosi, nec cum anacrempsi tumor repente euanuerit, æger eodem morietur die, propter humoris morbifici substantiã tenuis, temperamẽto calidi, & qualitate acris, vnde primum venerat refluxum seu palindromen. Angina ergo quam facit sytrophica inflãmatio propriorum musculorum laryngis, ab acri & tenui reumate, à capite ad laryngis venulas cõcitato; quę nec in ceruice, nec in faucib⁹ manifestum vel tumorem, vel faucium, vel ceruicis, vel sterni ruborem edit, sed fortem strangulatum infert, cum intollerabili dolore, spiritui inspirando libertatem adimentem; summam spirandi difficultatem, paruam, & frequentem &c, eodem ipso die, aut saltem tertio certo interimit.

Prognostica. Est enim morbus peracutus, qui intra primam periodum, crisin habet acerbissimam, mortem funestam; quæ tam cito venit, quã cito vires effætæ languent.

Curatio. Pręceps igitur cum hic sit morbus, compẽdiarium requirit remedium. Protinus ergo sanguis ad laryngem impetum faciens reuellendus, secta cubiti oppositi vena, vel etiam aperta saphena, si menses sistantur; aperiatur deinde & vena sub lingua: imo reiteranda venæsectio, si plethora vrgeat: pedes aqua calida fouendi, adhibendæ fortes & ligaturæ, & frictiones: instituenda tenuissima victus ratio: vtendum gargarismis: collum lana succida & oleis tepentibus fouendum.

Gargarisma. Gargarisma sit: Recipe Aquar. prunell. Acetos. Rosar. plantag. a.q.s. Diamori, roob Sambuc. a. cochl. j. Salis prunell. ℥ß. Coque, mox tepido os collue, vel spongiola madefacta, linguam & fauces perpurga. Ad extinguendam inflammationem præstantissim⁹ est spiritus Nitri, cum aqua salis anodyni, calidè gargarizando. E semperuiuo maiore contuso, & sale armoniaco mixtis destillatur aqua, cui macerantur aliquot sẽperuiui folia, additur sal prunell. est mirabile gargaris. Diaprunellæ compositio apud *Paracels.* hæc est: Recipe aq. prunell. lib. j. Laudani perlati ℥ß. misc. f. haustus secundum cohob. & gargarismus cum linguæ mundificatione, indesinenter linguam radendo, & gargarisando, vsq; dum sanguis exeat, & est vltimum in prunella remedium. Idem *Paracels.* sic curat prunellam: Recipe sex vel 8. cãcros fluuiat. viuos, semperuiui

Diaprunellæ cõpositio.

maior. Manip. 4. cõtunde in mortario, succum exprime, & eo sęp e linguam laua, & de eo etiam bibe.

Nos in Anginæ curatione sic feliciter progredimur, primò clysterem emollientem, & temperatum inijcimus, mox sanguinē vacuando reuellimus, deriuam⁹ & si opus videatur, vacuationem reiteramus. Deinde recipe flor. malu. arborescent. aut flor. rosar rubear. Herb. prunell. veronic. salu. scabios. a. M. j. Polipodij querc. ℥ij. liquirit. ras. ℥jß. salis nitri præp. ℥ij alumin. crud. ℥j. Mellis rosat. ℥ij. acet. rosat. vnc. vj. aq. prunell. mens. ij. Coquantur aliquandiu, colentur, & exprimantur; Hoc succo tepefacto quauis hora gargarisandum, & lingua sæpius scalpenda, & purganda, quod si æger gargarizare nesciat syringa succus in collum inijciendus, vt inflammatio tollatur. Post gargarizationem lardi non rancidi lamella, duos digitos lata, & leuibus incisionibus referta linguæ imponatur, sic breui spatio nigredo abscedet, & sanatio sequetur. Quod si lingua vlceribus scateat, purganda melle rosato & nitri puluere simul mixtis, & impositis: quibus rite mũdatis, tandem oleo ouorum, & hyperici vlcera sanantur. Aqua nobilis ad omnia faucium vlcera: Recipe Spiritus vini quartam j. Camphor. ℥j. misce, stent in vitro per noctem tecta; altero die recipe quartam vnam vini Rhenani, impone sequentia puluerizata: Alumin. vnc. ß. Thur. mastich. myrrh. a. ℥ij. bulliant simul, mox ab igne remotis, affunde spiritum tuum vini camphoratũ coque ad tert. part. casum, cola & in vitro serua, eoq; gargarisando vlcera ablue.

CAPVT XXII.

De præcipuis affectibus, Respirationis partes occupantibus, persanandis.

TVSSIS.

FRequens est in pulmonibus obstructio à varijs causis orta, crassorum scilicet ac lẽtorum humorum copiâ, grandine, lapide, seu tartaro, modo liquido, modo coagulato. Hanc obstructionem postea sequuntur Tussis, Asthma, Orthopnęa, Dispnęa Peripneumonia, Vomica, Phthysis.

Tussis periculũ.

Inter symptomata quæ à spiritu veniunt, quem ducendo viuimus, & ab affectionibus aëris, itemq; à diætæ vitio, in victus ratione, & vitæ instituto, nullũ est tussi frequentius, molestius, aut cõtumacius, quæ propterea metum adfert grauiorum malorum sæpeq; sua vehementia multos ad exitium præcipitat, vasorum ruptione, pulmonum vlcere, aut inexpectatâ suffocatione: Hæc autem nihil aliud est, quam thoracis concussio, studentis excutere, quod sibi molestum est. Cõcussio verò fit irritatâ quidem natura

Tussis quid.

tura à causa morbifica, sed quæ ipsius causæ, seu materiæ morbificæ sit potens: omnibus enim partibus officialibus insita est quædam vernacula facultas, sese concutiendi, ad excutiendum, quod illis est molestum, & negotium facessit: quam facultatem natura & cerebro, & ventriculo, thoraci, lieni, hepati, renibus, vtero, diaphragmati &c, cõcessit. Concutitur autem thorax operâ & collectione 68. musculorum intercostalium, exsufflationi inseruientium, ad vocem edendã, cuius materia fuliginosum est excrementum.

N.B.

Tußis causa.

Tussis causa est intemperies frigida, spiritusue frigidus, quem hyeme in tempestate Aquilonia ducimus, à quo fit tussis leuiter irritans, quæ tacendo quiescit. Fit etiam tussis aliarum partium consensu, diaphragmatis, lienis, ventriculi inflammati, intestinorum vermibus scatentium, vteri, vel testium corrupto semine, vel prauis humoribus repletorum: idq; vel tunicarum continuitate, vel vaporum transmissione, vel diaphragmatis, ab adhærentium partium tumore, vel obstructione, compressione Tussis item alia sicca est, humida alia: Illa quidem fit irritata ad excernẽdũ expultrice, sed tussiendo ferè nihil excreat; idque vel ob arteriæ asperitatem vel ob solam intemperiem, vel partium spiritualium refrigerationẽ, vel humoris expellendi defectum, aut ineptam ad expellendum dispositionem. Humida verò tussis ob contrarias causas, statim, semper, aut plerumq; tussiendo aliquid reijcit.

Curatio

In curatione intemperies corrigendæ; Tenues & acres humores inhibendi, sistendi, incrassandi, & inspissandi, crassi verò extenuandi, incidendi, & detergendi syrupis pectoralibus de Prassio, Hyssopo, Liquiritia, Calamith. Capill. Vener. de Farfar. Scabios. Looch. sano & experto, de Pino, de Althea. In tenui catharro ac tussi multum iuuat secunda decoctio raparum dulcium cum passulis, liquiritia, Iride flor. Huius decocti lib. 2. Coquũtur cum saccaro penidiato ad consistentiam. Hermetici primum pulmonum obstructiones tollunt spiritu vel vitrioli, vel sulphuris ad 3. vel 4. dies cum aq. Veron. Tussilag. Scabios. Hederæ terrest. Ablata obstructione exhibent per aliquot dies spiritum terebinth. in liquore appropriato. Hic enĩ spiritus membra corrupta, læsa, & iam putrescere incipientia sanat, & in integrum restituit. Tussin quoq; mirifice iuuat sequens Elect. Recip. Radic. Helenij vnc. iiij. rad. Alth. lib. j. pulb. Citonior. vnc. xij. bulliant in sufficienti quantit. aq. tussilag. ad cõsumpt. mox pistentur, & per setaceum agantur, ad huius lib. adde mell. albiss. lib. ij. Coque quantum sat erit: Ab igne remotis adde ad

Electuarium ad tussim.

quamuis libram croci orient. ℈j. Liquirit. pulu. vnc. ſſ. florum ſulphur. ʒj. & olei ſulphur. q. ſ. ad gratum acorem. Aromatizentur oleo Aniſ. Fænic. Cinamo. Doſis mane & veſperi ʒij. Curat omnes tuſſes, quãtumuis veteres & malignas.

ASTHMA, DISPNOEA, ORTHOPNOEA.

Aſthma diſpnœa orthopnœa quid ſint & quomodo differãt.

Aſthma eſt crebra, & magna reſpirandi difficultas, ſeu valde frequens reſpiratio, citra febrem à magna bronchiorum anguſtia, cum ſtertore, ſtrepitu, & violentâ tuſſi, diaphragmate, intercoſtalibus, & abdominis muſculis opitulantibus. Et talis anhelatio & ſuſpirium, ijs accidere ſolet, qui citatiore curſu defatigantur. Suſpirioſa ſane ſpirandi dfficultas, cum ſumma thoracis cõtentione coniũcta, propter pulmonum contumaciam, vertebrarũ thoracis tuberculum, diaphragmatis ad iecur adhęreſcentis impedimentũ, ventriculi diaphragma comprimentis repletionem, *Cauſæ.* neruorum ceruicalium infirmitatem cordis æſtu incandeſcentis incendium, cum thoracis, aut etiam pulmonum contumaciã, per oppreſſionem coniunctum. Obſtructio plerumq; fit à craſſo, lento, viſcido, glutinoſo humore ſæpe etiam gypſeo, & tartaroſo, pulmonum bronchijs infarcto vehementem tuſſim excitante.

Diſpnœa eſt crebra reſpiratio citra ſonum, atq; anhelationem: Orthopnœa verò ea & magna ſpirandi difficultas, vbi nulla vrgente febre, laborantes non niſi rectâ ceruice perpetuo ſpirare coguntur, ob ſuffocationis metum.

Curatio.

In horum affectuum curatione, capitis deſtillatio à pulmonibus arcenda; & iam diu infarcti pulmones expediendi; illud fit tenui, & exiccante victus ratione ſæpeq; repetitis vacuationibus, clyſteribus, cucurbitulis & cauterijs errhynnis, & ſternutamentis, frictionibus. Hoc verò, ſyrupis, iulapijs, apozematib. eclegmatibus, incidentibus, attenuãtibus, detergentibus, maturantibus, & expectorantibus.

In Aſthmaticis curatione nihil vtilius balſamo, oleo, magiſterio, butyro, ſeu lacte ſulphuris cum ſpiritu vini, vel aquis appropriatis. Oleum Fraxini in aſthmate, & anhelitus difficultate mirificum eſt, ſi ad drach. ij. ſingulo mane ſumatur. In tuſſis, aſthmatis, & obſtructionum præſeruatione, nihil præſtantius floribꝰ ſulphuris ſepties ſublimatis, & cum ſaccaro mane & veſperi ſumptis. *Flor. ſulphur. vſus.* Vinum Meliſſatum, magnum eſt in aſthmate ſecretum, vt & vinũ pulmonariæ. Huc facit extractũ Thoracicum tàm maius, quàm minus, *Quercet.* Crocus eſt anima pulmonum, datur ad ſcrup. j. cum oleo æmygd. dulc. mirè aſthmaticos recreat. Bryoniæ ſuccus *Crocus anima pulmonum.*

ab

Aquæ bryoniæ mirificus vsus ab excauata propria radice in cella eliquatus, bis aut ter per balneum destillatur, & rectificatur. Huius aq. ℥ij. miscentur cum ℥ij. spiritus vitrioli acidi. Huius mixturę cochlear j. quotidie mane exhibitum, asthmaticos mirifice, & pulmones impuritatib⁹ refertos expedit, respirationemq; liberam efficit. *Secretũ in Asthmate.* Sic infusio Asellorum in vino albo est secretum in asthmate: Item tabulæ Diatragag. frigid. cum ol. destillato saluiæ: *Aperiẽs thoracicum.* Aperiens thoracicum mirabile: Recipe pulpæ passular. penidiar. a. ℥iij. ol. amygd. dulc. ℥ij. misc. saccari q. s. dos. cochl. j. Fit & mirabile decoctum ex violis, liquirit. sumitat. lupuli anisor. a. M. ß. fol. senæ ℥j. Caricar. ping. N. 3. Saccar. ℥j. Fiat decoct. cum suff. quant. aq. Tussilag. & Veronic. Dos. vnc. ij. Recipe saccar. cand. violat. vnc. ij. Flor. sulphur. cum aloe croco, & myrrha eleuator. vnc. ß. Misc. Dos. cochl. j.

Diabutyrum nobile.

Recipe Butyri maial. recent. decies in aq. tussilag. lot. vnc. iiij. Caricar. ping. Nucleor. pini passul. enucleat. dactylor. amygd. amar. a. vnc. ij. Succi liquir. Tragagant. a. vnc. ß. Hyssop. Ireos, Thymi, satureiæ pulmon. puleg. semĩ. Vrtic. a. drach. 3. Cinamo. pyreth. a. drach. iß. Garyoph. galang. piper. nigr. anisor. Cardamo. a. ℥ij. lign. aloes, Nucist. a. vnc. jß. Mellicrati lib. 4. Coquantur Caricæ passul. dactyl. in Mellicrato ad spissitudinem, facta colatura, & forti express. adde Butyrum, & Mel despumat. lib. 6. iterum lẽto igne coquantur, addendo pineas, amygd. tusas: ducantur omnia sine intermissione, addenda reliqua in puluerem acta, sub finem adde ol. Anis. Fœnic. dulc. a. scru. j. spiritus sulph. scrup. ij. Fiat Diabutyrum, quod in Asth. maximi est vsus.

Mirabilis liquor in Asthmate, & pectoris angustia, Apostemate, viscosis & tartarosis humoribus in obesis hominibus difficultate spiritus laborantibus & præsertim infantibus.

Recipe Radic. Ireos flor. violar. liquirit. tussilag. a. vnc. j. radic. Imperator. drach. iij. ænul. cãpan. a. vnc. ij. Sem. Fœnicul. dulc. anisor. a. vnc. ß. Puluerisatis affunde aceti acerrimi. lib. j. In loco calido stent in vitro in infusione per noctem: cola, exprime, & in expresso liquore dissolue saccari lib. ij. Dissoluto saccaro adde spiritus vitrioli, vel olei tartari drac. ij. vini maluatic. lib. j. ß. Misc. & Klinodii loco reserua; mirabilia enim præstat in Asthmate pectoris angustia, aperit, resoluit, mũdat, expectorat. Dos. mane & vesperi cochlearia 2. euacuata crassa materia, ab huius vsu desistendum; nam aciditates pulmonib⁹ inimicæ sunt, si diutius quam par sit vsurpentur. *mirabile remediũ* *Aciditates pulmonib. noxiæ.*

Vicem supplebit huius dicti succi, sequens syrupus: Recipe

Syrup. de Hyssop. de Liquirit, de Alth. Rosati solut. a. vnc. iiij. vini maluat. vnc. vj. aceti vini vnc. viij spirit. vitriol. ʒ. j. saccari in prædictis liquoribus soluti lib. j. aq. cinamo. Rosar. fragrant. a. vnc. iij. Misc. Spiritus tartari dulcis, est verum pulmonum curatiuum.

In tussi quoq; & spirandi difficultate, è frigidioris aquæ haustu excitata, mirificā plane vim obtinet, bellis herba, si illius folia, cum oleo, sale, & aceto, condita, statim ægro exhibeantur, acetarij adinstar.

PERIPNEVMONIA.

Pulmonum est inflammatio cum febre acuta, & spirandi difficultate. Eaq; vel alios sequitur affectus, & vel Anginæ, vel pleuritidi succedit: vel ex sese primā ducit originem, fitque è tenui & bilioso sanguine è dextro cordis sinu, per venam arterialē in pulmones violenter excusso, ibique putrescente. Frequentius Anginæ vel pleuritidi succedit, dum è faucibus, aut latere humor repētè in pulmones fertur: Omnium frequentissima, quæ ab acri, tenuiq; reumate contrahitur, è cerebro confertim in pulmones illapsa, comitante febre acutâ.

Ijsdem fere medicamentis curatur peripneumonia, quibus & pleuritis, vt Diapenid. Tragagāt. frigid. Diacalamith. Diapraſſ.

Empyema seu Vomica. Peripneumoniam, pleuritidi, aut Anginæ sæpe quoq; succedit Empyema, Vomica, seu Suppuratio, puris scilicet in thoracis capacitate collectio, quod eo confluxit, fere, ex pleuritide in abscessum versa, atq; disrupta, vel illic ex sanguine ab aliqua vena aperta, fracta, aut erosa effuso tādem putrescente genita.

Curatio. Huius curatio fit puris maturatione, abscessus disruptione, & puris debita excretione, idque quo citius, eo etiam melius.

PLEVRITIS.

Pleuritis quid eiusq; causa. Est omnium molestissimus & acutissimus thoracis morbꝰ quo nullus frequentiùs in hominum vitam inuadit: Inflammatio nimirum membranæ costas succingentis, seu pleure cum febre acuta, spirandi difficultate, tussi sicca, & pungitiuo lateris dolore interdum ad clauiculam, interdum ad hypochondrium sese extendente à sanguinis modo laudabilis, modo biliosi, acris, & putrescentis, intra pleuram, & costas vel internos musculos mesopleuros illapsu excitata.

Curatio. In curatione primum arcenda humoris ad partem affectam excurrentis defluxio tam tenuivictꝰ ratione, quam affluentis humoris reuulsione & euacuatione per venam sectam: semper autem aperienda vena interna è directo lateris affecti, non oppositi, nisi in summa plethora, & maxime ab vna parte in aliam Gargalismo: tunc etiam siue sinistra fuerit pleuritis, siue intercostalis vel thoracica, vel mediastina, vel hypochon-

pochondriaca, semper è directo detrahere oportet; mediastina quidem, & intercostali ad caloris mutationem, vnde coniunctę causæ amotio notatur: In hypochondriaca verò tantum ad antecedentis causæ declinationē.

Post venam sectam Hermetici exhibent spiritum tartari cum aqua Melissæ inunguntque locū affectum oleo murium montanorum. Huic etiam morbo medetur terr. sigillat. stringens. cum theriaca. Sal item & sulphur Nitri; Lapis prunellæ cum aq. & syrup. flor. papau. Rhæados: item aqua benedicta è Magnesia Saturnina & sale Anodyno confecta. Idem facit puluis Cortic. auellanar. rubeor. Corallor. rub. mandibular. Lucij Piscis a. scrup. j. cum aq. papau. Rhæad. vel card benedict. Post triduum, si morbus non cesset, exhibeatur sequens sudorificum: Excaua pomū courtipendulum, imple ʒj. Olibani seu Thuris masculi, assa ad ignē, vt puluis cum pomi pulpa rite concoquantur, postea exhibe cum custodia, superbibendo ℥j. aq. Card. bened. Sic cum fructu exhibetur spiritus Salis Nitri cū aquis sudorificis ad excludēdos sudore malignos, crudos, & nitrosos humores. Idem insigniter præstat hæc mixtura: Recipe Spiritus tartari scrup. ß. Spiritus Nitri scrup. j. aq. Card. benedict. tepid. vnc. ij. Quidam magni secreti loco omnes pleuritides statim ab initio, sequenti potu curant. Recip. pillular. stercor. ouil. recent. N. 10. dissoluantur in mortario cum aq. papau. Rhæad. vel Cardui bened. vel Rosar. aut scabios. & exhibeatur. Alij Stercoris Equini succum exprimunt, & cū saccaro exhibent. Huc spectat aq. Antipleurit. *Quercet.* N.B.

Ex arte signata Pleuritidi conuenire dicuntur, Tartarum, Nitrum, Sulphur, Stibium, Mercurius: Card. bened. Card. Mariæ, Card. lanceolat⁹, Vua spin. Hippogloss. Maxilla Lucij pisc. radix & flos Lappæ sicc. Cynosbati flos candidus. Papau. Rhæados, Anagallis rubeo flore, Cortex auellanar. rubear. Corallor. rub. pulu. dentis apri ad drach. j. oculi caneri &c.

In Pleuritidis, vt & Anginæ, Peripneumoniæ curatione, reijcimus Periapta illa, seu Amuleta, quæ non modo in pleuritide, sed & in alijs multis cum solemnibus quibusdam verbis, cum certo numero, & exorcismo collo appenduntur. Hæc enim omnia superstitiosa sunt. Existunt tamen quædam remedia, inexplicabili sua virtute, mirificā ad curationem vim habentia, tùm pleuritidis, tùm anginæ, & aliorū morborum, quæ vulgo Alexiteria dicuntur. N.B.

HAEMAPTOSIS, seu SPVtum Sanguinis.

Est cruenta sanguinis per os reiectatio. Terrifica sanè est sanguinis

guinis per os effusio, seu expulsio, quia hæc pars huic operi nõ est dicata. Itaque naturalis esse potest anagoge per os. Sanguis in ventriculo grumescit; in pulmonibus ruptionem, erosionẽ, vel anastomasin facit, inde Peripneumonia, Phthysis. Omnis autem sang. qui sursum fertur, & excluditur, metum affert malę causæ, & mali signi, in malis est ducendus, & vt causa, & vt signum. Exterreri tamen nec AEgri, nec Medici debent, in naturali sanguinis profluuio, vt sunt menstrua, puerperia, sanguinis per nares profusio in iuuenibus, cùm Venerem agnoscere, & vocem asperiorem edere cæperint.

N.B. Permagni interest scire, vnde sanguis fertur, qua, & ad quid. Ex qualitate, excernendi copia, modo, & doloris proprietate noscitur. Qui sanguis ex dentibus in fauces fluit, sputo excludiiur: si excludatur per anachrempsin, fit ex faucibus: si feratur per os, & anagoge fiat cum tussi, hæc à larynge & aspera arteria venit. Sin multus, spumans, & cum tussi, & sine dolore effundatur, à pulmone; spumans & floridus & tenuis, ex dextro cordis sinu, per venam arteriosam est; alibi sanguis spumam concipere non potest, quã in ipsis pulmonibus.

N.B. Quod si in anagoge critica Hypochondriũ dextrum doleat, ab hepate fit per pulmones, vnde etiam fit spumans. Fit aliquando à vena cœlica in Hypochondrio sinistro. Sin vero sit paucus, crassior, cum dolore, & cum tussi excludatur, ex thorace est, vt in pleuritide. Si idem veniat per os cum vomitu, à ventriculo fit, excesis, erosis, aut ruptis venis. In melancholici humoris copia; sæpe anagoge sang. crassi & fæculenti cum vomitu est, & fit per vẽtriculum. Omnis autem sang. sursum, deorsumue vergens partium, vnde manat, resolutionem significat.

Curatio. Curatio eodem fere modo, vt in Pleuritide, & Peripneumonia instituitur: Ruptionis, erosionis, aut apertionis causæ tollendæ; Acris & ferina destillatio reuellenda, coercẽda, mitiganda; Puris exclusio procuranda; quod fit oleo sulph. & spiritum Terebinth. Terebinthina enim ob insignẽ curandi vim externus Pulmon. balsamus dicta. *Therebinthina pulmonis balsam.* Hoc loci Hermetici Arsenicum fixum laudant. *Croll.* Spiritum tartari, & salis commendat. Summè laudatur pulu. Hæmaptoicus I. Scalig.

Puluis mirabilis. Recipe Spodij, Ros. rub. Boli arm. terræ sigil. Lapid. Hæmat. a. ʒv. Corallor. rub. Margarit. non perfor. Carabe a. ʒij. Gum. arab. Tragag. a. ʒij. Semin. papau. alb. ros. rub. maluar. portulac. plantag. corn. Ceru. vst. a. ʒij. acat. succi liquirit. a. ʒij. Amyli torrefact. drach. iij. Misc. f. pulu. Dos. drach. ij. cum aq. pluuial. Huc spectant, ad puris exclusionẽ, varia eclegmata, Looch, Oxymelita. Quibusdam

busdam hoc secreti loco habetur: Recip. succi Hederæ terrest: vnc. iiij. succi Prassi vnc. ij. Misc. fiat Looch addendo thur. Myrr. a. drach. j. Diapenid. drach. ß. m.

Aliud mirabile Secretum in sang. sputo.

Recip. Semin. Hyosciam. alb. papau. alb. a. drach. x. Terr. sigill. Corallor. rub. a. drach. v. saccar. rosat. antiq. q. s. Misc. Interim renib. applicetur linteum succo plantag. madefactum.

PHTHYSIS.

Phthysis d. finitio, causa. Phthysis seu Tabes est pulmonum exulceratio, ab acri, & erodente materia, cum febre lenta, tussi, respirandi difficultate, cruento, & purulẽto sputo, qua sensim totum corpus consumitur, & contabescit.

Curatio. Abstergendum & exiccandũ initio: vbi, satis detersum est, & iam nihil saniosum repurgatur, glutinare oportet: interim analepticis corporis instaurãda extenuatio, optima victus ratione, consumatis, destillatis, restaurãtibus. Extracto carnis, Quinta panis essentia: nõ neglecta causarum amotione.

Lactis vsus in phthysi. Lac tabidis conuenit, modo nõ valde febricitent: Tria enim in tabe concurrunt, propriã curam postulantia: pus, vlcus, marcor, seu consumatio: inde pus detergentia, vlcus glutinantia marcor vero analeptica postulat: quæ omnia lacti insunt. Serosa enim sui parte abstergit pus in pulmonibus coaceruatũ; caseosa vlcus conglutinat, & ad cicatricem perducit; butyrosa verò emaciatum corpus nutrit, & reparat. Frequens saccari rosati *N. B.* vsus, mirificè tabidis conuenit, nam terget, glutinat, nutrit, & reficit. Huc referantur remedia superius in pleuritidis, & peripneumoniæ curatione adducta, Hydromel, Bolus armen. Terra sigill. pulmo vulpis, & præsertim destillatum è vituli, aut vulpis corde, pulmonibus & hepate paratum additis Veronica, Scabios. Pulmonaria, Prassio, Hysop. Salu. & Agrimon. &c.

Lac sulphuris. Hermetici gloriantur de lacte seu butyro sulphuris, quo humidum radicale reparari volũt, cum aq. Tussilag. exhibitum; vt & Balsamus, seu Rubinus sulphuris, & Quinta essentia perlarum quotidie ad aliquot guttas exhibita. Præclarum est hoc Diacorallium.

Diacorallium præstãs. Recipe Corallor. rubeor. & albor. vnc. vj. Olei seu Liquor. Cãphor. Spod. Semin. Lactuc. a. drach. iij. Flor. Antimon. Croci Mart. a. vnc. iß. Reduc. ad formã, cum Tragaganth. vel Gum. arab Dos. à drach. ij. ad drach. v. Valde commendatur aq. heder. terrest. cum tertia part. aq. portulac aut folior. recent. Quercus.

Puluis mirabilis in Phthysi.

Recipe semin. papau. alb. vnc. ß. Sem. portulac. Melon. a. drach iijß. Bombac. Citonior. mundat.

Quat. Sem. frigid. maior. a. drac. iij. Gum. Arab. Tragag. amyli. a. drach. ij. corn. Cerui. vſt. ebor. vſt. Cicerum rub. in aq. plantag. infuſor. & ſuper lateres toſtor. a. drach. i. ſſ. Hypociſt. Bol. arm. orient. a. drach. j. Miſce plurimũ iuuat, ſi cũ Chynæ decocto multis diebus aſſumatur. *Cardanus* feliciter tabidos ſanabat moderata victus ratione ex pane cocto cum ſeminibus peponum tuſis, & colatis; aut cũ ptyſana cochleis, cancris fluuiatilibus, teſtudinibus montanis potu vini albi dulcis, & ſubaſtringentis. Hodie adhibentur deſtillata, cõſumata, colata, reſtaurantia, gelatinę, electuaria, morſelli.

CAPVT XXIII.

De præcipuis affectibus, cor, vitaleſq; partes infeſtantibus curandis.

SYNCOPE.

EST vehemens, cita & cumulata virium proſternatio, cũ pulſu imminuto, fereq; abolito, & ſudore frigido, orta à ſumma cordis debilitate, & ſpirituum vitalium defectu. Qualis enim eſt in aluo Bulimia, quæ eſt facultatis appetitricis conſternatio: talis eſt Syncope, vitalis facultatis conſternatio. Fit autem vel à cordis vitio, vel cum cor in ſympathiam trahitur.

Cauſa.

Hoc ſymptoma cum vrgeat, & præſens vitæ periculum minetur, citam ſui ſolutionem & mitigationem indicat excitantibus & corroborantibus medicamentis, vt aq. & ſpiritu roſarũ, aceto fronti, naribus & pulſui admotis; frictionibus, ligaturis, capillorum euulſionibus; odoramentis naribus admotis, balſamis fragrantibus, cinamo. Garyoph. Nuciſt. Citri &c, Epithematibus, cordis regioni applicatis.

Hermetici in ſpirituum vitalium confortatione vtuntur eſſentiâ, tincturâ & ſpiritu auri Coral. Margarit. Lapid. precioſor. Croci, Moſci, Ambræ &c, Auro item poculento genuino, & verè philoſophico, veris Hermeticis notiſſimo, pretioſo illo totius Medicinæ theſauro. Hic etiã laudatur oleum, & ſal ſuccini, & Margaritar. in aq. Cinamo. vt & eſſentia Croci, per aq. vitis menſe Martio reſectis vineis collectam, & deſtillatã, extracta, cum quis præ nimia triſtitia ferè ad deſperationem venit.

Efficaciſſima Compoſitio.

Recipe Auri poculenti veri gutt. ij. olei perlar. cum oleo Nuciſt. diſſol. gutt. 5. ol. ſuccin. gutt. 2. Miſc. datur mane cum aq. Lilior. Conuall. vel cum ſpiritu roſ. Vel recipe ol. Nuciſt. gutt. 6. ol. garyoph. gutt. 4. ol. ſuccin. gutt. 3. Datur cum ſpiritu vini rectificati.

Mirabile confortatiuum.

Elyxir Balſamor. ad ſyncope oppreſſos, ſpiritusq; reficiendos.

Balſamus cordialis.

Recipe Balſam. Garyoph. Maioran. Cinamo. a. drach. 2. Salis

Theriacal.drach.2.ol.ſtillat.nuciſt. ſuccini, ſpic. Ceræ a. ʒß. digere in formam elyxiris. Ex lapide Bezoart. oſſe Cord. Cerui, Vnicorn.ſpecieb.aromat. Confectione Alchermes,optima etiam ad hunc affectum parantur remedia.

Varia item huc adſcribuntur Cardiaca Roſmarinus, Meliſſa, Roſa,Ocymum, Viola, Aromata pleraq;,Cortex & ſuccus Citri,Confect.Alchermes,de Hyacinth. Diambr. Diamoſc. Auri poculenti loco, vſurpatur Auri limatura, cum puluere Cornu Cerui,diu,multumq; trita,poſtea in furno figuli in puluerem incarnatum reuerberata,fit medicamentum multis viribus efficaciſſimum.Iiſdem quoq; virtutibus pollet Aurum tranſplendens,de quo ſuperius cap. 20. egimus.

Huc facit Magiſterium de Gemmis.

Recipe Magiſter. Corall. rub. albor. cum ☉.
Perlar.Hyacinth.
Saphyri.Smaragd.
Rubini.Granator.
Cornu Cerui.Eboris.
Pulu. Terræ Sigillat.
Tormentil.Dictamnj.
Pulu.Santalor.omnium.
Semin.Citri.Card.Benedict.
Portulac.
Granor. Chermes.
Croci Orientalis.
Camphoræ.
Oſsis de corde Cerui.
Moſci.Ambræ.
Fiat omnium puluis ſubtiliſsim⁹.

Electuarium Cardiacum.

Recipe Conſeru.Roſar. Violar.borrag.bugloſſ.Meliſſ. Cortic.Citri cōdit.a.vnc.1. Nuc. Indic. condit. vnc.ſſ. Extract. Meliſſ.Santalor. rub. & Citrin. Zedoar. Croc. oriental. a. ℈j. Salis perlar.Corallor.a.℈ſſ. Magiſter. de gemmis prædicti ʒij. Eboris ℈ij.Raſur.oſſ.de corde Cerui ℈j. Olei Angelic.&Cinamo.a.gutt. 4. Saccari ʒvj. Succi Citri. q. ſ. f. Electuar.Doſ.ʒj.

Syrupus Cardiacus.

Recipe Syrupi Acetoſ. Citri. Cytonior.Roſar. Corall. a. vnc. 3. ſpirit.Salis cum ☉.ol. ſmarag. Hyacinth. Saphyr. Rubin. Granator.a.gutt.10.ol.Camph. gutt. 2.ol. Perlar. Corallor. a. gutt. 7. Cinamo.gutt.5. Tinctur. Moſci. gr.4.Doſ.Cochlear.1.

Puluis Cardiacus.

Recipe Magiſt. Smaragd. ʒij. Hyacinth. Saphyr. Rubin. a. ℈j. Eboris corn. Ceru. a.ʒj. Corall. rub.cum ☉ Perl.a.℈ij.Auri diaphoret.℈j.ol.Cinamo. garyoph. Camphor. a. gutt.1. Moſci. gr. 3. ſaccari finiſ.vnc.j.Miſc. Doſ. gr. 10.cum aq.citri.

Aqua perlata.

Rec. Magiſter. Corallor. rub. perlar.a.ʒj.ſmaragd.ſaphyr. Rubini Hyacinth.a.℈ſſ.Ebor.corn Ceru.a.℈ij.Amb. gryſ.℈ſſ.Moſc. gran.4.Aquar.Meliſſ.ſcord.borrag.roſar.Card. bened.a.℥j. Cinamo. ℥ij. extract. granor. Kermes ℈jſſ.manus Chriſti,℥ij.miſc.

Dosis cochlear vnum per vices.

Aqua mirabilis ad collapsas vires, Lipothymiam, Syncopen &c.

℞ Recipe Spiritus vini Maluat. sexies, aut septies destillati lib. 3. Radic. Angelic. Carlin. Tormentil. Corticum Citri & Olibani, lig. Aloes, Cinamo. a. vnc. ij. Florum Anthos, Saluiæ, Borrag. Buglos. Tunicæ, Calendul. a. pij. Seminum Card. bened. acetos. Basil. Vlmar. Santal. omnium a. vnc. ß. Conseru. Buglosſ. Rosar. Flor. tunic. violarum Mithrydat. Confect. de Hyacinth. Alcherm. a. vnc. ij. Specier. diamargd. frigid. Camphor. a. ʒii. Ambr. grys. ℈ß. Digerantur aliquot dieb⁹ in balneo Maris postea per baln. vaporosum destillentur. Dos. cochl. i.

Aqua cordialis Saxoniæ. Sumptuosa, & sat magni pretii hæc est aqua; placet igitur aquam Cordialem *Herculis Saxoniæ*, nostri olim amantissimi preceptoris, & primarii in Academia Patauina præceptoris, in lectoris gratiam huc afferre, quam fusiore orationis filo, edito de ea publico libello, Patauii edito, Anno 1603. publicauimus, & omnium ingredientium naturas, & qualitates discussim⁹; quæ sic habet:

℞ Recipe succorum depurator. Borrag. Buglosſ. Molisſ. Bistort. Tormentill. Verbenæ, Oxylap. acetos. Rut. Caprar. Myrrhid. Cyanei maior. & minor. Rosar. Calendul. Limon. Citri a. vnc. vi. Pimpinell. seu Saxifrag. & Pentaphyli a. vnc. iii. Aceti vini albi lib. i. Seminum Portulac. Flor. Nymph. a. vnc. ii. Terr. Lemniæ, Silesiac. Samiæ a. vnc. i. Specier. trium Santalor. drach. vi. Margarit. cum acido Citri præparat. drach. iii. Species succis macerentur, & post triduum per alembicum vitreum in balneo Marię destillētur. Dos. ab vnc. i. ad vnc. ii. mane ieiuno stomacho. In syncope, Cordis palpitatione, & febribus malignis mira præstat.

Cordis Palpitatio.

Cordis palpitatio, seu tremor inordinatus, & auctus pulsantis virtutis cordis motus, à vapore, vel copia, vel qualitate modo manifesta, modo occulta excitatus. Terrificum sane symptoma, sinistri iudicii, mortisq; metum afferens: AEgros enim per syncopem ad mortem præcipitat, amoto cordis motu. *Palpitatio cordis quid.* Est ergo palpitatio cordis partium dilatationis capacium, vt ventriculorum cordis, musculorum, cutis, & partium mollium, cauitates habentium dilatatio præter naturam, à repletione, non autē humoris, quia cita fit repletio, & expulsio; non vaporis, quia facile tenues vanescit in auras; sed flatulenti quidam spiritus crassi per arteriam cœliacam in cor illati, eiq; negotium facessentis. *Causa.* Palpitat tamen etiam cor ab oppressione, cùm nimirum vel cor ipsum, vel pericardios tunica, a-

qua

qua repletur: Aquæ enim in pericardio repletio, & collectio, liberam cordis dilatationē prohibet, vt votis suis perfrui nequeat, ita vt cor à victrice natura non concutiatur, sed ab oppressione palpitet. Duæ autem in vniuersum sunt palpitationis causæ, vna à diastoles infirmitate per oppressionem vel mollitudinem: altera rei alienæ & externæ aliunde irruentis appulsu ad cuius exclusionem, cor se colligit, & concutitur, & est velut concussio quædam: Hęc si victrice natura fiat, liberat; sin fatiscat vt in aura pestilenti, moritur æger. Terrificum igitur est malū cordis palpitatio, quo & ægri, & medici, & astantes exterrentur: Medicis enim affert metum syncopes, & mortis: rationemq; & causæ, & signi terrifici obtinet.

N.B.

Cordis palpitatio terrifica.

Curatio. In curatione, medicamenta syncopi cōuenientia, etiam hic locum habent: Flatus, vaporesque discutientia, sanguinis copiam minuentia, cordis, & humorum intemperiem corrigentia, quæ omnia & debitâ vict⁹ ratione, & chyrurgicis, & pharmaceuticis præsidiis perficiuntur.

Palpitatio à febre ardente ob inchoatum exhaustum, vel phlogosin, aut inflammationem concepta: vel in mulieribus ob suppressos menses, per anadromen ex oppressione palpitatione laborantibus vt & in mulieribus & puellis hystericis, ob tetri vaporis per arteriam cœliacam palpitantibus, certum est amotis horum affectuum causis, palpitationem quoq; curari.

Si corpus Cacochymia laboret, præparatis prius humoribus purgantibus tollenda. Præcipua curationis virtus, in cordis roboratione consistit, Epythematibus, fomentis, lenimentis pulueribus cordialibus, &c. de quibus omnibus iam superius actū. Aurum poculent. Aurum transplendens, Aurum diaphoreticū in hoc affectu triumphant. Essētia cordis Cerui, cornu Cerui Chelidonia, Vnicornu, Lapid. Bezoar, cum spiritu Melissæ. Essent. mosci, Zibeth. cum spiritu vini, rosarum, aut spiritum Theriac. vt & Tincturæ, & Extracta confectionum aromaticarum.

N.B.

FEBRIS.

Quid febris.

Est calor præter naturam in corde accensus, & mediantibus arteriis in vniuersum corpus diffusus. Multa hic dicenda forent, de febrium essentia seu natura, subiecto, varias differentias cōstituente; Causis differentijs; dū aliam primitiuam, aliam symptomaticam; Continuam, Intermittermittentem; Quotidianā, Tertianam, Quartanam, Quintanam, Ephemeram, Humoralem & Hecticā, tam pestiferam, quā non pestiferam faciunt: Nos tamen breuitati studentes, lectorem ad eos remittimus, qui absolutam febrium & naturam, &

curationem ex professo pertractarunt.

Continuæ febres fere curantur præmissis vniuersalibus, frigidâ humida victus ratione, remediis deobstruentibus, laxantibus, diureticis, diaphoreticis, & roborantibus. Intermittentes præmissis quoque vniuersalibus ferè vomitoriis, & humorũ sentinam euacuantibus curantur, vt Gilla, Tartaro vitriolato, aqu. formicarum, remediis stibium ritè paratum admittentibus, deobstruentibus item, laxantibus sudorificis, vreticis, & id genus. In febribus stomachicis, nihil compendiosius est aqua Benedicta stibiata & mercuriata.

CAPVT XXIV.

De præcipuis Ventriculi, & Intestinorum affectibus persanandis.

CHOLERA.

Cholera quid. EX Ventriculi affectib⁹ Cholera immaniter torquet, est enim ingens, & immodica alui sursum, deorsumq; commotio & euacuatio, quam vel ciborũ cruditas, vel humorum feritas, & *Causa.* corruptio ciet, cum immoderata vacuatione, spirituum dissipatione, doloris acerbitate, contrario motu, triumphatâ ventriculi naturâ, & partium nobilium sympathia, inde tandem conuulsio, syncope, mors deniq; ipsissima. Terrificum sane symptoma, intra quatriduum ægrum abripiens: cuius curatio difficillima est, quòd non det inducias & cõtrarios habeat motus: ideo peracutis morbis adnumeratur, à *Galen com. ad aphoris. 12. lib. 1. & aphor. 1. lib. 5.*

Differentia. Cholera autẽ vel est primigenia, vel consentanea; illa à vini musti viuacitate, & fructuũ, baccarumq; edacitate venit, idque autumno, per alui exolutionem à diuturna & graui mole fatiscẽtis. Et cum prægrandis sit aluina perturbatio, sursum, deorsumq; pariter, & æqualiter cietur. Quæ vacuatio, intollerabilis est naturæ, & per hypercatharsin conuulsiones accidũt: hæc verò seu consectaria Lipyriam exoluit.

Curatio. Primigenia curatu difficillima est, tùm propter contrarios motus, tùm propter symptomatum vehementiam. *Hippo.* balneum aq. dulcis præscribit in scapha, somnum quoq; imperat, iubet quinetiam vinum tenue, vetus, & meracum exhiberi tenue, vt meabile, vetus vt mitificandi vim habeat; meracum & parcâ manu, ne aluus fluctuet. Quod si hæc non sufficiant, lac asininum exhiberi iubet, vt aluus copiosè feratur. Affigitur etiam magna cucurbitula ventri, ad vomitionem sistendam, ventriculumq; in naturalem situm restituendũ. Hîc suspectus est syrupus Rosat. solutiuus, propter crethysmum. Conueniunt etiam Epithemata ex decocto Cichor. Absynth. borrag. buglost. florib. Nymph. rosar.

rosar. Santal. Citrin. & aq. rosac. panis tostus, & in vino rubeo madefactus, cum saccaro rosat. est fraudatorium hæredum. Nihil enim æquè vires firmat, quã vinum ipsum. Efficiendum etiã, vt morbific⁹ humor, viam deorsum inflectat; perniciosa enim est crebra vomitio: ideo frequẽter clysteribus vtendum.

N.B.

N.B.

VENTRICVLI IMBECILLITAS.

Ventriculi imbecillitas, est ipsius alui atonia, ab intemperie vel simplici, vel cum humoris morbifici synathrismo, introducta, ventriculi vel appetentiam, vel mitificationem aut omnino tollens, aut tardam, aut deprauatam efficiens.

Curatio. Languenti ventriculo conueniunt Absynthium, Card. Benedict. Menth. Crisp. Rosmarin. Maiorana, Meliss. Coriand. Nucist. Galanga, cæteraq; aromata, & ex iis parata olea, essentiæ, syrupi, &c. Mirificè stomachũ roborat, sal Absynthii, vt & spirit⁹ Absythii cæruleus, vel viridis, è semine Absynthii cum farina secalina & aq. subacto, & cum vini aut cereuisiæ fæcibus fermẽtato, prolectus, destillatus, & rectificatus. Puluis stomachicus ex Aaronis radic. radic. Pimpinel. Salib. Absynth. Cardui bened. Corallor. &c, præparatus, insignes habet in ventriculo roborando vires, vt & apud *Quercet. & Bartholom. Carichterum* videre est. Ad præcauendos ventriculi

Salis & spiritus Absynthij vis in stomacho roborado.

Puluis stomachicus mirabilis.

morbos, nullum præstantius datur remedium Acetositate Vitrioli Veneris, quam Acetum montanum, seu esurinum Veneris vocant, Hermetici, tãtis prædictum viribus, vt omnia, quę in ventriculo cõtinentur, siue tartareæ, siue sulphureæ impuritates fuerint, consumat, ventriculumq; vsqueadeo firmet, roboretq;, vt omnia concoquere valeat. Idem ferè pręstat spiritus & oleum Vitrioli tam Vngarici, quàm Romani. Dextrè autem & cum iudicio administrandus; v. g. Recipe Vini maluatici vnc. j. ol. vitrioli rubentis gutt. vj. exhibetur mane ieiuno stomacho, mire vomitum compescit, & stomachum roborat. Dolores stomachi mirifice sedat sequens liquor si drach. ß. exhibeatur: Recipe Mastich. elect. ℥iij. Alcoolis vini lib. ß. Galang. vnc. j. macera digere, & per alembicum liquorem destilla. Stomachum roborant Nux Indic. condita vt & radix viridis Zingib. condit. Diacytonit. Vinum absynthite. Sequens sal mirabiliter stomachũ roborat, concoctionem iuuat, & putredines arcet: Recipe Salis Nitr. præpar. salis fusi, salis gem. a. ℥ij. salis Absynth. Card. bened Tamarisc. a. ℥j. Galang. Cubebar Macis, a. ℈ij. fiat pul. Dos. gran. 6. mane ieiuno stomacho &c.

N.B.

N.B.

Liquor mirificus.

Sal stomachũ roborãs

ALVI FLVOR, LIENTERIA, Diarrhœa

Alui fluor est motus extraordinarius,

dinari⁹, ad rerum earum excretionem, quæ contra naturam in aluo continentur, vel aliunde veniunt, siue à partibus internis siue ab ijs, quę capiuntur: Omnia enim excreméta, quæ è toto corpore, vel è singulis partibus veniunt, vt serũ cum sanguine per venas, & hepar, confertim, & riuose in aluum confluit, vnde liquidis excremẽtis fertur aluus. Qui fluor & impetus, quatuor facit fluxuum aluinorum genera, Lienteriam, Diarrhæam, Dysẽteriam, Tenesmum: qui humoris morbifici affluxu fiunt, aut è toto corpore in aluum, aut è partibus superioribus, vt è capite: qualis ea est diarrhæa, in qua spumantia sunt excrementa: aut ab inferioribus, vt hepate, liene vt dysenteriæ, nigræ deiectiones; sese enim exonerant hæ partes, & multos humores in intestina effundunt. Suntq; hæc alui profluuia vel critica, vel symptomatica.

Fluxuũ aluinorum genera 4.

Causa.

Lienteria quid.

Lienteria est præpropera, & cita cibi nullo modo mitificati excretio, qui nullam alterationem, neq; in substantia, neq; in colore accepit. Estq; vel primigenia, à ventriculi vitiosa, & labefactata vi concoquendi, aut complectendi vel secundaria, præcipiti catharri frigidi humidi illapsu, qui serum in intestina præcipitat, cum ructu acido, qui si lienteriæ superuenerit, bonus est. Nulla tamen lienteria bona est; peior autem est secundaria, quando incidit in dysenteriam; quæ lethalis est.

Causa.

Differẽtiæ.

Curatio.

In curatione, intemperies frigida, hectica, primigenia ventriculi suis corrigenda contrarijs; assiduus catharri ferini prolapsus sistendus, reuellẽdus, exiccandus; roborandus ventriculus. An purgandum? An medicamentis adstringentibus vtendum? Minimè gentium; sed imitandus *Hippoc.* qui *Sect. 2. lib. 2. Epid.* ita de Lienteria scribit: *In diuturna Lienteria, si ructus acidus superuenit, qui prius non erat, bonũ est signum (ructus enim acidus Lienteriam sistit) sin minus ructum acidum mouere fortasse oportet, nec absre forsan fuerit prouocare.* Idem absolutè docet *1. Aphor. 6.* Ructus enim acidus nõ solum est signũ ventriculi cum cibis in gratiam redeuntis, sed etiam Lienteriã sistit, & soluit. Aluus enim collapsa sursum mouetur, & ex euentu Lienteriam sistit. Rerum igitur stomachicarum, & calidiorũ vsu, fotu, hapsoue, prouocandus acidus ructus, vini nimirum veteris, præpotentis, generosi, & aromatici, corticis item citri, & aromatum vsu, non tamen Zingiberis. Fotus fiat ex absynth. mentha, anetho, schænant. spica galang. & nucista. Hapsus fiat oleis calorificis, vt Nardino, Nucistæ &c. Hæc facient ructum acidum, qui prius non erat, propter intemperiem frigidam, hecticam

Quæstio

ticam, in qua intestinorum & ventriculi vis effæta languebat. Sic quę ab acido, acriue humore perenniter è capite illabente fit lienteria, non est purgatione curanda, sed fotu stomacho admoto, puluisculis è Nucista, Garyophil. Cinamomo, siue illa primigenia, siue secundaria fuerit. Quod si à præcipiti catharro oriatur, sequens potio exhibēda: Recipe Rhabarb. elect. incisi ℥j. maceretur in decocto absynth. & Cichor. q. s. facta forti expressione adde pulu. Rhabarb. ℈j. f. pot⁹. Quod si crassior humor ventriculi tunicis adhærescat, exhibeatur Hiera picra *Gal.* cum syrup. de absynthio, magna sæpe copia glutinosos humores ventriculi parietibus adhærentes excutit: excusso humore, roborantibus vtendum. Quod si Lienteria ex aphthis cōtingat, quando nimirum aluus fertur sine rei tristis sensione, sine dolore, & torminibus, sed in aluo aphthosa quædā exulcerationis sensio percipitur circa vmbilicum; aphthæ quidē purgatione non curandæ, sed sedato catharro colicis & narcoticis remedijs, exiccandæ erunt, vt conseru. rosar. cum pillul. de cynogloss. laudano opiato. Danda enim opera, vt compescatur catharrus, & generatio prohibeatur: tandem decocto radic. cichor. cum absynthij tantillo, exiccandæ aphthæ. Datur præterea sequens puluisculus ex cochleari, qui mirificam vim habet exhauriendi, & consumendi serum & catharrum nitrosum, aluum exulcerantem. Recipe Coriandr. præpar. fænicul. dulc. a. ʒj. Rasur. corn. Ceru. eboris. puluer. margarit. elect. Corallor. rub. rosar. rub. a. ʒß. Cinamo. acutiss. gra. ij. saccar. rosar. ℥j. fiat. pulu. tenuissimus.

Aphtharū curatio.

Puluis mirificus.

Diarrhæa verò est immoderata, cita, frequens, & diuturna alui deiectio, qua humores excrementitij tùm biliosi, tùm melancholici, tùm synceriores vel quantitate, vel acrimoniâ, expultricem ventriculi, & intestinorū stimulantes, sine phlegmone, lienteriâ, exulceratione, tenesmo, aut vehementi doloris sensu profluunt.

Diarrhæa quid.

In curatione, peccans humor prius euacuandus, non tamē statim abstersoria in initio exhibēda, vt est Mel, syrup. rosat. tū simplex tùm solutiuus, cùm vel absque sero lactis, præsertim si vltro iam aluus plus satis feratur, sed totum negotium naturæ relinquendum; ne scilicet calcaribus currenti iam naturæ additis, præcipites in mortem ægros agam⁹. Sit potius medicus aliquandiu motus naturæ spectator morbi, causæq; morbificæ rationem habens. Quod si naturam labascere & succumbere, nec materiam morbificam sufficienter excutere videamus, dextre blandis remedijs ad exclusionem irritanda

& abstergentibus iuuanda erit. Quod si diutius, quam par sit, perseueret, blandis adstringentibus obuiandum. Hinc diarrhæa correptis conuenit frequens vsus oryzę vel cum carnis iure, vel cum lacte cocta; qua etiam dysenterici sæpe curantur. Cibis etiam incoquuntur fructus astringentes tùm recentes, tùm sicci; succus item cytoniorum; addũtur etiam pulueres Corallorum, cornu Cerui, semin. plantag. spodij, tormentil. Potus in biliosa diarrhæa sit aqua chalibeata: in Pituitosa, vinum nigrum austerum. Lac caprinum chalybeatũ sæpe exhibitum, citò diarrhæam sanat. Dogmatici laudant Trochiscos de spodio, de terra sigill. Diatrion. Santal. Diacyton. Theriacan. &c.

Aqua miræ efficatiæ.

Recip. Rhois obsonior. quart. I. Aq. folior. recent. *Querc. lib. 3.* In his maceretur 24. horis Sumach, deinde bulliãt, tãdem Rhus fortiter exprimatur; in hac aq. oriza coquatur, cuius vsu diarrhæa breui cessabit.

Mirabiles quoq; sunt istæ Tabulæ.

Recipe puluer. Radic. Bistort. Tormentill. corn. ceru. vst. a. ʒij. Semin. Plantagin. vnc. ß Croci Mart drach. v. Terr. sigillat. Boli armen. veri a. ʒij. sangu. Dracon. ʒjß. Saccar. rosat. tabulat. in aqu. folior. recen. Querc. dissolue, q. s. Fiant Tabulæ.

Experimentum in Diarrhæa.

Coquatur radix filicis cum aq. plantag. vel pluuiali chalybeata, & hoc decocto fomententur diu pedes, vel detur nucista tosta cũ theriac. aut conseru. rosarum antiqua in vino nigro austero.

Hermetici ferè vtuntur croco, oleo, & tinctura Martis: Spiritu, oleo, rubino, & sulphure vitrioli, terra sigillata vitriolata: magisterio corallor. rub. & margarithar. cum vino rubello, aut aq. plant. extracto corn. ceru. ossium microcosmi: aqua panis, tritici destill. & opt. rectificata: laudano vero ad 2. 3. 4. 5. grana.

Sunt & alia ad sistendos fluxus aluinos tam lientericos, diarrhoicos, quam dysentericos, hepaticos & pestilentes longo vsu & experientia comprobatissima remedia v. g. Puluis ex reuerberato malo Punico & compositus ex thure: Puluis ex palma Christi, & auellana Indica, boleto ceruino saccaro cornorum & alijs. Crocus martis citra vllius rei additionem, sed solo igne reuerberatorio elaboratus, & purus & à suo innato vitriolo vindicatus, vti superius suo loco docuimus, præsentaneum est remediũ, qui enim vulgo præparatur & vsurpatur crocus martis magnam vim aperiendi habet vt puta propter vitriolum nondum à croco separatum. Squammã ferri quidam purgant tum calcanthi, tum salis nitrosi præsidio; at hi succi

post

post ignis crematuram à squamma ferri exiccati crocum martis terreum & tantum adstringentē relinquunt. Camphora cum ebore aqua rosacea, portulaca & alijs sistit fluxus varios.

DYSENTERIA.

Dysenteria quid

Est cruoris per intestina ad anum manātis deiectio, quicquid enim vel abradendo, vel exasperando aut exulcerando intestinis molestū est, dysenteriam facit. Cruoris autem ab intestinis, vel per intestina manantis deiectio, vel à partibus superioribus, vel à toto corpore, vel ab ipsis intestinis exulceratis venit. Si per intestina feratur cruor, carnis recèns mactatæ loturam referens, hepatis resolutionem & infirmitatem arguit, inde dysenteria hepatica, & fluxus hepatic': & hic loricandis intestinis minime studendum, accidit enim illæsis intestinis, & fit per hepatis ἀῤῥωστίαν. Altera est cruenta & multa, fitq; naturę virtute, in membri alicuius vel vlcere, vel excisione, propter corporis totius permeabilitatem, & dicitur à *Galen. 4. de Articul.* αἱμαῤῥοϊκή: non tamen est lethalis hæc dysenteria, cùm sit fugax cruoris exclusio, non adferens perennem generationē; prærupta tamen deiectio, etiam citra intestinorum offensam facta, fere insanabils est, & metu medicum terret.

Cruor dysentericus vnde promanet.

Fluxus hepaticus.

Propriè dicta dysenteria, fit ab intestinorum vlcere, cum torminibus nimirum crassiora intestina, vel etiam superiora, & tenuiora exulcerantur. Hæc repente non nascitur, nec intestina exulcerantur, nisi ab atra bile, bile flaua, acri, erodente; vel pituita salsa, qualis in tempestate austrina, pluuiosa, & putri fere accidit: Qualis enim est cœli constitutio & anni tempestas, talis ferè est humorum idea, quorum dominatu, corpus tentatur, vti libro primo huius operis abunde ostendimus.

Causa dysenteriæ

Dysenteria ipso symptomate, sanguinis nimirum per aluū excretione, terrifica est: omnis enī sanguinis profusio, siue sursum, siue deorsum fiat, suspecta est, cū non solum ipsa fluxio, sed & profluuij causa, non facile curationem admittant, & ægri, viso sanguine terreantur; licet sæpe etiā salutis spe, & ægrum & medicum soletur; vt enim sunt causæ dysenteriæ, ita vel metu terreri, vel consolationem percipere possumus. Atra bilis acriorem morsū habet, quàm flaua: ideo dysenteria ob vlcus ab atra bile illatum, læthalis est, tum per se, quia est insanabile vlcus: tùm ex euentu, quia vim intestinorum labefactat, cum diuturna sit. Salubris vero est dysenteria, quæ accidit mulieribus vacuis, & infructuosis: vt & ijs, qui altero crure mutilati sunt; Iuuenibus item quibus vox exasperari incipit; quæque lienosis, & febribus super-

Omnis sanguinis profusio suspecta.

uenit, & critica est, quando scilicet raro & multum fertur aluus, nec diuturna est, nec apositian inducit.

Quando cruoris ab intestino exulcerato manantis excursio ęgrum damnis auget; cùm scilicet est biliosus humor hepar ęstu accensum excandescit; deijciendi finem non facit; deiectio est cruenta, ab intestinis manans, non quiescit incendium; iactatur æger, & aluus ægri damnis fertur, &c. Venæsectione opus erit, vt perennitas extinguatur, quæ ab intestini calore, & incendio pendet. Vires tamen sedulo examinandæ, quæ si valeant, oportunè adhibetur phlebotomia; præsertim si solemnis aliqua euacuatio suppressa fuerit. *Galenus* quoque, si diætæ vitio, bilis in hepate ferueat, venæsectionem suadet; nisi multum & sæpe fluat aluus; aut dyarrhæa symptomatica adsit.

Venæ sectio.

Cautio.

Si purgatione opus, nullum præstanti' pharmacum Rhabarbaro excogitari potest, quoniam fluxionem sistit, partem roborat, vlcus sua adstrictione, & moderata siccitate curat: suspectus tamen est eius in hepatis æstu vsus quo potius ægrescit: vnde autē causam antecedentem, & incendium, lenētium potior est vsus: nec de astrictione initio est cogitandum. Vis purgare? Rhabarbarum in taleolas cisum, cum aq Endiu. aut cichor. prębe: Vin' adstringere? In puluerem redactū, & maceratum cum aq. Endiu. agrimon. aut folior. Querc. exhibe: habent enim vim liberandi obstructiones, præsertim si prærupta sit quædam proluuies symptomatica hepatis resoluti, valdeq; infirmi. Sin ab hepatis debilitate fiat, exhibetur syrupus solennis rosarum siccarum; parti enim roborādæ studendum. Superiorum intestinorum exulceratio potionibus; inferiorū, clysteribus est curanda; initio tamē non adstringentibus & illam fluxionem sistentibus vtendum. Sic nec dysenteria pestifera, seu Epidemica supprimi debet, superstite fontis perennitate, quæ in articulis aut visceribus regressum haberet, sed fons debet exhauriri, & confirmari, vbi pars expurgata fuerit.

Rhabarbari vsus.

In dysenteria plurimum faciunt clysteres Epiceraustici, & abstergentes, è iure capitis castrati, saccaro rubeo, & butyro recenti. Præsenti bile, relicto saccaro, sumitur lac, ptisanæ succus, præsertim si febris non vrgeat: pro re nata, vrgentibus doloribus anodyna clysteribus addi poterunt folia Hyosciam. poma mandrag. capita papauerum. Si adsit vlcus vacuata prius materia, clysterib' detergentibus, adstringentibus, & glutinātibus vtendum: si fordeat vlcus, affunditur mulsa, aq. hord. cum mell. ros. aut serum caprin.

Clysteres.

Cōducunt Aq. folior. Querc. Plantag.

Plantag. Pilosell. Argentar. Myrtillor. Prunor. Syluest. vt & eorũ syrupi, succi condensati: omnes item fructus adstringentes. Salix ad sanguinem sistendum, & nucamenta salicis, mirificam sistẽdi sang. vim habent: ex quibus etiam ad id fit syrupus: ex iisdem per alembicũ destillatur liquor, ad sanguinem sistendum mirificam facultatem habens.

N.B.

Vinum stipticũ.

Vinum stipticum delectabile.

Recipe Vini rubelli lib. j. aqu. Myrtillor. Acat. folior. Querc. Conseru. rosar antiquar. vnc. iij. Myrtillor. ℥ij. garyophillor. cinamo. a. ℥iss. mastich. ℥j. Bulliant ad tertias, coletur. Vsus in omni cibo, & medicamento.

Morselli confortantes, & restringentes.

Recipe Radic. Tormentil. Bistort. Acatiæ, Nucistæ, lapid. Hæmatit. Mumiæ veræ a. ℥j. Cortic. Citr. Serpentar. maior. a. ℈j. Specier. Trium Santal. Diarrhod. a. ℈ij. Corallor. rub. Margarit. præp. a. scrup. ij. Croci Mart. ℥j. Mastich scrup. j. Terr. sigil. scrup. iiij. Sacc. rosat. in Aqu. plart. solut. f. morselli.

Puluis excellens in dysenteria.

Recipe cinerum limacum, astacor. cum corticib. off. microcos. calcinator. a. ℥j. Gallar. virid. ℥ß. Croci Mart. Terr. sigillat. Corall. præp. a. ℥ij. piper. albi. ℥j. Misc. Dos. ℥j. cum vino rubello, & aqu. pyror. syluest. mirificè sanat dysenteriam, etiam antiquam.

Alius secretissimus.

Recipe lapid. Hæmat. pręp. ℥ij. AEtitis nuclei interioris drach. iij. Carneoli pręp. drach. iß. lapid. bezoart. corn. ceru. præp. Terr. sigillat. Croci Mart. a. ℥j. Misc. dos. cum aq. aut syrupo stiptico.

Oleum iuglandinum miraculose alui fluores sanat, si assumatur, & aluus & venter eo inungatur. Secreti loco exhibetur puluis cupular. glandium, & Nucist. exiccat. cum pulte auenata.

VEL

Purgato prius per Rhabarb. torrefactum corpore, exhibeatur ℥j. Croci Mart. cum conserua rosarum, superbibendo lac caprinum, in quo aliquoties silices albi candefacti extincti fuerint. Sic decoctum argillæ furnariæ cum lacte chalybeato est mirabile remedium; quo etiam non fine mirabili effectu in clysteribus vtimur. Sic crusta panis tosti cũ sæpo castrati, quod circa renes reperitur frixa, & cum ℥j. puluer. tormentil. aut Croci Mart. assumpta, superbibendo lac chalybeatum, mirabilis est effectus. Sic etiam in alui fluoribus sedandis secreti loco habetur, si sumatur Agrestæ cyathus, parum bulliat, post clarificationem, tertia pars ebibatur; statim enim fluxus sistit, & viscera roborat. Sic drach. j. pulueris Priapi Ceruini in furno siccati, mirabile est remediũ. Sic dysentericis tutò exhibetur radicis Symphiti sub cineribus

coctę & cribratæ pulpa, cum pulpa item perdic. pistacior. a. ℨj. seminib. plantag. & portulac. vnc. ß. corallor. vtriusq; a. ʒj. Saccar. cand. ℨvj. f. morselli. Huc referatur puluis dysentericus tùm *Crollij*, tùm etiam *Quercet.*

Hermetici cùm in dysenteria ferè semper aliquid venenati cōcurrere existiment, eam non tam purgantibus, quam diaphoreticis curandam; putant, vnde statim aëre correcto, exhibent aquam pestilentialem *Paracels.* vel aquam theriacalem: mox exhibent curatiuum, paratum extracto boli armen. Croci mart. terr. sigillat. Corallor. Hæmatit. tormentill. burs. pastor. plantag. acori lutei. mastich. thuris & santal. rubeorum. Summum cōfortatiuum ponunt in auro, & laudano perlato. Cōstrictiuum statuunt in oleo Croci Martis, cum laudano, theriaca, & mumia. Sūmè item laudant Tincturam & smaragdi, & corallorum genuinam. Crocus martis; spiritus & oleum terebinth. non postremas partes tenent, vti & sal prunellæ, cum calorem extinguat, & cum tinctura rosarū sitim sedet: Laudanum & Nepenth. dolores mitigat. Vitriolum martis, è Croco martis, per oleum sulphuris cāpanarium paratum, liquatum, filtratum, & in crystallos, seu vitriolum actum, in hoc affectu mira præstat, si cum liquore stiptico ad 3. vel 4. grana exhibeatur: vti & essentia Martis.

COLICVS DOLOR.

Est tristis & acerba sensatio coli, seu crassiorum intestinorum, à continui solutione introducta, vel ab intemperie, inflammatione, vel ab obstructione excitata, siue hanc efficiant flatus crassi, fæces induratæ, lapides, vermes; vel crassi, viscosi, glutinosi, vitrei ac tartarosi; vel acres mordicantes, rodentes, salsiq; humores, & coli intestini cellulas diuellētes. Colici doloris tanta sæpe est acerbitas, vt ægri interdum ad exitium præcipitentur: sæpe enim successionem habet tùm Ascitis, tùm Tympanitis *teste Hippocr. 4. Aphor. 11.* Quandoq; est & Arthritis & paralysis prænuntius, ex materiæ translatione ad superiores partes, aut temeraria curatione, cùm nimirum discutientes clysteres primò inijciuntur. Melancholiam quoque & stranguriam inducit colicus dolor, atq; doloris acerbitate corpus infirmum reddit, humorum corruptionem coniungens.

Colicæ in paralysin translatio.

Colicus & Nephriticus dolor inter se differunt, situ, & proprietate, & quantitate, & qualitate, & eiusdem doloris tempore. excrementorum item qualitate, copia excernendi modo, & alijs superuenientibus symptomatib⁹. Colicus dolor plures occupat partes, quam Nephriticus, & à dextra parte per fundum ventriculi originem habet, sicq; & dolore, & doloris proprietate, à Nephritico

Differentia Colici & nephritici doloris.

tico differt: Hic enim generationem & mansionem habet inflãmationi quidem coniunctus, cũ generatur; mansionẽ verò quia infixus: Colicus sursum, Nephriticus deorsum, vtriq; communis est vomitus, qui tamen in colica, saturitate mitescit, vacuitate ægrescit; contrarium fit in Nephritide: Colica remedia anodyna & narcotica esse cõuenit, at in Nephritide, eiusmodi locum non habent. In Nephritide, in generatione initio molliendum, in mansione tenuandum; & vrinæ ad motum ciendæ: at quæ molliunt, tenuant, cient, in colica nullo modo conueniunt.

Curatio colicæ.

Colicum igitur dolorem à phlegmate crasso, viscoso, vitreo seu potius albugineo excitatum curaturus antequam ad affectus curationem accedat, prius, si fieri potest, doloris acerbitatem sedet, leniatq; doloris enim acerbitas, corpus frangit, vires q; debilitat, humores corrũpit, & nouã doloris causã continenter gignit. Sedato dolore, causa morbifica primò mitificanda, mox expurgãda. Leniẽtia autẽ sedãtia, & anodyna remedia, vel morbificã causam abscindunt, vt in pleuritide, phlebotomia; vel leniendo, demulcendo, infringendo, & laxando dolorem sedant, vt aq. tepida, oleum amygd. dulc. balneum aq. dulcis; vel partem dolorificam stupefaciunt, quorum tamen moderatus vsus esto, vt est Laudanum Opiatum, Nepenth. Sulphur vitrioli &c. Sed & lenientes clysteres è lacte decocto emollientium, cum ouorum vitellis, butyro, primùm injicere oportet: at si acriores prius injiciantur, perennis materiæ morbificæ generatio, perennis eiusdem & affluxus, ægrum damnis augebit.

Flatulentæ colicæ curatio

Flatulentam Colicam quidã curant iniecto clystere ex oleo communi, cui Garyophill. Cassia lign, Cinamom. Nard. Calam. odoratus, Galang. &c. incoxerint. Rondelet. & Holler. injiciunt. Clyst. è vino generoso, vel Maluatico, cũ prodio & allio in mortario trito, addito oleo, & decocto Erysimi est efficacismum remedium. At si ne sic dolor cesset exhibeantur grana 6. castorei in vino opt. sic subito curantur.

VEL

Recipe vini Maluat, Olei Nuc. a. ℥iij. Aq. vit. ℥j. Ol. lunip. & Rut. destillator. ʒij. Misce, & calidiss. applicentur. Hoc Clystere intollerabiles dolores à flatu, aut albuminea seu vitrea pituita excitati sanantur, miraculi ferè & incantamenti adinstar. Idem facit cucurbitula magna vmbilico cũ flamma affixa. *N.B.*

Post Clysteres quidam feliciter vtũtur syrup. rosat. solut. ℥iiij. ol. amygd. dulc. ℥iij. Spermat. ceti non rancidi ʒj. Misce addi potest aliquid vini generosi: sumpto pharmaco, deglutiunt glandem.

dem plumbeam argento viuo illitam, quæ mox cum excrementis per aluum secedit.

Herbæ veronic. Vsus in colica.

Decoctum Galli antiqui verberibus occisi, additis rebus stomachicis, resoluentibus, discutientibus, & præsertim herba veronica, cuius decoctum in Colico dolore specificam prærogatiuam obtinet; plurimum iuuat, corpore prius ab humorum sentina vacuato. Oleum Hederæ terrest. tàm potum, quàm Clysmate iniectum, ad Colicos, cæterosq; intestinorum dolores sedandos, mirificam vim obtinet. Egregiè facit auena in sartagine fricta, vt & iuglandes tusæ, & vini momẽto respersæ, & calidè ventri admotæ. Idem facit omentum castrati in oleo rosat. compl. coctũ, & calidè admotum. Oleum seminum Vuarum expressione factũ, tùm sumptũ, tùm calidè vẽtri inunctũ, mirabiliter dolores colic. à frigiditate, aut flatibꝰ excitatos sanat. Helenij decoctum summè laudatur: *Scribonius* secreti loco vtebatur pulu. cornu Cerui vsti: eodem successu sumitur ℈j. pulu. oculorum Lucij piscis, cum vino generoso. Puluis Cranij humani ad ℈j. cum vino, etiam Iliacũ dolorem sedat. Flatus breui discutit elect. de baccis Laur. ʒß. cum vino generoso: validissimum fuerit, si addantur olꝰ anisor. gutt. 10. Puluis item rad. Gentianæ drac. j. zingib. ℈ß. saccari candi ʒij. cum aq. cinamomi respersus, & assumptus, præstantissimum èst ad colicam à causa frigida remedium.

N.B.

N.B.

Specifica

Secretum Ioseph Iudæi in Colica.

Ollam fictilem virenti Absynthio minutim inciso imple, duas vini opt. mensuras affunde, 24. horis macera, mox huius macerati succi seu liquoris mensuram vnam in aliud vas effunde, postea reliqua ad focum coquere finito, paulatim aliquam portionem reseruatę illius mensuræ affundendo, quoad totum vinum coctione sit absumptum, reperies puluerem rubeum ollæ parietibus adhærentem, quem abrade, & de eo tribus mane diebus quantum cultri apice capitur, cum vino generoso sumitur, tollit omnia tormina.

Specifica proprietate colicos iuuare dicuntur, intestini Lupi puluis ad ʒj. cum vino decoctionis Camomil. Aneth. Veronic. Stercus canis ossib. nutriti leporis Lumbric. terrest. Cornu Ceru. vst. Puluis dentis apri operculorum Cochlearum: tunica interior. stomachor. gallinæ, erynacęj: Cortex Arantiorũ, & præsertim eorum extractum oleum, vt & oleum iuniperi, & castorei cum vino exhibita.

Hermetici in dolore colico sedando & curando adhibent spiritum nitr. & subtilitates tartari, salis tùm communis, tùm marini, gemmæ, & vitrioli Veneris: Salia item è capitibus pisciũ, sal camomil. oleum terebinth.

granor.

granor. Iunip. Menth. crisp. Garyophil. Cimini, Succini Sulphur, Ceræ ol. camomil. cæruleũ, Nucist, cum Zibeth. vmbilico inunctũ. Essent. Corallor. Extract. cortic. arant. probatiss. est remedium. Extract. Calami aromat. cum aq. cinamo. Exhibent magno successu spiritum Nitri cum spiritu vini, & aqua font. lepide, N. B. profecto enim vbertim sub stragulis sudore, omnis sopitur dolor. Plurimum etiam iuuat spiritus Tartari in Contractura colicæ succedenti, ter die, post debitam euacuationem sumptus.

Ad membra contracta ex Colica mirabile Galbanetum.

Recipe Galbani elect. triti lib. ß. vitro impone, affunde spiritus Terebinth. clari lib. j. post aliquot dierum digestionem è cucurbita non alta per alembicum destilla, prodibit nobile oleum, quo contracta membra præmissis debitis & vacuationibus & frictionibus inunguntur.

Alij idem hoc modo parant:

Recipe Galbani lib. j. Gum. Heder. ℥iij. contere, misce; & retortæ indita destilla oleũ: Huic oleo affunde spiritus Terebinth. lib. j. ol. laurin. ℥j. iterum destilla, & aqu. ab oleo separa. Hoc oleum temperatè calidum, ægro supinè iacente, vmbilici cauitati infundatur. Videbis mirabilem operationem, potius diuinam, quam naturalem.

Aqua Mercurialis acetosa, radicitus Colicam tollens:

Mercurio in aquam redacto & soluto, ad quartam eius partem affunde Mercurium crudum & perpurgatum, soluetur & hic in aquam, mox per alembicum destilla, & Hermeticorum more vtere.

VERMES.

In nostris corporibus monstra quoq; nascuntur, Scorpiones nimirũ, millepedes, & variæ vermium species, quorum & iã vita functi, & etiamnum viuentes esca sumus. Experiẽtia enim constat in cerebro, oculorum canthis, narium stricturis, auriũ anfractibus, dentium cauis, pulmonibus, corde, ventriculo, intestinis, renibus, vesica, matrice, in sordidis item vlceribus, toto deniq; corporis habitu vermes fuisse productos, & anatomices sectionibus deprehensos, omnium autem frequentissimè in Intestinorum meandris; dicuntur Vermes, quod rependo sese torqueant, & vertant: Lumbrici ab eorum lubricitate.

Hæc animalcula intestina replent, obstruunt, lancinant, chylum deuorant, digestionem, & expulsionem impediunt, prauos vapores emittunt, & graues sępe morbos excitant. Sed vnde generantur? Non è bile, illos enim intestinorum irritatione potius expellit, quã ad excretionem stimulantur. Non ex atrâ bile, cùm

Vermiũ generatio.

enim frigida sicca sit, ad generationem inepta habetur. Pleriq; volunt eos à pituitoso, crasso, lento, viscoso humore, diutius in intestinis retento, & collecto, & putrescente nasci. Verùm nō ab omni humore pituitoso & crudo; nec ab omni humore albumineo, seu vitreo; nec à concreta pituita; nec à salsa, aut putri nascuntur vermes: sed a pituita purulenta, dulci, quæ coctione mitificata est, vti oui albumen mitificatur, & quodammodo fit purulentum. In hac autem materia ex qua vermes nascuntur, Hermetici semen aliquod delitescere volunt, seu quidpiam semini analogum, vi plasticâ instructū, viuificamque aliquam ἀποκέιαν, & principem causam, quæ materiā ad hanc, & nō aliam vermis formam recipiendi disponat, dispositam hac ipsâ formâ induat.

N.B.

Vermiū differētia.

Differunt vermes magnitudine, figurâ, & loco: alij enim in tenuibus, alij in crassis intestinis, in ano alij nascuntur, vt sunt Ascarides. *Hippoc. 4. de morb.* Latos vult in ipso embryone gigni, & postea cum intestinis crescere: Longos similiter, sed & in paulo adultioribus. *Fernelius* longos & latos non parere, sed ex paruis illis cucurbitinis vnitis, aut mirâ serie inter se cohærentibus, longum, latumq; vermem fasciæ instar oriri scribit; & hi cucurbitini vocantur, & per totum sæpe intestinorum tractū feruntur; qualem *Plinius* sese vidisse scribit 30. cubitorum longum: Nos ante sexennium Bruntruti è famulo Nobilissimi Domini Ioannis Erhardi Schenck à Castel, tunc tēporis aulæ præfecti, Christiano, exhibitis remedijs vermem cucurbitinum longitudine 30. cubitos excedentem magnâ adstātium admiratione excussimus. Superiorum intestinorum nati vermes ab excremento chyloso vocantur ἑλμινθεις lubrici rotundi.

Saluberrimum est vermes exire, eunte ad iudicationem morbo. Qui autem ineunte morbo vermes excludit, cruditatem denuntiat; qui mortuos, corruptionem; qui sine fæcibus naturalis œconomiæ interceptionem, & quo plures, eo maiorem corruptionem arguunt: sed si pauci, éditis iam pepasmi signis, deuicto hoste, & naturâ iam de morbo triumphante, bonis ægri rebus excernuntur. Stercorū cum vermibus mixtio, caloris natiui virtutem, & materię bonitatem denotat. Bonum est ergo vermes viuos, albos, non versicolores, morbo ad iudicationem eunte, excludi.

Curatio

Medici vt vermes è superioribus ad inferiores partes educāt, per os amara, vt absynthium, quæq; tetri & amari sunt saporis exhibent, infuso per anum clystere è lacte, saccaro rubeo, & ouorum vitellis parato. Vitanda dulcia per os absumpta: eò enim

perro-

perreptant, & ventriculi orificiũ erodunt, & sæpè cardiogmũ excitant. Expellunt etiam vermes clysteres è vini libra, olei absyn. ℥iiij. & pulu. Hieræ picræ ℈ß. si nimirum fuerint vel Ascarides, aut longi vermes: ad rotundos verò tenuibus intestinis inexistentes, conueniunt supra dicti clysteres è lacte & saccaro &c.

Vermes enecant, & per fætentem camerinam expellunt pleraq; simplicia tetri, & amari saporis, Absynthium, Centaurum minus, semen Santonici, Mentha, Abrotanum, Ruta, Calamẽ, Sabina, Scordiũ, Corallina, Tanacetum, Aloe, Myrrha, Portulacæ succus & semen, Semẽ plãtag. Citri; succus Citri, succus folior. persic. Ex ijsdem syrupi, & pulueres ad eosdem vsus parari poterunt. Exhiberi autem eiusmodi remedia cum dulcibus debent, vt alliciantur vermes; eâ tamen adhibitâ cautione, ne nimio dulcium vsu, vermes in inferioribus intestinis siti, ad superiores partes alliciantur, ęgrumque malis augeant. Occisi vermes antequam putrescant, maiorum symptomatum præcauẽdorum causa, vel clysteribus, vel purgãtibus expellendi sunt. Viui etiam lubricantibus eijciendi vt butyro liquefacto, oleo, insessu in lacte dulci, quibus ascarides facilè eliciuntur.

Inter medicamenta vermes interficientia, scordij decoctum facilè primatum obtinet, vti & puluis & aqua galegæ à pluribꝰ commendata: hoc enim epoto, statim necantur vermes. Oleum ligni Heraclei per descensum parati, si 2. 3. vel 4. gutt. cum panis mica sumãtur, illico vermes necat, & per aluum expellit, cum potenter soluat. Idem mercuriꝰ crudus & currens præstat, vnde & *Brassauolus* & *Fernel.* puerulis ad gr. 6. & ℈ß. mercurium crudũ exhibent: Idem facit extinctio Iouis soluti in aqu. centaur. min. vel Hyperici facta; vti superius ex *Libauio* ostendimus. Quod si in ventriculo vermes generentur, vtiliter 3. 4. 7. gran. Gillæ, vel salis vitrioli albi exhibentur. Megacosmi lumbrici loti, exiccati, & puluerizati, & exhibiti, omnis generis Microcosmi vermes, occultâ quadam proprietate expellunt: Microcosmi vermes nõ item: sed loti, siccati & exhibiti, lumbricos potius in corpore generant, quo medicamento passim Agyrtæ vtuntur, incautosq; decipiunt. Farina ex putrida abiete necat vermes. Puluis ligni querni lumbricos interficit, præsertim si addantur carbones è turbetho, agarico, vel silere mõtano.

Medicamẽta vermes necantia.

N. B.

Alex. Pedemont. tria proponit ad necandos vermes remedia: 1. ℞ ℥ij. floris farinæ tritic. cum aq. fontana fit cremor quidam, & lactis loco potatur: 2. Pomum arantior. excauatum impletur oleo

leo laurino, ſucco abſynth. rutæ, theriaca, & Lupinorum farina, mox ad ignem, ſeu cineres calidos coquuntur; hoc ſucco tandem vmbilicos, cor, tempora, & pulſus inunguntur: 3. venter, & pectus ſpiritu vini lauatur, mox inſperſo myrrhæ puluere, æger reſupino pectore relinquitur.

Mirabilis puluis ad omne vermium genus.

Recipe Pulu. Sementin. Corallin. Scord. a. ʒjß. Mechoac. rhabarb. a. ℈iiij. Corn. Ceru. præp. ℈ij. Diagrid. gran. 4. Miſce pro duab. doſib. Nil præſtantius habetur, vbi ſubeſt vermium copia, hoc enim aſſumpto agminatim defluunt.

V E L.

Recip. Pulueris Sautonic. Corallin. a. ℥ß. Cretę albiſſ. ʒiij. Scor. Corn. Ceru. præp. ʒij. Miſc. doſis ʒj. cum lacte muliebri, per triduum. Eſt efficaciſſimus.

Oleum mirabile ad idem.

Rec. Abſynth. Abrotan. Scor. Santonic. a. ℥j. Hyſſop. Menth. Thymi Rut. Card. bened. Praſſ. Centaur. min. Corallin. a. ℥ß. Folior. & flor. Hyperic. a. ℥j. Semin. rut. caprar. ʒij. Radic. Ireos, Helenij, Gentian. Dictam. alb. tormẽtil. a. ℥ß. Myrrh. Corn. Ceru. p̄p. a. ℥ij. Agaric. Aloes, Rhabarb. a. ℥ß. Cardamo. Lupinar. a. ℥jß. Semin. Braſſic. portulac. Coriand. p̄p. a. ℥j. Semin citri. ʒx. Secale vnc. ij. Amygd. amar. vnc. iij. Sebeſt. ℥iiß. Omnia inciſa & tuſa cum oleo communi & laurino. q. ſ. in vaſe vitreo ſoli exponuntur 40. dieb. deinde 12. horis in vaſe duplici lento igne bulliãt; hoc oleo mane & veſperi vmbilicus inungitur.

Cerotum mirabile.

Recip. Myrrh. Croci, Aloe pat. a. q. ſ. cum acet. roſac. & felle bouis fiant duo Cerota, quorũ alterum ori ventriculi, alterum dorſo è regione applicetur, & mirabilia videbis.

Folia & flores Hyperici tuſi, & emplaſtri inſtar vmbilico admoti, vermes enecant, qui demum leui pharmaco expelluntur.

Comæ Eupator, Meſue, per noctem vino infuſæ pueris ad potãdum dimidius cyathus offeratur mirabili ſucceſſu. Eſt autem Ageratum Dioſcoridis. Sal Iouis etiam mira præſtat.

HAEMORRHOIDES.

Hæmorrhois propriè fluxus eſt ſanguinis, qui inoffenſo curſu, ſine dolore, & offenſionis ſymptomate fertur; & quandoq; opus eſt naturæ, haud ſecus, ac muliebris menſtruus fluor, ægrum multis bonis beat, à morbis ſæpe grauiſſimis præſeruat, non rarenter magnos morbos ſoluit, præſertim ſi moderate, tẽpeſtiuè, cum facili tolerantia, & conferentia id accidat. Quod ſi immoderatè, intempeſtiuè, morbi motu & malitiâ, humorum acrimoniâ, aut materiæ multitudine, & virium iacturâ feratur, ægrum

grum multis damnis auget. Si enim à pituita salsa, vel atra bile incaluerit vena, à vicinis sanguinem attrahit, intumescit, sicque apparet quandoq; tumor verrucalis; vel ficus, aut pruni, vel floris thymi, mariscæ, & vuæ, similitudinem referens & condylomata, quæ venarum hæmorrhoidalium symptomata dicuntur, & hęmorrhoidum venarum sanguine oppressarum calamitates, cùm exitum non habet. Nam distenduntur, & loco mouentur hæ venæ, acerbissimosq; dolores excitant. ob continui solutionē, in qua summa calamitas existit. Et vt plethorā deplendo hęmorrhoides salubritati sunt accommodatæ, & cacochymiam deplendo, à multis malis vindicāt, ita si liberalius fundatur sanguis aut supprimantur, & repentè sistantur, inde malorum fætura prorumpit, & Ilias. Nam ex nimiâ profusione per hæmorrhoides, venit Hydrops, camque ob causam vult alteram sisti *Hippoc.* vnâ hiante. Ita etiam quæ incōsideratè sistuntur, carcinomata faciunt in ano; aut per anadromen, quæ non habuit anagogē, facit Hydropem ex euentu, aut phthysim, & per palindromen ad superiores partes hepar intumescit, & scyrrhum concipit, concepto scyrrho, sanguificationis defraudatio, in qua omnis Hydropis natura cōsistit, vel cùm refrigeratur hepar ab humore melancholico, ac frigidâ intemperie, vnde alienatur sanguifica hepatis facultas, vt paulo post de Hydrope decebimus. Huc item accedit doloris acerbitas, infirmitatem faciens, quæ sibi humorum corruptionē adiungit: proinde ex euētu sunt salubres: præstaret tamē hæmorrhoidibus neminem esse obnoxium.

N.B.

Curatio.

Hæmorrhoidum curatio suscipitur partim ad prouocādum, partim ad sistendum, partim ad mitigandam doloris acerbitatē. Remedia igitur curationi dicata partim sunt anastomica, partim libentia, exedentia, abluentia, & dolorem lenientia.

Hæmorrhoidas aperire oportet cæcas in verruca, ficu, sycosi, pruno & mariscis; si curando sāguis dolorem excitet, & metum cancri afferat, aperiendæ sunt, postquam medicamenta emollientia ad anastomasin comparata fuerint. Primùm ergo foueantur lacte, aut aquâ tepidâ: emolliantur butyro recenti & oui vitello, aut cataplasmate è folijs violarum & verbasci floribus in lacte coctis, estq; medicamentū paregoricum; vel cum folijs Hyosciami, quæ mirificam vim habent & doloris sedandi, & sanguinis continenter affluentis sistendi, compescendiq; non tamen omnino, nec subito compescendus fluxus, præsertim si iam perennis fuerit, aut fiat, or-

gasmo, vel doloris attractione, vel materiæ peccantis decubitu. Post lenientium, & paregoricorum vsum, si non quiescat dolor, ad maiora anodyna veniendum, vt opio, seu laudano in lacte muliebri dissoluto, & cum melle adhibito.

Nimium fluentem sanguinem sistunt, reuellentia, deriuantia, per venæsectiones, scarificationes: per medicamenta assumpta, vt syrup. Myrtin. Cytonior. Portulac. Rosar. sicc. Trochisl. de Spod. de bolo armen. Lapid. Hæmatit. Corall. rub. Forinsec. pulu. Gallar. Scor. ferri. Croc. Mart. cũ aq. burs. pastor. Vel exhibeatur Sal Corallorum, lapidis Hęmatidos cum aq. plantagin. Omnem enim sanguinis, vt & hæmorrhoidum fluxum sistere consueuit.

Quod si assuetis præter rationem supprimantur, aperiendæ erunt, adhibito calido suffitu, vel apposito succo Aronis, Bryon. Cyclamin, aut Cæparum, aut vnguento è medulla coloquintid, fricantur etiã folijs vitis alb. aut Ficus, aut crudo & duriore panno: quod si nec his aperiantur, tandem hirudines affiguntur.

Quod si doloris acerbitate ægris negotium facessant, vt ferè fit, tunc omni curâ & diligentiâ dolor sedandus erit anodynis, & dolorem mitigantibus, vt decocto folior. & flor. Maluæ, Altheæ, Verbasci, Violar. Camomil. Semin, Lini, Canabis Scrophular. &c. Ex ijsdem parantur Cataplasmata, fomentationes, saculi, & calidè adhibentur. Præceptor noster Hercules Saxonia cũ fructu adhibebat Cassiam extractã, Mannam, cum oui vitello farina Hord. oleo rosato completo, & lacte caprino, omnibus simul ritè subactis, & admotis. Paratur etiam optimum vnguentũ è succo Scrophulanæ, Boni Henrici herbæ, cum butyro recenti, & lactis flore, ouiq; vitellis, simul lẽto igne in vnguenti formam redactis. In hoc casu elegans est remedium paratũ è crassulæ maioris lentore cum oleo rosaceo, aut violaceo simul in linimeti formam subactis & coctis. Idem præstat oleum de portulaca eodem modo paratum. *Solenander* mirificè laudat post Semicupij insessionem, & loci dolentis abstersionem, oleum Momordicæ; vt & oleũ è floribus arboris persicæ paratum, & illitum: horum defectum supplebit oleum florũ sambuci; vt & oleum è floribus Verbasci per deliquium factum. Hermetici laudant oleum è vitellis ouorum, Balsamũ sulphuris; omnium autem maximè butyrũ, saccarũ, seu animã Saturni.

N.B. *Oleum Momordicæ.* *N.B.*

CAPVT XXV.

De potioribus Hepatis, Lienis, & Mesenterij affectibus persanandis.

OBSTRVCTIO.

HEpatis obstructio propriè est venularũ Hepatis à flatulento

tulènto ſpiritu, vel craſſis, viſcidis, lentis, ac tartaroſis humoribus citra febrem, & inflammationem oppilatio. Diu perſeuerans Hepatis, Meſenterij & lienis obſtructio, tandem in Scyrrum, Cachexiam; & Hydropem abit; Horum enim viſcerum obſtructio plurimorum & grauiſſimorum tùm morborum, tùm ſymptomatum eſt mater: nec vllum eſt in corpore viſcus frequentioribus obnoxium obſtructionibus, quàm Hepar ipſum, ob innumeros, penéq; capillares venarum ſurculos & propagines, per totum Hepatis parenchyma excurrentes, varieq; explicatas, & diuerſimodè ſuis oſculis coëuntes, quæ demum facile à tartaro, craſſis, glutinoſisq; humoribus & flatibus infarciuntur.

Hepatis obſtructio multorum morborũ mater.

Curatio

Curatio inſtituenda incidentibus, aperientibus, detergentibus, & tandem præparatas, præcultas, & maturatas materias euacuantibus tàm purgantibus, quàm venæ baſilicæ (ſi oportunum videatur) apertione.

Plantæ Hepaticæ.

E plantis Hepaticis vt Agrimonia, Hepatica nobili, Eupatorio, Cichorea, Endiuia, Cuſcuta, Abſynthio, Scolopendrio, Capillo Veneris, Lupulo, Fumaria; & alijs ſexcentis varia parantur remedia, Syrupi, Apozemata, Vina medicata, Extractiones, Eſſentiæ & Sales, quibus peccantes materiæ tutò citò, & iocundè incidi, aperiri, & detergi poterunt: Hoc in affectu triumphat Tartarum vitriolatum, Cremor Tartari, catharcticis permiſtus: Sal itẽ Abſynth. Card. benedict. Tamariſc. Fraxini, Centaur. minor. Scolopend. &c. Spiritus item & oleum Vitrioli, Nitri, Tartari, Salis, Sulphuris acidus: Crocus item Martis, & eius potiſſimum eſſentia, omnes potenter ſoluit obſtructiones, vt & Electuar. è chalybe, ſuperiùs à nobis iam adductum: item tinctura chalybis hoc modo parata: Libra limaturæ Martis forti vini aceto optimè à ſordibus lauatur, effuſo aceto, vnc. j. pulueris garyophillorũ reſpergitur, & per noctem maceratur, tandem forti vitro impoſita, affuſiſq; vini albi optimi libris 6. Soli per multos dies, Tincturæ extrahendæ gratia, exponitur, aliquoties in die materiam verſando; tandem tinctura colatur, & vſui reponatur; doſis ab vnc. ij. ad vnc. iij. Magno quoq; ſucceſſu ſequenti puluere vtimur in hepatis obſtructionibus, imbecillitatibus, cachexijs, fluxu hepatico, ictero, hydrope, &c.

N. B.

Tinctura chalybis.

Puluis nobilis.

Recipe Specier. Diarrhodon.
Diatragant. a. ʒij.
Puluer. Agrimon.
Radic. Erythrodant.
Filic ꝑpar.
Semin Aceroſ.
Portulac. a. ʒj.
Magiſterij Corallor.
Margaritar. pp.
Croci Martis citra corroſiua facti.

Croci

Croci Mart. ex oleo sulphuris. parati a. ℈ iiij.
Saccar. rosat. tabul. q. s.
Misce fiat puluis. Dos. ʒj. superbibendo ℥ij. prædictæ Tinct. Mart.

Hermetici omnes Hepatis obstructiones è medio tollunt Essentijs Mercurialibus, Iouialib⁹; spiritu saliũ vitrioli, & cõmunis. Sic essentia Iouis omnes curat Hepatis affectus; vt & syrupus radicum Cichorij spagyrico modo præparatus, & mane ad vnc. iij. sumptus. Viscerum obstructiones etiam insigniter aperiũt Trochisc. de Myrrha, de Absynt. de Rhabarb. de Euporio, addita Martis essentia, exhibeantur alternis diebus cum syrupo de 5. radicibus. tandem acidorũ fontium vsus adhibendus.

N.B.

Trochisci aperientes.

Syrupus magistralis aperitiuus.

Huc etiam facit syrupus magistralis aperitiuus *Raym. Mindereri*, qui sic habet: Recipe Succor. depuratorum radicum cichor. pimpinel. a. lib. j. succi Fumariæ, Lupulor. a. vnc. vj. succi Fenicul. Petrosel. a. vnc. iij. Radicum Apij. Helenij. Asparagor. Eryngij, Vincetoxici a. vnc. ij. Herbar. Agrimon. Eupator. Auicen. seu Herbæ Kunigundis Agerati a. M. j. Folior. Cuscut. Cetrach. Agyanti vtriusq; Cardui bened. comarum Absynthij pont. a. M. ss. Flor. centaur. minor. Cichor. Beton. a. M. j. Granor. Halicacab. vnc. j. aq. font. lib. 6. Aceti squillitici lib 2. Arida omnia coquantur ad remanentiam 2. librarum, & diligẽter colentur, exprimenturq; tandem cum succis, aceto squillitico, & libris tribus saccari, coquãtur ad syrupi consistentiam. Dos. Cochlearia 3. mane ante prandium, & vesperi ante cænam. Acuari potest spiritu vel vitrioli, vel sulphuris Nitri, aut Tartari. Ad omnes Hepatis, Lienis, & Mesẽterij obstructiones, febres chronicas, erraticas efficax remediũ.

ICTERVS, seu MORbus Regius.

Icterus quid.

Est humoris vel biliosi è iecore, fellisue folliculo, vel melancholici è liene, per vniuersum corpus effusio, eaq; vel critica & fugax; vel symptomatica ab obstructione, inflammatione, veneno tùm epoto, tùm morsibus inflicto

Differentia Icteri.

Est autem triplex Icterus, Flauus, Niger, Viridis. Icterus saturatus, fere est calamitosus; qui enim *teste Hippoc.* saturato colore flauo tincti apparent, illi tertio die vt plurimùm moriuntur: quò autem icterus clarior & dilutior est, eò minùs est malus. Icterus viridis fit à bilis flauæ corruptione: bilis autem facilis est via à flaua in viridem, & à viridi in nigram. Fit & pallidæ bilis, imò & pituitæ per totum corpus suffusio, ab obstructione, & nimia edacitate, diciturq; icterus hybernus, quo mulieres potissimùm, & virgines nubiles afficiuntur, & turgidulæ redduntur. Niger icterus fit lienis vitio, cùm nimirum

Viridis icteri causa.

Icterus hybernus.

Icteri nigri causa.

in eo

in eo nimia est humoris melancholici abundãtia, aut cùm eum à sanguine secernere non potest sanguini enim permixtus, colorem nigrum facit. Quidquid ergo sanguinem corrumpit, vt aura venenata, venenum epotum, canis rabidi morsus, aq. corruptæ potio, vt & catharcticum, id icterum facit, quia quale alimẽtum, talis & color eluceat, oportet.

Curatio. Curationem quod concernit icterus criticus, qui in morbos acutos, & febres continuas cadit, quæ in maioribus venis & arteriis focum habẽt, aquæ dulcis balneo sufficienter curatur; quæ enim in corporis habitum effunduntur, ea intrò reuocanda non sunt, sed exiccanda. In tuberculis quoq; exanthematibus, & ictero critico nihil præscribendũ, sed excretiones considerãdæ *teste Hippoc. 2. Aphoris. 15.* quæ si biliosæ fuerint purgatione indigent: sin naturales, nihil moliendum, præter balneum. *N.B.*

Symptomaticus icterus, pro causarum perspicientia curatur: si enim inflammationem sequatur, ea sublatâ, curabitur: sin ab obstructione, aut schyrro veniat, iis item ritè abactis, tollitur.

Plantæ icterum sanãtes ex signatura. Multæ sunt plãtæ, quæ vi specificâ, & innatâ signaturâ ictericos sanare perhibentur, vt est Amara dulcis, Abrotanũ, Radix chelidoniæ, minor. Rhabarbarum, Rhaponticum, Crocus, Oxyacãthæ interior flauescens pellicula, vt & Sambuci, flauus lapillus in felle bouis repertus, interior & flauescens ventriculorum gallinæ pellicula. *Quercet.* omnes ictericos sanat anserculorũ stercore verno tempore collecto, exiccato, & ad ℥i. vel per se, vel cum saccaro exhibito. His accẽsentur Centaurium minus, flos Cheyri, flos seu herba Trinitatis, Chondrilla, Marrubium, Rubia tinctor. Scolopendriũ, Cuscuta, Cichorium, Fragaria, succinum flauum, eiusque & sal, & oleum.

N.B. Hermetici icterũ à cystis fellei obstructione seu tartaro natum curant spiritu Tartari, vitrioli, nitri, sulphuris, salis, & vrinæ rectificato. Oleo item de Colchotare, Essentia Martis, quam specifici medicamenti loco exhibent, eâque induratum fellei folliculi tartarum dissoluũt: exhibent quinetiam Turbith. minerale, & mercurium ritè præcipitatum.

Electuarium chalibis mirificum. Si adsint Lienis & Mesenterii obstructiones, magno quoq; successu sequenti vtimur Electuario per multos dies, præmissis tamen vniuersalibus: Recipe Limaturę Martis septies super porphyritem cum aceto squillitico optimi reductæ, & toties ad solem siccatæ vnc. vi. Specier. Dialacc. Diarrhod. abbat. Diacinamo. Nuc. Indic. cõdit. a. ℥ii. Rhabarb. Folior. sen. Epithim. a. ℥iss.

 Syrup.

Syrup.aromat.rof.℥vi.Mell.opt. Saccar. canar. a. ℥x. Misce & ad lentum ignem f.Elect.Dos. vnc. ß. superbibendo haustum vini chalybeati, vindemiarum tempore è limatura chalybis, Agrimon. Absynt.Pontico, Thymo, Cuscut. Cetrach. Polipod. Sena, & musto parati.

Vnguentum deoppilatiuum. Extrinsecus adhibeatur sequens vnguentum deoppilatiuum: Recipe amygd. dulc. amar. Nucleor. Persicor. a. vnc. ißf. Scorpion. Camomill. Cappar. Absynth. Rosati compl. a. vnc. i. Ol. Irini violar. a. vnc. ii. Succi Absynth. Cichor. Agrimon. Apii a. vnc. iii. Succi fœnicul. petrosel. a. vnc. i. Vini opt. aceti fortiss. a. vnc. iii. Coquantur ad succor. vini, aceti consumptionem, tandem adde vnguenti Dialth. vnc. ii. Axung. Anser. Gal. a. vnc. i. Misc.

Ad lienis obstructionem & schyrrũ. Quod si lienis schyrrus adsit: Recipe Gummi Ammon. Bdel. Opopanac. in aceto acerrimo dissolutor. a. ℥ii. Synap. Euphor. a. ℥ß. Cetrach. Cortic. Radic. Erythrod. & Cappar. Apii. Cucumer. syluest. Bryon. Coloquint. Hellebor. nig. a. ℥i. Ceræ, Resin. a. q. s. f. Cerotum.

N.B. Ictericis & Hystericis virginibus, sæpe etiam sola hiera cõfert, qua curantur, præsertim si parcè bibant. Sed ad fædos illos virginum colores, paratur puluillus vel ex chalybis limatura, vel verò croco Martis, aut croco ex sulphuris aciditate parato, additâ radice Erythrodani, seu rubiæ tinctor. cinamomo & saccaro: quo multæ & hystericæ, & ictericæ virgines curantur.

HYDROPS.

Hydrops, aspectabilis ille tumor à cruditate aut flatu natus, & vel in abdomine existens, vel in toto corporis habitu apparẽs, omniũ calamitosissimũ est symptoma, tùm quod & causæ magnitudine, & symptomatum vehementia, tùm etiam curandi difficultate penè sit insanabile.

hydrops quid. Est autem Hydrops exterior, & interior: hic Hyderos, ille Hydrops dicitur, & sub aspectũ cadit, non autem interior, *test. Hippoc. lib. 3. de morb. Mulier. vbi vteri Hydropem describit.* Hydrops tamen κατ' ἐξοχὴν vsurpatur, pro tumore aquoso, aspectabili, qui in toto corpore, vel abdominis capacitate cernitur. Fit autem distentio vel ab humore crudo, seroso, & aquoso, vel à flatulento spiritu, qui per vniuersum corporis habitum diffunduntur, & œdematosum faciũt, in quo impressa digitorum manent vestigia, diciturq; Anasarca, leucophlegmatia, aqua intercus, hyderus, &c. *Anasarca.*

Generatio hydropis. Quæ autem est aquarum, quæ flatulẽti spiritus generatio? Nascitur omninò aspectabilis hic tumor operis sanguificationis frustratione; quando nimirum natura non fit voti compos, nec hæma-

hæmatosis naturæ votis respondet. Fit autē hæc ἀπεψυχία vel proprio hepatis vitio, vel sympathiâ, tùm simplici communicatione, tùm materiæ propagatione. Fit item per se, vel ex euētu. Verùm quomodocunq; fiat, vix tamē curationem admittit, præsertim si causæ morbificæ perennitas concurrat: nisi sponte naturæ (quod tamē rarēter accidit) materia morbifica per meatus meseraicos in intestina aut per vrinas deducatur: vel si non sponte naturæ, artis ingenio per epythemata, per catharctica, pyrotica escharoticaue excludatur alioquin cunctādo aqua putrescit, & in suæ putredinis cōtagionē, nobiles partes rapit, vnde tussis, quę mortē denūtiat. Et si perennis sit materię aquosę generatio, frustra quoq; paracētesis, seu sectio adhibetur: Et si redeat hydrops salutis desperationē affert.

Causa.

Tussis in Hydrope mortis prænūtia.

Paracētesis.

Fit igitur omnis hydrops vel suppressione, vel perenni generatione: si suppressione fiat, haustâ nimirum liberaliter aquâ vel pluuiali, vel fluuiali, aut stagnali nec vomitu excludatur, sed supprimatur, fit hydrops incalescēte liene, & eam aquam bibente, quam tandem in Epiploum deponit, sicq; fit hydrops vitio lienis *teste Hippoc. lib. 4. de morb.* à suppressione, sine hepatis vitio, & offensa, sineq; naturalis œconomiæ peruersione, vnde & sanabilis est, *teste Hippoc. 2. Prochretic. & lib. de internis affectib.*

Hydrops ex lienis vitio quomodo fiat.

Duplici verò ratione fit perennis humoris crudi vel hydropifici generatio: vel functionis hepaticæ impedimento, quando nimirum hepar omnis vitii expers, idoneâ materiâ ad suscipiendam hæmatosin destituitur & communium, propinquarūq; partium sympathiâ suo officio prohibetur, v.g. pulmonis à diuturno asthmate, & suppurato. Sic primæ coctionis priuatio, tùm lienis, tenuium intestinorum, & vteri vitia, sanguinis menstrui, & hæmorrhoidū suppressio, per impedimentum hydropem facit; vel fit humoris hydropifici perennis generatio, sanguificæ facultatis alienatione, hepate nimirum à calido humido temperamento recedente, & humoris primigenii exhaustu laborāte, corruptaq; eius natiuâ temperie, & in frigidam siccam cōuersa; deniq; eodem hepate incendio conflagrante, quādo nimirum penitus exiccatur, & in marasmum, seu tabem frigidam & insanabilem abit; omnis enim frigida intemperies calidæ succedens, insanabilis est. Alienatur quinetiam sanguifica facultas, complectionis hepaticæ, & temperamenti corruptione (in horum enim duorum deprauata natura, consistit sanguificæ facultatis alienatio) & diuturnâ alteratione, qualis accidit in febribus acutis, deiectionibus assiduis,

Hydropifici humoris generatio duplex.

N.B.

ſiduis, diæta, nullam doloris aut morbi leuationem afferentes. Impeditur etiam eadem facultas à lienteria, dyſenteria. Eſt & impedimentũ functionis hepaticæ, cùm eſt interceptio ἀναδόσεως; vbi nimirum venæ meſeraicæ reſoluuntur, & à ieiuni inteſtini incendio inflammantur: illic enim chylus inflammatur, inflãmatione ſupprimitur, ſuppreſſus putreſcit, vnde per reſolutionẽ ſequitur alui liquida profuſio, hinc redditur ignauum hepar. Item ab hyſtericis affectionibus

N. B. à lienis, coli inteſtini, cæterarũque partium vitio: quicquid deniq; hepati negotium faceſſit, hydropem inuehit.

Duæ in vniuerſum hydropis cauſæ.

Duæ igitur in vniuerſum ſunt hydropis cauſæ: I. Humoris aquoſi aliunde immiſſi, non autẽ in corpore geniti ſuppreſſio: II. Humoris crudi perennis in corpore generatio; cuius duplex eſt ratio, vel per facultatis hepaticę impedimentum, vel per facultatis ſanguificæ alienationem, vti hactenus ex doctiſſimi *Ludouici Dureti* ſententia oſtendimus.

Hydropis differentiæ.

Hydropis differentias quod attinet, eæ ab ipſa hydropis materia, & parte obſeſſa deſumuntur; cùm autem triplex ſit hydropis materia, totidem eius erunt differentiæ: inde ab aquoſo humore fit Aſcites; à flatulẽto ſpiritu, Tympanites; à pituitoſo & crudo humore, ſuccoue melancholico Anaſarca, ſeu Hypoſarca.

Aſcitis ratio & cauſa.

Aſcites nominatur tùm à materia, tùm ab ipſa parte, quæ materię ſynarthriſmo impletur. Materia eſt aquoſus & ſeroſus humor: pars eſt abdomen, quæ repleta, aſcum, ſeu vtrem dimidio plenum repræſentat, & ſi prematur, fluctuantis aquę ſigna eduntur; ita vt Aſcitis ratio, ſit nimia humoris aquoſi abundãtia, quę in eam partem inteſtino & peritonæo circumſcriptã cõfluxit, & exudauit madentis roris adinſtar, illicq; facta eſt collectio, aut propter facultatis ſegregantis infirmitatem, nimiam materiæ abundantiam, aut propter viarum laxitatem per διαπήδησιν, & ἀναστόμωσιν. Facultatis imbecillæ ratio cõſiſtit, vel quod materiam ſeroſam per deſtinata emunctoria non expellat; vel quod materiam per meatus, & aquę-ductus à natura deſtinatos non attrahat; quibus accenſetur hepatis ὤσις. His enim vel labefactatis, vel deperditis, cùm non adſit hepatis conuexæ partis, & venarum libertas, tùm renũ attractio, quæ ſerum ſegregat, deprauatur, & fit refluxus in venas meſeraicas, quæ nimia abundãtia repletę, diſtenduntur, laxantur, & in prædictam capacitatẽ aquam, ſeroſumue humorem effundunt. Si ergo labefactata, aut deperdita ſit ὤσις ab hepate, propter facultatis expultricis infirmitatem, nec ſanguis ad renes (quorum propriũ eſt attrahere, vt ie-

vt iecoris excitare) exitum habeat, fit palindrome, & per distentionem venarum humoris exudatio. Hisce accedit viarum laxitas, aut earum fissura, & continui quædam solutio. Hinc illud *Hippoc. 7. aphor. 55.* Quibus aquâ repletum est hepar (si in epiploon, & abdomen eruptio fiat) his aquâ venter repletur, & intereunt: si nimirum aqua hepatis membranis, tanquam ergastulis conclusa fuerit. Facilè autem in iecore gignuntur Hydatides pustulæ, quales cernuntur in ouibus iugulatis. Ruptis hydatidibus fit effluxio in epiploon, non in intestinorum cauitatem, sed in ventrem inferiorem seu abdomen. Fit item Ascites, contractâ in ventrem aquâ, qui & causæ magnitudine, & symptomatum vehementiâ, atq; curandi difficultate calamitosissimus est, fereq; in diuturnis & acutis morbis per marasmum incidit. At is Ascites qui fit, vel hepaticæ facultatis impedimẽto, vel facultatis sanguificæ alienatione, non facilè curationem admittit, propter generationis perennitatem: cùm nimirum alienatur facultas sanguinis ab hæmorrhoidibus, aut menstruis aut scyrrho, suppressione, & immodico sanguinis profluuio & periphrygei marasmo. Nisi enĩ in hæmorrhoidum curatione, vna aperta seruetur, fit in hepar anadrome, quę si anagogen per nares non habeat, facit schirrũ. Adde quod immodica sanguinis copia, impetu quodam natiuum calorem inuadens, ipsum extinguit. Idem accidit si sæpius sanguinem detraxeris; aut idem sponte effluxerit, eo quod aqua, quę in ventre stabulatur, nisi exitum habeat primis diebus putrescit, putredine vicinas partes contaminat, & ad thoracem metastasin facit, vnde sitis illa clamosa, & tussis, quę cùm superuenerit, lethale: Nullus enim hydrops, cui ad finem tussis superuenerit, curationem recipit. Neque omnis hydropicus aquæ exclusione sanatur, sed tantum qui à simplici suppressione fact⁹ est hydropicus. Hydrops, qui fit vitio substantiæ hepaticæ, ruptis v.g. hydaditibus magnam aquarum vim in abdominis capacitatem effundentibus, cùm illa substantiæ hepaticæ corruptela restaurari nequeat, sequitur necessario generationis perennitas hepaticam facultatem impediens, & facultatis sanguificæ alienationem fouens, quæ omnis curationis spem præripit, necessariò igitur hoc hydropis genere affecti intereunt, vt & ij quoque, qui aliorum morborũ successione Ascitici fiunt, ob generationis perennitatem, ab intẽperie, & hepatis vitio: sed solus ille curatur hydrops, qui fit integris visceribus.

Hydatides iecoris.

Sitis clamosæ causa in hydrope

N.B.

Altera hydropis species est

Anasarcæ ratio & causæ. Anasarca, seu hyposarca, quæ & hyposarcidios, vel episarcidios dicitur, in qua per totam corporis molem aquosus seu pituitosus humor diffunditur, totumq; corpus ex æquo intumescit, & æquabiliter molle, laxum, pallidum, atq; mortuo simile existit.

Tympanitis ratio & causæ. Tertia species hydropis est Tympanites, qui fit multarum partium, vt laterum, lumborum, & ilium sympathia, vnde mesẽterium originem ducit à neruis & ligamentis, quibus lumborũ vertebræ inter se copulantur. Quando ergo lumbi intemperiem hecticam contraxerunt, huius participes fient illæ partes, quæ ab iis originem ducunt, sicque per communicationem & viciniam afficiuntur. Hinc hydrops siccus, cuius causa materialis est flatus, qui ferè semper cõtinetur in capacitate intestinorum, non in abdomine; Efficiens causa, est caloris natiui imbecillitas, ἀρχὴ & principium, lũborum intemperies, vt ex catharri prolapsu.

Quæ hydropis species cæteris calamitosior. Quærunt Practici vter hydrops calamitosior sit, Ascites ne, an Tympanites? Videtur Ascites periculosior, tùm ratione causæ efficiẽtis, tùm ratione humoris morbifici, tùm partium obsessarum conditione, tùm curandi difficultate. Ferè enim accidit Ascites secundæ coctionis priuatione, quæ alienatio sanabilis non est, quia à frigidâ & siccâ hepatis intemperie cõtingit, quæ calidæ superuenit. Materia igitur Ascitis non facilem habet exitum; Aqua enim, quæ fit Ascites, crassior est, quàm vapor aut flatulentus spiritus, qui tympanitem creat, nec Tympanites per se existit. Aqua item conclusa, cunctando putrescit, vti supra monuimus, hinc partes coctioni dicatas in consensum trahit, vnde & curatio difficilior redditur, tàm paracentesi, quàm alio quouis curandi modo. Paracentesis autem non est vtilis hydropi, qui aliis morbis superuenit, *teste Hippoc. libr. de morbis.* Sic omnes morbi, qui alijs morbis succedunt, periculosiores habẽtur.

Fusiùs sanè quàm sperabamus hydropis hyparxin, naturam, causasq; adduximus, quòd alio animo non factum, quàm vt empyricos, & circumforaneos ab hydropis curatione deterreremus, qui neglectâ verâ hydropis hyparxi, cuiuslibet hydropis curationem temerariò, & sæpe mortiferò ausu pollicentur. Nobilem virum nouimus, qui secretam iactat, neminiq; notam hydropis curationem; Vino forti sacculos aliquot per noctẽ macerat puluere quodam infarctos qui crocum Martis, cãdenti ferro & sulphuris cono eliquatum tartarum item, & alia nonnulla redolet & per aliquot dies mane ieiuno stamacho exhibet, paucos

cos tamẽ hoc modo curatos vidimus, & eos duntaxat, qui ex suppressione hydrope laborabant.

Dogmaticam verò Hydropis curationem secuturus, idoneam prius, & cuiuis speciei hydropis conuenientem instituat victus rationem; mox à symptomatis correctione curationem incipiat hydragogis, & diureticis; in hydropis enim curatione hoc semper obseruandũ, vt priᵘˢ ter, quaterue, hydragogis aqua per aluum excludatur; intermedijs verò diebus diureticũ propinetur; alioquin omne serum ad renes & vreteres deuoluer-etur, nõ sine grauissimorum symptomatum metu. Quod si ferro fit locus, ἀνάγκη sectio fieri debet, alioquin nihil temerè tentandum: Paracentesin adhibiturus, alia non tentet, ne dum his incumbit, aqua corrumpatur.

N.B.

Paracentesis.

Ad arcẽdum hydropem, qui venit à tenuis intestini inflammatione, propter prohibitam distributionem, necessaria est sanguinis detractio, tùm ad hydropem exorientem à marasmo periphrygei. At in perfecto & absoluto, non imperanda, nisi in leucophlegmatia, cuius curatio semper est præscribenda. Vt enim immodica lignorum strue ignis suffocatur, sic nimiâ materiâ, calor natiuus extinguitur: ideo ad causæ antecedentis declinationem, ad restituendam spirandi libertatem, sanguis è basilicâ mittendᵘˢ. Sed cùm leucophlegmatia ferè ab excremẽti menstrualis, vel hæmorrhoidalis suppressione nascatur, malleoli vena aperienda; sic enim sanguinis detractio, calorẽ priᵘˢ nimiâ conclusi humoris copiâ obrutum, aut frigidâ intemperie obsessum euentillabit.

Purgationi operam dare oportet hydragogis, at lenibus pharmacis, vt nimirum hydropis causa est, & symptomatis incrementum: Hydropicæ enim causæ neoterismus debetur, materię vero purgatio. In omni hydrope viscera laborãt, maximè vero hepar, proinde blandis catharcticis, & per interualla vtẽdum, vt erunt gradus hydropis 8.10.12. die: quoniam paribus diebus instituendæ purgationes, cùm humores imparibus diebᵘˢ moueantur, proinde ijs diebus non cõuenienter pharmaca exhibentur. Ergo qui diebus imparibus catharctica præscribunt ægros ad exitium præcipitant. Valentium tamen hydragogorum operationes, nunquam citra hepatis, & ventriculi damnũ contingunt, cùm earum partiũ vires hydragogorum vsu resoluantur, ideo in remediorũ præscriptione, summa adhibenda cautio, & cum summa religione hydropicis catharctica fortia, vt est Turbith. minerale, Mercurius præcipitatus, Antimonium

N.B.

Mercu-

Mercurius vitæ, Corallatus, &c. quibus hodie Hermetici vtuntur, præscribenda. Nam ferè fit, vt quod symptomatis remediũ est, sæpenumero causam foueat, & ægrum damnis augeat; ideo ita medicamenta hydragoga comparata sint, vt ventriculi, iecorisque robur conseruent, & aquas purgent, vt sunt Clysteres hydragogi, purgationes è Rhabarbaro, Agarico, Senâ, Turbetho, Mechoaca, Gummi gutta, Semin. Cartham. Fructus spinæ, Ceruinę, Hermodact. Semin. hederæ, Laureola, Mechoacana nigra, Chalapium dicta, gratiola, Cortex Sambuci, Ebuli, & in primis Soldanellæ succus, strenuè aquas ducens, & Rhabarbari ferè instar viscera roborans. Radix Ireos mirificam vim habet ducendi aquas, si cum vino albo eius succ⁹ exhibeatur, modo id ventriculi intestinorumq; vires ferant. Sollenne est Elect. Trium santalor. *Vel*

Medicamẽta hydragoga.

Recip. Specier. trium Santal. ℈ij.
Rhabarb. elect. ʒij.
Saccar. drach. vj.
Cum Aq. flor. sambuc. f. Tabul.

Tria præstat hoc remedium, meatuum libertatem efficit, viscerib⁹, ventriculo & hepati robur addit, & materiam hydropificam sine vllâ offensione educit. *Quercet*, laudat pillulas de Euphorbio ritè præparato. Optimæ quoq; sunt pillulæ hydroticæ *Antonij ab Alto-mari*. Anus quædam Patauina nostro tempore, omnes ferè hydropicos curabat, exhibendo mane Frictale ex ouis, puluere Bryoniæ, & radic. Ireos paratum, & in butyro frictum.

N.B.

Cardanus hydropicos sæpe sanabat solo radicis Genistæ decocto, vel aqua destillata eiusdẽ ante, cum, & post cibum exhibita, est enim in magnis morbis benedicta potio, quotidie aluũ subducẽs. Nutriatur item capra Abrotano, Thymelæa, Ostruthio odorato, Soldanella, & Asaro, Cichorio, Endiuia atque Cuscuta, sumatur quotidie lac cum pane sine alio remedio & mira experiere.

N.B.

Succus lenticulæ aquaticæ, per se iuuat hydropem ex causa calida; vel puluis eiusdem, mirè enim vrinas prouocat. Sic Prassium album hydropico exhibitum à tota substantia iuuat non solum, sed etiam abstergit, aperit, liquefacit, resoluit, & incidit. Sic multi hydropici epoto vrticæ fatuæ decocto cõualuerunt.

Iosephus Iudæus Alschvveylensis sequentibus remediis, à nobis è sua pharmacopæa domestica exceptis, suos hydropicos curabat:

Electuarium antiHydropicum.

Rhabarb. elect. drach. ii. Radic. Asari drach. i. Rad. Helenii. ss. Imperator. drach. iiss. Baccar. lauri drach. iss. Saccari fini vnc. i. omnib⁹ in puluerem actis, cum Roob.

Roob. Sambuci q. s. f. Elect. dos. mane vnc. i. summè prodest.

Potio eiusdem antHydropica.

Radic. Cichor. vnc. i. Fænicul. vnc. ß. Polipod. Querc. vnc. iß. Rhapont. ℥ ii. Folior. Sen. vnc. iß. Zingib. ℥ i. Maioran. Saluiæ, Soldanel. Agrimon. Meliss. anisor. a, M. ß. Cinamo. Zingib. Macis a. ℥ ß. macerentur per noctem in vino & aqua a. q. s. postea parum bulliat, facta colaturâ, exhibeatur hydropico per aliquot dies.

Alia nobilis Aqua AntHydropica nostræ descriptionis.

Musci pruni syluest. Manip. j. Domorum Cochlearum vnc. iiii. Radicum Hirundinar. leuist. Angelic. Petrosel. Raphan. Pimpinel. Iridis nostrat. Erythrod. Valerian. a. vnc. ii. Cortic. Sambuc. interior. Ebuli, Amaræ dul. Cappar. Tamarisc. Fraxin. a. vnc i. Rhabar. Rhapont. Radic. Bryon. Soldanel. a. vnc. iß. Succi genist. Ebuli, Ireos, Gratiol. a. vnc. ß. Baccar. Lauri, Iunip. Heder. arbor. a. vnc. ii. omnibus minutim incisis & tusis affunde aquar. Florum Sambuc. Ebuli, florum genist. seri lactis caprin. a. lib. ii. vini albi generos. lib. 4. oxymel. squillit. lib. Macerentur in B. M. per aliquot dies, destilletur. dos. quouis mane vnc. ii.

Hermetici in hydropis curatione suis gloriantur Arcanis, & Essentijs, Salibus; vt est Crocus, Sulphur, & Essentia Martis, cui plurimum tribuunt; item Antimonium diaphoreticum, Aurũ diaphoreticum, Mercurius verè præcipitatus, Flores sulphuris, cum Aloe, Myrrha & Croco sublimati, Essentiæ minerales, Turbith. minerale, quibus fontes hydropicorum exiccare student. Oleo enim seu Essentia Martis hydropificas aquas exiccari, obstructiones aperiri, & visceribus robur addi volunt. Iisdem in hydrope Arcanum est oleum Salis, singulo mane ad aliquot guttas sumptum; vti & Sal antimonij in vino exhibitum, magni secreti loco habetur, vti & mercurius laxatiuus, spiritus auri, tinctura corallorum, elyxir proprietatis, sal Absynthij, Genistę, lixiuium è cineribus vitium, hederæ arboreæ & genistæ epotum; Arcanũ Absynthij, aut Soldanellæ, artificiosè paratum, in hoc morbo palmarium est, vt & Sal Ebuli, Soldanellæ, Vrticæ maior. Oleum quoq; vitrioli in aq. Endiuiæ laudant, vt & spiritus vel quinta essentia vitrioli in aqua vitæ. Ascitem curant aquâ ex Asio lapide, vt & aquâ seu arcano Salis Nitri quod sic paratur: N. B.

Calcinetur tribus continuis diebus cum vini tartaro mixtum partibus anaticis, postea soluantur cum vini alcohole, deinde addantur spiritus cinamo. Zingib. & Garyophil. Ad stuporem hydropicos curare dicitur. VEL Recipe stanni purgati vnc. j. Antimon. ℥ j. reuerberentur 24. horis;

ris; ex hac materia extrahe Alcali, cum alcohole vini, dos. ʒj. ad ʒjß. Arcanum mercurij vitæ cum aqua vitæ rectificata composita exhibitum, omnes hydropis species curat, peccantem enim materiam per sudorem expellit. Aliàs stercus anserinum viridiusculum ad ʒj. cum cochleari j. vrinæ vituli destillatæ repetitis vicibus sumptum, mirificè hydropicorum aquas exiccat. Mirabile & hoc est, quod sal ranarum ad 3, vel 6. gran. è vino repetitis vicib. exhibitum, hydropicorũ aquas sine noxa fortiter exiccet. Sic aqua lumbricorum terrestriũ per muscum pruni sylvestris repurgatorum in massa panis in clibano facta, hydropicos plurimùm iuuat. Ad purgandos serosos humores exhibent etiam Hermetici ℈j. tartari vitriolati cum vnc. j. mellis rosat. solut. & vnc. ij. vini enulati. Idem præstat extractum Esulæ.

Sal ranarum.

N.B.

CAPVT XXVI.

De potioribus Renum, Vesicæ, & Vteri affectibus persanandis.

CALCVLVS Renum & Vesicæ.

LApidum fodinas in plerisq; corporis humani partibus, existere, non ad ædificãdam, sed ad diruendam corporis nostri fabricam, instructas, primo huius oper. lib. fuso satis orationis filo deduxisse videmur: tam enim calamitosa vis est λιθίασις siue λιθιασίας, vt doloris acerbitate, symptomatum incidentium magnitudine, humorum corruptione, vigilijs, partium ad vitam tuendam necessariarum interceptione, ægros in exitium præcipitet. Accedit summa curandi difficultas, maximè verò ijs, qui vesicæ calculo laborant. Et licet lapidum fodinæ in plerisq; corporis nostri partibus reperiantur, in capite nimirum, ore, dentibus, pulmonibus, corde, hepate, fellis folliculo, ventriculo, liene, intestinis, vtero, vt in Obseruat. Clarissimi Doct. *Ioan. Schenckij*, & alijs videre est, κατ' ἐξοχὴν tamen, ad renũ & vesicæ calculos λιθίασις accommodatur. Nulla ætas fuit vnquã calculorum feracior, quam hæc nostra. Priscis enim temporibus rari erant calculosi: Nunc per ingluuiem, ebrietatem, edacitatẽ, incontinentiam, intemperantiã, cæterosq; & vitæ, & victus errores, vix vnquam reperias, qui calculosi non sint. Quin passim

-- Resonant arbusta cicadis.

Calculosi dicũtur κατ' ἐξοχὴν, qui lapillos vel in renibus, vel in vesica habent: Atqui verò vnde lapilli? Quænam effectrix causa? Quæ materialis? Quæ formalis? Quæ finalis? Pro exactiore hui⁹ argumenti cognitione, sciendũ renes coactâ, firmâ, & densâ carne præditos, qualis nulla in alijs corporis partibus reperiri potest: triplici fibrarum genere contextâ, ne exudet serum, faciatq; hydropem.

Calculosi qui dicãtur.

dropem, aliaue grauissima symptomata inducat. Quorum officium est, per emulgentes serum attrahere, attractumq; in vesicā effundere, vt οὔρησις fiat. Renes itaque secernendo sero à natura constituti & consecrati sunt, & vt illud faciant, sitq; par necessitati commoditas, venas emulgentes & maiores, & ampliores, quàm parti conueniat nacti sunt, vt illud serum & vi, & copiosè attrahant, ne in venis & meatibus moretur, & grauissima symptomata inferat. Ad sui conseruationem quin etiam præter emulgentes, venam quoq; adiposam sunt adepti, renum membranis insertam, ijsq; alimentum suppeditātem. Renes autē multas habent, multarum partium consociationes seu circūscriptiones, in quibus tot calculi nasci possunt, quot sunt circumscriptiones, vel vt interdum fit, lapillus omnes perigraphas complecti potest.

Renum officiū.

Nascūtur enim calculi in renibus siccitate: omnis enim lapis, omnis durities fit concretione, aut siccitate, prætermissâ tertiâ duritatis causâ, vt tympanum durum dicimus, quia distētum, glaciem duram, quia concretam; lignum durum, quia siccum. Crystalli humore fiunt, sed frigoris appulsu, cōcretione gignuntur, & in terræ montibus solidescunt licèt & crystalli & glaciei fugax sit concretio. Sic & quicquid eiusmodi crescit, quando ad materiæ præparationem vis efficientis accedit, vt tempestas aquilonia. Neq; enim tàm facile acetum cogitur, quamuis sit temperamento frigidum, complectione tenuissimum, nec concrescit frigoris appulsu.

Calculi concretione fiunt, sed perustione, vt in fornacibus cocti lapides durantur. Non enim verosimile est, tantum in corporibus nostris frigus existere, tantoue frigoris dominatu corpora nostra posse teneri, vt illius vi calculi in renibus aut vesica concrescant; Efficiens ergo causa est calor, at non omnis. An acer? an mitis? Vtroq;: Vtroq; enī calculi gignuntur tùm in renibus, tùm in vesica. In vesica autem gigni, perspicuum est in pueris, quorū calor blandus & mitis est. In renibus autem iuuenibus accidit, quibus calor est acer; pueris nūquam accidit in renibus, nisi ipsorum vitio, diætæ nimirum.

Calculi causa efficiēs.

Omne ergo studium, omnis labor & industria collocanda, vt rationem arcendi, abigendique capitalissimum naturæ hostem, renum videlicet & vesicæ calculum animo complectamur, cuius tanta, tamq; calamitosa vis est & ferocitas, vt nihil optari possit, quod ægri malint, quam aut conualescere, aut repente mori, cùm animaduersum sit, multos doloris immanitate deuictos, proprias sibi manus intulisse. Vt igitur tanto hosti ex arte occurramus,

ramus, paulo fusiùs tàm ex dogmâticorum, quàm Hermeticorũ sententiâ aperiemus, quæ causa effectrix? quæ materialis, formalis, finalis, & quorsum gignatur calculus?

Efficiẽs calculi causa. Iam dictum calculum non fieri posse à frigore sine ναρκώσεως συνεγώσει, licèt plerum vrinæ suppressio à frigore contingat, *teste Hippoc. lib. Aphoris. 50.* Fit ergo à calore vel acri, vel blando, quem *Gal.* tepidum vocat, quo pueri abundant, non acri sed tantum habent natiui caloris, quãtum ab ortu absunt, & quantum postea nunquã. Crescunt enim pueri, quicquid autẽ crescit, humidissimũ sit calore naturali oportet. Fiunt autem in pueris calculi *test. Hipp. 3. Aphor. 26.* Sed hoc fit à calore blando *eodem Hippocrat. teste 6. Epid Sect. 3.* Natiuus enim puerorum calor coquit mitificat, omnesque humores, vrinas, excretiones, deiectiones, suppuratum ad crassitudinis mediocritatem conuertit. & hanc ob causam *Hippoc.* aqueas puerorũ vrinas funestas pronũciauit; quicquid enim lõgius à naturali statu recedit, tanto peius est; quantoq; propiùs accedit tantò & melius; quod est proprium infirmi & labefactati caloris natiui tecmirium. Et licet multus sit in pueris calor, sæpe tamẽ languescit, nec est pat mitificandi commoditas, vt stomacho & vesicæ: aliquando etiam partes complexione, non temperamẽto effætæ laborãt; in pueris enim infirmi sunt nerui, in quibus etiã stomachus, intestina, & vesica infirma sunt complexione. Hinc ob edacitatem in pueris nascitur cruditas viscosa & glutinosa, atque tandem stabulando in blando calore lapidescit. Blandus igitur calor calculum facit: cùm apud *Hippocr.* in pueris calculus nascatur μετ' οὔρησιν, seu post mictionem, in vesica nimirum: qui verò calculus in renibus nascitur, πρὸ οὔρησιν appellatur. Ideo scripsit *idem Hippoc.* ante pubertatem nõ fiunt Nephritici, Peripneumonici, nec Pleuritici, ratione suscipientis causæ: pueri enim multo sanguine abundant, qui in corporis incrementũ facescit, & mitis eorum est calor; vbi verò pubertatem attigerint, à 14. ad 42. annum, natura omnium morborum est feracissima; à pubertate tamen non nascuntur calculi in vesica, nisi aliunde venerint, prolapsu nimirum è renibus in vesicam, vbi corticatim crescit: sed diætæ vitium, otium, intemperãtia, calculos facit, peripneumonias, pleuritidas: Si enim natura inoffenso cursu moueatur, & ex natura quis moueatur, non potest ante pubertatem fieri pleuriticus, cuius materia sanguis est biliosus, pueri autem blãdo sanguine præditi sunt, quem natura in alimentum & incrementũ rapit. Cõstat ergo Nephriticos fieri non posse ante pubertatis annos

Quomodo calculi non in vesica nascantur.

nos; nec fieri calculoſos pueros πρὸ ἥβησιν, ſed μετ' ἥβησιν; nec omnem calculum μετ' ἥβησιν, fieri ab eo, qui fit πρὸ ἥβησιν.

Calculi materia. Primigeniâ concretione fit calculus à glutino â materiâ in pueris. Sed ſi tenuior acerrimi caloris interuentu lapideſcat, & per torrefactionem fiat calculus & ſi quibus arenæ renibus adiacent, & exitum non habeant, materia quę aliunde affluit περιπλάττεσθαι τῷ προυπαρχόντι, & ſic in molē creſcit, quemadmodum lateres lapideſcunt in fornace. Sic materia tenuis & liquida feruore lapideſcit in renibus, præſertim quando violenti attractioni non eſt par excretio. Sæpe renes pollent facultate attrahendi vrinam, ſed in excernendo laborant, vt in ijs conſtat, qui diuturna febre in lecto iacuerunt, aut diutius otio torpentes vitam traduxerunt, vnde eiuſmodi morborum ſoboles. Sed fugax eſt ille calculus, quem cùm excreuerint, ſaneſcunt, niſi diatheſis remaneat, ſeu renū diſpoſitio, cùm iure quodam genethliaco homines calculoſi redduntur: *Morbi genethliaci.* Videmus enim aliquando, *teſt. Hippoc.* naturam inſtituto, & vice verſa inſtitutum naturæ imponere, vt ex macrocephalis tàm naturâ, quàm arte factis apparet; ita etiam plerūq; fit, vt ex valetudinarij valetudinarij, è podagricis podagrici, è nephriticis nephritici naſcātur. Sed quis primus fuit, qui ex renū diatheſi factus ſit calculoſus? Is qui diætæ vitio talis euaſit: aut quod in otio vixerit, aut diutiùs in lecto cubârit, aut intemperās, incontinens & temulentus fuerit. Et hæc de calculi natura, & cauſis tam efficiente, quàm materiali, Dogmaticorum ferè omnium ſententia.

Hermeticorum de calculis generatione opinio. Hermetici cùm paulò intimiꝰ penitiores naturę receſsꝰ ſeſe penetraſſe ſibi perſuadeāt, aliā calculi ſeu λιθιάσεως cauſam tam efficientem, quàm materialem proponunt. Inprimis autem negant calculos ab intenſo ſeu acri renum calore fieri, cùm talis in calculoſa ſenum conſtitutione nūquam reperiatur, & tamen omnium maximè calculo laborant. Negant item materialem calculi cauſam eſſe glutinoſos, viſcoſos ac lētos ſuccos, ſed ſerum ipſum plurimas partes tartareas ſibi permixtas continens, illudq́; vini & vrinæ exemplo confirmant, tùm quod in vrina etiam pura & limpida, poſt ſedimenti depoſitionem, non viſcoſa ac glutinoſa materia, ſed tartarus matulæ fundo ſubſidens, vel eiuſdem parietibus adhæreſcens appareat; tùm quod in limpidiſſimis vinis non glutinoſa, ſed tartarea materia reperiatur, quæ ſpirituum ſalinorum vino inuiſibiliter inſitorum poteſtate in tartarum cogitur, coagulaturq́ue. Exiſtimant ergo Hermetici tartaream calculi materiam, citra extraneum ca-

 lorem

lorem, ſuapte natura, vel mediãtibus ſpiritibus, ſalinis, (quorum eſt denſare, coagulare) ad indurationem & coagulationem vergere, vti non rarenter in frigidiſſimis quibusdam fontibus ipsa ligna lapideſcere videmus. Quotidiana etiam docet experientia in plerisq; corporis partibus, etiam frigidis, vt articulis, calculos, ac tophos, à tartarea ſeu ſalſuginoſa materia, non ab excedente & valido, ſed naturali ſaltem & proprio calore concreſcere & condenſari.

Calculi veſicæ ſigna.

Ad calculi dignotionem perducimur, tùm ex ſignorum antecedentium, conſequentium, & cõiunctorum perſpicientia, tùm ex præſentibus ſymptomatibus, quæ calculi in veſica opinionem faciunt, primigenia, aut ſecundaria coagmentatione. Si quis primum nephriticus fuerit, & calculus è renibus in veſicam prolapſus ſit credibile eſt fore calculoſam in veſica, quod προϋπάρχον venit è renibus, deinde ſi glutinoſa materia, quæ è toto corpore in veſicam prolabitur, & exitũ non habet ita vt in veſica cõtineatur, calculi opinionem in veſica faciet, quia à blando etiam calore, vt ſuperiùs dictum, & glutinoſa materia calculus coaleſcit. Si ſabulo albo vrinas præditas excreuerit, & ſabulum illud ſubſtiterit, calculum in veſica, pronunciandum. Symptomata quoq; nos ad calculi veſicæ cognitionem ducunt: Primùm in pube, pærinæo, pectine, ſenſio grauitatis percipitur, præſertim verò grauis dolor, cùm quis deſcendendo cæſpitat: ſentitur enim grauitas & moleſtia; ſed in meiendo egeſturit, & egeſturiendo meit. Aliquãdo ſub finem οὐρήσεως grauis dolor percipitur, dum enim ſe veſica ad vrinæ excluſionem colligit, calculus muſculum ſphyncterẽ opprimit, quod eſt certiſſimum calculi in veſica ſtabulantis ſignum. Vrinæ excernũtur γαλακτώδεις ob alienæ materiæ mixtionem, quæ è cerebro in veſicam defertur; adeſt & meiendi cupiditas, calculiq; aſperitas nõnunquam veſicam offendit. Signa hæc ſunt antecedentia, adiuncta, & conſequentia. Frequẽs igitur meiendi cupiditas, vrina γαλακτώδεις, & ſub finem meiendi cõiuncta doloris acerbitas, coniuncta ſunt calculi veſicæ ſigna. Quibus antecedentia accedunt, vt ſi quis primùm fuerit nephriticus, & calculus in veſicam fuerit prolapſus.

Cõiuncta calculi veſicæ ſigna.

Chyrurgi in percunctando per immiſſum catetherem veſicæ calculo ſæpe decipiuntur, eo quod calculus non rarenter multa, craſſa, ac viſcoſa pituita inuoluatur. Et ſi Hermetici ſuis Lithontripticis medicamentis maxima quæque polliceantur, veſicæ tamen calculus non niſi ſectione detrahi poteſt, tùm quod medicamenta illa integris viribus ad veſicam peruenire nõ poſſint, tùm quod

medi-

medicamenti vis (licèt ad vesicã delata) & à vesicæ amplitudine, & ab vrina, qua natat, & à calculi duritie, eiusq; inuolucro, circũfusaq; pituita multitudine infringatur.

Nephriditidis signa.

Ad dignoscendos, distinguẽdosq; nephritidis dolores, tria tempora obseruanda: Generationis, Mansionis, & Exclusionis. Generationis dolor est inflammatorius, nisi fortè ex glutinosa materia, & blando calore nascatur calculus in renis stomacho. Exclusionis dolor est peracutus, cùm appellit ad caput aquæ ductus, & propter exquisitissimum sensum, grauia affert symptomata. Mansionis dolor fixus ad infimæ costæ nothæ radicem pertingens, & grauis est.

Ad generationem prohibendã, si acer & tenuis fuerit humor morbificus, emollientibus & refrigerantibus vtendum, sin blãdus, vreticis & catharcticis agendum. Ad mansionem calculifragis; ad exclusionem vreticis catharcticis vtendum. Multi decipiuntur ex falso credita doloris leuatione, at nondum excusso calculo, post aliquot horas recrudescit dolor. Augetur idem dolor alimenti in stomacho, & stercoris in intestinis repletione, qui tamen dolor non fixus est, sed fugax, & iniectis clysteribus quiescit: Per se enim Clysteres prosunt, excrementa proluunt, & ad excretionem habiliora reddunt, aluum subducunt, ipsosq; renes tepido suo calore fouent. Quod si sanguinis appulsu fiat dolor, sanguinis detractione è basilica, vel poplite potius, leuãdus. Vomunt primùm pituitam à stomachi cruditate & imbecillitate, quæ si perseuerauerit, æruginosa vomunt, propter doloris acerbitatem, & vigilias; qua humoris viridis & æruginosi vomitione leuantur calculosi, quæ sistenda non est, sed procuranda potiùs, nam tantum detrahitur humoris ad calculi generationẽ idonei.

Calculi renum signa.

Vt igitur signorum agmẽ verbo claudamus, hæc sunt calculi renum signa: dolor fixus, non vagus, ad infimæ costæ nothæ radicem pertingens, qui in mansione est grauis, in exclusione acutus. Communia signa sunt vomitus pituitosus, deinde æruginosus & biliosus. Consequentia signa, vrinæ initiò tenues, mox perturbatæ, frequens meiendi cupiditas, stranguriæ quædã species, propter sympathiam micturiunt, micturiendo meiunt & micturiendi frequẽs est necessitas; stupet crus, vena distenditur, vnde κατ' ἶξιν, recto fibrarum ductu eiusdem lateris mittendus sanguis.

Calculi curatio.

Iam verò vt ad curationem accedam⁹, cùm omnis calculi nephritici mater sit cruditas, optimè illi medici consulunt, vt bis quouis mense Nephritidos præseruan-

seruandæ gratia, vomitio instituatur. Vomitio enim arcet, & leuat Nephritidẽ, & quò liberaliùs vomunt, eò magis leuantur. Sed vt vomitio leuationem affert, & paroxysmum sedat, ita diathesin ex toto non tollit. Intestino cæco excrementis distento, & stomacho nimia ciborum copia repleto, vicini renes opprimũtur & afflicto additur afflictio: vnde si Nephritis edacitatis opinionem dederit, præscribendus vomitus, exclusa enim cruditate, non potest in maiorem molem excrescere, quod in renibus aut vesica præexistit. Hac ratione vomitus & ad nephritici paroxysmi leuationem, & ad antecedentis causæ amotionem confert, præmisso prius emolliente clystere, vbi nimia humoris abundatia ab edacitate & crapula natet.

Vomitus.

AdNephriticum dolorem mirificè confert, sanguinis è poplite detractio, modo non adsit virium infirmitas, vbi enim vires effætę languent, resoluitur virtus retentrix omnium partium, qua resoluta, humor in omnem partem, sine naturæ imperio fertur, & sola partium virtute, doloris obsidione leuantur. At si rebus omnibus consideratis, & si vbi magis opis est indigens natura, eò citiùs opitulandum. Si symptoma magis vrgeat, quã vis morbi, symptomati priùs occurrendum, & vicissim.

Venæsectio.

Aluus leni clystere ducenda, postea, misso sanguine, vnctionibus & fomentis vtendum. Sedita omnia parari debent, ne laxẽtur fibræ, sola enim partium virtus, doloris leuationem affert, earum verò resolutio, materiæ morbificæ capacissima est; ideo nec fomentis, nec aq. dulcis balneo, diutius quàm par sit, vtendum. Excellentissimum fit vnguẽtum è parietaria frixa cum adipe suillo: sic & saculi è seminibus lini, & fænugræc. & in lacte macerati: olea item semin. lini. Amygdal. dulc. Scorp. Rosatum. Leniunt syrup. violat. cũ decoct. hord & glyzirrhi. oleum amygd. dulc. ad ℥j, cum vini momento; item Mellicratum dilutissimum. Laudatur etiam decoctum Argentariæ, rubi Idæi, & fragariæ.

Vnguentum.

Præmissis lenientibus, præparantibus, vacuantibusq́; ad medicamenta calculum excludentia veniendum, vt sunt lythontriptica, diuretica, quæ calculo excludendo, suam dicarunt operam, quorum duo sunt genera: Quædam enim lenientia & paregorica, parti affectæ, & exulceratæ dicata, quæ secando tantum & detergendo commoda sunt: quæcunq; autem detergendi & tenuandi facultate pollent diuretica dicuntur, vt sunt amara omnia: Quædam propriè & per exellentiam diuretica & nephritica dicuntur, eaq́ue vel occulta proprietate calculirupa sunt, vt Lapis nephriticus; Lignum nephriticum

Lithontriptica.

Diuretica quæ dicantur.

phriticum, nuper è nouis Insulis allatum; sanguis hircinus, qui adamantem frãgere dicitur, eadem ratione & renum lapidem frangere existimatur, licèt id opinione potiùs, quã ratione contingat, & ab omnibus præscribatur. Sic lapis Iudaicus, & à *Solino* & à *Dioscoride* calculum tàm renum, quàm vesicæ frangere scribitur, licèt *Galenus Dioscor.* rationem non admittat, nec vesicę lapidem frangere possit, propter rationes superiùs de curatione calculi vesicæ adductas. Huc spectant bestiolæ lapidariis fodinis adhærentes, quæ mirabiliter iuuare scribuntur, vt & cerebrum picę, si cursu pręhẽsa fuerit. Quędam Nephritica remedia manifestis proprietatibus & facultatibus eiusmodi sunt, & calculum cum vrina expellunt, quorum infinitus pene est numerus, tàm simplicium quàm compositorũ, vt sunt Raphani radix, Saxifragiæ, Radix ononidis, Eryngium Lythospermũ, Virga aurea, cuius admiranda vis est in calculo conterendo, & expellendo; datur pulu. ℥j. cum vino in aurora. Linaria, Empetrum, Clinopodium, Argentinaria, Fructus Paliuri, Hederæ arbor. Iuniperi, & Halicacabi: Petroselinum, Polygonum, Parietaria, Nuclei persicæ arboris, amygd. amara, tribulus terrestris, auellanæ rubeæ, Terebinthina, Gummi Cerasorum, Betulæ liquor verno tempore lectus, Lapis Mespillorum, Herniaria, Capill⁹ Veneris, Portulacæ succus, Perfoliatę semen, Milium Solis, Bardanæ semen, & Genistæ, Semen berberis violarum, quod mira præstat, Cortex radicũ Lauri, Betonica, Diptamnus, Vrtica, Veronica, Muscus terrestris. Hedera terrestris, Radix graminis, Hypericum, Filipẽdula, Succus Citri, & Limonum, Cicer, Tartarum vini, Angelica, Allium, Porrum, Cæpe, Sanguinaria, Pimpinella, Cynosbati, Malua, Althææ, Card. benedict. vinacei. E Mineralibus, præterea dicta, est etiam lapis Lyncis, lapis Spongiæ, Dactylus Idæus, Christallus, Vitrũ vstum, Borrax, Succinum.

Ex animalibus, lapis Microcosmi, lapis è iecore Capri, lapis Percarum, & Carpionum, Lupilli ventriculorum Gallin. Lupilli Cancrorum, Putamina ouorum Membrana interior ventriculorum Gallin. Passer, Troglodytes stercus Columbinum, Aselli seu Millepedes, Cicadæ vstæ, venter ossifragi, sanguis Leporinus, Cîconiæ intestina. Ex hisce, & aliis sexcentis varia composita ad eundem scopũ fieri possunt.

Aq. Calculifraga nostræ descript.

Recipe succor. Parietar. Pimpinel. Senelor. Betonic. Flor. Genist. Saxifrag, Halicacab. a. ℥iiij. Succi raphan. lib. 3. Limon. lib. 1. aceti rosat. lib. 2. Radic. Petrosel. Eryngior. Ononid. Poligoni, I-

 reos

reos.flor.a.℥i. Herbar. Argentariæ, Virgæ aur. Empetri, Sanguisorb. Flor. Persicor. Violar. Maluar.a.M.i. Semin. Vrtic. Milii Solis, Pastinac. Portulac. Genist. Pestrosel. Dauc. Cret. a.℥i. Baccar. laur. Iunip. Heder. arbor. a. M.1. Laccæ lot.℥ß. omnibus incisis & tusis indantur vitro capaci, affundatur prædicti succi, & mellis despum. lib. 2. digerantur in loco calido aliquot diebus, tandem destilletur. Dos.℥i. cum ℥ß. succi limon. & aq. Halicacab.℥ii. & guttulis aliquot olei Terebin.

Aqua Lithontriptica Iosephi Iudæi.

Recipe Radic. Apii. Baccar. Iunip.a.℥ij. Rhabarb. ℥ß. Semin. fænicul. anisor. petrosel. saxifragi, Raphani a. vnc.i. liquirit. rasę, Radic. asari, restę bon.a.℥i. lapid. Iudaic. tusi ℥iß. Aristoloch. rot. sang. Hirci præp.a. vnc.i. Zingib. Cinamo. Galang.a. vnc.ß. Macis ʒii. Mythridati ℥iß. Hasensprung, seu tali Leporis, Nucleor. Mespillor. Baccar. Halicacab. Succini albi oculorum Cancri. Semin Saxifrag.a. vnc.i. Millefolii vnc. ß. semin. raphani, pul. Lepor. vst. & martio mense capti a. vnc.i. semin. Genist. Onouid. Milii solis operculor. domor. Limacum a. vnc. iß. saccari candi vnc.iii. omnibus grosso modo tusis, & vitro inditis, affunde spiritus vini rectif. Cerasorum nigror. spiritus granorum Iuniperi a.q.s. vt 4. digitis emineat, factâ per 14. dies in debito calore digestione, è balneo destillentur. dos. Cochl. 1. cum debito vehiculo.

Aqua potentissima ad calculum.

Recip. Nucleor. persicor. Num. 200. Nucleor. Cerasor. nigr. N. 300. Fructuum Senelor. N. 150. Bacc. Iunip. & Halicacab. N. 100. Flor. Sambuc. recent. vnc. viii. contusis omnibus & vitro inditis, affunde vini maluat. lib. 4. digere suo tempore in baln. tandē destilla. Huic liquori si 5. vel 6. guttæ spiritus vitrioli indantur, statim calculum frangit.

Maximum Secretum in calculo.

Recipe Oculor. Cancr. lapid. Iudaic. Lync. Lazul. aquill. Cryſtall.a.q.s. Resoluantur in aceto Terebinthinato, vel aceto destillato, aut spiritu salis, supra cineres calidos bis, terue, & marmori imposita, iterum solue, solutum coagula, id toties repete, donec non amplius coaguletur; Huius liquoris dantur aliquot gutt. cum liquore specifico, omnem calculum in corpore frangit, conterit, & educit.

Præter iam dicta magno quoque successu Hermetici vtuntur Cremore & Sale Tartari, Tartaro vitriolato, Glacie paradysi, Spiritu Nitri essentificato, Spiritu item Salis, Tartari, Vitrioli, Sulphuris; Oleo & sale succini, cum aquis appropriatis; Spiritu item & oleo Terebinthinæ cum aquis specificis, Corticum virid. cum Iugland. Parietar. Halicac.

Ononid.

Ononid. Allior. Raphani. Fabar. Fragor. Flor. Genist. Petrosel. Eryngor. Nasturt. Vrtic. &c. Adhibent etiam feliciter supradictorum simplicium sales chymicè prolectos, eorundemq; extracta, spiritus, magisteria, & essentias.

Ferunt Hermetem sumpto cibo, semper granum Thuris, aut Mastichis vorasse, ne vinum ebibitum, in Tartarum abiret. Sic Tartarum vini, & ex eo parata remedia, vt & Nitrum, & pene omnia nitroso spiritu impraegnata eximias in calculo resoluẽdo vires obtinent. Vtimur etiã feliciter syrupo è Crystallo secundum descript. *Henric. Conrad.* in medull. destillato. Puluis itẽ mirè efficax ad calculum paratur è glacie paradisi, lapide in capite Percae piscis reperto, cum tãtillo Maceris & Croci paratur, daturq; ℥i. cum debito vehiculo. Idem facit puluis seminum Irionis; vt & pulu. seminum Violarũ Mart. Succus Veronicae condẽsatus ex herba, & cum saccaro in puluerem acto sumptus, ad dolores nephriticos mirè praestat: Idem facit syrupus de succo Veronicae.

Calculosi quoq; plurimùm iuuantur discussis in ventre flatib. quod fit Clysterib⁹ ex solo oleo, & parietariae decocto cum vino iniectis: extrinsecus inungatur vmbilicus oleo terebinth. Iuniperi, & Nucist. cum cerâ, adhibitâ postea lanâ succidâ. Intrinsecus detur decoct. Veron. cum vino. Sic plures curantur. Ad vesicae Calculum summè laudatur Caro Halicacab. cum saccar. cõdita. Oleum Crystalli ad ℈ii. cum vino albo tenui, aut Veron. decocto, vel aq. florum Genist. potum, singulare est ad calculũ vesicae & renum remedium, attenuat enim, comminuit, & expellit, atq; vrinam promouet. Idem & sufficienter praestat Sal, Crystalli. *VEL* Recipe Liquor. oculor. Cancri, Liquor. Crystal. a. gutt. x. Nitri praep. ℥iss. detur cũ aq. appropriat. Habebis mirabile remedium. Idem facit spiritus Tartari à ℥ss. ad ℥i. Idem praestat oleum Terebinth. ol. Baccar. Iunip. cum aq. Calculifraga. Musc. terrestris cum vino albo coctus, & epotus, certissimo experimẽto calculum frangit. Idem faciunt Irionis semina ad ℈iiii. cum vino tenui hausta. Hysopus muris adnascens, si ex ea cum aqua parietariae syrupus paretur, certo quoq; experimẽto calculum expellit. Sic fungus saxis adnatus, quem Lyncurium vocãt, exiccatus, puluerisatus, & cum vino diuretico exhibit⁹, ita renes repurgat, vt nunquam in iis calculi renascantur, quod multiplici experimento est confirmatũ. Singulare quoq; remedium est puluis radicum Ononidis ad ℥i. cum aq. Cortic. fabar. sumptus: Idem facit syrupus è succo Ononidis

nidis. Aqua item ex vrina humana, vel Tauri destillata, mirũ in modum vrinam prouocat, & calculum frangit. Sic ad miraculum calculum frangit condensatus portulacæ succus, pulverisatus & ad ℥i. exhibitus.

Iam enumeratis medicamentis Calculifragis, sequentia quoque longo vsu & experientia cõprobata in amici lectoris gratiã addere visum est: v.g. Spiritus vitreoli ex saccari violati diluto in aqua saxafragiæ albæ mirificè prodest. Puluis leporis vsti cum speciebus lithonthr. Lapis nephriticus Indicus: Lignum Nephriticum Indicum, hoc si vino infundatur, etiam electiuè purgat. Aqua verò infusum renes permeat, causamq; nephritis id est Calculum seu arenulas expellit: Halecum animæ decem numero circiter plus minus cõtritæ, & vino epotę mirabiliter tum vrinam, tùm Calculum pellunt: Num autem id vi specificâ, vel salis marini, quo cõdiuntur, proprietate cõtingat disputãt multi. Sal silicum, Crystallorum tartari Mercurii efficaciter Calculum frangit. Sic puluis Scorpionum Cicadarum, Locustarum, Grillorum, Asellorum rite præparatus, & vna cum aquis lithõtrypticis exhibitus & vrinam & Calculũ premit, vti & cinis pellis leporinæ cutis anguillæ, fimi columbini &c. in aceto raphani te maceratus, colatus, & epotus. Quidam lapides astacorum cyprinorum Iudaicos, lyncis, lazuli spongiarum, Cynaei, Aquilæ specularis microcosmi pari portione contritos, rectificato ialis spiritu soluunt; solutionem conchæ vitreæ impositam cinerum calore coagulant, coagulatum soluunt deliquio, solutum denique inspissant vicarium laborẽ repetentes, donec liquor amplius non consistat, quo remedio magni secreti loco ad calculum frangendi vtuntur dosi vnius vel alterius guttæ singulis diebus in vino aut liquore diuretico hauriendæ.

MEIENDI DIFFICVLTAS.

Cùm vrina sit alterum primæ, aut secundæ concoctionis excrementum, in eius collectione & excretione, naturę beneficio factum est, vt à renibus è vicino hepatę attrahatur, & ab iisdem effusa, in vesica colligatur, donec ad legitimum temp⁹ excludatur, quod à naturę legibus, excernendæ vrinæ præscriptũ est: debet enim iure & loco vrina excerni statis horis, sine dolore, liberè, ac liberaliter, amploque meatu; quæ mictionis laudabilis sunt conditiones. At qui meiendi finem non faciunt, vt in Diabete, grauissimis afficiuntur molestiis. Sic si omnino supprimatur vrina, vt in Ischuria, calamitosissima profert symptomata, neq; enim homo cum vrinę suppressione diu viuere potest, si enim

Laudabilis mictionis conditiones.

nim cuipiam biduo, triduoue vrina ſupprimatur, indeque per materię ἀναδρομὴν ad ſuperiora, factus fuerit lethargicus, maximaque accidat ſpirandi difficultas, etiamſi poſt illud ſpatium, effluat, liberaliterq; effundatur vrina, moritur tamen, eo quod iam altius impreſſa ſint malignitatis vrinæ veſtigia. Recta autem vrinæ collectio, & ſecretio, cùm primum fit renum ſecretione, vnde in veſicam effunditur, vbi collecta quieſcit, ſiſtiturq;, donec voluntatis imperio excludatur. Illa ergo οὔρησις cuiuſq; voto reſpõdet, nec vllis ſymptomatibus ægrum auget, qua excernẽdo, effundendo, & excipiendo, inſtrumenta eiuſmodi actionibus dicata ſuum faciunt officium, vt ſi ſerum renes optimè ſegregent; ſi ſit aquæ ductuum libertas, ſine obſtructione & laxitate; ſi ſit veſicæ amplitudo; ſi ſit naturaliter conſtituta, non ſcabra, non vlcerata, nõ laxa, & potioni proportione reſpondeat, tunc voto reſpondet οὔρησις. Mala è contrario erit οὔρησις, ſi ſeriùs, ſi celeriꝰ, ſi frequentius, ſi rariùs, ſi magis, ſi minus, ſi cum difficultate, doloris acerbitate vrina reddatur, & mictionis partes in vitio fuerint.

Bonæ mictionis conditiones.

Omnis οὔρησις vel fit ſponte, & vi ſecretice renum, vel excretione veſicæ, præeunte voluntatis imperio; & hæc in vitio eſt vel mãſione, vel emiſſione: Aut enim malè retinetur, aut malè emittitur; malè retinetur vel diminutè, vel deprauatè, vel abolitè: Sic etiam malè excernitur vrina, vel diminutè, vel infirmiter, vel abolitè. Diminutè in Dyſuria, cùm vrina vel non funditur pleno meatu, vel micturienti muſculus ſphyncter non patet, vel vitio meatus in hyperſarcoſi, & tunc vrina cum, vel citra dolorẽ emittitur. Deprauatè vrina redditur, quando ſæpe & guttatim emittitur, vt in Stranguria: Veſica enim vrinam excludit, irritatâ malignâ eius qualitatę. Abolitè verò in Iſchuria, veſicâ nullo modo excernente.

Dyſuria.

Stranguria.

Iſchuria

Stranguria, qua vrina ſtillatim ſeu guttatim funditur, ſemper fit cum dolore, nec enim fit muſculi ſphyncteris laxitate, vt in Lethargicis & Comatoſis, in quibus ſine ſenſu vrina effunditur, aut eiuſdem muſculi paralyſi, aut quibus ſectione extractus eſt calculus: Eſt enim Stranguria meiendi difficultas, quæ fit guttatim cum dolore, irritatâ veſicâ, expultriceq; facultate, & retentrice labefactatâ, ſiue id veſicæ morbo, ſiue ſymtomate accidat, vti fit in veſicæ inflammatione, vlcere, ſcabie, calculo; & per conſenſum, vt in vteri, & recti inteſtini inflammatione, ob viciniam. Fit & ab vlcere renum inflammatoq; recto inteſtino, vt & ab ano inflammato, qua ceſſante inflammatione, ceſſat quoque ſtranguria. Fit etiã proprio ipſius

ipsius vesicæ vitio, vt in inflammatione, calculo, scabie, simplicíq; intemperie frigidâ, in quibus morbis semper cum dolore effunditur vrina. Quicquid demum vel abradẽdo, vel exasperando vesicę negotium facescit, stranguriam facit, etiam sine peculiari vesicæ morbo, vt pus, quę tamen fugax est strangurria, fit enim à suppurato pulmonis, per arteriam venosam, in sinistrum cordis ventriculũ, inde ad duos illos Aortæ tubos delatum, qui renum emulgentibus infigũtur, per quos ad renes defertur, à renibus in vesicam effunditur, ibique ad exclusionem colligitur. Fit item stranguria materię morbificæ vitio, cùm v.g. febris acerrimæ materia, è sede febris illabitur in venas, è venis in renes, è renibus in vesicam, & abradendo stranguriam facit. Quemadmodum enim vniuersitas corporis, à crassioribus excrementis per aluum expurgatur, sic & per vrinas è toto corporis habitu, humidioribus excrementis in maioribus venis conclusis.

N.B.

Differt stranguria à dysuria; in illa enim nec libera, nec liberalis est οὔρησις, in hac liberalis est, at non libera; aut si non est liberalis, est tamen libera, fitq; per horas; fit etiam tempestate aquiloniâ musculum sphyncterem constringente, aut quib⁹ est phyma aut hypersarcosis in meatu vrinario, & talis dysuria tãdem in Ischuriam abit. Est autem dysuria quãdo vesica nimium distenta labefactatur, & sese colligendi potens non est. Ischuria verò quãdo in totum supprimitur vrina, cuius vt dictum, multæ sunt causæ; & aliquando critica est, quę nimirum vehementibus rigoribus superuenit, & futuræ criseos prænuntia est, cuius eadem materia est, quæ & sudoris est, & symptomatica, cùm supprimitur per materiæ deriuationem, qualis iis accidit, qui sub sole ardẽte multum sudoris excernunt, totumq; corpus sudore diffluit. Hinc illud, qui multùm sudat, parum, aut omnino nihil meit. Datur & Ischuria vesica plena, & vesica vacua.

Dysuria quid.

In vniuersum igitur fit Ischuria, Dysuria Strãguria, vnius vesicę impedimẽto ac vitio: 2. Ceruicis, & fistulæ vrinariæ vitio: 3. Sphyncteris musculi: 4. Facultatis sensificæ & motricis: 5. Vrinę: 6. Partium nobilium, quarũ potentia corp⁹ administratur. Vesica in vitio est, vt iam superius dictum, primigenio morbo, frigidâ intemperie, ac frigidi aëris appulsu, scabie, calculo, vlcere, inflammatione; vt & vicinarum partium laborãtium sympathia, hypersarcosi, phymate, paralysi, contractione, apprehensione, ac pudore &c. Quæ omnia suis cõtrariis curãtur. V.G. Si hęc symptomata fiant ab intemperie frigidâ siccâ, à vesicæ suo officio nõ fungen-

Dysuriæ & Ischuriæ causæ.

Curatio.

fungentis ignauiâ, fotu, cataplasmate, insessu, aut hapsu curari debet. Quod si inflammationē conceperit vesica, si dura, si dolorifica sit, terrifica est, interiores malleoli venæ secandæ, vino abstinendum, anonydis vtēdum. Si scabie laboret vesica, detergentibus, desiccantibus, permixtis lenientibus vtendū, vt melicrato dilutissimo, hordei decocto, lacte capril. iniectione è hordei, plantagin. agrimon. & absynth. rom. decocto, in quo mel rosat. myrrh. & aloe diluantur. Quod si fiat Calculi ad fistulam vrinariam appulsu, immisso catethere expellendus Calculus, vel elatis cruribus locandus æger, vt Calculus loco moueatur, vel suctu, si fieri possit, extrahendus. Si sit gruma sang. dissoluentibus vtendum; melle squillit. & coagulo leporis: Coagula enim sanguinem dissoluunt, & lac cogunt; datur. & aloe, quod sang. dissoluat; interea fotu vtēdum ex dilatantibus & explicātibus, attenuantib⁹, vrinam mouentibus vtendum. Applicātur cataplasmata perinæo, hypogastrio, & pubis regioni, sisymbrio betula, nasturcio. Si adsit Hypersarcosis seu Caruncula in fistula vrinaria, Cathæreticis remediis deteri debet, è Camphora, Ammoniaco, oleo rosato, è Pōpholyge, Cerussa, quibus delibuta candela cerea: in fistulam vrinariam immittitur. Quod medicamenti genus vim mirificam habet deterendi; si adsit sphyncteris musculi paralysis seu resolutio, fotu adstringenti è vino rosis mistis, myrrha, hypocistide, confirmādus erit musculus; sed & lumbis, & ossi sacro adhibenda remedia, vt oleum myrrhæ, mastich. destillatum cum oleo Cytoniorum. Ex eadem materia etiam iniectiones parantur, vt & hapsus ex oleis calorificis, roborantibus. Quod si vel à stupore fiat Ischuria, labefactatâ vi naturali vel animali, & à rei molestæ sensione non moueatur facultas, vesicaq; plena sit, si vel à frigore, vel à febre, vel à venenatâ qualitate stupescat, & sensu amisso rem molestam non sentiat, exhibere Castoreum profuerit, oleum è baccis Iunip. Terebinth. per anum, cui vesica incubat, iniiciendum: Conficiendi clysteres ex oleo rutaceo, anethino, vino malu. & oleorū Chymicorum momento, ad excitandam nerui sexti paris vim; in cuius rei finem Veteres etiam Cātharidibus vtebantur.

Si ab vlcere renum proueniat stranguria, vel dysuria, diluto melicrato vtendum, quod principatū obtinet: habet enim vim paregoricam, lenit, nec vrinam ciet, ac proinde afflicto non dat afflictionem. Condiatur è summitate rubi, quæ auxiliares vires habet ad renum vlcus, vt & lac caprillū, quod & detergit, & consolidat.

solidat,& consociat: expurgato vlcere Trochisci Gordonii mirificam cicatrizandi vim obtinent,& laceras renũ partes consociant. Aqua mulsa vel decoctũ pellicularum amygdal. dulcium mirificè etiam cõfert; renes autem oleo mastichino & rosato illinantur. Summa demùm vlceris curatio consistit in materiæ deriuatione, puris expurgatione,& partium consociatione.

Venit etiam Ischuria vesicâ vacuâ, labefactatâ renum vi secretrice, aut aquæ-ductus oppilatione, aut cerebri resolutione, vt in Comate à resolutione cerebri. Et quæ fit vacuâ vesicâ, omnium calamitosissima est. Quod si à Calculo contingat, aut crassis humorib⁹, tũc ad diuretica & amara transeundum, vt est Polyganum, mense Iulio legendum. Decoctum rhãni, inter diuretica, principatum obtinet. Verùm in dysuria ex aq. ductus obstructione nullum efficacius est remedium, quàm Catharcticum confectum ex diluto rhabarbari diacarthami, & syrup. rosarum pallid.

N.B.

Secretum in Ischuria.

Flores Tunicæ cum radice, in vmbra siccatæ,& cum vino Cytonior. exhibit. potentissimè vrinam prouocant; ideo & in peste exhibentur. Idẽ facit Raphanus,& Serpillum, si in Emplastri modum applicentur.

Vrinam festiuiter prouocat puluis operculorum Limacum, aut lapidis, qui in Limacum capitibus reperitur ad ℈i. cum aqu. thecar. fabar. viridium. Cum fructu sæpius exhibem⁹ succum nasturt. aquat. cum aceti, olei, & salis Nitri præparati momẽto. Halecum vesicæ, quas eorum animas vocat vulgus, in puluerem redactæ,& cum aq. diuretica exhibit. certo experimento & calculum & vrinam expedit. *VEL:*

℞ Recip. Oculor. Cancr. Succin. alb. Mandibul. Lucii pis. Semin. Milii Sol. Nucleor. Persic. Mespillor. a. q. s. F. pul. dos. ℈i. cum vino diuretico.

Hermetici plerosq; vesicæ affectus, vrinam concernentes, Salium subtilitatibus,& spiritibus curant, eo quod ferè vim diureticam obtineant, vt sunt spiritus salis communis,& marini, ex quo etiã dulcedines, seu saccara extrahũt; Spiritus & Essentia Nitri, Vitrioli, Sulphuris, Salis gemmæ, Spiritus iuniperi, terebinth. Nucleor. Persicor. Cerasor. nigror. Baccarum Halicacabi, Granor. Paliuri, oleum Terebinth. Ceræ, Laterum, Sal & oleum Succini, Fæniculi, Anis.

Oleum Terebinth.

ARDOR VRINAE.

Queãdmodũ Cholidoc⁹ felle fruitur, cibo & potu stomachus, chylo hepar, materiâ spermaticâ testes, sic & vesica gaudet, fruiturq; vrinâ, quæ est illius aquę & vrinæ sentina. Quæ si qualitate suauis fuerit & quantitate mediocris

oeris, fouebit, retinebit ipsa vesica, & ad perfruendas naturales voluptates complectetur. At si in vitio sit, aut propriæ substantię corruptio, aut alienæ materiæ permixtio, nō est amica, vel grata vesicæ, sed molesta. Vrina autam in vitio est, & vrinæ ardor in vesica excitatur, vel ipsius urinæ vitio, vel alieno: Quæ eiusmodi sint, siue symptomatica toto genere totius corporis; siue critica siue symptomatica partium ἰῶσιν dicatarum, siue partium per quas defertur, & cui parti excernendæ sunt, nunc paucis videndum.

Molesta est urina in mictione sponte naturæ facta, aut cùm secernitur, aut cùm effunditur per aquę-ductus: Vel enim excipitur in ipsa vesica, & molesta est suopte vitio, seu propriæ substantiæ corruptione, vel alienæ materiæ, puris &c, mixtione. Molesta est alieno vitio, quando exaruit glādula ad penis radicem collocata cuius veluti naturali oleo perungi solebat vrinaria fistula, qua ab vrinæ, quantumuis naturaliter constitutæ incurijs vindicatur. In hoc enim affectu, etsi vrina sit qualitate mitis, symptomaticè tamen defertur, & abradendo, & exasperando sua acrimoniâ fistulæ vrinariæ molesta est, non suopte quidem, sed alieno vitio: si enim ab oleoso glandulæ humore fistula delibuta foret, vrinæ ardorem non persentiret. Omnis enim naturaliter constituta vrina, salsa est, & bilis permixtione, flauescit, quę etsi quantitate pauca, & qualitate mitis sit, est tamē dicto modo molesta.

N.B.

Omnis vrina naturaliter salsa.

Est & in vitio urina propriæ substantiæ corruptione, vt colliquatione, inflammatione feri in ipsis venis; alienæ item materiæ mixtione, vt puris; inde fit vt partibus, per quas defertur, molesta sit, tam abradēdo, quàm exasperādo. Est item urina in vitio propriæ substantiæ vel criticè, vel symptomaticè, vt in colliquatione, acutarum febrium ardorib⁹: Criticos verò vt cum fit materiæ morbificę in vesicam conuersio, & materiæ malignæ è ventre in vasa vrinaria decubitus, vti quādoque fit in rupta pulmonis vomica. Nam vt ventris profluuio expurgatur corporis vniuersitas, sic vrinæ perirhæa. Vrina quin etiam naturaliter constituta, non suo quidem, sed alieno vitio, & ex euentu potest excitare ardorē eo quod glandula prostatæ ad pudendi radicem sita, intemperatiore coitu exhauritur, vt in ijs videre est, qui fœdâ illuuie ex venereo congressu laborant: Nam ex impuro mulieris menstruatæ concubitu, per cæcos glandulæ meatus serpit virus, in quib⁹ naturale illud oleum continetur, & virulentiæ appulsu consumitur, exhauritur, & vlcus inflammationi coniunctum excitat, cuius syllogisticum signum est pus saniosum continenter emanans,

pene ſemper erecto, ſũmaq; meiendi difficultate, nõ quidẽ vrinę vitio, ſed quia glans, cuius naturali oleo fiſtula vrinaria delibatur, ſummè laborat ab exhauſto.

Curatio ardoris Vrinæ.

Quantum ad curationem, ſi fugax ſit vrinæ ardor, nihil moliendum, ſed parti ſtudendum, ne vrinæ acrimonia exulceretur: nã vt meraca alui excrementa tandem dyſenteriam ſic diuturna vrinæ acrimonia, fiſtulæ vrinariæ vlcus facit. Ad ſymptomaticum urinę ardorem, conuenit phlebotomia è brachio. Purgatio debetur humori, qui in vitio eſt, & deriuatio eiusdem, per loca lege naturæ, ex euentu commoda. Si vrina per ſe, aut bilis miſtione, in vitio ſit, lenientibus tandem opus erit, tàm ad purgandum, quam ad conſolidandum, vt caſſia cum ſyrupo violat. decoct. glyzirrh. cum Elect. diatragant. frig. ſingulare eſt remedium. Sic & lac caprillum, mirificam leniendi vim obtinet, ſi in eo diatrag. frigid. diſſoluatur, tunc enim mirandos affert leniendi fructus. Quod ſi detergendi conſiliũ fuerit, ſiue ſit perennis ſtranguria ab ulcere renes occupante, ſiue fugax, à rupta pulmonum vomica, aut à parotidos per vrinas excluſione, terebinthina lacti miſcenda, aut decocto pimpinellæ in aqua hordei, mirificam enim vim detergendi habent. Ad renum vlcus nihil accommodatiùs præſcribi poteſt lacte caprino, è capra herbis diureticis nutrita mulcto. Idem & lac aſininũ præſtat. Huc pertinent remedia, quæ ad ſtranguriam ex acrimonia vrinę factam pręſcribuntur, lenientia nimirũ, pręſertim cùm fugax fuerit ſtranguria: Vtuntur practici decocto althææ cum pullo gallinaceo corinthijs infarcto. Huc facit lac amygd. ęmulſ. ſem. frigid. maior. decoct. liquir. raſæ, quę etiã in fæda illuuie exhibentur, quã calidã mictionem vocãt, tantũ enim lenientibus vtendũ, ſi materia aliunde deriuetur. Si detergendum, maximè laudantur Trochiſci Alkekengi, mirificos enim in detergendo afferũt fructus.

Ardor vrinæ à fæda luis venereæ illuuie, naturale oleum glandularum proſtatarum deprędante excitatus, ſi ſiſtatur, & ad partes vicinas, teſtes, iſchiaue anadromen faciat, tumores, iſchiadem, dolores, tophoſque excitabit; ſi diutiùs feratur, hyperſarcoſin generabit: ideo deriuãdus eſt humor, deinde fotu, inſeſſu, hapſo, & emplaſtro *Ioann. de Vigo* diſcutiendus, ipſumq; pudendũ in verbaſci decoctum mergendum. Interea, quæ vrinæ ardori idonea ſunt, eſt liquor tenuis oui agitati & deſpumati: exudat enim tenuis quidam humor lenis & minimè glutinoſus, quem in omnibus oculorum inflammationibus prętulit *Galen.* lenit enim nec adſtrictione, cuius eſt expers

materię

N.B. materię exitum prohibet. Nihil autem melius est in ardore vrinę tam ab vrinæ vitio, quàm vlcere, aut materiæ virulentæ appulsu excitato, quam vapor lactis, in quo verbascum coxerit. In maximo vrinę ardore cum inflammatione, etiam anodyna & narcotica miscentur, & per catetherem injiciuntur. v.g. Recipe olei rosi ℥vj. lauetur sexies cum aqua rosar. deinde cum ℥ij. lot. fiat ceratum liquidum, adde aliquid camphoræ, & fistulæ vrinariæ immitte, hoc enim citra inflammationis metum, etiam hypersarcosin delet. In vrinæ ardore ob meatus vrinarij excoriationem, mirabiliter ac citissimè iuuat lactis muliebris, cum oui albumine iniectio. *VEL* Recipe Lactis muliebris Mucilagin. Sem. Cyton. Psylij, Lactuc. Papau. alb. a. ℥j. ol. Violat. ℥ß. Per syringam tepidè injiciantur. Tertio quoque die, vesperi ante lecti ingressum sumat ℈j. harum pillular. Recipe Mirobalan. Citrinor. Chebulor. a. ℈ß. Balsami Aloet. ℈ij. Resin. Scammon. ℈j cum mitua Cyton. f. Massa.

Mirabilis Syrupus ad vrinæ ardorem.

N.B. Recipe Semin. Althæ maluat. Cytonior. Psillij a. ℥j. Diatragag. frigid. ℥ß. infunde in aquam tepidam decoctionis rad. Althææ, semin. papau. alb. Baccar. Halicac. q.s. facta mucaginis expressione cum saccaro q.s.f. syrupus.

GONORRHAEA.

Est inuita, paulatimq; facta, citra Venerem, citra libidinum insomnia, citra pudendi tentiginē, leui quodam, aut nullo oblectationis sensu, seminis profusio. Huius causa est, partium spermaticarum infirmitas, semen vel nō concoquens, vel non retinens, quoad sufficienter concoquatur ita vt crudum, aquosum, liquidū, ac tenue, nec prorsus album, prę ter voluntatem continenter effluat. Redditur etiam virulenta gonorrhæa à luis Venereæ congressibus, vbi principio virus album, subcitrinum, aut virescēs è vasis spermaticis, vigilanti sine sensu excidit, pariter, atq; dormienti, & temporis progressu putrens, acrimoniamque asciscens, penis ductum in transitu exedit, exulcerat, atq; ardorem, acerrimumq; dolorem effluente vrinâ infert, pudendum erigit, & quasi funem peni subtendit. Oritur vt dictum ab impuro Veneris congressu, tetro & maligno vapore sese in partes spermaticas, prostatas, nimium molles, & laxas glandulas, in vesicæ collo sitas, insinuante, inficiente, & contaminante, & tandem exulcerante.

Causa.

Si à partium spermaticarum infirmitate cōtingat Gonorrhęa, roborandæ & adstringendę erūt. Si à materiæ spermaticę copiâ, ea vacuanda erit, phlebotomia, ieiunio, abstinentia, exercitijs; vtēdum & lenientibuus, refrigerantibu

Curatio.

tibus, contemperantibus, & si vlcus subsit, detergentibus, & consolidantibus. Exhibeatur igitur in Gonorrhæa Terebinth. lota cum pulu. Liquirit. Quidam secreti loco exhibent ʒj. sequentis pulueris: Recip. Mumiæ, diatrag. frigid. succini alb. menth. Semin. agni casti a. ʒß. Misce datur cum oui vitello per aliquot dies. N.B. In hoc affectu, saccarum Saturni primas tenet.

Si virulenta fuerit Gonorrhæa virus non temerè sistendum, ne vel luem venereã, vel abscessum, vel alium grauem affectum excitet, ideo vacuanda, deriuãda, detergenda & discutienda virulenta materia: cacoëthia emendanda, arcenda putredo, phlogosis restinguenda, doloris acerbitas obtundenda, & vasa spermatica roboranda.

Et licet vehementia catharctica suspecta sint, Hermetici tamẽ Turpethum minerale, & præcipitatũ viridem præscribunt: postmodum Croci Martis essentiam exhibent. Ad virulentam Gonorrhæam, præmissis vacuationibus *Quercet.* hoc vtitur remedio: Recipe Herb. Vermicular. M. j. Sem. Cytonior. rutæ, Agni cast. Plantag. a. ʒj. Radic. tormentil. ʒß. rosar. rub. p. ij. flor. verbasc. p. j. succi limon. ℥vj. Aq. flor. malu. arborascent. lib. jß. Vitro indita, quatriduo in balnei calore macerẽtur, mox transcolentur. Dos. 3. vel 4. cochlear. mane & vesperi per aliquot dies.

SANGVINIS MICTIO.

Cruenta mictio, seu vrina cruenta, suo ipso excernendi modo, & materia, per loca lege naturæ incommoda fluente, terrifica est: & magnorum malorum metum affert, tùm partium ratione per quas fertur, tùm earum, vnde venit, & quibus excipitur. Omnis enim sanguis qui in ventriculum effluxit, vel vt suppuret vel vt putrescat, vel vt grumescat necesse est. Sanguis enim fibrarum ope, quas habet, statim concrescit, præsertim si in magnas capacitates, ventriculum ipsum, aut cerebri ventriculos effundatur.

Funesta etiã est sanguinis corruptio, & à sanguinis grumis multi intereunt, occupatis per sympathiam, vitæ principijs, aut aurâ venenata, quę inde effertur. Terrifica est cruenta mictio, non solùm ob id, quod sanguis naturæ familiarissimus, mitis, & suauis humor effundatur, sed quod per loca, naturæ legibus non commoda effluxum habeat, vt per vesicam, qui funestus est, nisi cito exitum habeat. Multi sanguinem meiunt, sed alij purum, mixtum alij. Effunditur sanguis meiendo syncerus, meracus, omnisque alienæ mixtionis expers: aut effunditur dilutus, ichorosus, aut velut saniosus, qualis in dysenteria hepatica apparet, & velut sanguinis speciem refert, qui tamen sanguis non est.

Sanguis meracus effunditur tùm

E quib. partib. sanguis mictione effluat.

tùm à partibus diaphragmate superioribus, tùm à toto corpore, tùm à renibus, tùm ab vrinæ ductibus, tùm ab ipsa vesica. *Hippoc. 4. Aphor. 75. & 78.* id quod fit vel sponte naturæ, criticè, periodicè, vel symptomaticè, ruptâ nimirũ vel exesâ vel apertâ venâ. Nam vt statis, & definitis temporibus sanguis per hæmorrhoidas periodicè effunditur; ita & quibusdã hominibus sanguis è toto corpore meiendo excernitur, vel particulari partium vrinæ dicatarum plethora, *teste Hippoc. 4. Epid. in Fabri cuiusdam, & Athemãtis historia.* Fiunt & symptomaticè in vniuersi corporis plethora: Quãdo nimirum in constitutione athletica venæ emulgentes nimiâ sanguinis abundantia distendũtur, nec vis secretrix renũ potens est secernere serum à sanguine, nec illum ad sui nutrimentũ dicatum seruare aut continere, fit vt in tali sang. copia, & orgasmo sæpe ictu, casuue rumpãtur, aperiantur, aut exedantur mulgentia vasa, sicq; fit anastomasis, ruptio, aut exesio, & fit renum hæmorrhagia, vti vocat *Paul. AEgin.* In anastomasi tamen funditur sang. sine molestia, & paulatim: In ruptione confertim: In exulceratione cum doloris sensu fũditur, non tamen vsquequaq; purus, sed purulentus quandoque. Purus sanguis & criticè & symptomaticè effunditur: Criticè è toto corpore. Fit tamẽ sæpe sanguis ichorosus, vt non solùm per renes, sed etiam per sudores effundatur, adeo vt *Aristoteles* etiã cruenti sudoris, ob sanguinis serositatem meminerit. Mixtus etiam excluditur sanguis in Nephritide, & in Vesica *4. Aphor. 80.* A vesicæ venulis, sed rarenter excluditur sanguis, cùm & excarnis, & exanguis sit vesica. Pus ergo & sanguis tùm è partibus diaphragmate superioribus, tùm è toto corpore, tùm à partibus emulgẽtibus vel critice, vel symptomatice, ruptâ, exesâ, vel apertâ venâ effunditur. Sic quidam sauciato crure, per intestina periodicam habuerunt dysenteriam; quidam iuuenes narium hæmorrhagiæ obnoxij, postquam Venerem agnoscere cœpissent, cessauit narium hæmorrhagia, factaque est per pulmones reuulsio, sanguisque per easdem vias, quibus pus ruptâ vomicâ, ad renes deductus est, & per vrinas effus⁹, vt testatur *Duretus noster*, fiebatque per anastomasin, at non sine periculo.

Alterum cruentæ mictionis genus est, cùm sanguis dilutus è renibus infirmis effunditur, cùm nimirum renes, velut perturbato naturæ ordine, sanguinẽ cum sero attrahunt, attractum nõ apponunt, sed elabi sinunt, ob facultatis retentricis & concoctricis infirmitatem: tunc enim idem illis accidit in mitificando sibi sanguine, quod imbecillo hepati. Item hepate suo officio non fun-

gente, cruentæ funduntur vrinæ bullis obsitæ, vt in hydropicis, vbi vrinæ rubor nõ semper est ab inflãmatione seri aut à bilis perfusione, sed ab alienatione sanguificæ facultatis, vt in marasmo periphryge, in quo hepar attrahit quidem chylum, qui rudimenta à meseraicis quidẽ, per quas fertur, accepit, sed mitificari nõ potest. Venis igitur quodam cruore & sanie obsitis, cruentæ reddũtur vrinę, stabiles & fixæ; quod frigidæ intemperiei est argumẽtum, & in hydropicis salutis desperationem afferunt, hepate ab exhausto laborante, ab alienata eius sanguificandi facultate. Effunditur item cruenta vrina, in nephritide, calculi venas exasperantis erosione, ideo *Hippoc. 6. Epid.* inter calculi renalis signa, cruentas vrinas ponit. Si æqualiter mixtus sit sanguis, effluit à partibus diaphragmate superiorib.; si inæqualiter, à renibus; si nullo modo mixtus, à vesica venit.

Curatio. Quantum ad curationem, anastomasi oppilantia debentur; ruptioni, glutinantia; exesioni, sarcotica. Inter cætera remedia conuenientia, *Hippoc.* Lactis vsũ approbat; Lac enim non solùm lenit, glutinat, sed etiam fluxionem sistit, ita vt non solùm contra causam coniunctam pugnet, sed etiam contra antecedentem. Ad erosionem maximè laudantur Trochisci Gerdonij. Vbi grumescit sanguis, magnum est periculum: & si incidentibus remedijs non cesserit, inciso perinæo mollienda curatio, corruptionis vitandæ causa, vt & mortis. Si sanguis inter musculos effusus non suppuret, gangrænam facit, si induruerit, schyrrum. De reliquorum remediorum vsu & experimentis, consule ea, quæ superius de narium hæmorrhagia annotauimus.

NIMIVS MENSTRVORVM FLVOR.

Mẽstruorũ bene fluentiũ cõmoda. Mulier modo bene constituta sit, naturâ, & valetudinis curâ benè valeat, inter cætera fæminarũ genera, est menstrualis, illiq; mẽstrua, & qualitate, & quantitate & tempore, & excernendi modo bene respondent, mirificosque eidem sanitatis afferunt fructus, tùm eandem restibilis prolis faciunt parentem, sanã, vegetamq; conseruant, & à varijs morborũ incursionibus liberam constituunt,

Bene constitutæ mulieris mẽstrua, colore & consistentia referre debent victimæ solidæ, succi plenæ, recènsq; iugulatæ sanguinem floridum, & purpurascentem, venosi, & arteriosi sanguinis mixtione compactum, nõ autem propriæ substantiæ vitio, aut alienæ materiæ mixtione corruptũ.

Vt etiam mulierũ natura tàm in vitæ instituto, quàm in victus ratione, in complexione; temperamento, corporis habitu, & cæteris variat, ita varia est menstruorum

orum copia, & quantitas, ac diutius ac liberalius vel parcius fluunt.

Mēstruorū materia. Cùm materia menstrualis aliud non sit, quam sanguis superuacaneus, & benignum, vtileque excrementum partium sanguinearum, non æquum fuerit mulierem grauidam, Nutrices, febre ardente laborantes, aut graui aliquo morbo defunctas, esse menstruales, nec item æquum est talibus exhibito medicamento, menstrua prouocare, cùm talis materia vel à fœtu hauriatur, vel vi morbi, aut caloris febrilis actione absumpta sit.

Menstruales autem esse debēt quæ puberes sunt, 16. aut 17. ętatis anno, antequam ad iustam magnitudinem peruenerint; quod si ante prædictos annos, menstruales reddantur, diuturnioris vitæ non erunt (nisi naturâ plethoricæ fuerint) quia partis genius, ante tempus defraudatur.

Hippoc. quidem certam sanguinis menstrui quantitatem ponit libram vnam, & drachmas tres: Viragines tamen è virili mulieris semine natæ, & proximè ad viri naturam accedentes, rarenter tātam copiam profundunt. Quod si ad viraginis complexionem & temperamentum accesserit austera diæta, & corporis labore ætatem conficiat, non mirum, si talis virago menstrualis non sit: At si tali diæta non vtatur, menstrualis est ad 2. dies, non vltra. Floridæ mulieri 7. diebus fluunt menses; mediocri verò quinque diebus.

Quemadmodum puerperę leuantur, & leuationis accessionē in dies habent, quādo eis lochia ex animi sententia fluunt, sic si supprimantur, in dies, symptomatum accessione & partium accessione damnis augentur, quarum vitio, vita carere nequit, adeo vt si mulier vacua solebat esse menstrualis per tres dies, intra 27 diem intereat, si lochia non respondeant: & quæ per 4. dies mēstrualis esse solebat, intra 36. à partu diem moriatur, si lochia non respondeant. Lochia enim proportione respōdent periodo naturali, qua periodo naturali, vacuæ mulieri menstrua fundebantur.

Duplex mēstruorū periodus. Fluoris autem menstrui duplex est periodus: Vniuersalis, & particularis: Vniuersalis, intermissio fluxus est: Quæ enim per 5. dies sunt menstruales, 25. dieb⁹ habent intermissionem; quæ tribus diebus, 27. quę duos dies, 29. vt viragines.

Funduntur autem muliebria (quibus & ipsam materiam, & partes procreationi dicatas, & omnes muliebres affectiones, tàm à mensium profluuio, quàm suppressione manantes, significare volumus) eò quòd test. *Hippoc.* mulieres densiorem, nimiūque perspicabilem obtineāt corporis habitum, & succi plenum,

è quo

è quo tamen nihil exudat, vt è virorum corpore perspicabili exudare solet: Vnde cùm mulieris corpus nimium perspicabile sit, et tantum è superuacaneo humore ebibat, quantum lana caute depexa sub dio posita roris ebibit, fit vt natura frigidius, & humore inebriatum mulieris corpus, tempestatum mutatione, simili etiam affectione cieatur, & concutiatur, atq; ex ea concussione prophasis, seu menstrualis purgatio sequatur. Nam vt rigores, qui mulieribus ab osse sacro, lumbis, ad caput vsque incipiunt vitiosorum humorum euacuationem, si non frustra fiant; aut oppressionem, si frustra contingant efficiunt: sic menstrualis illa cõcussio, si frusta fiat, innumerorũ malorum est causa; si non frustra mulierẽ ab innumeris malis vindicat: qualis enim est hæmorrhagia in viris, talis est menstrualis purgatio in vtero, & mulieribus.

Mulieri & temperamento, & complexione, & corporis habitu bene cõstitutæ, si menstrua, quãtitate, qualitate, tempore, & loco ritè responderint, non solùm illius fluxus beneficio integra fruetur valetudine, sed & eo fluore perfuncta, fæcunda, & restibilis prolis parens reddetur. Multæ enim è mensibus rite fluentibus veniunt oportunitates, ad virile scilicet semen excipiendum, exceptum concipiendum, conceptum fouendum, nutriendũ, perficiendum, & ad legitimum naturæ tempus gestandum, & excludendum.

Contra verò si menstrua vel qualitate, vel copiâ, vel tempore aut excernendi modo in vitio fuerint, si supprimantur, si immodice fluant, ab vtero, & in vtero morbi contingunt. Si enim impura fuerint menstrua vel propriæ substantiæ corruptione, vel alienæ materiæ permixtione, tũc partium vnde manant, vitia denunciabunt lienis, hepatis & totius corporis: & partibus ipsis per quas fluunt, calamitosa erunt.

Si alienæ materiæ mixtione in vitio fuerint, vt seri, vel catharri, decolorata, & carnium recèns mactatarum loturæ, similia erũt, qualia in virginibus ictero nigro seu fædis coloribus laborantib⁹ apparent, idq; tùm natiui caloris infirmitate, tùm liberalioris diætæ vitio, quatenus nimirum eiusmodi mulieres, ter, quater, aut pluries in die se cibis infarciunt, seseq; vel aqua, vel piratio, aut pomatio, aut zytho inuitant, tũc enim menstrua naturaliter constituta esse non possunt, sed partium vnde manant, vitia denuntiant, vbi fit sanguis per quas fluunt, & in quas illabuntur, vlcera in ipso vtero sæpe excitare solẽt: Nec enim potest semen virile excipere, & concipere, nec conceptum ad legitimum parturiendi tempus gestare.

Quod si menses decolores, nigri,

nigri, flaui, albi, subuirides &c, fuerint, nec eodem semper ordine, & tempore prodeant, mulierem, pro peccantis humoris ratione, consimili purgatione opus habere, significabunt. v. g. Si albi fuerint menses, quando pituita, cuius dominatu corpus tenetur, neq; per os, neque per nares, neq; per vrinas, neq; per aluum expurgatur, sed ad vterũ viam inflectit, & acetabula replẽtur, phlegmagogo vtendum. Sępe tamen mulieres suo commodo his laborant, albus enim mẽsium fluor, corpora sana reddit, si modicè fiat, *teste Aristotele 4. de Generat. animal. cap. 3.* Hoc enim modo corpora ab humorũ peccantium sarcina liberantur. At si liberaliùs fundantur, inde hydrops, cachexia, & totius corporis marcor prouenit: Et quibus supprimuntur, nec ad generandum, nec ad concipiendum opportunæ sunt.

Alba mẽstrua quando vtilia sint.

Menstrua sunt in vitio quantitate & tempore, quando liberaliùs, quàm par sit, funduntur, vt cum mulieribus aquescentibus per 1. diem viraginibus per 5. dies: mediocribus per 7. dies feruntur; nec minus terrifica est eiusmodi profusio, quã suppressis. Si enim menstrua plura fiant, morbi accedunt, non vtero, non ab vtero, sed per se, tùm ex euẽtu, vt Hydropes, Hypochondriorum tensio, faciei defædatio, characteris & molis mutatio, & flauo colore suffusæ apparent: tũ vteri labor & defatigatio. Mulieribus enim quibus sæpius in mense, bis, terue menstrua funduntur prædictis symptomatib. afficiuntur, quia bilis dominatu tenentur, quæ aliquando in caput fertur, inde cephalalgia, in qua non semper sanguis, qui est frænum bilis detrahendus; sanguinis enim consortio destituta bilis, huc, illuc, in quasuis partes orgasmo impellitur: In libera enim sanguinis detractione, facultas retentrix resoluitur, qua dissolutâ, sequitur cuiusuis partis oppressio, cùm è liberaliore sanguinis euacuatione, exhauritur vitale principiũ, & syrrhoe, quibus hominis vita sustẽtatur, quæ in partibus solidis ex vtriusque parentis semine, in singularium partium temperamento & complexione consistit, vti fusè libro primo huius operis ostendimus.

Quos morbos nimius mensiũ fluor procreet.

Sanguis est frænum bilis.

Mulieres quæ genio indulgẽt & se liberaliore cibo, vinoq; generoso inuitant, & vitæ cursum in otio transigunt, liberaliore manu menses effundunt, ijs, quæ genium defraudant, in laborib. vitæ cursum conficiunt, noctem operi dant, vitam colo, tenuique Minerua tolerant: ita & quæ abstemiæ sunt, aut multa aqua vinũ diluunt, si conceperint, & in ipsa grauiditate liberalius vinum biberint, abortum patiuntur, vti & à quauis leui prophasia.

Non ergo mirandum, si virago vltra

go vltra vnum aut alterum diem non sit menstrualis; si mediocris menstrua habeat ad triduum; si aquascens, quinque, vel 7. dies. Hæc enim maioris, aut minoris distinctio peti debet, ex cuiusq; peculiari naturâ, in complexione, temperamento, corporis habitu, ætate, humorum dominatu & vitæ instituto. Adde quod mulier prolifica, largiore manu menses profundat, quàm sterilis quæ nunquam partum est experta.

Causæ mẽstr-orum. Tres autem in vniuersum sunt immodici fluoris menstrui causæ: Sanguinis qualitas, & copia; vasorum laxitas, & retentricis facultatis infirmitas; non autem expultricis robur, cuius vi menses nũquam contra naturam feruntur.

Tria mulierũ profluuia. Tria qnoq; recensentur muliebria profluuia: Menses seu Mẽstrua; Lochia, seu puerperia; & fluor muliebris, qui est toto genere contra naturam, cùm in eo sanguis in vitio sit quãtitate, vel qualitate, vel alienæ materiæ mixtione, facultatis retentricis imbecillitate, vasorum laxitate.

Si igitur sanguinis copia faciat menstruale profluuium, si rubeat sanguis, si vasa distendãtur, & plethora vrgeat, depleto; *Curatio.* si sanguis sit in motu, reuelle, ad partes contrarias, obseruando, ad naturæ imitationem, illud κατ' ἶξιν, cui quæ contraria est, contra naturam est. Cauendum tamẽ ne liberaliore sanguinis detractione, nectaris viuifici syrrhoe (quæ est caloris viuifici cũ sanguine & spiritu in habitum corporis effusio) intercipiatur: omnis enim sanguinis profusio terrifica est, cùm naturæ nihil esse possit ἰωπροσφυτον, præter sanguinem & spiritum, quem ducendo viuimus. Ac primùm in ea sanguinis profusione, exhauritur arca liberalitatis, illud nimirum caloris, sanguinis, & spiritus vitalis promptuarium, cor videlicet. *Hippoc. noster 5. Aphor 50.* ad inaspectabilem reuulsionem, maximam cucurbitulam mammis affigit; fit enim reuulsio propter vasorum communionẽ, sanguine ad partes superiores redacto. Adhibentur & ligaturæ dolorificæ, & frictiones duriores, quibus fit reuocatio infernè sursum.

Quod si mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus fundantur, purgatione opus habebit, ad sanguinis serosi, biliosi, aut pituitosi euacuationem, hoc vel simili modo: Rec. syrup. de cichor. compos. cum rhabarb. ℥ss. syrup. rosat. solut. ℥j cum aq. plantag. q. s. f. potus.

Vacuato corpore exhibeatur iulepus factus ex aqu. nucamentorum salicis lib. i. & saccari rosati antiqui ℥iiii. Iaceat mulier in polygono maiore, quam centinodiam vocant, mirificã enim in sistendo sanguine vim habet. *N.B.*

Eadem

Medicamēta menses sistētia. Eadem sacculo imposita, & mulieri hæmorrhoicæ supposita, mirifice iuuat. Varia quoq; parātur remedia menses sistentia, ex adstringentibus frigidis, vt sunt Tormentilla, Bistorta, Bursa pastoris, Pilosella, Argentaria, rosa rubra plantago, Semperuiuū, folia recentia Quercus, nucamēta salicis, corallia rubra item, lapis Hæmatites, terra sigillat. Ebur, cornu cerui: trochisc. de Carabe &c. Vide *Aët lib. 16. capit. 63.* Trochisci de Carabe, & Trochisci Gordonii inter adstringentia, & sanguinem sistentia remedia principatum obtinent. Laudatur destillatū è conserua consolidæ maior. & è limacibus rubeis a.q.s. Hi enim limaces in cellis vinariis reperti, vt & eorū saliua, sistendo sanguini mirificè valent. Sic sequens puluis, bis, terue sumptus ad ʒiß. cum aq. nucamētorum salicis, vel plantag. aut polygoni, certò mēses sistit: Rec. Trochisc. de Carabe, sang. dracon. Corall. rub præp. lapid. Hæmatit. Croci Martis a. ʒi. Balanst. semin. plantag. portulac. a. ℈ii. Misc. f. puluis. Laudatur & decoctum in aq. Chalybeat. Polygoni, Lentisci, Myrti, rubi, pyror. & prunor. syluest. radic. symphiti. mespillor. sorbar. Nuc. Cupressi, Cupular. glandium, gallar immatur. cum syrupis de rosis siccis, Cytonior. myrtilior. Exhibetur & lac Chalybeatū. Datur ʒi. Gum. Arabici cum præ dicto decocto, magno successu.

Præstantißima aqua ad sistendos menses.

Recipe Panem recentem è farina amyli, oriza, & hordeo factum, macera in libris 7. aq. chalybeat. adde rosar. rubear. siccar M. i. Balanstior. M. ß. succi plantag. lib. i. Radic. consolid. maior. quassatar. ℥iii. caudæ equin. M. i. Pulpæ pyror. syluest. pulp. Cytonior. a. ℥ii. portulac. M. ii. boli armen. ℥ii. Polygon. Nucamentor. salic. a. ℥i. Destillentur per balneum. dos. ℥i. summo mane.

Conditum mirabile.

Recipe Scoriæ ferri per diem in aqu. rosat. macerat. & pulu. ʒj. Croci Mart. ʒij. cum sacc. rosat.

Pillulæ mirabiles.

Recipe Pellicul. interior. auel lanar. syluest. ʒij. terr. sigill. Trochisc. de Carab. pulu. leporis vsti Conchular vstar. thur. mastich. a. ʒß. cum succo millefol. f. pillul. dos. numero 3. mane. VEL Recipe pulu. anserin. ʒi. Corall. prępar. Eboris vst. a. ℈j. cum aq. stillat. potentill. f. haustus præstantiß. Pulu. succini albi ʒi. cum aq. Meliß. succus millef. cum saccar. coctus, optimus est. In desperato sanguinis fluxu, vltimū & pręsentißimum: Recipe pulu. Cortic. radic. Mori ʒj. cum vino nigro austero, singulo mane; VEL Pulu. Cortic. Granator. aut pulu. aurium leporis vsti.

Hermetici vsurpant Magisteria Corallor. cornu cerui, lapid. Hæmat.

Hæmatit. Terr. sigillat ad ʒi. Vel etiam salis eorundem cum aqu. Polygon. Plantag. Burs. Pastor. Torment. addendo gut. aliquot spiritus vitrioli Veneris, quem præsentissimum remediũ ad omnes vteri affectus prædicant. In prædictis liquoribus exhibent etiam Crocum Martis, vel essentiam eiusdem Croci, vel Chalybis, vt & oleum.

Topica. Pro topico, spongia marina in forti aceto bullita, & pubi mulieris imposita, menstrua sistit: Idẽ præstat aluminis balneum, licèt plerumq; mulieres ad concipiendum ineptas reddat: Ideo *Hippocr.* topici loco Epithema è succo plantaginis cæteris omnibus prætulit. N. B. Fluxus vero muliebris, in quo sanguis in vitio est; quantitate, qualitate, & alienæ materiæ permixtione, nequaquã topicis auxiliis cõfestim reprimẽdus, ne luxurians in corpore cacochymia protinus suppressa, hydropem, vel febrem, vel apostema aliquot, exitiosumue in cerebro affectum, vel cancrum in vtero excitet; sed vitiosa materia in toto corpore stagnãs, prius repurganda, ab vtero deriuãda, ac deriuanda.

Amuletum. Nonnulli secreti amuleti loco, sperniolam in sacculo è collo gestant, prohibere existimantes, ne guttula quidem menstruorum manet. Quidam puluerem exiccati buffonis, & pulu. artem. rubeæ a. q. s. miscent, & in syndone exceptum, ad vmbilici regionem, potentissimi restrictiui loco ligant:

Ad albos menses tale paratur Electuarium.

Electuarium ad albos menses. Recipe Flor. Nuc. ʒß. Semin. Anisor. Agni cast. Cimini, folior. rut. calament. a. ℥iß. Ligni Aloes, Garyophil. Macis, flor. anthos. a. ʒi. Rosar. rub. Semin. Lactuc. portulac. a. ʒiß. balanst. Santal. rub. & albor. a. ʒß. mirobalan. emblicor. ʒvi. F. omnium pul. & cum syrup. myrtino f. Electuar. VEL Recipe Camphor. gran. 10. pulu. succini albi ℈i. cum aq. plãtag. f. potus, corpore prius euacuato. Datur & ʒi. pulu. rubi cum vino nigro austero. VEL ʒi. pul. potentillæ, cum ℥iii. aq. rosar, est singulare remediũ. In causa frigida, dantur ʒii. pulu. flor. vrticæ mortuæ alb. cum vino nigro, austero.

MENSTRVA SVPPRESSA.

AEque multa & magna symptomata è menstruorũ suppressione, mulieres inuadunt, atq; à liberaliore, frequentiore, ac diuturniore eorundem profluuio oboriuntur: imò menstruorum suppressio, & in vtero, & ab vtero, longè plura, & grauiora excitat symptomata, præsertim in mulieribus nunquam partũ expertis: nec enim tot habent oportunitates ad liberalem mensium profusionem, in virtute naturæ, in materiæ præparatione, & in meatuum libertate, quot

mulieres

mulieres prolis parentes experiuntur. Adde, quod fæcundarũ vasa repleri consueuerint, quæ consuetudo admirandos affert mulieri fructus, ad arcenda symptomata, quę mulieri à menstruorum suppressione superuenire consueuerunt: Inflammatio circum locos, & in vteri osculo, Erysipelas, Scirrhus; symptomata sane, & doloris acerbitate grauissima, & perenni materiæ affluxu, curatu difficillima. Fiunt & in coxis φύματα insanabilia. Sed & sanguis qui in naturalium muliebrium venis stabulatur, superueniente febre, suppuratum cõcipit, non quidem à febrili, sed natiuo calore, seu virtute naturę cuius præcipuum instrumentum est calor innat⁹; quamuis & à febrili calore materia suppurari & suppurabilis fieri possit. A confecto suppurato, fit expuratũ, per vteri fundum, idq; vel sine vlcere aliquando effunditur *test. Hippoc.* aliquãdo dum effluit, partes exulcerat, per quas illabitur, à quo mulier sterilis euadit, quod nimirum vterus obducta cicatrice, neq; semen excipere, neq; complecti, neq; concipere, neq; fouere, neq; secundinas gignere possit, nisi forte exulcerata parte sinistra, dextra marem cõcipiat, aut sinistra fæminam.

Suppressorum menstruorum symptomata in vtero.

Ab ipso autem vtero nascuntur mala, quib⁹ partes vtero propinquæ, in mensium suppressione maximè afficiuntur, quæque vtero & propriis, & communib⁹ vinculis connectuntur & vasorũ communione, operis societate, & generis similitudine cum vtero societatem habent, vt os pubis, inguina, lumbi: iis enim partibus eo tempore mulieres grauius laborant, quo menstrua fũdi solebant, quod tunc temporis humores quidem cieantur, sed non excludantur, & oppressionẽ faciant; id quod tertio potissimùm mense accidit: fructuosa enim mulier, in menstruorũ suppressione duos menses citra noxam exigere potest, at quarto mense ægra longe grauioribus damnis augetur; in lumbis grauitatem sentit; vtrumq; femur à neruorum compressione stupor occupat; à lumbis per dorsum ad caput mulier horrore symptomatico perhorrescit, & frustra concutitur; in Hypogastrio fit tumor; in tenuibus intestinis tormina; in ventriculo cibi fastidium; in corde palpitatio, & iamiam futuræ syncopes prænunti⁹, quo cordis & diastole & systole præpeditur, perturbaturque; in pulmonibus spirandi difficultas phthysis; in hepate hydrops. Vt enim liberalior sanguinis profusio, caloris extinctione, & causæ sanguificæ alienatione hydropem facit; sic nimiæ superuacanei humoris redundantiæ suppressio, si diuturnior fuerit, per eiusdem natiui caloris oppressionem, & functionis hepaticę im-

Suppressorum menstruorum symptomata ab vtero.

pedimentum, etiam hydropem facit. Ab eadem deniq; mensiũ suppressione, in thorace & costis fit pleuritis; in cerebro deliriũ, phrenitis, insania, melancholia, & ab hac epilepsia melancholica. Sed & inde fit suffocatio hysterica, impeditis respirandi instrumentis, diaphragmate videlicet oppresso, ad quod vterus, ligamentorum, nimia humoris abundantia repletorum contractione, mouetur, & sursum trahitur.

Præter hæc mala, venit ex euentu cachexia, hydrops, totius corporis lassitudo, eiusq; extenuatio, & tandem marcessit mulier, propter sanguinis corrupti impuritatem, quem carnes respuunt. inde extenuatio corporis quam carnium, cutisque laxitas, cum pallore facile denotãt. Tãdem ad hæc suppressorum menstruorum symptomata, ex diurturna oppressione à suppressione excitata, fatiscit effæta virtus expultrix: deinde materia mẽstrualis suppressa circum locos, ad alias partes cursum inflectit; ideoque & facultatis expultricis infirmitate, & materiæ menstrualis in alias partes refluxu, atque vasorum angustia, ab humoris superuacanei, exitum non habẽtis copia excitata, mulieres, quibus per 6. menses suppressa sunt menstrua, non facile γυναικωθῆναι seu remulierascere, aut ad pristinã muliebrẽ naturã redire possunt.

Iam verò si quæ mulier post 40. ætatis annum non est menstrualis, & ex superfluo sanguine corporis enexiam sibi cõparet, in ea non est amplius vel expectandum, vel prouocandũ menstruum profluuium; multum tamen ei profuerit, bis sanguinem anno detrahere. Idem de nutricibus dicendum, quę sine infantis incommodo, menstruales esse non possunt, cùm eadem sit menstruorum materia, quæ & lactis, quod infantis est alimẽtum. Idem & de grauidis post 35. vel 45. diem grauiditatis: Nam ad hunc vsq; diem, sine fætus offensione, & suo ipsarum commodo, possunt esse mẽstruales. At si supra 45. diem illis mẽstrua fluant (vt quandoq; fit per alterutrius sinus vteri vacuitatem) non potest fætus, qui alterum vteri sinũ occupat, esse sanus, quia suo defraudatur genio.

In mulieribus quoq; menstruale profluuium non expectandũ quæ ardente febre plurimùm emarcuerunt, aut multis sese laboribus exercuerunt, & suũ genium defraudarunt, paneq; canino vescuntur. Sed neq; in viraginibus duriorem vitam ducentibus. Nec in virginibus ante 14. ætatis annum; aut 15. aut 17. expectanda menstrualis purgatio.

Curatio.

Ex causarũ suppressionis menstruorum distinctione & perspicientia, instituenda cuiusq; curatio

ratio. Multæ mulieres menstruorum suppressione laborãt, propter vteri peruersionem, schirrũ inflammationem: vbi nec attenuantibus, nec præparantibus, nec materiam circum locos stabulantem euacuantibus remediis vtendum, sed aromatum suffitu, qui nõ muliebria ducit, sed vterum pristino loco restituit: ideo *Hippoc. libr. 1. de morbis mulier.* præscribit pessaria emollientia, & irritantia, pro morbi ratione: deinde 5. fistulas plumbeas cylindri figuras, minores, maiores maximas sibi proportione respondentes, conniuenti vteri osculo, & menstruali materię exitum non danti indit. Si in sedẽ aut aliam partem inflectatur, cucurbitulis, frictionibus, vnguẽtis, fotibus, cataplasmatis, dirigatur, & pari contentione rectus teneatur. Aromatum suffitu non ducuntur menstrua, sed meatuũ angustia laxatur, materię contumacitas infringitur, & expultricis infirmitas roboratur: materiam item attenuant, & ad fluxum præparant; meatus amplificant, meabilesq; reddunt. His itaque artibus menses mouentur, & hęc ferè sollẽnia sunt remedia, quibus Veteres ad ciendos menses vsi fuerunt.

Remedia mẽses mouentia. Præmissis vniuersalibus clementer primùm menses cient, & curationis initio exhibenda sunt Radix Asparag. Lapathii acuti, Graminis, Adiantum, brassica rubra, succus eiusdem, flores hyperic. pulegii, Melissa, Artemisia rubra, Marrubium, Dictã. albus, Mercurial. Calamenth. Aristoloch. rot. Angelica, Sabina Chamædris, ruta, maiorana, rosmarinus radix valerianæ, rubiæ tinctor. pimpin. Baccæ lauri, crocus, Abrotanum. Calendula Mentha; Radix Ireos, Helenii, Asari, quæq; ex his parãtur decocta, apozemata, syrupi, trochisci, pulueres &c, Hiera tamẽ Galeni omnibus ferè palmam præripit, nam & obstructiones tollit, & materiam præparat, & sopitam naturæ vim excitat. Datur ad ℈ii. cum ℈i. Castor. vel Boracis præp. Castoreum enim inexplicabili potestate iuuat: & si è castoreo & myrrha fingãtur trochisci, magno iuuamento vim suam exerent.

Excitatur etiam virtus vteri sopita fotu, insessu, balneo, suffitu, pessariis è castoreo, myrrha, croco, cinamo. quod principatum obtinet inter aromata, ad viscerum infirmitatem. Valentissimè menses cient, nec temerè vsurpanda sunt Radix Bryoniæ, Cucum. syluest. Elaterium, Veratrum, Sabina, quæ cætera omnia pręcellit. E tryphera persica sine opio & potiones & pessaria parantur, quæ in vterũ immissa, sua acrimonia, venarum in sinu pudoris apertionem faciunt, vnde sanguis fluit, qui tamẽ menstrualis non est.

Menses

Menses prouocant sequentes pillulæ: Recipe Aloes opt. ℥i. cū succo sabinæ formentur pill. 10. dosis quotidie N.3. ante prandium, instantibus mēstruis. Idem præstat ℥i, pulu. Myrrh. cum aqu. mulsa, aut sabinæ decocto. Sic & ℥i. pulu. succini albi, & croci ℈ß. cum aq. artemis.

Puluis mirabilis.

Recip. flor. sulphur. ℥ii. Myrrh. rub. croci oriental. a. ℥ii. pulu. liquirit. hysop. sabinæ a. ℥i. saccari ad pondus. Dos. mane & vesperi ʒß. cum vino.

Aqua præstantißima.

Recipe Panem optimè fermētatum, recenter coctum, calidū, Mellis ℥x. Puluer. Semin. viticis Dauci, Ameos, Anisor. Fænicul. Petrosel. a. ℥i. Trochiscor. Gall. moscat. Myrrh. Rubiæ tinctor. a. ʒß. Cotulæ fætid. ℥i. Decoctionis Cicerum, & Phaseolor. rubeor. a. lib. 1. Granor. Iuniperi, Baccar. lauri a. vnc. i. radic. Rusci, raphani. maior Asparag. Apii, Petrosel. a. vnc. ß. Chamædr. M. 1. Hui⁹ decoctionis recipe libras 3. destilla per balneum. Dos. vnc. ii. cum syrupo aperiente. Confert & ℥i. fermenti, cum croci momento quotidie, incredibili successu, cum decocto sabin.

Pillulæ mirabiles ad idem.

Recipe Succi merculial. Mellis despumat. a. vnc. i. puluer. nigellæ q. s. f. pillul. Dos. ʒß. instanti mensium tempore copiose mē ses mouent. VEL: Recipe Milii Solis. visci quercin. a. ℥i. contusa in vino albo bulliant. Dos. cyathus 1. detur parturienti, non solùm menses, sed & secundinas, fætum ipsum potenter excutit. *Quercet.* vtitur hoc experimento ad menses prouocandos mirabili: Recipe Milii Solis. Anisor. visci quercin. a. drach. iii. Dictāni albi drach. i. croci orient. ℈i. Contusa 24. horis in vino albo generoso macerat, deinde parū bullire facit. Huius decocti instantibus menstruis, præmissis præmittendis, propinat vnc. iiii. tribus continuis diebus. addendo ℈i. Specier. diambr. Sic menses secundinas, fætus tam viuos, quàm mortuos protrudit. Est & sequens puluis efficacissimus.

Recipe Radic. Asari, Aristoloch. rotund. Dictam. albi. a. ℥ii. Nigell, drach. iß. Myrrh. Sabin. a. drach. i. semin. fænicul. drach. ii. Diagrid. gr. 10. Misc. Dos. drac. ß. successiue cum vino. *Montagnana* sequentem haustū secreti loco habebat: Recipe Hier. picræ vnc. ß. Benedict. laxat. drach. ii. croc. ℈i. Misce & cum succo artemis. f. haustus. Datur etiam pulu. Borrac. Myrrh. Succini albi a. drach. ß. cum aqu. artemis. Præsentissimum remedium ad secūdinas expellendas est drach. i. pulu. testiculor. equi, cum aq. artemis. vel sabinæ. Idem præstat suffitus è foliis & floribus calendulæ.

Hermetici nostri felici successu

su vtuntur Essentia & oleo croci, floribus sulphuris (potentissimè menses mouent) cum ℈j. borrac. oleo, & aq. cinamo. Extracto itē splenis bouis castrati, quod in omni ætate præstātissimum prædicant: Vtuntur & arcano chalybis. Ad eundem finem *Rodericus à Castro* varias describit Chalybis præparationes *lib. de morb. mulier.*

Splenis bouis Vis.

Atque hæc est sylua remediorum, quæ ad menses prouocandos, ex peculiaris cuiusq; naturæ & causæ suppressionem facientis perspicientia præscribi possunt. In mensium tamen suppressione diligenter cauēdum medico, ne sibi mulieres, imponāt, quæ cùm grauidæ sunt, se mensiū suppressione laborare sæpe fingunt, medicosq; parū peritos ad pessaria è sabina, Dracontij grauis & succo in pastillos coacto, ex antimonio item, & consimilibus conficienda malitiose cogunt.

Remedia partū facilitātia.

Ad partum facilitandum, multa etiam præclara præscribi possunt, quibus non rarenter cū fructu vtimur: Recipe Cassiæ fistul. Cinamo. a. drach. ß. Croci ℈j. Borrac. ℈ß. datur hora partus, cum aq Cinamo. Datur etiam sang. Hirc. præp. & pulu. succin. albi a. drach. ß. cum vino generoso. Dantur item flores sulphur. cum aloe, croco, & myrrha sublimator. drach. ij. cum spiritu iuniperi & oleo cinamo. Crocus orientalis ad drac ij. cum aq. cinamo. exhibitus egregie partum facilitat, raptim enim vterum petit, cuius extractū in minima etiam dosi, prægnantis vires roborat. Mulier lauri folia ore mandat, ligenturq; supra vmbilicum, est enim experimentum mirabile. Ad coxas item verbena, cum polipodij radice ligetur, efficacissimè enim fætū tùm viuū, tum mortuū prouocat; vti & radix verbenæ, atq; artemisiæ. Sic radix Dictamni albi, cum aq. pulegij cocta & epota, velocissimè operatur. Sequēs puluis partus dolores quidem multiplicat, at fætum citò, magnaq; facilitate & felicitate, tutissimè excludit: Recipe cass. lign. succini albi. p̄p. a. vnc. ß. borrac. officin. drach. ij. croci orient. ℈iiij. sabinæ ʒjß. dos. ʒj. cum aq. artemis. & lilior. albor. a. ʒj. aq. cinam. vnc. ß. ol. cinamoi gutt. iij. Sed de his plus satis.

VTERI PRAEFOCATIO, seu affectio Hysterica.

INTER symptomata, quæ in naturales mulierum partes, ipsū videlicet vterum cadunt, & vel ipsius vteri, vel materiæ è toto corpore ad eundem influentis vitio contingunt, vteri suffocatio principatum obtinet; terrifica planè, & calamitosa affectio, qua propiùs à morte nihil abest, propter ablatum respirationis vsum, vt fit in syncope pestifera, & caloris natiui extinctionem, atq; spiritus animalis infirmitatem. Quando enim nectar viuificum, id est, spiritus, sanguis, & calor innat⁹ vel supprimitur; vel propter

Affectio hysterica cur terrifica.

obstructionem exitum habere non potest; vel tanta eius est paupertas, vt in corporis habitum diffundi non possit; vel etiam dissipatur, tunc homines suffocatione interire necesse est. Multi etiam suffocantur, instrumentorũ respirationi dicatorũ vitio, tùm mouentium, vt in Apoplexia; tũ excipientium, vt in Asthmate, Peripneumonia, Pleuritide; tùm deducentium, vt in vera Cynanche, seu Angina videre est, in, qua ob laryngis inflãmationem, nec spiritus duci, nec fuligo excludi potest.

Quid hysterica affectio.

Hysterica ergo suffocatio est liberæ respirationis priuatio, ab vteri (vt vult *Gal. 5. de loc. affect.*) tensione & modo sursum, modo deorsum, & ad latus retractione, ob tetram, putremq; materiam, aut vaporem ab vtero suscitatũ, indeq; sursum ascendentem, vẽtriculum, & diaphragma adeo comprimentem, vt dilatari nequeant. Hinc inanis suffocationis metus à malignis vaporibus ab vtero ad superiores partes elatis.

Communis quidem est medicorum sententia, hystericum affectum, non fieri ab vteri, per totum corpus, errabundi animalis instar, excurrentis motu, vt *Plato* volebat, sed perniciosorum vaporum ascensu, cum vel citra vteri motum. Si quando mouetur vterus, vapores tamen cum ipso motu ad superiores partes non feratur, nequit fieri ex vtero suffocatio, vnde simplex motus vteri, non est continens huius affectus causa: at si cum motu, cõcurrat vaporum ascẽsus, ita causæ potestatem auget, vt inde perniciosissimus affectus exurgat. Et licet vterus spõte moueatur, aut erret, non tamen propriè animal dici debet, vt voluit *Plato*, cùm & ipse ventriculus, pars planè naturalis, sine nostro iussu, latrante fame moueatur: sic vterus semen attrahens. Non tamen ita ad superiora mouetur vteri substantia vt vel iecur, vel ventriculum, aut diaphragma, aut cor ipsum pertingat, sed quia vterus sit pars neruosa, & sensilis, quando ab aliqua causa præter naturam offenditur mouetur modo supra, modo infra, modo ad latus, idque tàm sensibiliter, vt obseruari possit qui tamen vteri motus, ad superiora, ijs vt plurimùm contingit, quibus vteri apendices sunt laxiores, tunc enim lacessitus vterus modo in hãc, modo in illam partem aberrans irruit. Causas autẽ ob quas ascendit vterus, multas ponunt medici, morbos ferè omnes organicos, & cõmunes; humorum perniciosorum, aut quãtitate, aut qualitate, concursus, quibus vteri appendices laxantur; nimiam contusionem; ponderosam fætus gestationem; difficilem partum: à quibus omnibus primus fit huius affectus gradus. Vapores tamẽ multò altiùs

Cur & quomodo vterus animalis instar moueatur.

penetrant

penetrant, per se enim vterus nequit ad cerebri, cordisue peruenire substantiam, quam tamen attingunt vapores, non solùm per venas & arterias, sed etiam per occultos & cæcos duct⁹. Deduci autem nequeunt vapores, nisi aliqua adsit materia, quæ in flatulentum spiritum abeat. Præter seminis, & menstruorum retentionem, quæ affectum hystericum excitare solet, aliā adhuc ponunt medici, humorum nempe malignitate peccantium in vtero abundantiam, à quibus, pro hoc affectu concitando vapores emittuntur, qui eius naturam & indolem referunt, à quo prodiêre humore, benigno, vel venenato.

Hęc quidem, vt diximus, communis est medicorum de causis hystericæ affectionis opinio: Antiquissimus verò *Hippocr.* noster, duas in vniuersum statuit continentes hystericæ affectionis causas: Instrumenti respiratorij impedimentum, & vsus respirationi) ad tempus dissipationē. Omnis enim hysterica affectio, fit aut impeditis respirationis instrumētis, aut sublato ad tempus respirationis vsu: Respirationis instrumenta, & potissimū diaphragma, impediuntur, tùm primò quia vterus ligamentorum. & vasorum spermaticorum, nimia humorum copia distentorum contractione sursum trahitur, & diaphragmatis oppressione, suffocationem facit, non suo quidem sed vinculorum vitio: tùm secūdò opprimitur diaphragma, quādo vterus sua sponte mouetur ad hepar, eiq; adiacet vt humore gratioso fruatur, quem concupiscit; & hunc motum *Hippoc. libr. 1. de morb. mul.* non solùm in vacuis aut viduis, sed etiam in grauidis agnouit. *Si enim mulier vidua,* inquit *Hippoc. iam multos in viduitate annos exegerit, & continentiam seruârit, parcè vixerit, si mēstrua nō illabantur, nec in qualitate, copia, tēpore, & excernendi modo benè respōdeant vterus & siccior fit, & leuior, & minor, & vt sitim inexplicabilem expleat, si fieri poßit si forte inciderit alui profluuium, quo collabatur rectum intestinum, in illa* εὐρυχωρία, *loci amplitudine vterus sitibundus, suo defraudatus, nec virili semine, nec sanguine menstruo irrigatus, quia nullus illabitur, in illam amplitudinem conuertitur & inde ad hepar, gratiosi humoris fontem, cursum inflectit, eiq; adiacet, & adiacendo, diaphragmatis, partiumq; respirationi inseruientium oppreßione, suffocationem facit, & nisi quam primum ad pristinum locum reflectat suffocatur mulier.* Ex quibus constat, vterū sua sponte loco moueri posse, quicquid *Gal.* & alij contra *Hipp.* sententiam scripserint; idipsum enim & curatio, & experientia, qua *Hipp.* loco citato, vtitur; admoto siquidem naribus graueolentium odore, vterus extemplo locum mutat, & suaueolentium

Vterus quādoq; sua spōte loco mouetur.

 pessa-

pessariorum in sinũ pudoris admotorum suffitu, ad pristinã sedem cursum inflectit. Non igitur dubium est, quin suffocatio, accedat, cùm vter⁹ hepati adiacet; nam vterus est hepati ἀπρόσφιτος.

Sed & *Galen.* & *Auicenna* agnouerunt suffocationem quoq; nasci à frigida vteri intemperie quæ per duplicem sympathiam, communicationem, & operis societatem, & causę morbificæ propagationem, cor ipsum refrigerat, quo refrigerato, tanta est caloris innati paupertas, vt sola perspiratione contentus maneat: Sic aliquando refrigerantur mulieres, vt serpentum, apum, scarabęorumue more, sola transpiratione ad tempus, contentæ viuant: menstruorum enim suppressorũ corruptio vterum refrigerat, ex euẽtu totum corporis habitum: qualis enim est vterus, tale & vniuersũm corpus; hoc autem supramodum refrigeratum, respirando non laborat, quia refrigeratione non eget, sed sola transpiratione contentum viuit. Rarò tamen ab hac causa accidit hysterica passio, menstruis scilicet tantùm diutius suppressis: multæ enim virgines & viduæ menstruales reperiuntur, quæ tamen hystericæ sunt, & multæ nuptæ non sunt hystericæ, etiamsi mẽstruorum suppressione laborent. Sępiùs igitur à seminis corruptione oritur hystericus affectus, viduis, iuuenibus, & libidinosis mulieribus, valde familiaris, si viri complexu defraudentur. Est autem semen in vtero contentum, venenum in muliebri corpore genitum, quod ita calorem innatum dissoluit, vt ad eius temperationem, respiratione nihil sit opus, sed sola transpiratione superstes maneat: vnde ab suffocatione multæ pro mortuis ablatæ, quæ tamen adhuc viuebant, sola transpiratione contentæ. Pro varia tamen seminis muliebris corruptione, varia quoq; superueniunt symptomata, palpitationem, syncopen spirandi difficultatem, cruditates, strangulationes, epilepsias, &c. vti in vino videre est, à quo diuersi inebriati, diuersa edũt symptomata, ita vt vnus rideat, fleat alter, tertius furoris æstu percellatur, dormiat quartus &c.

Alia hysterici affectus causa.

Tres itaq; sunt huius affectionis gradus. I. Cùm premitur mulier quodam præcordiorum dolore & spirandi difficultate; interdum & ypothimia, quæ tamẽ vix pulsum mutat; sequitur nausea, quam interdum, rarenter tamen vomitio ciborum comitatur, cum murmure, ventris rugitu, & suffocationis metu.

Affectus hysterici tres gradus.

II. Cùm vapor venenatus iam fauces occupauit, quas tunc videtur multò manifestiùs quodã quasi vinculo cõstringere, & manu præcludere: atq; in cerebri arcem elatus, varia producit symptomata: hinc aliàs furor gignitur

tur vterinus, quo cū garrulitate, iracundia, & inquietudine mouentur, atque hic gradus omnes sęuitiâ excedit, vt qui melancholicum affectum primò ex consēsu, at postea per essentiam cerebro, vel ipsam maniam prænunciat.

III. Cùm idem malignus vapor, soporem inducit, vel veternum, quo mulier corruens, velut attonita, sine motu iacet, sine vllo sensu, superstite interdū auditione, & præteritorum memoria, adeò tamen & exigua & pauca & rara respiratione, vt nulla esse credatur, tanquam iam extincta; in his tamen pulsus subinde constat validus, interdum paru⁹, & obscurus. Sub accessionis finem, plerumq; humor quidam è muliebri sinu effluit, murmur in intestinis percipitur, attolluntur oculi, restituitur intellectus, sensus & motus, firmatur corpus. Sæpe etiam reprehensum est frigus tunc temporis, è capite per ceruicem, scapulas, & brachia illabi quod difficilem motum redderet.

Curatio. Iam verò quantum ad curationem, vteri ascensus, vaporumque excursus, & ad superiores partes euolatio defendenda, sopitæ virtuti succurrendū, & causis sigillatim obuiandum. A superioribus igitur partibus reuulsio molienda, cucurbitulis, coxis inguinibus, & natibus affixis; validioribus extremarum partium ligaturis, & frictionib⁹, earūdem etiam calefactione, fotu; Narib⁹ fætida adhibentur, vngulæ, pili, & plumæ præsertim perdicū vstę, galban. castoreum, succinū. Graueolentibus tamen non sine delectu & cautione vtendum: cùm enim *teste Alex. Aphrodis. 4. probleb. lib 2.* in hoc affectu materia attenuanda, & præparāda sit, spiritus recreandi, vt & vteri natura reficienda; graueolentia autem cōtraria efficiant, materiam incrassent, & contumaciorem reddant spiritus tetro odore perturbent, dissoluant, & vteri naturam effætam efficiant, cautè admodum ijs vtendum; nec enim ad eam faciunt suffocationem, quæ ex mensium suppressione, causas & principia ducit, siue fiat per corruptionem περιπαρχονίων, succrescēte semper nouà materiâ; siue per vinculorum nimium repletorū contractionem, à quibus vterus sursum trahitur, vel etiam in dextram, aut sinistram partem peruertitur. Illa item graueolentia naribus admota, in suffocatione, à seminis corruptione excitata, licèt frequentissima, nil prosunt, sed obsunt magis: In vno tātum suffocationis genere vtilia, sunt, quando nimirum vterus sua spōte ad hepar mouetur, eiq; adhæret, tunc enim si fætida narib⁹ admoueantur, statim vterus ad naturalem suum se recipit locum & suffocatio quiescit; vterus enim insita sibi facultate quadam vernacula

nacula, ea, quæ fædi sunt odoris fugit, & ad bene olentia, vtero indenda cursum inflectit. Ideo quidam secreti loco deuorant mosci grana 5. cum Nucist. Garioph. Cinamo. a. ℈j. in vino odorifero.

Aletum hysterieis inimicum. Sic etiam in suffocatione hysterica nequaquam aceto vtendum: Nam etsi ad suppressæ materiæ, & obstruentis contumaciam valeat, & hac ratione cũ causa morbifica pugnet, affectæ tamẽ parti seu vtero est inimicum: ideo scripsit *Hippoc. libr. de acutor. victu*, acetum, mulieribus, quàm viris, magis noxiũ esse. Est enim στραγγαλιας, & dolorem in vtero excitat; omnibus enim membranosis partibus bellum indixit acetũ maximè verò squylliticum.

Si Hystericus affectus à menstruorum suppressione oboriatur, primum remedium est sanguinis è malleolo detractio; quã tamen non exigit, imò verò vt periculosam repudiat, suffocatio hysterica à seminis corruptione excitata; pro cuius curatione, vel nubendum, vel duriter viuendũ, à piperatis, salsis, condimentis, & vino generoso abstinendum, telâ victus quærendus, noctes operi dandæ. Si corpus expurgandũ sit, sequenti pharmaco vtendum quo præstantius excogitari non potest: Recipe hier. simpl. drach. j. Castor. ℈j. Malaxentur in aq. hysopi in qua ℈ij. Agarici maduerint; f. pillulæ, dentur mulieri hystericæ à mensium suppressione.

Castoreũ inũ. In vteri dislocatione vix datur præstantius remedium castoreo ad drach. j. cum vino, vel aqu. artemis. Prodest quotidie sumere haustum vini in quo vnc. j. radic. Bryoniæ efferbuerit. Ad hystericum etiam affectum valent baccæ lauri & iunip. grana Pæoniæ, radix aristoloch. rot. Menth. Melissa, Abrotan. Matricaria, Marrubium album, Verruculæ equorũ tibijs adnatæ, accensæ fum⁹, momento suffocationem curat.

Mirabile est hoc Experimentum.

Recipe Fænugræc. Semin. Nasturt. a. drach. ij. Garyophil. Mac. Zingib. a. ℥ß. Mellis despumat. lib. Misc. de hoc detur vesperi sub lecti ingressum cum vino albo. Sic in vteri suffocatione, mirabilis & singularis puluis fit ex iulis, seu catulis, aut flore nucis iuglãdis ad ℈ij. cum guttulis aliquot olei succini albi, nihil præstantius in hoc casu se obseruasse, scribit *Muffetus*. Magnum item est remedium, Agaricus ad drac. ij. cũ vino albo; vt & triphera magna sine opio, cum myrrha. Specificũ quoq; remedium est puluis sem. pastinacæ domestic. ad drach. ß. cum aq. hysterica exhibitus.

Aqua Hysterica nobilis.

Recipe Radic. Bryon. Carlin. Dictamn. Angelic. Valerian. maior. a. ℥j. Ligni Buxi vnc. ij. Semin. Duaci, Hipposelini, Ceruicar. a. ℥ij. Meliss. Matricar. Calend. Mercurial. a. M. j. Caff. lign. Cinamo.

Macis

Macis.a. drach.ij. Croci oriental. drach.j. Castorei opt.ʒij. omnib. incisis, & tusis affunde aq. rutac. Meliss. Matricar. Abrotani, a. lib. ß, macerentur octiduo, mox per balneum destillentur, imposita prius in capitello alembici Camphor.ʒj. Dos. Cochlear j. cum grana 2. salis Iouis. *VEL* Recipe succor. depurator. Matricar. Meliss. Mercurial. Artemisiæ a. lib. j. Nucist. Cinamo. Xylaloes, Macis a.℥j. Florum anthos, salu. Calendul. Valerian spicæ a.p.iij. Indor. iugland. M.j. Scob. lign. buxi. vnc i. Castor.ʒvj Fænicul. Bryon. vnc. j. vini generosi lib. ij. facta digestione destillentur.

Fæcula bryoniæ Hermetici quoq; summopere commendant aquam fæculam, & essentiam extractam Bryoniæ, Carlinæ, Imperatoriæ; oleũ item succini albi exhibitum & inunctum. Oleum item terebinth. iuniperi, & ligni buxi fætidum: Sal item & succini, & corallorum in vehementissima suffocatione; ol. item destillat. assæ, fætidæ, lap. Gagat. Petroleum, cum omnia alia irrita sunt in aq. hysterica, elyxir item vterinum Crollij ad ℈j. instante paroxysmo. Exhibetur & sal corallorum cum spiritu vitrioli veneris cum aqua artemis. Huc etiam facit spiritus tartari. Sic extractum Verrucarum, seu Callorum equorum singularissimum est & præsentissimum in desperatissimis matricis suffocationibus remedium. Sal item Iouis calidè vmbilico inunctum, efficacissimum est in suffocatione remedium, matrix enim percepto eius calore confestim ad pristinum locum redit, & nunquam inde mouetur: sed Crystalli longè sunt præstantiores Fæcula etiam Bryoniæ ad 10. vel 12. grana cum castorei momento, summũ est ad omnes matricis suffocationes arcanum. Forinsecus etiam varia adimplicantur emplastra, fotus, suffitus, balnea, inunctiones varię, de quibus consulantur Practici.

CAPVT XXVII.

De insignioribus, tàm simplicibus, quàm compositis medicamentis, Pestis, morborumq; pestilentialium vim & truculentiam, tùm præseruando, tùm curando infringentibus, longo vsu, & fida experientia comprobatis.

CVM Pantheo nostro iamiã vltimam manum & coronidem currente calamo imponere studeremus, ecce ad aures nostras peruenit Pestem, truculentam & immanem illam belluam, magnam iam Palatinatꝰ partem occupasse, vrbes & oppida, pagosq; multiplicatis funeribus vastare, & secundum Rheni tractum sursum versus nostris quoque oris pestilenti sua aura morticinia minitari: est enim lues sũme lethalis, putredinis excellentia, mercurialis, vt Hermeticis placet Napellini, Aconitalis Arsenicalis seu Sceptici veneni subtilitate & clandestini cõtagij pernicitate maximè insignis, vitæ

Pestis quid.

nostræ regiam potissimum occupans, vitalesq; spiritus venenata sua aura suffocans, febre, bubonibus, carbunculis & exanthematibus seu phlyctenis vt plurimum comitata. Perniciosis hisce armata satellitibus & integra sæpe regna vastat, & opulentissimas prouincias deprædatur, & florētissimas vrbes, pagosq; depopulatur, parentes liberis, & liberos parentibus spoliat, atq; innumerabilibus propemodum hominū trucidatorum myrriadibus suam non modo explet rabiem, sed & cæteris animantibus, & cœli volatilibus, atq; piscibus maris bellum indixisse testantur historiæ. Quę cùm ita sint, ne nostras oras immani sua crudelitate dira hæc erynnis inuadat, maturè prouidendum, omnesq; vias huic belluæ rescindendas, candidumque Lectorem idoneis, longo vsu, & fida experientia comprobatis alexiterijs armandum esse duximus; quib⁹ & sese ab hac lue præseruare, & ad præfixū in hoc Pantheo vitæ scopum, Deo duce, fæliciter peruenire possit.

Pestis effectus

Cùm itaq; dira hæc lues modo per contactum, modò per fomitem clàm furtimq; sua in hominum perniciem effundat seminaria, non rarenter item morbidas excretiones, seu miasmata & inquinamenta è remotis sępe regionibus contage iam laborantibus, vel è fœtentibus mineralium specubus & antris, sepulchris arculis diu multumq; reclusis, lacubus, paludibus, vel è trucidatorum hominum, aliorumue cadauerum insepultorum pestilētem mephytim spirantium internecione; aëris appulsu, & ventorum afflatu nostris oris appropinquare, intellexerimus, & vicinis locis ipsam multos iam iugulare hunc insolitâ membrorum lassitudine, mentis anxietate, virium prostratione: illū cardialgia, syncope, cordis palpitatione afficere; hos ingenti cephalalgia, spirituum perturbatione, delirio, vigilijs, inquietudinibus: sępe item linguæ, fauciumq; duritie, scabritie, nigritie & pruina, seu maligna angina suffocare: illos mentis stupore, somnolentiâ, caro, lethargo, alios vrente intrinsec⁹ febre, frigore forinsecus torpente (vt in Epialis & Lypirijs febribus videre est) molestare: alios ventriculi subuersione, nauseâ, ingenti vomitu; hos impensa alui stipticitate: illos periculosa vel dysenteria, vel diarrhæa, vel lienteria, vel pestilenti seu colliquatiuo alui fluore diuexare & exercere: in his morbillos, variolas, exanthemata, petechias & phyctenes efflorescere: in illis bubones, intra alas & inguina & parothidas pone aures & collum circa protuberare; in alijs carbūculos seu antraces & similia ignis pestiferi effluuia inardescere, & (nec enim omnia pestis pathognomica signa in omnib⁹ peste affectis efflorescunt)

Tribus modis pestē inuadere.

Pestis inuadentis signa

ſcunt) excandeſcere inaudiuerimus, tunc ſane minime cunctandum, ſed qua ratione imminenti huic periculo præueniendum ſit, ſedulo penſitandũ, nam

Tunc tua res agitur paries cùm proximus ardet

In peſtis præſeruatione quomodo primùm Deus placandus.

In primis itaq; Deus Optim. Max. ardentibus votis, profundis ſuſpiriis, effuſis lacrymis, omniq; animi demiſſione in cinere & cilicio, orationibus & eleemoſynis, aliiſq; pœnitentiæ operibus placandus: inſtituendæ ſupplicationes, proceſſiones & eiuſmodi ſacrificia, à SS. Romana Eccleſia inſtituta, vt graue hoc flagellum, quo plerumque ad ſcelera punienda, noſtraſque iniquitates eliminandas vti cõſueuit, vt paſſim teſtantur ſacræ litteræ, clementer à nobis auertere & arcere dignetur.

Magiſtratus in peſtis præſeruatione officium

Animis hoc modo expiatis & Deo recõciliatis, prudentis poſtmodum Magiſtratus erit, & eorum, qui Reip. clauum tenent, ad ſingulas vrbis vel ciuitatis portas excubias ponere, ne quis vel alienigena vel indigena vrbẽ ingreſſurus aliunde peſtis ſeminaria, vel per contactum, vel per fomitem afferat, ſicq; totam vrbẽ cõtagione peſtiferâ inficiat; ſedulã item ponet operam Magiſtratus vt loca publica, præſertim verò templa, domus ciuica, vel prętorium, ſcholæ vrbis, item compita, maximè verò plateæ ipſæ ab omnibus fæcibus, fimetis, cloacarum, ſentinarumq; effluxionibus, de mortuorum cadauerũ, canum, felium, murium, glirium cadaueribus fœtentibus, & tabe diffluentibus, cæteriſq; ſordib⁹ & quiſquiliis, per certos homines ad id deſtinatos repurgẽtur, emundenturque:

Vrbis compita quomodo purganda.

Ignis accenſi in peſtis præſeruatione vſus.

mox accenſis paſſim per plateas, tùm mane, tũ veſperi, luculentis ignibus è ligno quercino, fagino, laricino, cupreſſino, abietino, & iuniperino additis variis plantis odoriferis vt excitato horum odorifero vapore, ad magni *Hippoc.* imitationem, morbidas excretiones & inquinamenta fugare, & euerrere valeamus, in quem finẽ quoque præſtiterit maiora tormenta bellica ſuccenſo pyrio puluere & mane & veſperi explodere, vt horum fragore & ſonitu, maximoq; impetu aër commoueatur, & peſtis miaſmata ſecundâ aurâ diſſlentur, extirpenturque.

Quod ſi forte fortuna in oppido iam vna vel altera domus infecta ſit, ea ocyùs occludenda & inquilini includendi, vel extra oppidum ad certas domos ad id deſtinatas educendi, eâ tamen obſeruatâ Chriſtianæ charitatis lege, vt illis per homines ad id deſtinatos omnia, quib⁹ pro morbi expugnatione, & vitæ conſeruatione opus habuerit, ſedulò ſubminiſtrentur.

Quomodo priuatus quis ſibi ſe à peſte præſeruare debeat.

Priuatos homines quod concernit, ſi ſibi ipſis viuant, nec Reipubl. negotiis, aliiſue publicis officiis impediantur, quam primùm

mùm pestem grassare intellexerint, tutissimum præsidium erit statim consulere fugam, & ad tutiora, salubrioraq; loca sese recipere, vti vulgatus canit versiculus.

Hæc tria tabificam pellunt aduerbia pestem,
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

At si quis Reip. clauum teneat, vel publicis officiis adstrictus vel morbi, senectutis aut valetudinis ratione vrbem exire, fas non sit, operam dabit, vt tota domus, triclinia, cubicula ab omnibus sordibus, fæcibus, recremẽtis, fimetis, cloacarum fœtorib⁹, munda, clara, & optimè repurgata conseruentur. Mane & vesperi fenestris ad solis ortũ, vel septentrionem apertis pur⁹, clarus, limpidus & odorus aër intromittatur, fenestræ verò Austrum vel occasum respicientes, & flante potissimùm Austro occludantur, aliquoties in die luculenti ignes è ligno iunip. laurino & granis iuniperinis excitentur, vti & suffitus & suffumigia è thure, mastyche, myrrha, ladano, styrace, aliisue rebus odoriferis excitata, de quibus lib. 1. huius operis cap. de aëris correctione abunde egimus. AEstiuo tempore respergantur conclauia, mantilia, mappæ ipsæ & indusia aceto rosaceo, vel rutaceo, vel calendulato, vel Rubi Idæi, vel Galegæ &c.

Non nisi coactus & rarenter domo exeat: exiturus tamen os, arterias pulsatiles, manuum carpos, & ipsas nares aliquo prædictorum irroret, lauetq; & quocunq; iuerit, portiunculam radicis vel Angelicæ, vel Zeduariæ, vel Helenii, vel Imperatoriæ, vel Petasitis, vel Myrrhæ aut Thuris ore contineat, mãdetue; vel vnã vel alteram Camphoræ miculã deglutiat, vel pomum ambratũ manibus terat, aut strophiolum guttis aliquot olei vel succini albi, vel granorũ iuniperi, vel thuris, aut petreoli imbutum; hac enim ratione facili negotio sese à pestiferâ aura vindicabit. Monendus insuper priuatus quisq; ne exeundo, vel ambulando, vel quid simile peragendo sese plus satis exerceat, omnium autem minime ad sudorem vsq; vehementior enim motus frequentiorem aëris infecti respirationẽ requirit, quem etiam adapertis corporis poris faciliùs sese ad interiora recipit, & sic furtim hominem necat.

Specificũ pestis remedium adhuc ignoratum.

Iam verò, etsi Idiosyncraticũ, seu specificum pestiferæ luis alexipharmacum, à nemine hactenus inuentum, & solùm Deo cognitum sit, atque in abditissimis reconditissimæ naturæ recessib⁹ & abyssis absconditum lateat, nihilominus tamen sagax & generosus Medicus & se, sibiq; cõmissos à tanti hostis impetu præseruaturus, instructissima medicamentorum è Vegetabilium, Animalium atq; Mineraliũ thesauris

Medici in pestis præseruatione officium & diligentia.

ſauris depromptorum acie, alacri animo ſeſe opponet, quo minus corporis humani œconomiam infeſtam reddere, & vitę noſtræ regiam venenatâ ſuâ aurâ inficere & depopulari poſſit: Et quoniam omnis moræ impatientiſſim⁹ hic hoſtis eſt, nec aperto ſemper Marte, ſed variis tùm inſidiis, tùm ſtratagematibus, clam, furtimq; vitæ noſtræ inſidiatur, ideo omnes illi viæ præſcindendæ, adiiciendi pontes & præſidiariæ veteranorum militũ phalanges obiiciendæ, qualia ſunt medicamenta tàm è fonte Chyrurgico, quàm Pharmaceutico atq; Diætetico deprompta.

Venæſectionis vſus in peſtis p̄ſeruatione.

Itaq; antè morbi inuaſionẽ Medicus è fonte Chyrurgico, ſi Plethoræ ſigna adſint, præmiſſo prius leniente clyſtere, vel è vena Baſilica, vel è Mediana, aut inferiorum partium venis pro re nata, & morbi imminentis ratione V. S. inſtituet, tantumq; ſanguinis euacuabit, quantum ipſæ vires ferẽt; hac enim ratione euẽtillato & detracto ſanguinę, reliqua maſſa non ita facilè excandeſcet, nec peſtilentiæ ſeminaria tam leuiter admittet.

Scarificationis vſus.

Atſi rarior corporis textura, nec virium robur V. S. admiſerint, ſcarificationibus debitis vtendum, quæ vicarias V. Sectioni ſubminiſtrabunt; Ex eodem fonte Chyrurgico maximi præſeruatiui vim obtinent fonticuli tàm brachiis, quàm cruribus affixi: Et ſanè non ſolùm longâ cõſtat experientiâ, ſed & celeberrimorum Medicorũ *Antonij Portæ, Augenij, Saxoniæ, Fallopij, Palmarij* & plurium aliorum autoritate comprobatur, præſentius in peſte præſeruatiuum vix reperiri ipſis Fonticulis, eo quòd tàm ſẽſibiliter, perenniterq; praui corrupti atq; venenati humores, quã inſenſibiliter venenati vapores vacuẽtur, effluãt, excutianturq;; vt nunc veſicatoria & ſynapiſmos ſilentio inuoluamus, quæ & ipſa in peſtis præſeruatione non contemnendum locũ obtinent.

Fonticulorũ in peſtis p̄ſeruatione vtilitas.

Nõ dari p̄ſentius in peſte p̄ſeruatiuum ipſis Fonticulis.

Purgationis in peſtis p̄ſeruatione vſus

Quod ſi corpus cacochymicũ ſit, & prauorum, corruptorumq; humorum ſaburra laboret, tunc præſeruationis gratia & ante peſtis inuaſionem, conſultiſſimum fuerit præmiſſis præparantibus, blandis purgationibus corpus ab humorum ſentinâ liberare, qualia eſſe poſſunt Rhabarbari & foliorum Senæ infuſa, Syrupus Roſat: ſolutiuus, tùm ſimplex, tũ compoſitus, Electuarium lenit, Diacatholicum, Pillulæ Alephãginæ, Pillulæ Rufi, Electuarium de citro purgans, Diacarthamũ. Hermetici felici ſucceſſu tutò & iocundè vtuntur Cremore Tartari, additis aliquot Gummi Gamandreæ granis, vel Diacytonite pellucido, additis granis aliquot vel Reſinæ, Scammonii, vel ſi vires ferant, humoreſq; refractari videantur, ad purgãtia paulò validiora manus extendunt, vt ſunt crocus metallorum, tantopere

Purgãtiũ varietas.

Crocus metallorum.

topere in peste à *Querc.* est commendatus. Flores item seu liliũ Antimonii per inferiora tãtum purgans; Electuarium Stibij Syrupus Antimoniatus; Purgans specificum *Parac.* Mercurius vitæ; Aquila dulcis, Turbith. minerale, Corallina *Parac.* &c. quę si à prudenti Medico, tempore, & loco, præmissisq; præmittendis exhibeantur in pestis pręseruatione, plurimum & laudis & efficacitatis obtinent.

Corpore sic præparato & præculto, Medicus iam propius hostem accedet, & optimis alexipharmacis instructus, quasuis tãti morbi excursiones, inuasionesq; præpediet. Quæ, vt paulò ante dictum, è Vegetabilium, Animalium & Mineralium thesauris depromuntur.

Alexipharmaca è vegetabiliũ familia desũpta

Radices

E Vegetabilibus itaq; in prõptu sint Radices debito tempore lectæ, optimè purgatę, nõ rancidæ, nec vermiculosæ, Angelicæ, Zeduariæ, Hellenii, Imperatoriæ, Magistrãtiæ, seu Carlinæ, Gentianæ, Leuistici, Tormentillæ, Bistortę, Hirundinariæ, seu Asclepiados, Vallerianæ, Scorzoneræ, Rhaponticæ, Rhabarbari, Pimpinellæ, Penthaphyli, Pethasitis, Aristolochiæ, Diptãni Cretici, Ceruicariæ, Smyrnii Cretici Osthrutii cortices, Antitoræ, Doronici &c. quibus adduntur cortices Citri, Limonũ, Arantiorum, Baccæ item lauri, Iuniperi &c, è quibus vel omnibus, vel singulis aceto opt. præmaceratis pulueres alexiterii concinnari possunt, vel Troschici sublinguales & alia &c. Hinc quidam Medicus suos domesticos sequenti puluere præseruare solebat.

Puluis præseruatorius.

RecipeRadic. Angelic. Zeduar. Helen. Tormẽtil. Cortic, citr. ana. f. puluis, dosis quantum cultri apice capi potest, ante domꝰ egressum.

Herbæ.

E plantis laudatur Absynthium, Abrotanum, Artemisia, Betonica, Scordium, Carduus benedictus, Veronica (è quorum succo condensato præstantissimæ parantur pillulæ ad pestem vti lib. 1. ostendimus) Calendula Verbena, Rosmarinus, Myrrhis, Galega, seu Ruta capraria, Alliũ Cæpa, Morsus diaboli, Scabiosa.

Secretũ è chelidonia.

Chelidonium: hinc quidã magni secreti loco sumunt totam Chelidoniam plenilunio lectã, contusam, eã implent alembicũ affuso aceto acerrimo, vel vino pro morbi ratione quantum capere potest, postea vase probè clauso coquunt 8. horis, sicuti destillatum caponis, tandem expressum seruant succum. Dosis vnc. ii. cum drach. i. Theriac. ad sudorem proliciendum.

Antidotum Regis Mitridati.

Iuglandes item è quibus cum rutæ foliis & caricis pinguibus, mirabile paratur antidotum Regis Mitridati, hoc modo:

Recipe Iuglandium viridium aceto præmaceratarum detractis pelliculis

culis N. 30.
Caricarum ping. N. 20.
Foliorum rutæ virid. P. 4.
Salis decrepitati ℥jß. Omnibus simul mixtis in mortario marmoreo in pultem agitentur.
His adde si placet
Extract. Angelic.
Helen.
Bacc. Iuniper.
Mitridat. ana ℥ij.
Extract. Croci ℥j. M. fiat Electuar.

Antidotum è cæpis. Cæpa item, in de Cepas excauamus, theriacâ implemus, sub cineribus coquimus, coctam cõtundimus, exprimimus & succũ cum aceto acerrimo, magno cũ successu exhibemus. Easdem cepas, dicto modo coctas pestiferis bubonibus, veneni extrahẽdi gratia imponimus.

Elyxir alliatũ. Allium item magni præseruatiui locum habet, & inde elyxir alliatum sequenti modo paratum, quouis mane choclear vnum, vel per se, vel cum stillatitia Card. bened. aut Veron. magno fructu exhibemus.

Recipe Alliorum expurgatorum N. 20. contundantur, alembico imponantur: affunde spiritus vini rectificati ad 4. digitorũ eminentiam, destilla ex B. per cohobia, semper noua allia addendo, in vltima destillatione adde Camphoræ in Petia ligatæ collo alembici appensæ ℈i. destilla vt prius, habebis præstantissimum Elyxir alliatum.

SIc in Millefolii herba integra, cum floribus, latet secretissimum arcanum contra pestem, qua solâ Vespiliones in maximis pestibus sese tueri consueuerũt. Hinc *Petrus Droetus lib. de Peste*, vt ad emunctoria venenum trahatur, radicem & folia Millefolii cum sale communi cataplasmatis instar pro Bubonum celeriore eruptione adhibuit; sicuti nebulones quidam ob propagatã Pestem morte afficiendi demõstrarunt; interrogati enim à Pretore quomodo hi seruarentur, si quos nolentes infecerãt? Se hoc solo remedio solitos venenũ foras prouocare, quod principes partes obsidebat, si quos perire displicebat, seruabant. Sic decoctio Millefolii singulo mane cũ aceto sumpta ad ℥ii. mirè iuuat. Eodem decocto suffumigantur manus, vestes, cæteraq; indumẽta, magno iuuamento. Idem decoctum à Peste correpto quotidie haustum statim venenum ad emunctoria pellit. Aceto acerrimo Calendulato, vel Rosaceo vel Rutaceo, cui Millefolii flores incoxerint, spongia imbuitur, & maximi secreti loco naribus admouetur. Sic Pulsatillam seu Potentillam *Mathiolus* ex *Dioscoride* ad Pestis præcautionem, venenorumq; assumptionẽ quouis modo assumptam miris prædicat encomiis.

Secretũ p̃seruatiuũ in Millefolij herba.

N.B.

Cãphoræ in Pestis præcautione encomia Hoc loci Camphoram inter alia simplicia Pestis Alexiteria fortissimam & efficacissimam esse, & non iniuria primatum tenere

nere existimamus. Huius enim aliquot grana deglutita (quod & Sacerdotibus & Medicis pestiferos inuisuris frequens & cōmune esse deberet) prætenuem flammam intrinsecus ardentem suscitant: vnde, quemadmodum aër ambiens succenso ex Iuniperi, Lauri, Rorismarini, Laricis, atq; similium vel arborum vel fruticum cum frondibus, igne repurgatur, ita assumpta Camphora, interno nostro calore mox ignita, & in corporis quasi meditullio flagrans, coinquinatos spiritus, eosq; tetros ac fœdo miasmate pollutos, aut inspiratos, veneni tabe aliqua cōtaminatos halitus, iam cordi vicinos ac circa præcordia hærentes exurit, & sicco planè, ac igneo calore peruadens partim dissipat, partim expellit, partim combustione absumit, partim verò corrigit & emendat, vt nunc Camphorā aliis refrigeratoriis associatam sacros ignes extinguere, Erysypelata persanare, oculorū inflammationes reprimere, cordis quoq; & capitis perfusionibus, Encharismatis, aut Epithematibus infrigidantib⁹ ob partium tenuitatem, & penetrandi pernicitatem inseruire, silentio inuoluamus. *Cāphoræ facultates.* Camphora profectò tempestiuè in pestiferis morbis exhibita plus virium obtinet quàm vel preciosa quælibet medicamenta Bezoartica: Etenim nihil sinit putrescere, & illicò venenosos disiicit halitus, quod vel ex sequentis pulueris ad Pestis tàm præseruationem, quàm curationem mirifico vsu abundè constat; qui sic habet. *Puluis mirificus tam in pestis præcautione quā curatione.*

Recipe Spec. Diascord.
Pulu. Cedor.
Zingiber. ana ℈j.
Saccari candi, violat. ℥iij.
Camphor. ℈ß.

Misce. Dosis ℈j. in conuenienti liquore, vel aqua Card. Ben. vel Veronic. vel Scabios. vel Aceto Theriacali.

Myrrha deniq; & Thus ipsum cùm exsiccent & partium tenuitate leni adstrictione adiuncta demortuorum cadauera balsami instar à tabe & putrilagine vindicent ac præseruent, meritò quoque Bezoarticis remediis adnumerātur: nam in puluerem acta, & in feruente mortario in liquamen soluta, additâ certâ dosi tum Croci extract. tum Ceraunochrys. & salis Absynthii momento in massam tādem abeunt, ex qua pillulæ formantur pisi adinstar, è quibus si vel vnica deglutiatur mirum in modum vim pestiferam per sudorem excutit. *Myrrhæ & thuris vsus in peste.* *Arcanū in peste.*

Ex iam enumeratis ergo tùm herbis, tùm radicibus Bezoarticis prudens Medicus Pulueres, Tabulas, Trochiscos, Pillulas, Syrupos, Iulepos, Condita, Electuaria præparare poterit, ad Pestis præseruationem prestantissima: Hermetici Dogmaticis paulò cul-

lò cultiores ex iisdem aquas Bezoarticas, stillaticias, tàm simplices, quàm compositas, Tinctu ras itidem, Essentias, Extracta, Spiritus ardentes, Olea præstãtissima, Sales & Crystallos concinnare consueuerunt: vti huius operis lib. 1. abundè docuimus, quibus pro re nata, temporis opportunitate, & morbi magnitudine tuto & iucundè vti poterimus.

Alexiteria ab animaliũ familia deprõpta.

Sed & ex Animalium familiâ præclara quoq; alexiterica pharmaca nõ contra Pestẽ duntaxat, sed & alios malignos & contagiosos morbos apprimè facientia educuntur. Qualia sunt Vnicornu verum, Cornu Rhinocerotis, extremi cuspides cornuũ Cerui, os de corde Cerui, lacryma Cerui, lapis Bezoar, tàm orientalis, quàm occidentalis, de quorum natura, facultatibus, variisq; tàm Dogmaticorum, quàm Hermeticorum præparationib⁹ & vsu multiplici lib. 1. quoq; satis fusè egimus. Addimus & hoc loci butyri recentis vsum, cuius portiuncula, si cum panis pauxillo & florum sulphuris ritè præparatorum respersione mane ieiuno stomacho assumatur, toto illo die quilibet à Peste securus esse poterit. Sic pueri vrina aliorum Bezoarticorum defectu recens epota præstãtissimum remedium ad Pestis præcautionẽ apud populares habetur. Nonnulli quoq; ranas virides viuas, & tepente aqua lotas & bubonibus & carbunculis alligant, donec emoriantur, quibus remotis alias apponunt, quoad tandem venenum pestilens à partib⁹ internis ad externas attrahatur. Non desunt quin etiam qui maiores Buffones integros & martio sole exsiccatos Bubonibus & carbunculis apponant, qui postmodum sensim inflantur, & vi quadam magneticâ Pestis seminaria, vaporesq; venenatos attrahere dicuntur.

Butyri vsus in pestis p̃seruatione.

Ranarũ & buffonum in peste vsus.

Alexipharmaca è Mineralĩu familia desũpta

Nonnulla deniq; è Mineralium familia insignia & præstantissima Pestis Alexipharmaca depromuntur, vti sunt Lapides preciosi, Smaragdus, Saphyrus, Hiacynthus, Rubinus, Granatus Corallia, Margaritæ, & illarum conchulæ marinæ, è quibus Magisteria, Salia, Tincturæ, Essentiæ, Spiritus & olea, tàm ad Pestis præcautionem, quàm curationem efficacissima pręparantur, vti superiùs lib. 1. abundè docuimus.

Auri Diaphoretici p̃paratio & vsus in peste

Huc spectat aurum Diaphoreticũ seu Ceraunocryson, quod fit, quando finissimi auri foliis certa quantitate aq. philosophica affunditur, &, vel mediocri cinerum calore, vel balneo vaporoso auri solutio procuratur, mox solutioni dextrè & guttatim ol. Tartari, per deliquiũ factum affunditur, tandem præcipitata auri calx edulcoratur, cuius pauca grana sudorẽ in Peste

mirificè

mirificè cient, & venarum foras producunt. Ex eadem ☉ calce dulcificata quidam arte Spagyricâ cum menstruo maioris vegetabilis, rubei leonis sanguinē ad eosdem effectus efficacissimū proliciunt.

Sanguis rubei leonis.

Argenti viui vsus in Peste.

Argētum viuum, crudum excauatæ auellanæ inclusum, multi Pestis tempore certissimi Amuleti loco appendunt. Parantur & alia præstantissima è Mercurio medicamenta huic scopo inseruientia; de quib⁹ paulò ante capite nimirum 19. lib. 3. huius & alibi egimus.

Gillæ vsus in Pestis præseruatione

E Vitriolo quoq; albo paratur gilla, quæ paucorum granorum dosi exhibita vomitū ciet, qui in Peste magni præseruatiui loco habetur, sicuti & alia multa remedia è Vitriolo præparata, vt sunt Spiritus, Oleum rubeum & tinctura, ad Pestis curationem præstantissima, de quibus itidē lib. I. egimus. Quod si quis Vitriolum, vel Cyprium, vel ex aurifodinis, auri spiritu imprægnatū habere possit, ex eo mirabilem Tincturam ☉ facultatibus imprægnatam, & in Pestis tàm præseruatione, quàm curatione efficacissimam, & paucis hactenus cognitam, sequenti modo parabit.

Tincturæ vitrioli ad Pestis tā pcau-tionem quā curationē efficacissimæ pparatio.

Primò Vitriolum illud à fæcibus repurgatum retortæ loricatæ imponet, & arte spagyrica omne phlegma destillando proliciet; mox refrigeratis omnibus caput mortuum extrahet, puluerisabit, & nouæ retortæ bene loricatæ imponet, & affuso priori phlegmate, appositoque capaci recipiente, rimisq; probè clausis optimè lutatis destillationem de nouo inchoabit, idq; igne aperto, & sensim ad 4. vsq; gradū, quæ destillatio 2. dierum & vnius noctis spatio absoluetur. Refrigeratis omnibus nouum phlegma, & spiritum in nouum vas circulatorium capax dextrè effunde, additis duabus spiritus vini rectificati vnciis, & sale ipso è capite mortuo adde prolecto & coagulato, digerantur, circulentur omnia per mensem, quoad omnia sanguineo colore tingantur. Hanc tincturam subtili manu alio vase excipe, & per balneum destilla, donec nil amplius effluat, fæcibus fundum petētibus sanguinea vitrioli tinctura ☉ viribus imprægnata, & paucis hactenus visa supernatabit, seorsim excipienda & ad prædictos vsus reponenda.

Ad hanc Mineralium classem spectat Bolus armena, Terra sigillata, seu vera Lemnia, & harū defectu terra Strigensis, seu Silesiaca sigillata, quarum præuia præparatione magn⁹ in Peste est vsus. In magna olim Romanorū Peste felicissimo successu *Galen.* Bolo armena vsus est ad drach. j. Nos hunc Bolum puluerisatum vino maluatico, vel alio generoso maceramus, digerimus & soluimus,

Boli armeni præparatio.

soluimus, solutum per setaceum agimus, & iterum exsiccare sinimus, huius Boli sic præparati & puluerisati pestifero exhibemus ℈j. in aceto vel calendulato, vel rutaceo, vel rubi Idæi, vel in vino aquisue appropriatis pro re nata.

Sulphur magnũ Pestis alexiterium.

Sulphur deniq; è simplicibus medicamentis pro maximo Pestis Alexiterio habetur. Nam putredinẽ absumit, corpora siccat, venas permeat, & multis aliis dotibꝰ aduersus Pestis mala pollet, præsertim verò flores sulphuris aliquoties è myrrha, Aloe, & croco dextrè sublimati, qui hac arte valde balsamici redduntur. Hinc Autor pulueris illius Rubei, qui Cæsaris contra Pestẽ puluis inscribitur, Sulphur satis magna quantitate immiscuit, & *Crato* insignis ille Medicus, huius ipsius multiplici prius in ceram infusione præparati vsum haud aspernatur, quin etiam puluis ille Toxicus, Antitoxicus appellatus, in sui compositione sulphur sibi deesse singulari de causa noluit (præstaret tamen pro simplici sulphure sumere flores sulphuris iam dicto modo paratos) *Henricus* quoq; *Stapedius* in curanda Peste valdè dexter & insignis Medicus, inter solemnia medicamẽta sulphuris quoddam liquamen exhibere solebat, hoc modo paratum.

Sulphuris liquamẽ pro Peste.

Recip. flor. sulph. rite ꝑparat. ℥ij.
Camphoræ ʒi. cum dimid.
Ol. Terebint. alb. ℥iiij.

Cucurbitæ vitreæ imposita simul in arena lento igne colliquescãt, vt in massam aurei vel croci coloris coëant.

Quod si hãc magis efficacem postulaueris loco tepente prius digestum ex cucurbita retortum collum habente magnâ diligentiâ artificiosè oleum prolectabis, cuius guttulæ 2. vel 3. ex vino, vel liquore conueniente propinari queant. Secretum hoc in Peste volunt, quod sequitur.

Secret. in Peste

Recipe Balsami huius ℥ii.
Theriac. opt. ʒii.
Croci drach. dimidiam.

Misce & digere per 14. dies, hoc inunge carpos, arterias temporum, axillas ac spinam dorsi, propinato simul diaphoreticum. Pellit mirabiliter venenum & omnia ἰοβόλα.

Nos propter formidabilẽ huius balsami fœtorem, eius nimiũ vsum ob ingentem calorem formidamus, cùm sciamus Theriacam oleo scorpionum subactam & cordis regioni inunctam, insignem sitim & siccitatem excitasse. Vbi igitur pestilens febris iam magno calore excanduerit, ab æstu flagrantibus medicamentis abstinendum esse hortamur. Ex hoc eodem fonte *Croll.* in Basilica Elyxir suum pestilẽtiale in curandis morbis Epidemicis, ipsaq; Peste & miraculosissimum & efficacissimum hausisse videtur: quod sic habet:

Elyxir pestilẽtiale Crollij.

Recipe flor. Sulphur. ꝑparatorum

rum vnc.iij. Vitro inditis affunde granor. Iuniperi rectif. (quidam spiritum Terebinth. assumunt) ad eminentiam 3. digitorum; olei succini albi, itidem a nimio fœtore rectificati 4. partē vase clauso, mediocri vel cinerum, vel arenæ calore tam diu digerantur, quoad flores soluantur & liquescant. Huic solutioni per chartā bibulam colatæ adde tincturam è libra j. Theriacæ opt. cum spiritu vini rectificato extractam ab eodem menstruo, destillatione separatam: Adde itidem tincturā *Helenij*, Card. Bened. Angel. Baccar. Iuniperi simul mixtorum (a. ℥iij.) eodem menstruo extractam & iterum à spiritu destillatione separatam. Duas hasce tincturas Theriacæ scilicet & Radicū, permisce priori florum sulphuris solutioni, & blando calore 14. dier. spatio in debito vitro circula. Huius arcani dosis 1. vel 2. guttæ in vino vel aceto quotidie tam in præseruatione, quàm curatione, vel singulis septimanis 8. vel 10. guttæ ieiuno ventriculo, exspectato sudore assumantur.

Huc etiam spectat Elyxir *Paracel.* tantopere in Peste, morbisque contagiosis & venenatis decantatum, quod balsami instar calefaciendo, & exsiccando, corpora à putredine præseruet, naturalesque facultates in senibus conseruet, & in thoracis affectibus miranda præstet: sicq; habet:

Recipe Puluer. Myrrhæ Alexand.
Aloes Epat.
Croci oriental. a. ℥iiij.

Elyxir propriætatis.

Affunde spiritus vini & olei sulphuris per campanam facti & rectificati, ad eminentiam 4. digitorum (*Tenzel.* his præfert spiritū Therebinth. & ol. gran. iunip.) digerantur, circulenturq; debito calore, donec optimè tingatur menstruum: Tinctum menstruū decanta, nouum affunde, digere, circula, idq; toties donec amplius non tingatur menstruum. Fæces tandem lento igne destilla: destillatum prioribus tincturis permisce, habebis suauem, gratam, fragrantemq; tincturam. Dosis à 6. ad 10. & 12. guttas in vino, vel aceto, vel aqua conuenienti. In prima tamen præparatione pulueres primo cum spiritu vini in pastam agendi, mox oleum affundendum, sic non nigrescet materia. Idem *Parac.* in Peste Strotzinensi sui temporis liquorem, seu potum pestilentialem, quo (vt scribit ipse) præstantius ad Pestis curationem alixipharmacū concinnari non potest: & sic habet:

Rec. spirit. vini tertio rectificati mensuram vnam.
Theriac opt. ℥vj.
Myrrhæ elect. vnc. ij.
Radic. Petasic. vnc. iij.
Angelic Hirundinar.
Dictamn. alb. Pimpinel.
Valerian. Helen.
Zeduar. a. vnc. j.
Sperm. Ceti Terr. sigill. a. ℥ß.
Camphor. drach. j.

Liquor mirabilis tam in Pestis præcautione quā curatione.

Misce, & vitro probè clauso aliquot

quotdiebus ☉ exponantur, postea colata & expressa vsui reponantur. Dosis choclear 1. cum 3. vel 4. guttulis ol. Tartari. Ad *Paracelsi* imitationem celeberrim⁹ *Stapedius* suam aq. theriacalē (quę inter pestis alexiteria primas habere perhibetur) concinnasse videtur: quæ sic habet:

Aqua theriacalis Stapedij.

Recipe Theriac. Androch.
Mitridatij Damoc. a. vnc. vj.
Puluer. Elect. de Bolo apud Iupert.
Bezoartici apud Nicol. a. ℥ij.
Spiritus vini per balneum bis rectificati.
Vini Maluatici.
Aceti rutacei. a lib. ſ.
Succi Radic. Pimpinel.
Limonum ana. vnc. vj.

Mixta simul lento igne è balneo vaporoso destillentur. Huic destillato liquori, vase vitreo excepto, adde Theriacæ veteris vnc. vj. & clauso probè vitro vsui reponantur. Huius liquoris vnc. j. iunioribus vnc. ſſ. exhibetur, sudorq́; pręcipitur, reiteraturq́; dos. & 2. & 3. & 4. die quousque Bubo, aut carbunculus eruperit, aut maturior factus sese expurgauerit. *Stapedius* tamen hanc aquam exhibiturus clanculùm & secretò addere solebat grana aliquot vel sulphuris aurati (quod è croci metallorum lixiuio per acetū præcipitatur, & debitis ablutionibus dulcoratur) vel fixi Antimonij Diaphoretici, vel salis Absynthij, Veronicæ, Hyperici aut Card. Bened. ad citiorem & profusiorem sudorem eliciendum.

N.B.

Conditum eiusdem pro familia vtilißimum.

Recipe Granor. Iunip. vnc. vj.
Caricor. ping. N. 12.
Nucleor. nucum Iugland. ʒviij.
Conseruæ flor. Boraginis.
Buglossæ ana ℥iiij.
Theriac. veter.
Mitridat. opt. vnc. ij.
Camphoræ aceto rutaceo dissolutæ drach. jſſ.
Radic. Tormentil.
Gentian.
Pimpinel.
Angelic.
Zeduar. ana vnc. j. Cum Syrupo limonum, fiat Conditum.

Huc quoq; adscribere lubet aqu. Theriac. *Crollij* præstantissimam: quæ sic habet:

Aqua theriacalis Crollij.

Recipe Theriac. Venet. vnc. v.
Myrrh. rub. Alexandr. vnc. ijſſ.
Cinamo. select.
Croci orient. integ. a. ℥. dimid.
Camphoræ ʒij.

Affunde spiritum rectif. granor. Iunip. vel sem. Angelic. ad eminentiam 4. digitorum, digere in loco calido, tinctum spiritū decanta, nouum affunde, idq́; toties reitera, donec spiritus amplius non tingatur. Tinctos spiritus misce, & ad medietatem saltem destilla. Dosis à chocleari medio ad integrum, in liquore appropriato.

Electuarium de ouo.

Recip. Ouum recens facto foramine, extractoq́; albumine, impleatur croco orient. mox foramine probè clauso, vel sub cineribus,

ribus, vel in clybano post panis extractionem sensim coquatur, ne crocus comburatur, vitello indurato extrahatur & conteratur cum sequentibus.

Recipe oculi cancr.
Radic. Angelic. Tormentil.
Diptam. alb. ana. drach. ij.
Spec. Elect. Diascord. ʒiij.
Semen. Rutæ ad pondus.
Terræ sigill. vnc. ß.
Camphoræ.
Salis Absynthij.
Card. Ben.
Theriac. ad pondus omniũ.

M. fiat Electuar. Dosis, quouis mane pisi instar: præseruat ab omni aura pestifera; Peste correptus sumat drach. j. in conueniente liquore, vel aceto rutaceo, & sudabit.

Antidotum Maximiliani.

Recipe prædicti oui aurei ʒjß.
Vnicornu veri gr. 4.
Acet. Calendul.
Syrup. Boraginis a. drach. ij.
Aquæ stillatitię scabios. ℥i. M.

Hoc cur omnibus præferamus, inquit *D. Fuschius*, fecit mirabilis eius effectus, quem sæpe in multis ægrotantibus ostendit.

Excellens remedium.

Recipe succi rutæ
Aceti calend. ana vnc. j.
Theriac. opt. drach. jß.

Repete ter spatio 24. horarum, mirabiliter auram noxiam sudore expellit. Non temere est adhibenda Theriaca ob suum calorem.

Aliud potens.

Recipe Aceti calend.
Vini Buglossati ana. lib. j.

Circulentur aliquoties vase accommodato, in liquore circulato lib. j. macera species Diascordij. per triduum; destillatus hic liquor ad vnc. iiij. adhibeatur.

Spagyrica Diascordij compositio.

Recipe Extract. & Essentiam Impertor. Bistor. Angelic. Tormentil. Helen. Zeduar. Diptam. Hirũdinar. Leuistic. Carlin. Valerian. Gentian: Petasit. Cichor. Pimpin Calam. Aromat. Morsus diabol. Doronic, Baccari lauri, Iuniper. Croci, Fumariæ, Card Benedict. Trissagin. Centaurij, Scordij, Scorzoner. Scabios. Hyperic. Magysterium ebor. Cornu Cerui. Corallor. cum ☉ perlarum, Rubin. Hiacinth. Smaragd. Sulph. granator. sulphur auratum, lac sulphu Croc. mineral. salprunellæ, olea destil. Rutę, Angel. zedo. cinamo. Garioph Cãph. succ. alb. Tincturam Calcanthi solaris. aq. Bezoartica. Elyxir proprietatis.

Nobilissimum hoc remedium mirabiles habet vires ad omnes cordis affectus, ad omnia venena, ad omnes febres, præsertim vngaricam, ad pleuritidem. Morbillos; Variolas ad 3. vel 4. grana, cum aq. idoneis, & erysipelata, ad petechias, & subitos quosuis corporis, & inopinatos affectus. dosis pro vnius anni infantibus gr. 10. pro trimulis & quatrimulis gr. 15. in decenni & adultioribus à drach ß. ad drach. j.

Aliud securum remedium.

Recipe

Recipe Boli armen. præparat. drach.ij. Terræ sigill. Coral. rubr. præparat.a.drach.j. Cortic. Citri, Zeduariæ, Croci, a. drach. ſſ. saccar.alb.vnc.vj. Acetositatis citri drach.x. Misce & exhibe dosin iustam pro diuersitate personæ cū vino albo & aqua rosarum.

Liquor excellens.

Recipe Ol.Iunip.rectificat.
Spiritus salis a.vnc.iij.

Solue in hoc liquore per ignem cinerum folia auri N. xx. & sic sūmum solare Bezoarticū tibi cōparabis, cuius guttæ aliquot cū aceto rutaceo & aquæ scabiosæ exhibita, mira præstant in pestilentiæ veneno foras abigendo.

Solare Bezoarticū.

Electuarium salutis.

Recipe Macis in succo limon. infuso vnc.jſſ.
Theriac.mitridat.a.ʒiij.
Lign.aloes.odorif. drach.j.
Spec.liberant.
Terræ sigill.
Succ.alb.pp.a.drach.j.
Cortic.Citr pulu.drach.jſſ.
Conseru.Rosar.Borag.
Flor.Nymph.a.vnc.jſſ.cum syrupo acetositatis citr. fiat Electuar.

VEL

Recipe Succ. Card. Bened. depurat.vnc.ſſ.
Scord. drach.ij.
Tormentill. Diptam.
Terræ sigill.
Corall.albor. Margarit.
Cuspid.corn.Ceru.a.ʒj.
Os de corde cerui.a.drach.j.
Spec.liberant.drach. ſſ.
Mitrid. drach ij.
Spiritus vitrioli parum M.

Puluis expertiſſimus.

Recipe pulu. Camphor.vnc.ſſ.
Zingib.vnc. jſſ.
Croci drach.ij.
Diptam.vnc.jſſ.
Aloes
Succi citr.drach. j.
Vnicorn.vnc. iijſſ.
Nuc. Vom.
Pulu.liberant. lætif.
Diarrhod.a.℈ij.
Bezoart. drach. j.
Fragment.Smarag.
Hyacinth.
Saph. Rubin.
Ambr.Mosc.a.gr.j. M.

Aqua mirabilis ad Pestem.

Recipe Interanea vituli, intestinis exceptis, adhuc cruenta, conscindantur minutim, & è B. per alembicum vitreum destillētur, huic destillato adde.
Spermat.
Ranar.mundat.& ab aqueo liquore separat.q.s.
Baccari iunip.Lauri.a.M.j.
Radic.incisar.
Angelic.
Zeduar.
Helen.
Petasit.
Imperator.
Tormentill.
Bistor.
Cortic.Citr.
Bolet.ceruin.a.vnc.j.
Camphor. ʒij.
Spec. Cordial. temperat. liberant.lætific.a.drach.jſſ.

Misce, digerantur per octiduum in loco calido, mox alembicum destillentur. Dosis cochlear j.

Rara sunt hæc, & admirandæ

virtutis

virtutis tàm ſimplicia, quàm cõpoſita alexiteria, è recõditis tùm Hipocraticorum, tùm Hermeticorum viretis deprompta, in cãdidi lectoris gratiam tradita, quibus ad Peſtis, morborumq; peſtilentialium & contagioſorum tàm præſeruationem, quàm curationem, nunc pauciſſimis ſubiungendam tutò ac iocundè quilibet pro re nata & prudentis Medici conſilio vti poterit.

Curatio Peſtis.

Iam verò pauca quædam de Peſtis curatione ſubiungamus, cùm hæc lues nullam vel moram vel cunctationem patiatur; ſed raptim, furtimque venenatâ ſuâ aurâ & malignâ qualitate cordis regiam aggrediatur, vitæ noſtræ ſpiritum inficiat, ſuffocet, enecetque nullus profecto nec V. S. nec purgationi locus erit. Non vena ſecanda; tùm quia venenũ peſtilens non niſi alexiteriis, ſeu Bezoarticis & Diaphoreticis remedijs expurgatur; tùm quòd aliorum peſtilentialium & venenatorum morborũ curatio nunquam V.S. vel poſtulet, vel indicet; tùm quod ſpirituale, ſeu aſtrale Peſtis venenum cordis regiam occupans, vix ac ne vix quidem V.S. interuento è corporis centro ad περιφερίαν extrahi poſſit; Tum quod vires iam per ſe debiles, & veneni appulſu oppreſſæ, quantumuis exiguam ſuſtinere nequeant; Tùm quod non rarẽter ſpontaneus naturæ peſtiferũ venenum foras protrudere conantis motus, per V.S. præpediatur, impediaturque; Tùm quod excitata per V. S. & ſanguinis & humorum commotione conceptum in corpore venenum eò citiùs ad cor, & vacuatas venas rapiatur, vitæq; ſpiritum inficiat; Tùm quod Bubones, Patechiæ, ſeu Phlyctenes facta palindrome per V.S. ad interiora reuocentur; Tùm demùm quod grauiſſimorum Medicorum authoritate cõſtet, & quotidiana loquatur experientia, plerosq; Peſte iam infectos ob venam ſectã extinctos fuiſſe.

Cur in Peſte iã correptis V.S. non exercẽda.

Nec purgationi in huius morbi vel principio vel ipſo ſtatu locus eſſe poteſt (quidquid in contrarium nonnulli ſcribant, qui in Peſtis ab interna humorum corruptela & venenata putrelagine excitatæ principio principiante V.S. perſuadere conantur) Tùm quia cauſa peſtifera in maligna qualitate conſiſtens, cordi infenſiſſima, non purgatione; ſed exhibitis ocyùs Alexipharmacis edomanda & euerruncanda venit; Tùm quod purgantia inſito ſuo calore febrilem calorem, peſti plerumq; coniunctum augeant, intendantque; Tùm quòd purgantia peſtiferam luem cordi, ſpiritibusq; vitalibus inſertam illincque per corporis ambitum tendentem exagitent, confundant, & ad præcordia maximo naturæ damno reuocent, expellantque; Tùm quod Peſte correptis,

quare in peſt iã correptis purg. locũ non habeat.

reptis, vt plurimum vel dysenteria, vel colliquatiui alui fluores superueniant, qui exhibitis purgantibus, magna virium resolutione magis recrudescerent; vt nunc celeberrimorum Medicorum authoritatem, & ipsam experientiam, qua vel sola constat, plerosq; Peste infectos, post purgationem diem obijsse, silentio inuoluamus.

Peste correptis stati bezoartica exhibenda. Purgatione igitur & V. S. in Pestis curatione missum factis, citra vllam vel moram, vel cunctationē ad Bezoartici vel Pharmaci alicuius exhibitionem, p̄ missō tamē vel suppositorio, vel leni clystere deueniendum, antequam spirituale Pestis venenū malignaue qualitas cor petat, spiritusq; vitales opprimat: qualia esse possunt vel acetum Bezoarticum, vel acetum Theriacale, vel aq. Theriacalis, vel Diascordium spagyricè confectum, vel salia Absynthij, Card. Bened. Hyperic. Imperatoriæ, Zeduariæ, Angelicæ &c, vel aliquot è Bezoarticis remedijs, paulò ante à nobis descriptis, vel vna vel altera è sequentibus.

Recipe Extract. Angelic.
Extract. Zeduar. ℈ß.
Confect. Alkerm. ℈j.
Extract. Croci gr. 6.
Oleum stillat. luccini alb. guttas 2.
Cortic. Citr. gr. 4.
Rot læ bezoarticæ. Saccari fini ℥iijß. dissolue,
Dissolutis in aq. Card. bened. vel Vlmar. vel Cinamom. aut Veronic. F. confectio in rotulis, pro temporis tamen vel calidi, vel frigidi temperamenti hominis peste infecti ratione, varianda & mutanda sunt sudorifica medicamenta, cùm nō omnibus omnia conueniant; nec vlterius sudor protrahatur, quàm vires ferre possint; non semel aut iterum sudandum, sed toties, quoadusq; venenum foras propulsum videatur; *Quoties sudādū.* Post sudorem reficiendus æger optimis iusculis aceto aliquo specifico aut calendulæ, vel rubi Idæi acetatis, succo, item citri vel limonum; carnium item optimarum gelatinis, consumatis, aut restaurātis dictis &c, quo minus vires à sudore ruant, labātur q; *Quid post sudorē agendum.* Sumpto sudorifico nullo modo somno indulgendum, sed quauis ratione excitandus æger: si haustum sudorificum vomitu reijciat, tunc, præmunito prius forinsecus ventriculo cum pane tosto & aceto aliquo resperso, idem vel simile sudorificum ocyùs adhibendum, quoad tandem in stomacho contineatur & vi sua venenum sudore expellat. *Sumpto sudorifico non nid ormen dū.*

Quomodo sibi obueniendum. Si sitis vrgeat iulepo aliquo grato, spiritu sulphuris, & vitrioli acetato sedanda sitis, vel decocto cuspidum cornuum ceruijsdem spiritibus acetato.

Paradigma curandi Pestem. *Stapedius* noster ipso primo inuasionis die sequentem potionem tepidam statim exhibet, & in lecto sudorem procurat.

Recipe

Recip. Aq. Theriacal. Spaped. ℥jß.
Aq. Scabiosſ.
Card. benedict. a. ℥ij.
Salis Abſynth. gr. 6.
Syrupi Limonum q. ſ. M.

Poſt horæ ſudorem, nutriatur æger iuſculis conſumatis carnium veruecinarum & pullis toſtis, nõ elixis & aceto conditis aut ſucco Acetoſ. vel Arantior. & Limon. agreſt. Si à prima potione ſumpta Bubo aliquis, aut retro aures, aut circa axillas aut inguina eruperit, aut Carbũculus in aliqua corporis parte aparuerit, tunc 6. horis à cibo ſumpto, eandem potionem ſimili modo exhibitam continua 24. horis, aut quouſq; omne venenum foras eruperit, ægerq; ſe multum ſubleuatum ſenſerit; Deinde etiam ſequens adhibito refrigerans.

Recipe Endiu.
Cichor.
Tormentil.
Scabioſ.
Card. bened.
Acetoſ.
Portulac.
Beton.
Meliſſ.
Lactuc.
Borag. ana M. j.
Paſſul. mund. vnc. ij.
Prunor.
Damaſſ. N. 7.
Semin. Citri drach. j.
Santal. ol.
Citrin. rub. a. drach. ij.
Flor. Cordial.
Cichor.
Hyperic.
Beton. a. p. j.

Fiat decoctio ad lib. j. colatura aromatizetur ſpecieb. Diamarg. frigid, drach. j. ad colatur. vnc. iiij adde ſyrup. de cichor, ſimpl de acetoſi citr. de Limon. a. drach. j. ſpiritus ſulphuris aut vitrioli gut. 10. Fiat doſis: detur bis in die hora ſcilicet 4. antemeridiana, & pomeridiana ad morbi vel febris finem, 4. vel 5. quoq; die, præſertim ſi aluus ſuo non fungatur officio, exhibeatur Mannæ Calabrin. drach. iij. vel ſyrup. Roſat. ſolut. drach. ijß. in caponis, aut galli iuſculo; vel infundatur leniens aliquis clyſter. Hora vna ante paſtum exhibeatur quantitas vnius caſtaneæ ſequentis opiatæ.

Recipe Conſeru. flor. Cichor.
Borag.
Citr.
Bugloſſ.
Violar. Roſat.
Manus Chriſt. perlat. a. ℥j.
Corall. præp.
Pulu. Bezoartic. Nicol. a. ℥ij.
Vnicornu, ℈j.
Confect. Alkherm.
Theriac, veter. a. ℈j, f. opiata.

Recipe Margarit, ſelect.
Corall. vtriuſq, a. ℈j.
Raſur. Ebor.
Cinamom. a. ℈ijß.
Oſsis de corde ceru.
Vnicorn. a. ℈ß.
Manus Chriſti perlat. ℥ij.
Fol. auri N. 3. M. fiat puluis,
Doſ. cochlear. j. cum iuſculo.

Recipe Syrup. granat.
Limon. a. ℥j.

de Pauau.

de pauan. ʒij.
confect Alhermes. ʒij
Aqua Lactuc.
Bugloss.
Borag. in.ʒj. M. detur hora somni.

Atq; hæc est decantata illa, quamuis paucis cognita curandi methodus, quà Staped. celeberr. ille Medicus in pestis curatione felicissimo successu & omnium admiratione vsus est.

Quod si dicta aq. stapediana ad manus non sit nec ita cito cõcinnari possit, assumatur vnum è supra notatis, vel ex sequentibus vnum, v g.

Recipe diascord ℈ij.
Extract. Angelic.
Valerian
Hirundinar. ana. gr. 15.
☉ Diaphoret gr. 3.
Aq. Bezoart.
scordij.
Syrup. Corall. a. q s. Misce.

VEL.

Recipe. Diascord.
Extract. Morsus diabol.
Impetator.
Leuistic. a. ʒj.
Magister. Smaragd.
Hyacinth. a ℈ss.
Olei Vitriol. solar. gut. 4.
Spiritus Rutæ.
Aq. Card. Bened. q s. Misce.

VEL.

Recipe Extract. Card Bened. ℈iss.
Petasit.
Pimpinel, a. ℈j.
Croci gra. VI.
Magister sulphur. gr. XV.
Salis Hiperic.
Scordij ana gr. 5.
Aq. Bezoart.
Fumara, qs. M.

VEL.

Recipe. Diascotd. ℈ij.
Sulphur aurat. gr. 5.
Elyxir propriet. gut. 10.
Extractum Scordij
Spus. Tormentil.
Tarter an. ℈ss.
Syrup. Fumar. ana. q s. Misce.
Vel ex vilioribus.
Recipe Theriac. opt. ʒj.
Salis Absynth.
Rutæ.
Prunel. an. gr. 10.
Aq. scabios. q. s. Misce


VEL.

Recipe Mitridat ʒij.
Flor. sulphur. ℈iss.
Salis Absynth. gr. XV.
Aqua Rutæ
Aceti Rosat. ana. q s. Misce.

Sed de his plus satis: si enim candidus lector exactiorem de Pestis natura essentia, causis, signis, prognosticis, præseruatione & curatione tractationem legere velit, eum præter *Hippocratem. Galen. Auicen. Mesoen. ad Anton. Gallum, Anton. Portum, Augen, Saxon. Capiuactium, Fernel. Quercetan. Follinum, Pythopeum, Forsterum, Mynderum, Vntzerum, Palmarium & alios quam plures, qui ex professo de peste scripserunt, remittimus.*

Atque hæc sunt Candidissimè Lector, vt tandem receptui canamus, quibus Pantheum hoc nostrum Hygiasticum, pro ingenij viribus exornare, amplificare & grauissimorum virorum momentis ditare illustrare, & in

tui proximorumq́; gratiam, posterorũ emolumẽtum; imprimis verò, ad Dei ter Optimi Maximi laudẽ & gloriã, sacratissimæq; Deiparæ virginis honorẽ in publicã hanc scænam prodire voluimus, quorum diligenti lectione sedula obseruatione, & studiosa imitationæ, prælucente superin Numinis face sano & bene constituto corpore serena mẽte integrisque naturæ viribus non centum viginti dun taxat annos viuere, sed & plures fæliciter superare possis. Quod si vt speramus nostros hos labores serena fronte & candida mente exceperis, ad maiorem propediem euulganda calcar addes. Hisce interim fruere, & viue fælix.



COPI-

COPIOSVS RERVM ET VERBORVM INDEX, IN QVO NVMERVS PAGINAM; LITTERA *a*, PRIMAM, Littera verò *b*, secundam paginæ columnam denotat.

A.

Euacua-

INDEX.

Maximum

N.

O.

Quomodo

INDEX.

T.

V.

Venæ

FINIS.



Menda, sic emenda.

Pagina.
3. a.iudicationibus,leg indicationibus.
3. b.fundamentum leg.medicamentum.
3. b.exgetentis, leg.expetentis.
4. b.euacuando, leg.euacuatio.
5. a.crassos, leg. crassi.
12. b.ligaturio leg. ligaris.
32. a.effecta, leg affecta.
32. b.fotæ, leg. fotis.
39. a.operienda, leg.aperienda.
40. b.purgatis, leg. purgatio.
43. a.lassiæ, leg. cassiæ.
44. a.autem, leg. ana.
45. b.re, leg. remedijs.
48. a seorsum, leg. deorsum.
49. b.consueuerunt, leg.censuerunt.
53. a.Bil. leg. balnei.
Ibid. cucurbitam, lege, cucurbitæ.
54. a.multum laboris & industriæ (adde) posuerunt.
55. b.frixatorij, leg. fixatorij.
62. a.porois, leg.paruis.
64. a.inseruientes, leg.insistentes.
64. b.mediatrix, l.medicatrix.
66. b.expellatur, leg expergiscatur.
73. b.crebriorum, leg. crebriore.
78. a.idq. leg. atq.

Pagina.
73. a.cum multi in iecto clystere verba faciente &c, leg cum multi medici de inijciendo clystere verba facientes.
188. b.lupilli, leg lapilli.
215. b.adimplicantur, leg.applicantur.
93. b.cum vires inper scrutabiles censeatur, leg. cuius vires inperscrutabiles censentur.
94. a.sedo extracta, leg. sedulò extractus.
100. a.perseuerandum, leg perscrutandum.
104. a.falici, leg. fatui.
104. b,elementa, leg.elementata.
112. a pastam, leg.passam.
148. b.quidam leg.cuiusdam.
151. b.prædictum, leg.præditum.
165. b.libentia leg inhibentia.
168. a.euporio, leg eupatorio,
180. a.plerum, leg. plerumq.
191. a.gruma, leg grumus.
193. a.incurijs, leg. iniurijs.
219. a adijciendi, leg abijciendi.
224. a.venarum, leg. venenum.
224. b adde, leg. arte.
234. a.luadem, leg. laudem.
234. a, ad maiorem, leg. ad maiora.

Sehr selten.